

F I D E N E

Instituto Regional de Documentação

BIBLIOTECA CENTRAL

N.º do inventário 5165

~~\_\_\_\_\_~~



F. I. D. E. N. E  
Instituto Regio. de Documentação  
BIBLIOTECA CENTRAL  
N.º de inventário 5165

MANUALE  
SACRARUM  
CÆREMONIARUM.



M A N U A L E  
S A C R A R I U M  
C E R E M O N I A R U M

5

# MANUALE SACRARUM CÆREMONIARUM,

JUXTA RITUM S. ROMANÆ ECCLESIAE;

In quo omnia quæ ad usum omnium Cathedralium, Collegiatarum Parochialium, Sæcularium, & Regularium Ecclesiarum pertinent, accuratissimè tractantur;

AUCTORE

MICHAELE BAULDRY,

*Quondam Latiniacensis, nunc verò Venerabilis Ecclesie  
Malleacensis Cathedralis, ac Regularis Ordinis  
S. Benedicti, Magno Priore.*

Editio octava Veneta, supra cæteras emendata, novisque Additionibus locupletata; addita Quinta Parte loco Cæremonialis Episcoporum.



VENETIIS, MDCCXXXIV.

Ex Typographia Balleoniana.  
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.



## Index Partium, Capium, & Articulorum.

<p>Art. 3. De Processione hujus diei, &amp; Missa 221</p> <p>Art. 4. De eadem Dominica in minoribus Ecclesiis. 224</p> <p>Cap. 7. De majori hebdomada. 225</p> <p>Cap. 8. De Matut. Teneb. celebrandis feriis 4.5. &amp; 6. majoris hebdomadæ. ibid.</p> <p>Cap. 9. De feria 5. in Coena Domini. ibid.</p> <p>Art. 1. De præparandis hac die. 228</p> <p>Art. 2. De Missa hujus feriæ 5. 230</p> <p>Art. 3. De Processione SS. Sacramenti hac die. 232</p> <p>Art. 4. De denudatione Altarium. 235</p> <p>Art. 5. De mandato, seu lotionem pedum. 236</p> <p>Art. 6. De eadem feria 5. in minoribus Ec- clesiis. 239</p> <p>Cap. 10. De feria 6. in Parasceve. 240</p> <p>Art. 1. De præparandis hac die. ibid.</p> <p>Art. 2. De officio hujus feriæ 6. usque ad ado- rationem Crucis exclusivè. 241</p> <p>Art. 3. De denudatione, &amp; adoratione Cru- cis. 243</p> <p>Art. 4. De Processione hujus diei, &amp; reliquo officio. 247</p> <p>Art. 5. De eadem feria 6. in Parasceve in mi- noribus Ecclesiis, 252</p> <p>Cap. 11. De Sabbato Sancto. 253</p> <p>Art. 1. De præparandis hac die. ibid.</p> <p>Art. 2. De Processione ad locum novi ignis, &amp; benedictione ejusdem, usque ad Præco- nium. 255</p> <p>Art. 3. De Præconio, &amp; Prophetiis. 257</p> <p>Art. 4. De benedictione Fontium. 259</p> <p>Art. 5. De Litaniis, Missa solemnè, &amp; Vespè- ris hujus diei. 260</p> <p>Art. 6. De eodem Sabbato Sancto in minori- bus Ecclesiis. 264</p> <p>Cap. 12. De festo sancto Paschæ, &amp; tempore Paschali. 265</p> <p>Cap. 13. De vigilia, &amp; festo Ascensionis Do- mini. 266</p> <p>Cap. 14. De vigilia, &amp; die Pentecostes. 267</p> <p>Cap. 15. De festo SS. Trinitatis. ibid.</p> <p>Cap. 16. De festo Corporis Christi. 268</p> <p>Art. 1. De hujusmodi festo in genere. ibid.</p> <p>Art. 2. De præparandis pro solemnè Proces- sione SS. Sacramenti. 269</p> <p>Art. 3. De Missa, &amp; Processione SS. Sacra- menti. 270</p> <p>Art. 4. De Processione SS. Sacramenti in minoribus Ecclesiis, &amp; quando Missa pri-</p>	<p>vata tantum dicitur, vel etiam non di- citur. 275</p> <p>Art. 5. De Processione, quæ aliquando fit ante Missam. 276</p> <p>Art. 6. De Vesperis solemnibus, &amp; Proces- sione post Vesperas coram SS. Sacra- mento. 277</p> <p>Art. 7. De oratione publica, quæ in multis Ecclesiis fit in festo Corporis Christi, cir- ca Solis occasum. 279</p> <p>Art. 8. De Expositione SS. Sacramenti initio officii per octavam. 280</p> <p>Art. 9. De expositione SS. Sacramenti in minoribus Ecclesiis. 281</p> <p>Art. 10. De Processione solemnè SS. Sacra- menti in quibusdam Ecclesiis infra octa- vam Corporis Christi. ibid.</p> <p>Art. 11. De oratione publica, &amp; solemnè indicta pro re gravi coram SS. Sacra- mento, quæ dicitur quadraginta hora- rum. 282</p> <p>Art. 12. De Processione SS. Sacramenti in ipsa oratione quadraginta horarum. 284</p> <p>Art. 13. De Processione SS. Sacramenti faci- enda singulis mensibus à sodalibus Con- fraternitatis SS. Sacram. Et de expositi- one ipsius, quæ aliquando fit pro infirmis, vel aliis necessitatibus. 286</p> <p>Art. 14. De octava Corporis Christi. 287</p> <p>Cap. 17. De quibusdam notandis circa fe- sta, à festo Corporis Christi usque ad com- mem. omnium fidelium Defunctorum. ibid.</p> <p>Cap. 18. De comm. omnium fidelium De- functorum. 288</p> <p>Cap. 19. De festo Patroni, &amp; Dedicatio- nis propriæ Ecclesiæ. 290</p>
<hr style="width: 50%; margin: 0 auto;"/> <p style="text-align: center;">Manualis Sac. Cæremoniarum juxta Ritum Rom.</p>	
<p style="font-size: 1.2em; font-weight: bold; letter-spacing: 0.5em;">P A R S Q U I N T A.</p>	
<p style="font-style: italic;">De sacris Cæremoniis servandis ab Episcopo, &amp; aliis Prælatiis superioribus, &amp; eo- rum Ministris specialibus.</p>	
<p>Cap. 1. <b>D</b>E Episcopo, &amp; ejus habitu, &amp; aliis agendis per eundem nu- per electum. 303</p> <p>Cap. 2. &amp; 3. De primo accessu Episcopi, vel Ar-</p>	

## Index Partium, Capitum, & Articulorum.

- Archiepiscopi ad suam Dioecesim, vel Provinciam. 294  
 Cap. 4. Quomodo Episcopus, vel Archiepiscopus se gerere debeat circa benedictiones, & alia Episcopalia munia in sua Dioecesi, vel Provincia; & quid si Legatus Apostolicus, aut Cardinalis quilibet, vel Nuncius, aut aliquis Prælati-  
 ibidem sit. 296  
 Cap. 5. De officio Magistrorum Cærem. Vide art. 1. & 2. primæ partis. 297  
 Cap. 6. De officio Sacrificæ. Vide art. 1. & 2. secundi capituli primæ partis, &c. ibid.  
 Cap. 7. de Officio Presbyteri assistentis. ibid.  
 Art. 1. De ejus officio ad Vesp. Episcopo celebrante. ibid.  
 Art. 2. De ejus officio in Missa. 298  
 Cap. 8. De assistentia duorum Canonico-  
 rum in habitu Diaconali Episc. celebrantæ, vel eo non celebrante, in habitu ordina-  
 rio. 301  
 Cap. 9. De Officio Diaconi in Missa solemn-  
 i Episcopo celebrante. 304  
 Cap. 10. De officio Subdiaconi in eadem  
 Missa Pontificali. 307  
 Cap. 11. De Ministris inferioris ordinis Epi-  
 scopi celebrante. ibid.  
 Art. 1. De eorum functionibus in genere. 308  
 Art. 2. De Acolyto de libro. 309  
 Art. 3. De Ministro de Candela. 310  
 Art. 4. De Ministro de Mitra. ibid.  
 Art. 5. de Ministro de Baculo. 312  
 Art. 6. de Acolyto, seu Ministro de Gre-  
 miali. 313  
 Art. 7. de Ministro de Chirothecis. ibid.  
 Art. 8. de Ministro de Ampullis. 314  
 Art. 9. De officio Thuriferarii celebrante  
 Episcopo. ibid.  
 Art. 10. De Ceroferariis celebrante Episco-  
 po. 315  
 Art. 11. de Ministro de Pallio Archiepisco-  
 pi, seu Patriarchæ. ibid.  
 Art. 12. De Ministro Crucem ante Archie-  
 piscopum deferente. 316  
 Art. 13. De Caudatarii Episc. officio. ibid.  
 Art. 14. De Ministro de Faldistorio. ibid.  
 Art. 15. De scutiferis, seu familiaribus Epi-  
 scopi. 318  
 Cap. 12. De ornatu Ecclesiæ, & præparan-  
 dis in ea ante adventum Episcopi. 319  
 Cap. 13. De sedibus Episcopi, Legati, Cardi-  
 nalium, Prælatorumque, nec non Prin-  
 cipum, Magistratum, virorumque illu-  
 strium, in Ecclesia collocandis. 323  
 Cap. 14. De usu umbraculi, seu baldachini. 324  
 Cap. 15. De habitu Ecclesiastico Episcopi, &  
 Canonico-  
 rum, & de accessu ad Eccle-  
 siam, & reditu eorumdem. ibid.  
 Cap. 16. De Pallio, & ejus usu. 326  
 Cap. 17. De Mitra, & baculo Pastoralis. 327  
 Cap. 18. De reverentiis observandis ab Epi-  
 scopo Canonicis, & aliis, sive in Eccle-  
 sia, sive extra eam. ibid.  
 Cap. 19. De ordine, & modo jungendi, ac  
 elevandi manus per Episcopum, vel alte-  
 rum; & quomodo se gerere debeat ad Al-  
 tare, vel faldistorium, vel e contra; & de  
 osculatione Altaris. 328  
 Cap. 20. De libro tenendo apud Episcopum  
 præsentem ad Vesperas, vel Missam, &  
 non celebrantem: & quid ex eo legere  
 debeat. 329  
 Cap. 21. De circulis intra Missam solem-  
 nem, quæ coram Episcopo celebratur,  
 faciendis ante eundem Episcopum, qua-  
 liter, & quoties. ibid.  
 Cap. 22. De Concionibus. 330  
 Cap. 23. De modo imponendi thus in thu-  
 ribulum, illudque benedicendi, & de  
 thurificatione in Vesper. & Laudibus. ibid.  
 Cap. 24. De ordine dandi pacem. 332  
 Cap. 25. De forma dandi benedictionem  
 solemnem ab Episcopo, & publicandi  
 Indulgentiam, ubi, quoties, & quando. 333  
 Cap. 26. De supplendis vicibus Canonico-  
 rum, & aliorum Ministrorum deficien-  
 tium. 334  
 Cap. 27. De Orationibus, seu Collectis, &  
 diversis earum tonis. 335  
 Cap. 28. De Organo, Organista, & Musi-  
 cis. ibid.  
 Cap. 29. De Missa, quæ sine cantu ab  
 Episcopo celebratur. ibid.  
 Cap. 30. De Missa, quæ sine cantu celebra-  
 tur coram Episcopo in locis suæ jurisdic-  
 tionis. 336



## Index Partium, Capitum, & Articulorum.

### EX SECUNDO LIBRO

*Carem. Episc.*

**Cap. 1.** **D**E Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum celebrato. 336

**Cap. 2.** De Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum non celebrato. 340

**Cap. 3.** De Vesperis in Ecclesiis Cathedralibus absente Episcopo, vel in Collegiatis solemniter celebrandis. 341

**Cap. 4.** De Completorio. ibid.

**Cap. 5.** De Matutinis præsentibus Episcopo. 342

**Cap. 6.** De Matutinis in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis absente Episcopo. 343

**Cap. 7.** De Laudibus, reliquisque Horis Canonis. ibid.

**Cap. 8.** De Missa solemnibus Episcopo celebrante. ibid.

**Art. 1.** De præparandis pro Missa solemnibus, & Hora Tertia præcedente Missam solemnem. 344

**Art. 2.** De Processione Episcopi ad Altare, & de Introitu Missæ usque ad Evangelium. 348

**Art. 3.** De Evangelio, & aliis usque ad Præfationem. 352

**Art. 4.** De Præfatione usque ad finem Missæ. 355

**Cap. 9.** De Missa solemnibus, quæ coram Episcopo celebratur. 357

**Art. 1.** De eadem, quæ celebratur in Cathedralibus. ibid.

**Art. 2.** De Missa, quæ in diversis Ecclesiis celebratur coram Episcopo in sua Diocesi, aliis Cathedralibus. ibid.

**Cap. 10.** De Vesperis, & Matut. pro Defunctis. 361

**Cap. 11.** De Missa Pontificali pro Defunctis per Episcopum celebranda, & de Sermonibus, & Absolutione post Missam. ibid.

**Art. 1.** De ipsa Missa, & Sermonibus. 362

**Art. 2.** De Absolutione solemnibus ab Episcopo, & aliis Prælatibus facienda circa Castrum doloris. 364

**Cap. 12.** De Missa pro Defunctis, quæ coram Episcopo celebratur. 366

**Cap. 13.** De Vesp. & Missis in Dominicis Adventus, sive ab Episcopo, sive ab alio, præsentibus Episcopo, celebrandis. 367

**Cap. 14.** De Vigilia Nat. Domini Nostri Je-

su Christi, & de Matutinis, & Missa in nocte celebranda. 368

**Cap. 15.** De festis occurrentibus usque ad diem Purificationis solemniter celebrandis. 369

**Cap. 16.** De festo Purific. B. M. Virginis, & benedictione, ac distributione candelarum. ibid.

**Cap. 17.** De festo Purificationis in Cathed. absente Episcopo, & in Colleg. 372

**Cap. 18.** De Officio, & Missa fer. 4. cinerum Episcopo celebrante, vel non celebrante, sed præsentibus. ibid.

**Cap. 19.** De eadem fer. 4. Cin. Episcopo absente, & in Collegiatis. 373

**Cap. 20.** De Dominicis Quadragesimæ usque ad Dominicam Palmarum. ibid.

**Cap. 21.** De Officio, & Missa in Dominica Palmarum. ibid.

**Cap. 22.** De Matut. Teneb. 4. 5. & 6. feriæ majoris hebdomadæ. 377

**Cap. 23.** De Officio, & Missa feriæ 5. in Coena Domini. 378

**Cap. 24.** De mandato, seu lotionem pedum. 380

**Cap. 25.** De Officio feriæ 6. in Parasceve Episcopo celebrante. 382

**Cap. 26.** De eodem Officio, Episcopo non celebrante, sed præsentibus, aut etiam absente, & in Collegiatis Ecclesiis. 385

**Cap. 27.** De Sabbato Sancto, Episcopo celebrante. 388

**Cap. 28.** De Sabbato Sancto, Episcopo non celebrante, sed præsentibus, & in Collegiatis. 391

**Cap. 29.** De Missa solemnibus in die Paschæ Episcopo celebrante, & de Communionem generali. 392

**Cap. 30.** De eodem festo Paschæ, Episcopo absente, & in Collegiatis. 393

**Cap. 31.** De Dominicis per annum. 394

**Cap. 32.** De Litaniis, & Processionibus majoribus, & minoribus, quæ annis singulis fiunt. 395

**Cap. 33.** De festo Corporis Christi, & Processione. ibid.

**Cap. 34.** De aliis festis in genere, in quibus solemniter est celebrandum, ultra superius expressa. 399

**Cap. 35.** De Anniversariis diebus Electionis, & Consecrationis Episcopi, solemniter celebrandis. ibid.

## Index Partium, Capitum, & Articulorum.

<p>Cap. 36. De Anniversario Episcopi proximè defuncti. <span style="float: right;">ibid.</span></p> <p>Cap. 37. De Anniversario omnium Episcoporum, &amp; Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis defunctorum. <span style="float: right;">400</span></p> <p>Cap. 38. De ægrotatione, morte, funere, &amp; exequiis Episcopi, &amp; de supplicatione ad Deum pro opportuna novi Episcopi electione impetranda. <span style="float: right;">ibid.</span></p> <hr/> <p style="text-align: center;">Appendix ad postremam partem hujus Operis.</p> <p style="text-align: center;"><i>De Episcopo celebrante in sua propria Ecclesia coram Cardinali, vel Legato à latere.</i></p> <p>Cap. 1. <b>D</b>E Vesp. celebrandis ab Episcopo in propria Ecclesia, præsentate Cardinali, vel Legato. <span style="float: right;">404</span></p> <p>Cap. 2. De Vesperis celebrandis ab Episcopo extraneo, vel etiam suffraganeo, &amp; etiam celebrante Cardinali coram aliis Cardinalibus. <span style="float: right;">406</span></p> <p>Cap. 3. De Matutinis, &amp; Laudibus Episcopi præsentate Cardinali, ut suprâ. <span style="float: right;">ibid.</span></p> <p>Cap. 4. De Missa ejusdem Episcopi præsentate Cardinali, vel Legato. <span style="float: right;">407</span></p> <p>Cap. 5. De Missa Cardinalis Episcopi proprii, vel non, præsentibus aliis Cardinalibus, vel Legato. <span style="float: right;">409</span></p> <p>Cap. 6. De Missa solemnî Episcopi suffraganei, seu coadjutoris, præsentate Episcopo proprio parato, vel non parato. <span style="float: right;">ibid.</span></p> <p>Cap. 7. De festo Purific. B. M. &amp; de benedictione, &amp; distributione candelarum ab Episcopo celebrante in faldistorio, &amp; præsentate Cardinali, vel Legato. <span style="float: right;">410</span></p> <p>Cap. 8. De benedictione candelarum per Cardinalem faciendâ. <span style="float: right;">411</span></p> <p>Cap. 9. De benedictione candelarum per</p>	<p>Episcopum extraneum, &amp; etiam suffraganeum faciendâ.</p> <p>Cap. 10. De tercia cinerum, &amp; de benedictione cinerum celebrante Episcopo, coram Cardinali, vel Legato, &amp; Episcopo extraneo coram prædictis. <span style="float: right;">ibid.</span></p> <p>Cap. 11. De Dom. Palmarum, &amp; benedictione Ramorum eodem Episcopo celebrante, vel extraneo, vel suffraganeo, coram Cardin. vel Legato, &amp; de Cardin. celebrante. <span style="float: right;">413</span></p> <p>Cap. 12. De Matutinis Tenebrarum præsentate Cardinali, &amp; Episcopo in crastinum celebraturo. <span style="float: right;">414</span></p> <p>Cap. 13. de Missa solemnî Episcopi celebrantis feria 5. in Coena Domini coram Cardinali, de lotione pedum, &amp; aliis. <span style="float: right;">ibid.</span></p> <p>Cap. 14. De fer. 6. in Parasceve, &amp; de Episc. celebrante eadem die coram Card. <span style="float: right;">416</span></p> <p>Cap. 15. De Sabbato Sancto, de Episcopo celebrante hac die coram Cardinali, &amp; de festo S. Paschæ. <span style="float: right;">ibid.</span></p> <p>Cap. 16. De Missa, quæ celebratur ab Episc. solemniter, præsentate SS. Sacram. <span style="float: right;">416</span></p> <p>Cap. 17. De Episc. suffraganeo, vel coadjutore Episc. erga Canonicos, &amp; vicissim de Canonicis erga suffraganeum. <span style="float: right;">417</span></p> <p>De Tono Confessionis recitandæ per Diaconum post sermonem, &amp; de forma Indulgentiæ publicandæ per fermocinantem, ac benedictione danda per Episcopum post sermonem. <span style="float: right;">418</span></p> <p>Appendix de forma, &amp; mensuris Ecclesiasticæ suppellectilis, ac Episcopaliū indumentorum; deque nitore, &amp; munditia ejusdem sacræ suppellectilis. <span style="float: right;">420</span></p> <p>De suppellectili sacra, quæ pertinet ad usum Episcoporum, &amp; de forma, &amp; mensura Episcopaliū indumentorum, &amp;c. <span style="float: right;">424</span></p> <p>De nitore, &amp; munditia prædictæ sacræ suppellectilis. <span style="float: right;">425</span></p> <p>Expositio Tabulæ. <span style="float: right;">429</span></p>
--	---

*Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, qua ego loquor ad te de universis Cæremoniis Domus Domini, & de cunctis legibus tuis. Ezech. 45.*



# LECTORI.



Ccipe, Lector, novos in non novo opere labores; neque si quam fortè priori partui accessionem cum crementis non levibus factam videas, nimium demirere. Commune id omnibus benè ominatis mortalium rebus fatum est, ut ab exiguis per majora provehantur ad summa. Cernis nostros Rhemnum Rhodanumve medii cursus spatia affecutos, latioribus exspatiantes alveis, rapidiore impetu ruentes, saxa rupesque obvias hiantibus volventes, sorbentesque vorticibus; viciniore deindè Oceano, laxatos sinus per tot maria effundentes, quot ostia? At in Alpibus summis non nisi pertenuis visuntur rivuli, angustiore ripa haustam è subsilienti latice lympham volutantes. Simile quid humanis in rebus usuvenit. Alium videas laudis appetentiorum, cum ex obscuris primordium latebris ad aliquod inter cives emerferit nomen, tunc maximè (loquar cum Plutarcho: ) Καθάπερ εἰς πώλεα γοσ ἀχανέσ τῷ πόλιι ἐμπεσῶν ὁ πρὸ αὐτῶ λόγος, εὐδὲν εἰς δόξαν ἐπίδηλον πεποίηκεν, priorum oblitus, ad majora semper, & altiora inexplebiles animos erigit, ὡς πρὸς ἀόρεισον πρῶγμα τῷ δόξαν ἀμιλλόμενος πέρασ ἐκ ἔχασαν. Alius vix artium è salebris extricatus est, cum id se tantummodò adeptum ratus, ut majora sibi deesse lumina noverit, novos iterum fatiscenti jam animo labores imperare non dubitat: nimirum Dei folius est, & perfectum esse, & perfecta facere; homo verò cum consummaverit, tunc incipiet. Sed quibus de causis, inquires, tantam istud

in molem succrevit opus? Multis profectò, iisque minimum pœnitendis.

Primos quidem suggestit ad majora ausus mira universi Galliarum Cleri de priori editione gratulatio. Auxit subindè animos vehemens præcipuorum Ecclesiæ Gallicanæ Procerum, quibus nihil non debeo, adhortatio. Ante omnia sanè non leve attulere momentum veneranda sanctissimorum Orbis Gallici Pontificum imperia, non solùm, ut illud ipsum juris iterùm publici facerem, verùm ut & in ampliorem digererem formam, adderemque insuper ea, quæ ad Episcopales, tum Ecclesias, tum personas, spectare viderentur: quibus si renuisssem acquiescere, quasi scelus Idololatriæ, teste Samuele, non injuria mihi quis impingere potuisset.

Deindè verò compendii plurimum huic negotio pepererunt habitæ, & sæpè, multùmque apud Parisios repetitæ, sacrorum rituum causa, jam inde à prima operis luce synaxes, & gravissimorum virorum frequentia celebres, & nominatissimorum Præfulum præsentia nobilissimæ; ubi & illud imensæ laudis spectandum fuit, ut non piguerit, peritissimos divinæ rei viros, & ( si fas dicere ) sacrorum rituum apices, iterùm atque iterùm ad praxim reducere, quos sequuntur ritus clarissimæ Parisiorum, tum Ecclesiæ, tum Societates; quas inter non mediocrem obtinent locum Regulares Sanctæ Genovefæ Canonici, Congregationis Oratorii Patres, Presbyterorum S. Nicolai de Cardineto Societas, necnon & ii, quibus Missio nomen dedit; quorum alii apud S. Lazarum, apud Divum Sulpitium alii, illic ab Illustrissimo Parisiensium Archiepiscopo, hîc à Serenissimo Principe Henrico Borbonio Metensium Episcopo, & à S. Germani à Pratis Abbate constituti; nec prætermissum velim ipsum Pratense Sancti Germani Cœnobium, ubi persæpè summa Missarum, Vespertinæque Laudis solemnia, summis, ut licuit, honoribus exegimus.

Ex his itaque synaxeon, & omnium generis omnis Pontificalium, atque etiam ex Sacræ Rituum Congregationis, Missalis, Breviarii que Romani rubricarum fontibus hausi, quidquid ad operis colophonem conspicis accessisse. Prætereà

*Incideram in Scyllam cupiens vitare Carybdim.*

Dum enim brevis esse volui, ne nauseam parerem; obscurus

rus fui, ne caperer: præterieram quippè leuiuscula pleraque, tanquam quæ ad sui notionem aliena minimè indigerent luce; quæ tamen nebulosis illis syderibus, quæ ob inopiam proprii fulgoris nostros penè effugiunt sensus, similia esse, & experientia ipsa adverti, & ex propositis quæstionum nodis didici. Quibus omnibus enodandis, explicandisque fusiùs, non jam laconicè leviora munia perstringenda sum ratus; sed Asiatico calamo summa quæque, & infima à vertice Aaron ad oram usque vestimenti ejus pertexenda suscepi, adeò ut quod quis desideret, videatur nihil.

Addam, si placet, & illud mutati consilii argumentum: Antea enim cum Latiniacensis Prior agerem, iis tantum adverteram animum, quæ mediocres spectarent Ecclesias: sed inde postmodum ad Episcopalis Monasterii Mellacensis (quod unum è multis Divo Benedicto temporum acerbitas salvum esse voluit) Prioratum majorem assumptus; & ex proprio sæpè munere de iis ritibus, quibus Illustrissimum Henricum de Bethunes, Ecclesiæ nostræ Angelum, coleremus, meis cum fratribus agere compulsus; non abs re Ecclesiastica futurum duxi, si quæ mea me experientia docuit, aliis facerem communia; nec enim divino quis fecerit Canonis fati, si aquam de cisterna sua bibens, non etiam in plateis aquas suas diviserit.

Jam verò, quæ te admoneam, supersunt duo; alterum, ne te moveat aliena nonnumquam hujus Cæremonialis ab Episcopali ratio; putà cum alio hoc, atque illud ritu adolendum altari thus præcipit: &c. secutus enim sum eam thurificationis rationem, &c. quæ post editum Episcopale in lucem, ex beatæ memoriæ Urbani VIII. jussione fuit instituta.

Attexui & ad calcem operis illustrandæ posteriori parti appendicem, ubi quinam ritus celebranti extra limites Episcopo servandi; quid Suffraganeis, & Coadjutoribus peculiare; quid purpuratos etiam Patres singulariùs respiciat (quod non rarò, in clarioribus præsertim urbibus, contingere videas) abundè satis descripta, disposita, diffusa, nullo reperies labore omnia, omnia, inquam, ad Cæremonialium Summi Pontificis, Cardinalium, & Episcoporum canones

oppidò quàm accommodata: & in illis quidem multa prætermiffa fuerant, plurima præ brevitate obscura; sed meo effectum labore spero, ut & Magistrorum diligentia nihil ingratum sit, & tyronum initiis nihil non pervium.

Pontificale prætereà & ego ipse non invito animo exegiffem; sed hanc alteri servatam fortè Provinciam arbitror, & dignum certè Episcopo opus, qui Pontificios illos ritus ex usu jam calleat, & propria impleat majestate. Quiescam interim, dum quispiam prodeat ea de re tractatus. Quòd si videro, omnium ora, & calamos altiore premi silentio, malim ego ponderi succumbere, quàm tanti rem momenti penitus præteriri.

Alterum quod te admonitum velim, est acerbius quorundam delicatulae mentis hominum in priorem mei operis editionem scomma: Ejusmodi enim, emunctæ nimirum naris homines, meum vix natum opus subolsecerunt, adductoque supercilio, nec respiciendum quidem, utpotè quòd Monachum claustrumque saperet, cavillati sunt. Quorum ut ego stomacho consulam, asperiores eorum animi motus leniori responso emollire tentabo. Te offendunt, inquis, prodeuntes è claustro cæremonia; non tibi sapiunt: At hæc prodeuntia ex te verba nullo modo initiatum Ecclesiasticis rebus tyronem, nedum peritum sapere unquam possunt. Legisti Annales sacros? Ecclesiasticas Historias evolvisi? nec vidisti unquam *ἐκ ἀνέγνως, ἐκ τῶν ἱερῶν, ἢ κατέγνως?* Sacras enim Historias si legisses, non utique res à Monacho editas, eo tantum nomine, quòd à Monacho editæ sunt, adeò leviter respuisses. Quem enim non à primo Ecclesiasticæ Historiæ limine remotissimum lateat, Ecclesiam à Monachis, iisque Benedictinis, præcipua canonum divinatorumque officiorum ornamenta mutuata esse? Unde ergo solemnitas illa SS. Omnium festivitas? Unde anniversaria omnium Fidelium Commemoratio? Unde B. Virg. Mariæ Officium? Unde Hymni illi *Ave maris stella, Alma Redemptoris, Ave Regina Cælorum, Salve Regina?* Unde & geminum illud triumphantis Christi *Ἐπιένιον, Gloria, laus, & Exultet;* quorum alterum passuro, & jam victori, alterum resurgenti Christo solenni pompa canit Ecclesia? Quæ ex innume-

ris paucissima retuli, sed notissima tamen, adeò ut qui ea in Ecclesiæ decus utilitatemque à Monachis adducta esse nescierit, aut nihil legisse, aut Polyphemo stupidior existere convincatur. Nec audis resonantia quotidie Gregoriano cantu Christianæ Reipublicæ templa? An quòd à Monacho instituta fuerit, suavis illa melodia rejicienda est? An quòd à Guidone Aretino item Monacho restituta, idcirco fuggillanda? Certè si Ecclesia, quæ Spiritu Dei numquam destituitur, ab tuo fuisset instituta, ille ipse Gregorius Magnus, & infiniti alii ab summo Ecclesiæ regimine, summo Ecclesiæ damno, fuerant removendi.

Cæterùm & amici medici more ægritudini mentis tuæ indulgeamus. Dabimus operam, ut ne quid te in istis, quæ tibi fecerant stomachum, offendat. In tui ego gratiam, si quod erat verbum, quod in cæremoniis apud Monachos sæpiùs in usu sit, expunxi, usitatissima quæque apud Ecclesias Collegiatis, & Pontificales vocabula assumpsi, ita ut nec cæcus, nisi volens, in iis errare valeat. Testes sint, ii quorum trutinæ ponderandum examinandumque volumen hoc subjeci. Scio enim, eum optimum esse vivendi ritum, si quis sit sine offensione Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei; si per omnia omnibus placeat, non quærens quod sibi utile est, sed quod multis.

Te verò, optime Lector, rogo, obtestorque, ne Authoris conditio operi apud te noceat, nec si conditio displiceat, minùs ob id probandum videatur opus; si tandem minùs arriserit opus, at sinas me eatenùs bene agere, ut omnibus velim in omnibus placere; ut totus omnibus, totus pro omnibus Ecclesiæ Dei sanctæ vivam, agam, scribam, cujus sapientissimo iudicio universa hìc, aut alibi à me edita, edendave, subjecta sunt.

# I N D E X

## Partium, Caputum, & Articulorum hujus Manualis Sacrarum Cæremoniarum.

### P A R S P R I M A.

#### *De Magistris, & Officiariis Ecclesiæ.*

Cap. 1. <b>D</b> E Magistro Cæremoniarum.	
Art. 1. De eo in Ecclesiis Collegiatis. pag. 1.	
Art. 2. De eodem Magistro Cæremoniarum in Ecclesiis Cathedralibus.	6
Cap. 2. De officio Sacristæ.	8
Art. 1. De eo in Ecclesiis Collegiatis. <i>ibid.</i>	
Art. 2. De officio Sacristæ in Ecclesiis Cathedralibus.	11
Cap. 3. De Presbytero Assistente.	<i>ibid.</i>
Cap. 4. De officio Assistantium.	13
Cap. 5. De officio Hebdomadarii.	15
Cap. 6. De officio Cantorum.	17
Art. 1. De eo in feriali officio.	<i>ibid.</i>
Art. 2. De officio Cantorum in festis, Dominicis, & officiis diversis.	18
Cap. 7. De Magistri, seu Præfecti chori officio.	20
Cap. 8. De Organistæ, & Musicorum officio.	21
Cap. 9. De Canonicorum officio, & ritibus ab eis servandis.	23
Cap. 10. De Concionatoris officio, seu concione.	25
Cap. 11. De Ministris sacris.	28
Cap. 12. De Diacono, & ejus officio in Missa solemnè.	29
Art. 1.	<i>ibid.</i>
Art. 2. De Diaconi officio in Missa defunctorum, & de absolute in fine Missæ.	36
Art. 3. De Diaconi officio in Processionibus.	38
Cap. 13. De Subdiacono.	<i>ibid.</i>
Art. 1. De Subdiaconi officio in Missa solemnè.	<i>ibid.</i>
Art. 2. De Subdiaconi officio in Missa solemnè pro defunctis.	44
Art. 3. De Subdiaconi officio in processionibus.	45
Cap. 14. De Ceroferariis.	46

Art. 1. De Ceroferariis in genere.	<i>ibid.</i>
Art. 2. De Ceroferariis ad Vesp. & Mat. solemnes, & Officium defunctorum.	47
Art. 3. De Ceroferariorum officio in Missa solemnè.	49
Art. 4. De Ceroferariis in Missis defunctorum, & aliis actionibus.	52
Cap. 15. De Officio Thuriferarii.	53
Art. 1. De Thuriferarii officio in genere. <i>ib.</i>	
Art. 2. De officio Thuriferarii ad Vesp. & Laudes.	54
Art. 3. De Thuriferarii officio in Missa solemnè.	55
Art. 4. De Thuriferarii officio in defunctorum absolute, & exequiis.	57
Art. 5. De Thuriferarii officio in processionibus.	58
Cap. 16. De Ministri vas aquæ benedictæ portantis officio.	58
Cap. 17. De Ministro Missæ privatæ.	60
Cap. 18. De eodem Ministro Missæ privatæ coram Episcopo, aut alio Prælato infervienti.	66

---

#### Manualis Sacrar. Cæremoniarum juxta Ritum Romanum.

### P A R S S E C U N D A.

#### *De functionibus Ecclesiasticis, & de modo eas exercendi.*

Cap. 1. <b>D</b> E disciplina in choro servanda, de ingressu Clericorum in eum, ac simul de silentio, corporis habitu, modestia, &c. & de cantu.	68
Cap. 2. Quando standum in choro.	71
Cap. 3. Quando genuflectendum in choro.	72
Cap. 4. De inclinationibus, quando, & quomodo fieri debent.	73
Cap. 5. Quando caput denudandum, aut tegendum.	74
Cap. 6. De conversionibus ad Altare.	75



## Index Partium, Capitum, & Articulorum.

<p>Cap. 7. De signo Crucis quomodo, &amp; quando formandum. 76</p> <p>Cap. 8. De asperione aquæ benedictæ. <i>ibid.</i></p> <p>Cap. 9. De thurificatione. 79</p> <p>Art. 1. De thurificatione in genere. <i>ibid.</i></p> <p>Art. 2. De modo imponendi, &amp; benedicendi incensum, &amp; de thurificatione Altaris in Missa. 80</p> <p>Art. 3. De thurificatione SS. Sacramento exposito in Altari. 84</p> <p>Art. 4. De thurifi. in Vesp. &amp; Laudibus, &amp; aliis circa alias thurificationes. 85</p> <p>Art. 5. De modo incensandi personas, &amp; quæ personæ sint incensandæ, &amp; quo ordine, &amp; de numero thurificationum. 86</p> <p>Cap. 10. De Pace. 89</p> <p>Art. 1. De ordine dandi Pacem in Cathed. &amp; Collegiatis Ecclesiis; absente Episcopo. <i>ib.</i></p> <p>Art. 2. De ordine dandi Pacem coram Episcopo, &amp;c. 90</p> <p>Cap. 11. De Vesperis. 91</p> <p>Art. 1. De Vesper. solemnibus in Ecclesiis majoribus. 91</p> <p>Art. 2. De Vesper. solemnibus in minoribus Ecclesiis. 97</p> <p>Art. 3. De Vesper. in Dominicis, &amp; festis semiduplicibus, in prædictis minoribus Ecclesiis. <i>ibid.</i></p> <p>Art. 4. De Vesp. solemnibus, præsentate Episcopo in Ecclesiis Collegiatis. 98</p> <p>Cap. 12. De Completorio. 99</p> <p>Cap. 13. De Matutinis, &amp; Laudibus solemnibus. <i>ibid.</i></p> <p>Cap. 14. De Processionibus. 102</p> <p>Cap. 15. De Processione facienda in Translatione Reliquiarum, atque Sanctorum Imaginum. 107</p> <p>Cap. 16. De solemnni Process. pro gratiarum actione, vel lætitiæ causa facienda. 110</p> <p>Cap. 17. De Processionibus in die S. Marci pro Lit. majoribus &amp; minoribus, &amp; diebus Rog. &amp; similibus. 111</p> <p>Cap. 18. De Processionibus, quæ fiunt tempore Jubilæi. 112</p> <p>Cap. 19. De modo recipiendi processionaliter insignes personas. <i>ibid.</i></p> <p>Ordo ad recipiendum processionaliter Prælatum, vel Legatum. 113</p> <p>Ordo ad recipiendum processionaliter Imperatorem. 114</p> <p>Ordo ad recipiendum processionaliter Regem. 115</p>	<p>Ordo ad recipiendum processionaliter Principem magnæ potentæ. <i>ibid.</i></p> <p>Ordo ad recipiendum processionaliter Imperatricem, vel Reginam. 116</p> <p>Ordo ad recipiendum processionaliter Principissam magnæ potentæ. <i>ibid.</i></p> <p>Cap. 20. De benedictionibus Sacerdotalibus. 117</p> <p>Cap. 21. De benedictione mensæ. <i>ibid.</i></p> <hr/> <p style="text-align: center;">Manualis Sac. Cæremoniarum juxta Riturum Romanum.</p> <p style="text-align: center;">P A R S T E R T I A.</p> <p style="text-align: center;"><i>De Celebratione Missæ.</i></p> <p>Cap. 1. <b>D</b>E Augustissimo Missæ sacrificio. 119</p> <p>Cap. 2. De modo legédi Missam, &amp; de iis, quæ memoriter, aut ex libro dicenda sunt. 120</p> <p>Cap. 3. Quomodo, &amp; quando formandum signum Crucis, &amp; pectus percutiendum in Missa. 121</p> <p>Cap. 4. De manuum conjunctione, extensione, elevatione, &amp; conversione ad populum, &amp; de tenendis manibus junctis super Altare. 122</p> <p>Cap. 5. De inclinationibus, &amp; genuflexionibus. 124</p> <p>Cap. 6. De elevatione oculorum in Missa. 126</p> <p>Cap. 7. De quibusdam notandis circa Rub. generales postras initio Missalis ante Riturum celebrandi Missam, super titulis quibusdam. 127</p> <p>Tit. 3. De feria, &amp; vigilia. <i>ibid.</i></p> <p>Tit. 4. De Missis votivis. <i>ibid.</i></p> <p>Tit. 5. De Missis defunctorum. <i>ibid.</i></p> <p>Tit. 6. De Translatione festorum. 128</p> <p>Tit. 7. De Commemorationibus. <i>ibid.</i></p> <p>Tit. 8. De Introitu, Kyrie, &amp; Gloria in excelsis. 129</p> <p>Tit. 9. De Orationibus. <i>ibid.</i></p> <p>Tit. 10. De Epistola, &amp; aliis. 130</p> <p>Tit. 11. De Symbolo post Evangelium, &amp; secretis. <i>ibid.</i></p> <p>Tit. 12. De Præfatione, &amp; aliis. 131</p> <p>Tit. 13. De Communione, &amp;c. &amp; Evangelio S. Joannis. <i>ibid.</i></p> <p>Tit. 14. De hora celebrandi Missam. <i>ibid.</i></p> <p>Tit. 15. De præparatione ornamentorum ad usum ejus. 132</p>
--	---

## Index Partium, Capitum, & Articulorum.

*Ritus servandus in celebratione Missæ.*

Tit. 1. De præparatione Sacerdotis celebratori.	133
Tit. 2. De ingressu Sacerdotis ad Altare.	135
Tit. 3. De principio Missæ, & Confessione facienda.	137
Tit. 4. De Introitu, Kyrie, & Gloria in excelsis.	138
Tit. 5. De Oratione.	139
Tit. 6. De Epistola, Graduali, & aliis usque ad Offertorium.	140
Tit. 7. De Offertorio, & aliis usque ad Canonem.	142
Tit. 8. De Canone Missæ usque ad Consecrationem.	145
Tit. 9. De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam.	148
Tit. 10. De Oratione Dominica, & aliis usque ad Communionem.	149
Tit. 11. De Communionem, & orationibus post Communionem dicendis.	154
Tit. 12. De benedictione in fine Missæ, & Evangelio S. Joannis.	154
Tit. 13. De iis, quæ omittuntur in Missis Defunctorum.	156
Cap. 8. De Communionem extra Missam, tam in festis diebus, quàm profestis. <i>ibid.</i>	
Cap. 9. De Missa privata coram Prælato in loco suæ jurisdictionis.	159
Cap. 10. De prima Missa novi Sacerdotis.	160
Cap. 11. De Missa solemnem.	161
Art. 1. De tempore celebrandi Missam solemnem.	<i>ibid.</i>
Art. 2. De his, quæ præparanda sunt ad Missam solemnem.	<i>ibid.</i>
Art. 3. De præparatione Celebrantis, & Ministrorum.	163
Art. 4. De egressu Celebrantis è Sacristia, progressu, & accessu ad Altare pro Missa solemnem.	164
Art. 5. De Introitu Missæ, & aliis usque ad Evangelium.	166
Art. 6. De Evangelio, & aliis usque ad Offertorium.	170
Art. 7. De Offertorio, & aliis usque ad Canonem.	172
Art. 8. De Canone Missæ, & aliis usque ad Communionem.	176
Art. 9. De Postcommunionem, & aliis usque ad finem Missæ.	180
Art. 10. De Communionem generali, vel particulari in Missa solemnem.	182

Cap. 9. De alia Missa minus solemnem sine Ministris sacris.	184
Cap. 10. De Missa solemnem sine Ministris sacris, sed cum duobus Ceroferariis, Thuriferario, & alio Acolyto.	<i>ibid.</i>
Cap. 11. De Missa cum duobus Acolythis folis.	187
Cap. 12. De alia Missa, quæ cantatur cum uno solo Clerico.	188
Cap. 13. De Missa solemnem pro defunctis. <i>ib.</i>	
Cap. 14. De Absolutionem post Missam.	191
Cap. 15. De Exequiis.	193
Cap. 16. De cæremoniis servandis in Choro, dum dicitur Missa solemnem.	195
Cap. 17. De Missa solemnem, & privata, quæ coram SS. Sacr. exposito celebratur.	197

Manualis Sacre Cæremoniarum juxta  
Ritum Romanum.

### P A R S   Q U A R T A.

*De ritibus servandis in quibusdam præcipuis diebus, & festis occurrentibus intra annum.*

Cap. 1. <b>D</b> E tempore Adventus.	201
Cap. 2. De vigilia, nocte, & die Nat. D. N. I. Christi, & aliis festis diebus usque ad Purificationem B. M.	203
Cap. 3. De festo Purific. B. M. Candelarum benedictionem, ac earum distributionem.	207
Art. 1. De præparandis hac die.	<i>ibid.</i>
Art. 2. De benedictionem, & distributionem candelarum.	208
Art. 3. De Processione hujus festi, & Missa, & quibusdam aliis circa Sexagesimam, & dies ante feriam 4. Cinerum.	212
Art. 4. De eodem festo in minoribus Ecclesiis.	214
Cap. 4. De feria 4. cinerum.	215
Art. 1. De præparandis hac die, & benedictionem cinerum.	<i>ibid.</i>
Art. 2. De distributionem cinerum.	216
Art. 3. De eadem feria 4. cinerum in minoribus Ecclesiis, & de quibusdam occurrentibus in Quadragesima.	217
Cap. 5. De tempore Quadragesimæ usque ad Dominicam Palmarum.	218
Cap. 6. De Dominica Palmarum.	<i>ibid.</i>
Art. 1. De præparandis hac die.	<i>ibid.</i>
Art. 2. De benedictionem Palm. & earum distributionem.	219

Art. 3.



# M A N U A L I S

## SACRARUM CÆREMONIARUM

### P A R S P R I M A.

#### De Ministris, & Officiariis Ecclesiæ.

##### C A P U T I.

##### D E M A G I S T R O *Cæremoniarum.*

##### A R T I C U L U S I.

*De eo in Ecclesiis Collegiatis.*



Nter omnes ordinis Ecclesiastici ministros, quorum diversitas decorem maximum Ecclesiæ militanti semper attulit, & asert, ad sanctum Deum cultum augendum, cleri divinorum officiorum studium iuvandum, nec non populi devotionem excitandam; Magistri Cæremoniarum ( quem deinceps Cæremoniarium vocabimus ) multum prodest peritia. Parum enim est leges condere, nisi aliquis constituatur, qui sua industria exactè studeat observari.

H. Igitur quilibet Ecclesiæ Rector, seu Superior, sive Decanus, aut Præpositus, aut Parochus, quocumque nomine vocetur, quantum in se est, curet diligenter, ut ad tale officium aliquis eligatur in Sacerdotali dignitate, si fieri potest, constitutus, & ex gremio ipsius Ecclesiæ, qui aliis vitæ, & morum gravitate præcellat, quique sit in Sacris Ritibus quam optimè versatus, nec non sacræ disciplinæ acerrimus zelator, in omni actione, insigni quadam ratione, ejus observantiam demonstrans; huicque omnes officarii, in his sedulo parent, & ex animo.

III. Similiter habitudine corporis sit con-

*Man. Sacr. Cærem.*

spicius, omni deformitate carens, & ab omnibus occupationibus externis expeditus, ut uni soli divino cultui dirigendo religiosè, ritè, decorè, ac pro rei dignitate vacare valeat, atque adeò graviter, & modestè in omnibus se gerat, ut omnibus devotionem pariat, ipseque ab omnibus commendari mereatur.

IV. Curet præterè diligenter, ut non tantum praxim calleat hujus artis, nec non tantum actione, & opere paratus sit ad omnia, sed etiam, cum opus fuerit, de iis, quæ fiunt, rationem reddere possit. Idèdque non ei sufficit Rubricas Missalis, & Breviarii, Rituale Romanum, Pontificale, Cæremoniale Episcoporum, Cæremoniale Papæ Marcelli optimè scire, sed insuper attentè legisse debet librum de Mysteriorum Missæ Innocentii III. Rationale divinorum officiorum Guillelmi Durandi, Joannem Stephanum Durantum, Rupertum Abbatem, D. Thom. 3. p. q. 84. sed præcipuè Thesaurum Sacrorum Rituum R. P. Bartholomæi Gavanti in his, sicut in multis aliis, expertissimi, cujus doctrinam in omnibus libenter amplector, quod nemini novum videri debet, cum SS. Pater, & Pontifex Urb. VIII. eum in Consultorem Congregationis Sacrorum Rituum elegerit, sicut olim sanctæ memoriæ Clemens VIII. eo usus fuerat ad emendationem Missalis, & Breviarii Romani. Idque in causa fuit, cur eum sæpissimè literis, atque etiam non rarè viva voce consuluerim de rebus ad hanc materiam pertinentibus.

V. Qui huic officio præficitur, apud se pendat omnia, & singula Ecclesiastica munera ad seipsum pertinere. Quapropter omnibus istis provideat diligenter, & non ipso die, vel cum tempus urget actionum, sed mature, aut pridie, aut citius, si opus sit. Item cuncta à se peragenda in aliquo loco privato sæpius prætenet, & experiatur etiam simulatis gestibus, quæ qualiterve ipse factururus, & docturus est, ut ejus eruditio singulis profit. Cum autem omnia plenè conceperit, tunc ipse intrepidè, & quasi magistraliter, ut ita dicam cum Paride Crasso, agat, & doceat.

VI. Diligenter advertat, ut omnes cum reverentia debita Officiis divinis intersint, nulla sint colloquia, tumultus, omniaque profana prorsus tollantur, & si opus sit, adhibeat sibi ministros, qui his invigilent, mendicantes ex Ecclesia expellant, & præcipuè canes, & alia hujusmodi.

VII. Caveat etiam ne intra Chorum in divinis Officiis quis incompotè, & minùs modestè assistat, ne inde scandala oriantur. Item ne quis gestum aliquem ab aliis differentem demonstrat, verbè gratia, ut cum alii stant, alius sedeat. Sed det operam, ut omnes uniformiter quantum rei ratio postulat, se gerant. Ad eum enim hæc spectant, nisi adsit Præfectus Chori, qui id agat.

VIII. Sit patiens, mansuetus, ac humilis, nec illi grave sit juvare ministros, si opus sit, & cum aliquem monere oportet, id faciat modestè, submissa voce, ac solo nutu, etiam levissimo, si fieri possit, omnia demonstrans errata in ipso actu, si quæ committantur, modestè, ac leniter, verbo, vel signo corrigat, vel silentio prætermittat, nisi fortè sint graviora, de quibus Superiores admonere debet.

IX. Ordines sessionum in choro, vel extra distinguat, singulisque locum, & ordinem assignet secundum laudabilem locorum consuetudinem. Præcipuè autem curam gerat celebrantis, & ministrorum ejus, ut eis præsto sit, si quid petant, vel de aliqua re sint admonendi.

X. Singulis diebus Sabbati tabellam in Sacristia affigat, in qua præscribat, hebdomadarium, cantores, lectores, & alios officarios, & ea, quæ à singulis sunt peragenda, nisi hoc à Præfecto Chori ex officio suo, ut infra, ordinetur. Et si quid extraordina-

rium occurrat, in ipsa tabella notet, & semper designet ministros, quantum fieri potest, ad id idoneos, & valdè inter se pares, præsertim cerofcrarios, & eos, qui ritè officium suum expleant, festis maxime solemnioribus, cumque major populi concursus adest, nec duo officia simul eidem, sine necessitate, committat, incompotibilia verò nunquam. Si autem aliqui officiales designati rationabili causa adeste, aut ministrare non valeant, ejus erit assignare alios, qui eorum loco suppleant, vel etiam ipsum obire munus, præsertim in repentinis.

XI. In motu suo ita modestè se gerat, & omnibus suis actibus, ut non præcipitanter agat, non discurrat velociter, nec caput volvat, aut manus agitet indecenter, nec in suis actibus affectationis vitio notetur.

XII. Curet etiam, ut cum aliquis, quem comitatur, inclinare se, aut genuflectere debet, ipse quoque, quasi præcedendo, se inclinet, aut genuflectat. Similiter cum omnes qui sunt in Choro, aut alibi, inclinare se, aut genuflectere debent, priùs aliquantulum recedens è loco suo innuat illis quid agendum sit, v. g. quando dicendum *Gloria Patri*, aut aliud simile, & ad Altare, quando ministri genuflectere debent, aut se inclinare, ipse priùs eadem faciat, aut innuat facienda.

XIII. Incedat regulariter, aut stet à sinistris illius, quem comitatur, nisi aliquid obstet, ut, v. g. viæ angustia, aut populi concursus, tunc enim præcedit, & nunquam sequitur; cum autem dicit Prælatos, aut alios ad aliquos actus, id modestè faciat, & reverenter, non eos urgens, aut impellens, aut quasi vehens.

XIV. Si celebranda sint aliqua divina Officia solemniter, ut quando celebranda Oratio quadraginta horarum, & exponendum SS. Sacramentum, aut processiones publicæ faciendæ, aut alia hujusmodi, re priùs communicata cum Superiore, prævideat omnia, curetque ea servari juxta formam traditam, & non tantum ministros, sed etiam Superiorem ipsum, aut alium celebrantem instruat, si opus sit, aut etiam eis schedulas in scriptis præbeat, & sæpiùs per repetitos simulatos gestus in aliquo privato loco doceat, præsertim hebdomada majori id faciat.

XV. Novos Presbyteros, & alios recen-

ter ordinatos accuratè instruat, neque permittat, ut munera exerceant, nisi priùs à se ipso, vel ab aliis peritis edocti fuerint.

XVI. Festis diebus præcipuè officio suo fungatur in Missis, & Vesperis solemnibus, & idcirco curet, ut hora congrua, celebrans, & ministri sint parati in Sacristia, & eos adjuvet, vel saltem ipsum celebrantem.

XVII. Ad Missam solemnem celebrandam, dicta hora Tertia, vel alia hora, quæ eam præcedit, omnibus paratis, inductisque celebrante, & ministris aliis, curet, ut ipse celebrans in Sacristia ponat thus in thuribulo, ut dicetur in Missa solemnè. Tum, facta Cruci reverentia, datoque signo egressionis, ut via paratur à Mazzeriis, ille manibus junctis, & solus, sequatur Ceroferarius, nudo capite, procedendo ad altare, ex Gav. p. 2. tit. 2. n. 5. & Cærem. Episc. l. 2. c. 3. in simili casu, & in loco designato moneat celebrantem, & alios, quando Chorum salutare debeant; si ante illum transeunt, aut ubi genuflectere oporteat, si opus sit. Quòd si faciendâ aquæ benedictæ aspersio, ea facta, ad altare præcedit celebrantem, & ministros ad asperionem Cleri, & aliorum, ut infra dicetur 2. p. cap. de asperione.

XVIII. Cùm celebrans pervenerit ad altare ante Missam, facta genuflexione, accipit ipsius, & ministrorum bireta, & ea, loco congruo deponit, non super credentiam.

XIX. Ad Confessionem genuflectit in plano, regulariter à parte Epistolæ, eaque facta, ascendit cum Ministris ad suppedaneum altaris: ibique, facta genuflexione à dextris Diaconi, capit naviculam dextera à Thuriferario, eamque tradit Diacono sine osculo, ita ut pars clausa ipsum Diaconum aspiciat. Tum accipit ab eodem Thuriferario thuribulum, illudque sustinet apertum coram Celebrante imponente thus in eo, deinde sinistra recipit naviculam, quam reddit Thuriferario, & dextera tradit thuribulum Diacono, demisso priùs operculo ipsius.

XX. Decentius tamen est, ut Thuriferarius ipse porrigat naviculam Diacono, & sustineat thuribulum coram celebrante, & non Cæremoniarius; est enim sui muneris ea peragere, non Cæremoniarii, cujus officium est tantum dirigere, & docere, nisi fortè Ministri non sint satis in his, & aliis similibus adhuc experti, & tunc poterit ea

præstare; aliàs Thuriferarius semper ministrabit naviculam, seu Diacono, seu alteri, & thuribulum sustinebit, quod insinuat Cærem. Episc. multis in locis, ubi modò præscribit Cæremoniario, ut ministret thuribulum, modò Thuriferario, quod videtur notandum pro sequentibus.

XXI. Dum celebrans incipit incensationem, amovet, facta priùs genuflexione, Missale, & cassinum de altari, nisi adit Presbyter assistens, qui id agat, ut infra, eaque ambabus manibus ante pectus extra gradus altaris, propè cornu Epistolæ, versa facie ad illud altare, sustinet, & statim facta incensatione partis Epistolæ, ibidem ea reponit, tum, genuflexione facta, descendit iterum in planum.

XXII. Incensato Altari, stat post Diaconum à sinistris Thuriferarii, inclinans se cum eodem Diacono antè, & post incensationem Celebrantis, quod semper, in hujusmodi incensatione, observabit.

XXIII. Dum dicitur Introitus, stat propè angulum posteriorem Altaris versùs ipsum Celebrantem, & inclinat se Cruci, dum dicitur *Gloria Patri*, dictoque à celebrante ultimo *Kyrie*, innuit Choro ut sedeat, si superfit satis temporis.

XXIV. Cùm cantatur ultimum *Kyrie*, in Choro, monet Celebrantem, & Ministros, ut ad medium altaris procedant, & dicto ab ipso, & à Ministris hymno angelico, monet nutu eisdem, ut sedent. At dum prædictus hymnus cantatur in Choro, ipse stat etiam in cornu Epistolæ propè credentiam, ita ut etiam à Choro videri possit, & inde capitis inclinatione tempestivè monet celebrantem sedentem, & Chorum, quando inclinare se aut nudare caput debeant, neque ipse sedere debet, nisi quando Sermo habendus est; neque etiam opus est, ut manus jungat, sed decenter easdem pectori admoveat.

XXV. Regulariter ejus prudentiæ committitur, quando ipse manus junctas tenere debeat; convenit tamen, ut eas junctas teneat dum Celebrantem conducit ad altare, cùm sit confessio, cùm cantatur Evangelium, ad utramque elevationem, Orationem Dominicam, & Communionem, & quando genuflexus manet, nisi sit in aliis occupatus. Item quando comitatur Subdiaconum

num ad Epistolam, Diaconum ad Evangelium, & Subdiaconum ad dandam pacem in Choro.

XXVI. Circa finem Hymni Angelici, videlicet dum cantatur *Cum Sancto Spiritu*, reducit Celebrantem ad altare per gradus anteriores, præcedendo Ministros. Tum redit, facta genuflexione, ad cornu Epistolæ, ubi ostendit Celebranti Orationem, & circa finem ipsius, seu ultimæ, si plures dicantur, accipit librum de Credentia, eumque tenens per latera ipsius, ea parte qua aperitur ad dexteram suam conversa, tradit ibidem Subdiacono stanti post Diaconum in cornu Epistolæ, eumque ducit à sinistris ad medium altaris, ubi genuflectit, quantum potest, regulariter ad hæc verba in fine Orationis *Jesum Christum*, vel ad hæc alia: *In unitate Spiritus*, si terminetur per *Qui vivis*, aut *Per eundem*, & inde eum statim conducit ad locum ubi cantare debet Epistolam, ubi stans à sinistris ejus, vertit folia libri, si opus sit. Finita autem Epistola eundem reducit ad medium altaris, & inde, genuflexione facta, reducit ad Celebrantem, ut ab eo benedicatur genuflexus, nisi fuerit Canonicus, ut dicemus in Missa solemni; deinde recipit ab eo librum, quem deponit super Credentiam.

XXVII. Dum Celebrans incipit Evangelium, tradit propè cornu Epistolæ librum Evangeliorum Diacono, eo modo quo antea Subdiacono, quem ipse solus Diaconus portat ad Altare, & circa finem Gradualis *Alleluja*, aut *Tractus*, aut etiam citius ascendit cum Thuriferario ad Altare, ubi imponitur thus in Thuribulo, quod ministratur ab eo, vel à Thuriferario, ut supra diximus. Postèa descendit cum eodem Thuriferario, facta genuflexione Altari, & vadit ad Credentiam, indeque, dum Diaconus accipit librum Evangeliorum, ducit Thuriferarium, & Ceroferarios ad medium Altaris in plano, ubi à sinistris Subdiaconi genuflectit super infimum gradum, & erectus præcedit omnes ad locum Evangelii.

XXVIII. Cum pervenerit ad prædictum locum, si ministraturus est Thuribulum, ut supra, stat post Diaconum à dextris ejus; si verò Thuriferarius, stat à sinistris, ibique monet Diaconum quando inclinandum

fit, aut genuflectendum, & se signat eum eo in fronte, ore, & pectore.

XXIX. Finito Evangelio recedit, præcedens omnes ad medium Altaris, ubi assistit Diacono, facta genuflexione, dum Celebrantem incensat, eique ministrat thuribulum, si opus sit, ut supra, vel Thuriferarius.

XXX. Si sermo habeatur, statim post incensationem Celebrantis ducit Concionatorem ad pulpitem; sed, si sit consuetudo, prius ad Celebrantem, ut ab eo benedictionem accipiat (regulariter tamen non debet peti benedictio, nisi ab Episcopo, ut infra dicitur) & finito sermone, eum reducit ad Sacristiam, aut alium locum destinatum.

XXXI. Si verò non habeatur Sermo, dum Celebrans dicit cum ministris *Credo*, illud potest etiam dicere submissa voce, sicut Hymnum Angelicum, *Sanctus*, & *Agnus Dei*, stans in cornu Epistolæ, & genuflectens cum eo, & eo finito, monet, ut se deat, si velit, ut ad *Gloria in excelsis*.

XXXII. Paulo ante versum, *Et incarnatus est*, monet celebrantem, ut genuflectat, si sit ad Altare, vel se inclinet si sedeat; in die autem Nativitatis Domini, & Annunciationis B. Mariæ, Celebrans genuflectere debet, sed ipse Cæremoniarius semper genuflectit. Atque versu, *Et incarnatus est*, decantato, tradit Diacono bursam Corporalium ambabus manibus, versa ad eum facie, ita ut pars aperta bursæ ipsum Diaconum respiciat.

XXXIII. Circa finem Symboli reducit Celebrantem ad altare per viam longiorem, tum facta genuflexione, redit ad Credentiam, & inchoato Offertorio velum oblongum super humeros Subdiaconi aptat, eumque à sinistris Calicem deferentem ducit ad Altare. Facta oblatione, ministrat incensum, si opus sit, ut supra diximus, & amovet Missale cum cussino à cornu Evangelii, eoque cornu incensato illud reponit facta ante, & post genuflexione, deinde redit ad cornu Epistolæ post Diaconum à sinistris Thuriferarii, dum Celebrantem incensat ipse Diaconus, eoque incensato, adjuvat, si opus est, Acolythos ad lotionem manuum Celebrantis. Tum vadit ad sinistram Celebrantis cum genuflexione, eique assistit, & folia Missalis vertit, dum Celebrans ipse dicit secretas Orationes, &

cantat Præfationem. Si tamen adsit Prefbyter assistens, ipse conducit Diaconum in Chorum, ibique facta inclinatione monet Diaconum, quos debeat incensare cum debitis reverentiis, & quot ductibus.

XXXIV. Dum Celebrans dicit *supplici confessione dicentes*, vel citius, prout opus est, facta genuflexione recedit, & ducit Ceroferarios in Sacristiam, vel ad alium locum, ubi sunt intortitia, & inde eisdem faces, seu intortitia ferentes, & Thuriferarium cum thuribulo ad altare reducit, quibus loca sua assignat, ut infra suo loco dicitur, salutato ab ipsis prius Clero, & facta genuflexione ab omnibus post Subdiaconum. Deinde accedit ad cornu Epistolæ, ubi ponit ipse, si opus sit, thus in thuribulo, quod Thuriferarius genuflexus sustinet ante eum, & facta elevatione Sacramenti surgit, & genuflectit, accedit ad medium altaris, ubi iterum genuflectit, & eundem Thuriferarium, & Ceroferarios, si discessuri sint, reducit in Sacristiam, vel alium locum, indeque statim redit ad altare cum illis. At cum Diaconus accedit ad dexteram Celebrantis, ipse cum debita genuflexione accedit ad librum, ibique stat ad Orationem Dominicam, folia vertens, si opus sit, donec postea ibi accedat Subdiaconus dicturus *Agnus Dei*, quia tunc recedens ei locum cedit.

XXXV. Postea eundem Subdiaconum, facta genuflexione, pacem in Chorum deferentem comitatur, & in capite ipsius Chori salutatur Clerum ab utraque parte, & conducit Subdiaconum, ad quos dandum est pacis osculum, inclinans se illis, postea tantum cum Subdiacono.

XXXVI. Tum reversus ad altare, facta prius ibidem genuflexione, accipit pacem ab eodem Subdiacono per osculum, quam statim porrigit Acolythis etiam semper per osculum, aliis verò, scilicet Laicis, cum instrumento, secundum morem locorum, & ideò tunc cum Celebrans dat pacem Diacono, accipit instrumentum pacis, si illud dandum est Laicis, illudque Diacono tribuit osculandum, & ipse Cæremoniarius illud secum defert, manu dextera à sinistra sustentata, cum Subdiacono, ut illud eidem tradat; postea & ipse Subdiaconus Laicis dabit illud osculandum, quos Dia-

conus incensavit. Si facienda sit Communio, servet ea, quæ infra dicentur.

XXXVII. Post sumptionem Sanguinis ducit Acolythum cum ampullis ad altare, & reducit eum post datam ablutioem Celebranti.

XXXVIII. Finitis Orationibus cum sua ultima conclusione, ad quas stat propè Celebrantem à dextris ejus, statim claudit Missale, nisi sit legendum aliud peculiare Evangelium. Ad Benedictionem genuflectit cum aliis in cornu Epistolæ signans se. In fine Missæ dat biretum Celebrantis Diacono, tum etiam eidem Diacono, & Subdiacono sua, factisque debitis reverentiis altari, reducit celebrantem, & ministros in Sacristiam, monens interim eisdem, quando salutandi sunt Clerici in Choro, ut initio Missæ: At cum ad Sacristiam pervenerunt, facta reverentia imagini, inclinatur se Celebranti, & eum adjuvat deponentem paramenta sua.

XXXIX. Non conducit Diaconum, dum defert librum Evangeliorum, & bursum corporaliū ad altare, neque Subdiaconum, dum reportat Calicem ad credentiam, quia ut comes tantum datur Ministris ad aliquid cantandum, aut quando exeunt ex Presbyterio. Gav. part. 2. tit. 6. n. 5. Nota quòd plura Cæremoniarii officia assignamus in diversis locis hujus operis, quæ longum esset hic per censere singula, namque deinceps sparsim indicabuntur: multa item assignamus infra Thuriferario, vel Acolythis, quæ verè ad Cæremoniarium pertinent, idque ex industria, ut illi vices hujus suppleant, si abesse eum aliquando contingat, aut si Ecclesia Cæremoniarium non habeat, ut in multis locis Galliæ. Nota item, quòd hic plura officia assignamus Cæremoniario, quæ certè sunt Thuriferarii, & aliorum, idque fecimus, quia fortè hi ministri nondum sunt satis experti, ideòque egent ope, & industria Cæremoniarii.

XL. Cæremoniarius eadem respectivè observet ad vespertas solemnes, de quibus infra copiosè. De munere autem ejus in benedictionibus solemnibus, majori hebdomada, exequiis, sepulturis, absolutionibus ad tumulum, & aliis hujusmodi officiis, suis locis etiam agemus.

XLI. In Processionibus omnes ordines dirigit, ne perturbentur, debetque curare, ut gravi incessu, & pari passu, debitaque distantia trium, aut quatuor passuum singuli ab utro-

que latere procedant, celeri interdum (non tamen currendo) sed modesta iteratione, si opus sit, ad hoc incedendo per medium viarum inter procedentes.

XLII. Si solus omnia supradicta perficere non valet, possunt ei dari alii subministri, qui eidem pareant, eumque aliquibus casibus adjuvent, tam in Choro, quàm extra, verbi gratia indicendo silentium, occurrendo tumultui, & ne quid indecenter fiat, ne lampades extinguantur, nisi suo tempore, ne cera è cereis profuatur, ne quid indecorum fiat circa, & super altaria, viros à mulieribus, quantum commodè fieri potest, distinguendo, & etiam mendicantes, & infantes expellendo.

XLIII. Festis diebus cotta, seu superpelliceo, quod idem est, mundo indutus officium suum diligenter exerceat, licet alii aliis paramentis induti sint, præcipuè in Missa, vesperis, matutinis, & aliis officiis solemnibus.

XLIV. Apud Regulares eadem respectivè Cæremoniarius observare debet, etiam cotta indutus, præcipuè in solemnioribus officiis, & si talis sit consuetudo.

## ARTICULUS II.

### DE EODEM MAGISTRO Cæremoniarum in Ecclesiis Cathedralibus.

I. **I**N Ecclesiis Cathedralibus Cæremoniarius ex Ep. Cæremon. l. 1. c. 5. in Sacra Theologia, vel etiam in Jure Canonico gradum aliquem habere debet; alter verò ejus socius sit saltem in sacris Ordinibus constitutus, qui vices primi, cum opus est, supplere valeat.

II. Vestes eorum sunt coloris violacei, ad talos usque demissæ per totam Diocesim. In civitate verò Tunica, ac Toga usque ad terram; solemnibus verò diebus concedi potest eis ferula violacea cum extrema parte argentata, vel aurata secundum morem locorum.

III. Primi Cæremoniarum est omnia prævidere, & officia perpendere; unde ad ipsum spectat Episcopum, Canonicos, Clericos, & præcipuè ministros, Cæremoniarum usum, ac disciplinam edocere, datis etiam,

si opus sit, schedulis, omnia requisita ad id munus continentibus.

IV. In solemnitatibus publicis, ubi Episcopus, & Capitulum interesse debent, videat diligenter, an suo loco, & situ rectè sint omnia disposita.

V. Cum aliqua solemnitas Processio extra Ecclesiam dirigenda est, ipse pridie viam Processionis diligenter percurrat, eamque mundari, & omnia impedimenta, arque profana amoveri curet. Tabulam habere debet eorum, qui assistere debent, & si deferendum sit Baldachinum, illud Magistratibus, vel aliis juxta loci consuetudinem deferendum assignet; moneatque omnes, ut suo ordine procedant. Si aliqui sint invitandi, hora opportuna eos moneat; si funerals celebranda, præparet omnia juxta præscripta in Cærem. Episcoporum, & sic de cæteris.

VI. Quoties Capitulum accedit ad Episcopum, vel Cardinalem, vel Principem, ipse semper adsit, & præcedens, omnes alios quasi conducatur, & reducat.

VII. Ante vesperas, aut alia divina Officia præcedit Capitulum usque ad limen Ecclesiæ, acceptoque de manu Acolythi aspersorio, illud tradit Superiori Capituli sine osculis, & facta de more aspersione ab Episcopo, illud iterum à Superiore recipit, eidemque reddit Acolytho, & statim pergit ad locum, ubi Episcopus orare debet; postquam verò oraverit, five ubi est Sacramentum, five ubi est sedes ejus, eum conducit ad solium, ut suo loco dicetur.

VIII. Paulo ante quàm Episcopus paramenta accipiat in sede sua, accedit ad Altare, eaque ministris porrigit ordine debito deferenda ad sedem stans versus cornu Epistolæ, vel Evangelii, si Episcopus tunc ad fastidium celebrat, & ibi capit paramenta.

IX. Dum dicuntur vesperæ, stans in plano prope sedem Episcopi, vel alio loco congruo, quasi ad parietem, semper eidem assistat, monendo quando standum, genuflectendum, inclinandum, aut sedendum sit, quando imponenda Mitra, aut auferenda, & alia hujusmodi, nec illi grave sit juvare ministros, si ejus egeant auxilio: habeat insuper curam pileoli, seu bireti subnitralis monens Diaconum, quando illud imponere, vel auferre debeat.

X. Item Subdiaconum, aut alium deputatum



tatum ex more, ducit ad Episcopum, aut alios, ut illis præintonet Antiphonas, & eundem, seu alterum Subdiaconum secundum morem locorum conducit ad locum, ubi cantari solet Epistola, ut ibidem cantet Capitulum, factis prius Altari, & Episcopo debitis reverentiis, eumque reducit ad locum suum pari disciplina. Cærem. Episc. lib. 2. cap. 1.

XI. Dum cantatur Antiphona ad *Magnificat*, assistit Presbytero assistenti, dum Episcopus ponit thus in thuribulo. Tum Episcopus, & alios conducit ad altare incensandum, & postea reducit, assistens à sinistris Presbyteri assistentis, dum incensat Episcopum, & Subdiacono, aut alteri dum alios thurificat. Et si qui Prælati sint incensandi post Episcopum, ipse Presbyterum assistentem ad eos conducit, & reducit, monens eum, & alios quando inclinandum sit. In fine vesperarum genuflexus ante ultimum gradum sedis Episcopi innuit, atque ostendit Episcopo formam benedictionis libro: dum recedunt Episcopus, & alii, ordinet, quomodo recedendum sit.

XII. Ad Missam solemnem eodem modo deducit Capitulum ad Episcopum, ut ad Vesperas, & dum Episcopus capit paramenta apud sedem, stat ad altare, ut porrigat Capellanis singula paramenta ordine debito, quos alter Cæremoniarius comitetur, qui curet attentè, ut eis Episcopus ritè induatur: & scutiferos ad ministrandum aquam.

XIII. Ad Confessionem genuflectit à sinistris Subdiaconi tenens librum Evangeliorum, quem à Subdiacono accepit, & dum, ab Episcopo dicto *Indulgentiam, &c.* Subdiaconus imposuerit manipulum, ipse librum Evangeliorum Subdiacono reddit. Deinde assistit à dextris Diaconi, dum Episcopus benedicit incensum: Et stat à latere Epistolæ, dum altare incensatur. Quando aliquid ministrat Episcopo; quando etiam transit ante eum, aut aliquid acturus est circa eum, regulariter genuflectere debet.

XIV. Moneat Episcopum, & alios quando sedere debent: Cantorum, & Organistæ munera ordinet: signumque det inchoandi, aut finiendi parva campanula, si non sit alius ad id deputatus.

XV. Ducet Subdiaconum, tradito ei libro Epistolarum, ad locum Epistolæ de

more, & ea tuita ad Episcopum, Diaconum etiam, & alios ad Episcopum, & ad locum Evangelii, eoque finito, iterum ducit Subdiaconum, & Thuriferarium ad Episcopum, ibique assistit, dum librum osculatur, & thurificatur postea. Si habeatur sermo, Concionatorem ducit ad Episcopum, eumque conducit ad pulpitum, & in fine Concionis eundem monet de Indulgentiis publicandis, nisi alius eas publicet.

XVI. Post Offertorium adjuvat, si opus sit, ad lotionem manuum Episcopi, conducitque scutiferos deferentes bacile, & mapam, comitatur Episcopum ad Altare, & vestes ejus parum attollit, dum ascendit altare, nisi id faciat Presbyter assistens: assistit etiam ad Altare, dum Diaconus, & Subdiaconus ministrant vinum, & aquam in Calice; item dum incensum ministratur, Diaconum comitatur ad Chorum incensandum, ipse verò, vel Thuriferarius, Beneficiatos, Acolythos, & ipsum Diaconum, sicut & populum incensat, si sit consuetudo; comitatur etiam Thuriferarium, & Acolythos faces ad elevationem SS. Sacramenti deferentes.

XVII. Ad Orationem Dominicam, velum Subdiaconi ad Credentiam reportat, Presbyterum assistentem ad Chorum pacem deferentem comitatur, dataque pace Prælati, si adsint, & Canonicis, eam accipit ab eo, & dat Beneficiatis, & Acolythis, si talis sit consuetudo, sicut de incensatione diximus. Comitatur etiam Acolythum deferentem ampullas pro purificatione, & ablutione Episcopi; & si opus sit adjuvat ad lotionem manuum ejus, & postea scutiferos.

XVIII. Si facienda sit Communio, vocat, aut invitat communicandos, & etiam eos comitatur, si pauci sint, & de agendis eos monet. Ad benedictionem in fine Missæ ministrat, ut ad Vesperas; & ea data, conducit, ut initio Missæ, Episcopum ad sedem suam, ibique stat prope ministros, dum exiunt Episcopum suis paramentis, eos adjuvans, quando opus est, traditque ea deferenda ad altare, ut initio Missæ. Alter verò Cæremoniarius stabit ad altare, ubi ea disponit ordine retrogrado.

XIX. Eiusdem etiam est omnibus functionibus Episcopalibus interesse, consecrationibus Episcoporum, & Ecclesiarum,

facris ordinationibus, benedictionibus, visitationibus Ecclesiarum, traditioni habitus, ac professioni Monialium, publicis sermonibus ab Episcopo faciendis, sive ab alio de ejus licentia, poenitentibus reconciliandis, consecrationi olei sancti, infirmorum, & Chrismatis. Sive hæc fiant ab Episcopo Diocesano, sive ab alio de ejus licentia.

XX. Deserentes baculum pastoralem, mitram, thuribulum, candelam, librum, gremiale, ampullas, faces, & alia hujusmodi, ipse docere, monere, & comitari debet. Prælati, magistratibus, nobiles, & aliis suum assignet locum, & ordinem, moneatque eos de agendis. Hæc autem omnia, & alia hujusmodi, quæ non raro accidunt, secundum occurrenceam ad nutum Episcopi Cæremoniarius exequi debet, habita tamen ratione probata, & laudabilis consuetudinis locorum, & temporum. De supradictis, & aliis sigillatim agemus V. parte.

## C A P U T II.

### DE OFFICIO SACRISTÆ.

#### ARTICULUS I.

*De eo in Ecclesiis Collegiatis.*

I. **O**fficium Sacristæ, ab Officio Cæremoniarum prorsus distinctum, ne mutuo sese impediatur, est magnæ dignitatis, fidelitatis, & laboris: ipsi enim cultus divinus committitur, & ejus probitati relinquitur totus Ecclesiæ thesaurus, videlicet SS. Eucharistiæ Sacramentum, ac ejus fidelitati commendantur omnes res sacræ, vasa, ac suppellex Ecclesiæ. Ideo Sacrista idoneus, & aptus eligi debet ad tale munus exequendum, qui in Sacerdotali ordine sit constitutus, & quoad fieri potest, Cæremoniarum Ecclesiasticarum expertus, cui parent alii adjutores plures, vel pauciores Clerici, vel etiam aliqui laici, quibus sua munera sigillatim assignare debet.

II. Curet præcipue, ut Sacra Eucharistia, clave semper obferata decenter, & cum lumine coram ejus tabernaculo fervetur, & quando opus est, saltem quindenis diebus

renovetur, & ea, quæ ad cultum ejus, nitidè, & honestè conserventur, ejus verò tabernaculum sit exquisitè laboratum. Lampades verò jugiter ardeant ante illud, quarum numerus certus assignari non potest propter diversam Ecclesiarum facultatem, sed si fieri possit saltem sint numero impari. S. Carolus Borromæus in Conc. Prov. 4. Tit. Quæ ad Sanctissimum Sacramentum pertinent, concedit tredecim lampades cum decem cereis, ubi Sanctissimum Sacramentum est expositum, nec plures vult adhiberi, nisi de licentia Episcopi.

III. Idem circa sacras Reliquias curet, ut scilicet fideliter, & honorificè asserventur, & in loco tutissimo.

IV. Studeat, quantum in se est, ut paramenta Ecclesiæ, & altarium, vasa, libri, & alia id genus, non tantum sarta, & integra, sed præcipue munda sint, verum etiam, ut suo quoque loco conserventur, nec patiantur, ut ab aliis Ecclesiis, si non in pretiosis suppellectilibus, saltem in ornatu, nitore, & diligentia superetur.

V. Aquam benedictam singulis diebus Dominicis, vel etiam sæpius, si opus sit, renovet, adhibita ad benedictionem cotta, & stola violacea. Rit. Romanum: nisi fiat in Dominica à celebrante, quia tunc stola celebrantis sit coloris Officio convenientis.

VI. Item curet, ut Ecclesia ab omni ejus parte, tam in pavimento, quam in parietibus, columnis, fornicibus, ac laquearibus, ac singula ejus sacella, pulpita, confessionalia, altaria, & alia id genus semper munda sint, præsertim à pulvere, telis araneis, & ne per injuriam sordescant, aut pereant.

VII. Item studeat, ut, cum divina celebrantur solemniter Officia, nihil desideretur eorum, quæ necessaria sunt tam ad altare, quam ad Chorum, & alia, ne in iis perquirendis, & expectandis indecenter, & incommodè tempus consumatur.

VIII. Quidquid ad Campanarum sonum spectat, ipse curet exequendum, scilicet matutinas, & vesperas, Missas, alias horas Canonicas, salutationem Angelicam, & alia hujusmodi secundum morem locorum, & rationem temporis, & sæstorum.

IX. Curet, ut inviolabile silentium in Ecclesia fervetur, nec etiam per eam discursus

discurrere permittat mendicos, canes, infantes, & alia huiusmodi Officia divina turbantia, nisi id efficiat Cæremoniarius, ut supra cap. 1. Item, ut Ecclesia tuta sit à furibus, claudatur semper finito Officio, nisi aliquid aliud obstat.

X. Ut nihil omnino depereat, totius suppellectilis indicem, seu inventarium habeat, in quo omnia præsertim pretiosiora descripta sint.

XI. Provideat etiam, ut amictus, Albæ, purificatoria, sudaria, aliaque necessaria pro Sacerdotibus Missam celebraturis in Sacristia per ordinem singula singulis assignentur, eaque munda, ac diligenter plucata conserventur, & singula ornamenta suis loculis asservet, ut, cum opus fuerit, statim sint in promptu, ita etiam res omnes suis locis apter, ut siccas à madidis, & attritas, aut contractas ab integris separet, ne vel alia maculentur, aut foetido odore inficiantur. Paramenta pretiosa ab aliis minus pretiosis separet, & ea secundum diversos colores in armariis distinctis collocet, ut facilius inveniantur, neque ea, quantum fieri potest, plicet, sed omnino in illis expansa reponat.

XII. Eiusdem etiam est Missarum celebrandarum seriem præscribere, pro quibus bene disponendis habeat in Sacristia tabellam, in qua omnia nomina Sacerdotum sint descripta, & omnibus propria sit hora assignata, ne simul celebrantes concurrant, ubi præcipuè exiguus est clericorum numerus, diligenter advertens, ne definitus ordo à quoquam turbetur, nisi gravi necessitate urgente. Habeat etiam librum in eadem sacristia, in quo Missarum celebrandarum obligatio describatur, sicut & anniversaria, si quæ sint celebranda temporibus suis, in dicto libro, vel alio habeat, ut omnibus benefactoribus satisfiat.

XIII. Expetit insuper S. Carolus Act. p. 4. Instruct. suppell. Ecclesiæ Tit. 2. Tit. Suppellex Sacristiæ, ut Sacristia habeat præterea librum unum de Sacerdotibus celebrantibus, in quo manu propria notent, subscribantve singuli Sacerdotes, qui unoquoque die in Ecclesia Missæ sacrum fecerint. Item requirit idem Sanctus, ut habeatur unum volumen decretorum, edictorum, & aliarum ad generis sanctionum Episcopaliū.

XIV. Præterea alium etiam habeat librum in quo nomina mortuorum, qui ibi sepeliuntur, una cum die depositionis, & loco sepulturæ notentur.

XV. Caveat, ne in Altari majori dicantur Missæ privatæ, dum horæ canonicæ cantantur. Teneat in Sacristia, vel alio loco decenti Sacrarium semper mundum, & clausum, cujus fovea sit subtus terram, in quod effundat aquam benedictam veterem, & aquam post lota corporalia, purificatoria, calices, ac etiam digitorum ablutiones Celebrantis, si ab ipso Celebrante, aut aliis sumi non possint, & nisi restent in eis aliqua fragmenta corporis Christi, in illud denique effundat omnia, quæ sacri canones effundenda statuerunt.

XVI. Nullum Presbyterum vagum, peregrinum, & ignotum sine commendatitiis Ordinarii literis, ad rem divinam celebrandam admittat, nullique extraneo, nisi à Superiore approbato, concedat facultatem ministrandi Eucharistiam in Ecclesia sua extra Missam.

XVII. Caveat etiam, ne Sacerdotes sine habitu decenti, & corona notabili in capite celebrent. Nec permittat eis deponere collaria, cum sacras vestes induunt, neque calceis lutulentis ad altare accedant, & idè in Sacristia debet esse pannus attritus, quo Sacerdotes calceos lutosos diligenter extergant, vel potius semper sint crepidæ in ea paratæ tam pro iis, quàm pro regularibus, qui calceis non utuntur; neque etiam patiatur, ut Sacerdotes celebrent sine bireto, & idè semper sint quædam in Sacristia ad id parata pro extraneis, etiam apud Regulares, qui biretis non utuntur.

XVIII. Curet etiam, ut in Sacristia semper quædam sint superpellicea in promptu, ut eis induantur Sacerdotes, quantum fieri potest, celebraturi Missam, sicut & stolæ pro Confessoribus coloris convenientis, si talis est consuetudo, quæ certè introduci debet, ne Sacramentum Pœnitentiæ sine stola ministretur.

XIX. Probatum illa consuetudo quarundam Ecclesiarum, in quibus duo sunt manutergia distincta in Sacristia, unum quod sit usui ante, & aliud post Missam, quod sit ex mundioribus, notando ad instrumenta, quibus appenduntur, in scheda

dula ea verba *Ante celebrationem*, & *post celebrationem*. Aliud etiam potest apponi alio loco distinctum cum sua inscriptione *Pro ministris*, & si fieri potest, aqua lotionis manuum Presbyterorum post Missam effundatur in sacrarium, aut alium locum separatum, & honestum.

XX. Curet etiam, ut in eadem Sacristia, vel alibi, in locis congruis, sint quædam oratoria, in quibus Sacerdotes se præparent ad Missam, & post eam gratias agant, & in eis adaptetur scabellum ante Crucifixi imaginem, vel aliam devotam, ibique sit tabella, in qua Orationes præparatoriæ, & gratiarum actiones descriptæ sint.

XXI. Habeat etiam in promptu genuflexoria, cum cussinibus, & tapetibus, quæ coram Prælatibus, & Principibus viris apponi possint, cum ad Ecclesiam accesserint.

XXII. Cum sacras Reliquias ex armario defert ad Altare, vel reportat ad loca sua, sit cotta cum stola paratus, vel etiam Pluviali, si sit consuetudo, coloris convenientis, & duo Clerici etiam cottis induti, vel saltem unus cum cereis accensis, vel facibus præcedant.

XXIII. Si deferendæ sunt Reliquiæ pro officio divino ad altare, id fiat hora commoda juxta locorum consuetudinem, & in altari duo saltem, si fieri possit, cerei ardeant, vel lampas, aut plures. Et cum armarium aperitur, ut sacra Reliquiæ ibidem tantum populo ostendantur, accendantur prius duæ candelæ, at si eas contrectaturus est, cotta, & stola prius induatur.

XXIV. Omnium officialium qui ejus curæ committuntur, munera advertat, cum eorum omnium moderator existat, ne quid omnino desit ad divinum cultum ritè celebrandum; unde, si quis in hujusmodi actibus fuerit negligens, ab eodem Sacrista admoneri, vel corripi debet, si opus fuerit, & si quis suo tempore paratus non sit ad ea, quæ ordinaverit, alium, aut alios substituat.

XXV. Habeat etiam thymiamata, pastillas, herbas, & aquas odoriferas pro festis solemnioribus, & eis etiam linteamina, & alia paramenta aspergat, quando convenire judicaverit.

XXVI. Habeat etiam rationem paramentorum, & coloris eorundem, qui in Missali assignatur; advertat tamen, ut altare colo-

re Canonico Officio convenienti præparetur, & quando Missa ab Officio discordat, ut in vigiliis infra Octavas, & aliis hujusmodi, pallium altaris concordet cum Officio Missæ, sicut & paramenta Celebrantis ad Missam solemnem.

XXVII. In Vesperis, quando fit à Capitulo de sequenti festo, color adhibeatur conformis ipsi Officio sequenti, nam mutatio coloris incipit à vesperis, & cujus sunt integræ vesperæ, color eidem proprius adhibeatur. In Dominicis, quibus datur color violaceus, ne mutetur, etiam si infra Octavas aliquid festi occurrant. Sacra Congregat. Rit. Quando dandæ sint planetæ plicatæ ministris sacris, videat Missale Titulo de qualitate paramentorum, & ea, quæ infra in Adventu dicemus.

XXVIII. Fontes pro manuum lotionem nitidos semper, ac etiam præcipuè eos, qui continent aquam benedictam, conservet, nec desit in eis unquam aqua benedicta.

XXIX. Item curet, ut super altare solemnioribus diebus sex apponantur candelabra cum totidem cereis albis, si fieri potest, & in eorum medio Crux, ita ut pes illius æquet altitudinem viciniorum candelabrorum, & ipsa tota candelabris superemineat, supposito, si opus sit, aliquo scabello honestè parato, seu pede ejusdem materiæ, imagine Christi ad anteriorem partem altaris versa, ipsaque candelabra non sint omnino æqualia, sed paulatim quasi per gradus assurgentia. In festis verò minùs solemnibus quatuor, sicut etiam in semiduplicibus, octavis, feriis quatuor Temporum, Quadragesimæ, Adventus, & Vigiliarum. In festis autem simplicibus, & feriis per annum duo, Cærem. Episc. lib. 1. cap. 12. Ceram circa cereos effluentem diligenter amoveat. Oleum pro lampadibus in vasis præparet.

XXX. Curet etiam, ut in Sacristia sint aliqui libri pii, ut cum fortè vacaverit, aut alii coadjutores ejus, lectioni illorum incumbant.

XXXI. Potest illi dari coadjutor, vel plures, cujus, vel quorum officia sint aperire, vel claudere fores Ecclesiæ suo tempore, concinnare lampades, præparare ampullas, vinum, & aquam, conficere hostias, campanas pulsare, necessaria pro Missa solemnibus, sive privata præparare, & alia hujusmodi pera-

peragere, quibus fortè Sacrista vacare non potest.

XXXII. Plura adhuc de Sacrista in Ecclesiis collegiatis agenda nobis sunt in diversis locis hujus operis, quæ hic commodè describi non possunt ob eorum multitudinem, & varietatem.

ARTICULUS II.

DE OFFICIO SACRISTÆ  
in Cathedralibus Ecclesiis.

I. Sacrista in Ecclesiis Cathedralibus Paramenta Pontificalia separare debet ab aliis, & servare, & si Episcopus celebret solemnioribus diebus, curet ut altare, tribuna, solium, Chorus, & alia sint omnibus suis paramentis præparata.

II. Abacus, seu credentia sit cooperta mappa una undique usque ad terram pendenti, super quam vasa pretiosa apponantur ad ornatum. Cærem. Episc. lib. 1. cap. 12.

III. Si Episcopus celebret, apponatur etiam mitra, cujus vittæ à parte anteriori pendeant, cum subbireto mitrali, velum pro ministro de ea serviente, Gremiale, thuribulum cum navicula, caligæ, & sandalia in aliqua pelvicula velo tecta, Calix paratus cum urceolis, mappa, seu plures ad manus tergendas, bacile, & buccale, duo candelabra pro Acolythis, ac denique omnia, quæ usui esse possunt Episcopo, præter paramenta, quæ super Altare aptare debet, ministrorum verò in Sacristia, de quibus, ut suo loco infra.

IV. Episcopo celebrante Missam solemnem, munda cotta indutus, & nudo capite, stans ad altare assistit, cæteris inferioribus ministris in Sacristia agenda committens, hostiam, vinum, & aquam, quæ offeruntur, prægustare debet, antequam Diacono tradantur offerenda Episcopo. In reliquis apud credentiam assistet, ut ibi subministret necessaria, cum opus erit.

V. Ad Vesperas etiam cotta indutus assistit Cæremoniario necessaria subministrans, si opus sit, munus enim hujus circa actionem, Sacristæ verò ad omnia ordinatur; nam Cæremoniarius immediatè Episcopo assistens agenda disponit, Sacrista verò tanquam fidelis servus, Episcopo, & ministris

necessaria præparare, ac subministrare debet.

VI. In præcipuis solemnitatibus cuncta suo loco, & tempore disponat, ac præcipuè in Majori hebdomada. Cum consecrari debent olea in Coena Domini, prævideat diligenter, ut vasa sint munda, & alia requisita, ut in Pontificali. Olea verò etiam præparare debet, & balsamum pro sancto Chrismate.

VII. Feria 6. in Parasceve Cruces, pulvinaria, & alia, de quibus suo loco infra sint diligenter disposita. Sabbato sancto fontes Baptifinales mundet, & extergat, vasa præparet; Cereum item Paschalem, arundinem cum tribus candelis, & alia hujusmodi, de quibus etiam fusè suo loco.

In Synodo locum sessionis aptet. In exequiis cereos, castrum doloris, quod Galli vulgò *Chapelle ardente* vocant, & alia hujusmodi.

Multa adhuc infra de Officio Sacristæ habebimus dicenda, de quibus commodiùs sigillatim locis propriis nobis agendum est.

CAPUT III.

DE PRESBYTERO  
*Assistente.*

I. EX Decreto Sac. Congreg. Rituum in Mantuana 19. Julii 1604. ex Barbosa non tantum Episcopis, & aliis Prælati, sed etiam aliis non Prælati, ut Canonicis, ubi talis est consuetudo, potest dari aliquis Presbyter assistens, qui ministret Missæ solemnæ, præter Diaconum, & Subdiaconum.

II. Illius est Missam prævidere, signacula in Missali celebrantis suis locis aptare, & paulò antequam celebrans accedat ad Altare, cussinum cum libro aperto in cornu Epistolæ, nisi priùs id factum sit à Sacrista, collocare.

III. Si pluviali induatur, procedit à dextris Diaconi ad altare tecto capite, ad altare genuflectit, ut alii ministri. Ad Confessionem stat à dextris celebrantis; Diaconus verò, & Subdiaconus à sinistris, & respondet, ut alii, dicensque *Tibi Pater*, & *Te Pater*, & *Miserere tui*, celebranti se inclinet conversus ad eum.

IV. Ascendit ad altare cum celebrante ele-

elevans vestes anteriores ipsius manu sinistra, altera pectori admota, inde facta genuflexione, vel inclinatione, retrahit se ad cornu Epistolæ, amovetque librum, & cussinum de altari, & descendit in planum, dum celebrans illud incensat, illaque repone, facta incensatione ipsius cornu Epistolæ cum debitis reverentiis. Tum recedit ad posterius cornu Epistolæ, ubi expectat donec celebrans incensatus fuerit. Deinde stat medius à dextris ipsius Celebrantis, habens Diaconum à sinistris, ostendens ei initium Missæ, signans se, aut se inclinans eo modo quo celebrans, nec inde recedit, donec celebrans sedeat: quo casu sedet, dicto *Kyrie eleison*, vel *Gloria in excelsis* à Celebrante, super scamno parato, tecto capite dextris Diaconi versa facie, prout Celebrans.

V. Circa finem Hymni in Choro cantati, redit solus è sede per viam brevioram ad cornu Epistolæ, ibique in secundo gradu ostendit Celebranti Orationem, vel plures, Epistolam, Graduale, & dum cantatur Epistola, Diaconus remanet in loco suo, eaque finita assistens recedit versus candelabra, locum cedens Subdiacono.

VI. Tum accipit Missale cum cussino, illaque portat per planum ad cornu Evangelii, debitam faciens in medio reverentiam, ibique tenens librum sinistra, & folia ejus vertens dextera, præostendit celebranti initium Evangelii, se signans, genuflectens, aut se inclinans cum eo, eique respondet cum opus est, & interim Subdiaconus stat in plano paulò post Celebrantem: finito Evangelio ibidem remanet, posito prius libro Missali, seu Celebrantis propè medium altaris.

VII. Dum Diaconus cantat Evangelium, ipse quasi collateralis candelabris manibus junctis stat versus ad ipsum Diaconum in parte Evangelii, quo finito, accedit ad Celebrantem, eumque præmonet, quando dicendum est, *Credo*, vel *Dominus vobiscum*, & si dicatur, *Credo*, locum cedit Subdiacono accedenti ad sinistram Celebrantis, retrahens se ad cornu Evangelii, ubi stat, & genuflectit cum aliis, recitans etiam Symbolum, in cujus fine se signat.

VIII. Si Celebrans sedet, ipse etiam, ut ad *Gloria in excelsis*, sedet, & circa finem Symboli redit ad altare celebrantem sequens

per viam longiorem, & facta debita reverentia in medio, accedit ad latus Evangelii, ubi stat, ostendit Celebranti Offertorium, & alia, & librum tenet, ut supra, cussinum, & librum removet ad incensationem altaris. Incensandus à Diacono ante Subdiaconum, paululum ad eum se convertit. Ad *Sandus*, locum cedit Subdiacono. Ad elevationem, genuflectit statim ac Celebrans dicit *Accipite*, & deposito Calice post ejus elevationem surgit, & iterum demonstrat Celebranti dicenda, & genuflectit semper, & inclinatur se, & se signat cum eo. Ad *nobis quoque peccatoribus*, pectus percutit. Ad *Agnus Dei* cedit locum Subdiacono, & accedit cum debitis genuflexionibus ad cornu Epistolæ.

IX. Dum celebrans dicit primam Orationem ante Communionem genuflectit, eaque dicta surgit, & manibus junctis osculatur altare extra corporale, & accipit Pacem à Celebrante, eam daturus postea Clero, ut infra dicetur; dabit eam tamen prius Diacono, qui eam dabit Subdiacono. Gavant. part. 2. tit. 10. num. 9. Pacem verò accipit à Celebrante eo modo, quo Diaconus in Missa solemnibus, & pari disciplina eam Choro distribuit, ut infra suo loco

X. Data Pace Clero, eique facta reverentia, redit ad altare, ubi facta genuflexione dat eam Cæremoniario, & hic Acolythis; quo facto redit ad librum, recedente Diacono cum debita genuflexione, ubi se inclinatur ad *Dominæ non sum dignus*, si jam non sit dictum, & percutit pectus, & manibus junctis similiter inclinatur se, dum Celebrans se communicat. Si verò fiat Communio, retrahit se ad cornu Evangelii, ne eos communicantes, aut ministros impediatur, & ibi stans manet versus celebrantem dum dat Communionem.

XI. Post ablutionem celebrantis reportatur librum cum cussino ad cornu Epistolæ cum debitis reverentiis, ibique indicat Celebranti, quæ dicenda sunt, finitisque Orationibus claudit librum, quem tradit Cæremoniario, nisi sit dicendum aliud peculiare Evangelium. Ad benedictionem genuflectit, & accedit ad cornu Evangelii, ubi ministratur Celebranti, ut supra. Si aliud peculiare Evangelium sit dicendum, ipse portat librum ad cornu Evangelii, genuflectens propè

pè medium Altaris in plano, eo tempore, quo datur benedictio.

XII. Denique omnibus finitis, redit ad dexteram Celebrantis in cornu Epistolæ, & facta ibidem reverentia Cruci, descendit in planum, ubi Altari debitam facit reverentiam, & recedit cum bireto, eo ordine, quo venerat in Sacristiam, ubi facta Cruci reverentia, & Celebranti, deponit paramenta.

XIII. Ad absolutionem post Missam pro defunctis, regulariter non accedit, sed, finita Missa, recedit in Sacristiam: Item, nec ad Processiones etiam Sanctissimi Sacramenti, nec ad benedictiones, nisi fortè quamsdam, ut infra.

XIV. Rarò autem debet intervire parvus pluviali, nisi celebrans ipse sit Canonicus, aut in aliqua dignitate constitutus; sed quando assistit, præcipuè ad Missam novi Sacerdotis, aut alterius Sacerdotis, utitur tantum Cotta sine stola, & eo casu celebrantem ad Altare sequitur, genuflectitque etiam in Missa solemnè in cornu Epistolæ ad Confessionem, amovet librum ad incensationem, stat ad Introitum versus celebrantem propè candelabra, sedet à sinistris Subdiaconi, & redit ad Altare per breviorè viam ad cornu Epistolæ. Dum Subdiaconus librum defert ad cornu Evangelii, ipse etiam paulò post accedit cum debitis reverentiis ad illud, ubi Subdiaconus ei relinquit locum, ut vertat folia; aliaque facit, ut supra. Incensandus est post Subdiaconum, genuflectit, si stet, ad versum, *Et incarnatus est*, item ad illa, *Flectamus genua*. Pax illi datur à Subdiacono post datam Choro, non verò ante.

XV. Semper assistit ad librum, præmonstrans celebranti legenda, aut agenda. Quando accedunt Diaconus, & Subdiaconus dicturi, *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Sanctus*, & *Agnus Dei*, recedit, tunc eis cedens locum.

XVI. Decet tamen, ut non procedat ad Altare cum celebrante, & satius est, ut illuc accedat paulò ante celebrantem, illumque ad Altare excipiat, & in fine Missæ non redeat cum eodem, sed ibidem remaneat, & postea recedat. De Presbytero assistente Episcopo, fusè agemus quinta parte huius operis.

## CAPUT IV.

## De Officio Assistentium.

I. **D**UO, vel quatuor, aut ad summum sex, pro qualitate locorum, aut festorum, adhibentur assistentes celebranti ad Vesperas (quos nos Galli Cantores, aut Choristas vocamus) ex aptioribus Clericis, qui supra Cottam, aut Rocchettum pluvialibus sunt induti. Horum autem officium ex praxi Urbis, & aliarum insigniorum, & ex Cærem. Episc. l. 2. c. 3. præscribitur hoc ritu.

II. Ad Vesperas solennes induti ut supra in Sacristia, facta imagini principali, & celebranti reverentia, eundem bini recto capite præcedunt, quorum duo postremi seniores eum habentes medium anteriores fimbrias pluvialis attollunt, quod & faciunt, licèt sint tantum duo.

III. Cùm pervenerint ad Altare, genuflectunt omnes hinc inde in plano, habentes celebrantem medium etiam in plano, tum surgunt, & iterum genuflectunt super gradum infimum altaris, & tantisper orant, deinde surgunt, & iterum genuflectunt, vel se inclinant, si tantum Crux sit in Altari, & non Tabernaculum SS. Sacramenti, quia tunc tantum se profundè inclinant; ex Cærem. Episc. lib. 2. c. 3. (quod semper faciunt quando sunt parati.) Tum ad Chorum accedunt, ubi Clericos salutant nudo capite, comitanturque celebrantem ad sedem suam, cui se inclinant, & stant ante eum versa sibi facie, vel celebranti, ita ut neque Altari, neque celebranti renes vertant, ibique stant ad Orationem Dominicam, se signant dum celebrans dicit, *Deus in adiutorium*, & se inclinant ad *Gloria Patri*, usque *Sicut erat* exclusivè. Possunt tamen ob angustiam loci, vel ob aliam causam, stante Celebrante, vel sedente, stare, vel sedere tunc super sedilia sua in plano Chori disposita, ut infra p. 2. de Vesperis solemn.

IV. Dum dicitur *Sicut erat*, dignior ex illis, facta altari debita reverentia, idest genuflexione, si sit Tabernaculum in altari, vel tantum inclinatione, si non sit, quod semper in pari casu omnes facere debent, accedit propius ad celebrantem ducente cære-

moniaro, cui, facta ei debita reverentia, præintonat Antiphonam, cantato prius *Aleluja*, vel *Laus tibi*, à Choro; qua repetita à celebrante, & facta ei tunc, & non prius inclinatione, recedit cum cæremoniaro, & aliis assistentibus, qui eum ibidem expectabant, ad sedem suam cum debita reverentia ad Altare.

V. Cùm ad sedem pervenerint, stant, donec inchoaverint primum Psalmum, quo inchoato, capite recto, sedent ad versum *Gloria Patri*, nudo capite, & se inclinant sedentes.

VI. Dum repetitur prima Antiphona, secundus assistens cæremoniaro comite, facta Altari debita reverentia, accedit ad digniorem post celebrantem, eique præintonat Antiphonam secundam cum debita reverentia ante; qua per eum repetita, inclinat se ei, & redit ad locum suum cum etiam debita altari reverentia. Quando verò unus ex illis procedit ad Antiphonam præintonandam, vel aliquid aliud ipsis commune, omnes alii assistentes stant nudo capite, donec redierit, ita ut quando unus surgit, semper alii surgant. Pari disciplina alii assistentes præintonant cæteras Antiphonas. Ad versum *Gloria Patri*, nudo capite sedentes se inclinant.

VII. Dum repetitur ultima Antiphona debitam faciunt altari reverentiam, & accedunt ad Celebrantem, ut initio vespærum, & stant ante eum dum cantat Capitulum, & duo ex illis, si aliter fieri non potest, tenent librum ante eum. Dicto Capitulo dignior ex illis accedens propius ante eum intonat illi Hymnum cum debita reverentia, quo per eum repetito prædicti assistentes recedunt ad locum, facta debita reverentia, ubi parati stant manibus junctis, donec perficiatur Hymnus. Post finem Hymni, duo ex iisdem, scilicet juniores, accedentes ad medium Chori ante Altare eum debitis reverentiis, altiori voce versum decantant. Tum dignior accedens ad celebrantem intonat ei Antiphonam ad *Magnificat*, cum debito ritu, & tunc omnes sedent.

VIII. Si cantantur Hymni *Veni Creator*, aut *Ave Maris stella*, genuflectunt in plano in locis suis, sed prima strophe finita cum debitis reverentiis redeunt ad sedilia sua, ubi stant etiam manibus junctis.

IX. Inchoato ab ipsis Cantico *Magnificat*, facto signo Crucis, & salutato Choro,

procedunt ad Altare nudo capite, ob reverentiam Cantici, cum Celebrante, elevantes partes anteriores pluvialis Celebrantis, ante cujus infimum gradum, vel se inclinant, vel genuflectunt. Deinde duo digniores ascendunt hinc inde ad Altare, & dignior ministrat, quam accipit à Thuriferario, naviculam Celebranti cum debitis osculis, ut infra de Thurificatione dicemus. Dum autem Celebrans imponit thus in thuribulo, secundus assistens attollit aliquantulum partem anteriorem dexteram pluvialis ejus. At cùm celebrans incensat Altare, assistunt ei hinc inde, elevantes etiam anteriores fimbrias pluvialis illius, genuflectentes semper in medio, vel se inclinantes, si non sit SS. Sacramentum. Interim alii assistentes stant in plano ad latera Altaris, versa facie ipsi Altari.

X. Incensato Altari, primus assistens accipit thuribulum in cornu Epistolæ cum debitis osculis, illudque reddit Thuriferario, alter verò aptat pluviale celebrantis à parte posteriori circa collum, elevatque illud, si fortè, ob thurificationem, fuerat demissum. Tum facta Cruci in medio inclinatione, descendunt, & iterum facta Altari debita reverentia, recedunt omnes ut supra in chorum, & salutato Clero, comitantur celebrantem ad sedem suam, ubi dignior assistens, sumpto thuribulo, Celebrantem triplici ductu thurificat cum inclinatione debita antè, & post, & postea Prælatos, si qui sint, aut alios nobiliores, redditoque thuribulo, omnes cum debitis reverentiis recedunt ad loca sua, ubi singuli duplici ductu thurificantur post Canonicos, si ipsi non sint Canonici, quia tunc incensantur ante Canonicos.

XI. Repetita ab eis Antiphona sedent, & paulò ante Orationem accedunt ad Celebrantem, ut ad Capitulum, cum debitis reverentiis, primusque ostendit illi Orationem, vel plures, si quæ sint dicendæ.

XII. Circa finem Orationis, scilicet dum celebrans dicit, *Per omnia secula*, duo juniores recedunt cum debita reverentia, & accedunt ad medium Chori, ubi dictus est versiculus, ibique altiori voce cantant *Benedicamus Domino*, quo dicto, redeunt ad celebrantem, qui, dicto *Fidelium anima*, recedit cum eis in Sacrifitiam, salutatis Cle-



ricis ab utraque parte Chori, nisi dicatur Antiphona B. M. quia tunc stant, vel genuflectunt ad eam in locis suis, eaque dicta recedunt.

XIII. Advertant ergo, ut dignior ex iis præintonet semper primam Antiphonam Celebranti, ac principium Hymni, ac etiam Antiphonam ad *Magnificat*.

XIV. At, si magna sit Clericorum copia, Assistentes munus Cantorum explere non debent, unde non debent intonare Psalmos, neque præintonare Antiphonas super Psalmos, præter primam, & eam, quæ ad *Magnificat* cantatur, sed alii Clerici cortis induti in medio Chori, qui etiam ducente Cæremoniario præintonare debent Antiphonas dignioribus de Clero secundum morem Ecclesiarum. Ita Cærem. Episc. l. 2. c. 3. At si sit exiguus Clericorum numerus, assistentes debent illud munus exercere. Usus tamen invaluit, ut ritus superior fervetur ubique, ut patet in omnibus ferè Ecclesiis, tam urbis, quàm aliarum. Ideò convenit, ubi talis est consuetudo, ut præintonent omnes Antiphonas, & Psalmos, ut supra.

XV. In quibusdam Ecclesiis, duo Acolythi solent cantare versiculum post hymnum.

XVI. Si vespere non duplicentur, unus tantum præintonat Psalmos, quia alter præintonat Antiphonas; & ideò, initio vesperarum, convenit, ut cum assistentes comitati fuerint Celebrantem, accedant cum reverentis debitis ad sedes suas, & cum dicetur *Sicut erat*, dignior accedat ad Celebrantem, ut ei præintonet Antiphonam, nisi fortè duo Clerici supra dicti incipiant Psalmos, ut supra, de more.

Si faciendæ sint commemorationes, convenit etiam, ut duo Clerici prædicti incipiant in medio Chori Antiphonas, & versus post finem earum, quia etiam convenit, ut prædicti assistentes remaneant coram celebrante, ut ad primam Orationem, ut inquit Cærem. Episc. lib. 2. cap. 3. Sed, si sint pauci Clerici in Choro, aut si prædicti assistentes intonant Psalmos, possunt accedere ad pulpitem, ut ibi incipiant commemorationes omnes. In his tamen servanda videtur locorum consuetudo. Ad Missam solemnem convenit, ut adsint tot assistentes parati saltem quot ad Vesperas, qui incipiant Introitum, Kyrie, Et in

terra Pax, & alia, ut infra cap. de Cantoribus.

## C A P U T V.

## De Officio Hebdomadarii.

I. **Q**UOD ad Officium hebdomadarii spectat, habenda est ratio consuetudinis locorum, cui plurimum in hoc tribuendum est, ut concedit Sacra Rit. Congregat. In majoribus tamen, & præcipuis Ecclesiis talis ordo ut convenientior laudatur, probatur, & observatur.

II. Qualibet hebdomada incipit suum officium regulariter Sabbato ad Vesperas, quod usque ad Nonam inclusivè sequentis Sabbati continuè exequitur, nisi aliquid obstet.

III. In Choro assistit in loco suo cum Collegialibus suis, nisi sit paratus, quia in hoc casu paratus Cotta, seu Rocchetto, si eo utitur, Stola, & Pluviali, sedet in sede digniori ab ea parte, quæ ei illa hebdomada contigerit. Cærem. Episc. lib. 2. cap. 3. & Sacra Congr. Rit. 22. Aug. 1626. Ad Matutinas etiam solemnes, incedit post omnes, sed in digniori sede Chori.

IV. ad Vesperas non solemnes dicit secretò *Pater noster*, & *Ave Maria* versus Altare stans; & sic, factò sibi signo Crucis à fronte ad pectus, incipit *Deus in adiutorium*, habita tamen priùs licentia à Superiore, quam signo aliquo concedit, ex Manuali Episcoporum, intonat primam Antiphonam, Capitulum cantat, incipit hymnum, & Antiphonam ad *Magnificat*, dicit Orationem, vel plures, *Dominus vobiscum*, & *Fidelium anima*, incipit etiam Antiphonam B. Mariæ, dicit versiculum, Orationem, & in fine *Divinum auxilium*. Si Hymnus incipit ab invocatione, inclinat se versus Altare dum illum incipit, ut dicemus ad Vesperas solemnes, & infra.

V. Curet diligenter, ut tantum spatii temporis ad Orationem Dominicam, & reliqua secretò dicenda intersit, quantum non iis solùm, qui celeriores sunt, sed aliis quoque tardioribus sufficere possit, vocem capiat moderatam, id est non nimis elatam, neque etiam nimis depressam. Orationes recitet, non uno spiritu, sed cum pausa convenienti, uno, aut etiam pluribus locis pro

Orationum diversitate, habita tamen ratione compositionis verborum, & subjctæ sententiæ. Eadem observet ad Capitula, & alia.

VI. ad Completorium dicit alta voce, *Noctem quietam, Adjutorium nostrum*, se signando, *Confiteor* inclinatus, donec Chorus idem repetat, qui, eo inchoato à Choro, surgit, & eo finito subdit *Misereatur*, & profequitur *Indulgentiam*, se signans. Cùm verò dicit *vobis fratres*, & *vos fratres*, & *misereatur vestri*, convertit se ad collegiales suos. Dum dicit *Converte nos*, signat pectus tantùm pollice dextero, manu sinistra infra pectus admota; dicens, *Deus in adjutorium*, se signat. Incipit Antiphonam, Hymnum, dicit Capitulum, incipit Antiphonam ad *Nunc dimittis*, dicit preces feriales, si dicendæ sint, Orationem, & in fine *Benedicat*, & *custodiat*, graviori voce, & dicens, *Pater*, & *Filius*, se signat. Deinde incipit Antiphonam B. M. vel eam cantat de more, & stat, vel genuflectit pro ratione temporis, ut infra; dicit versum eodem modo, sed semper stat ad Orationem, quam dicit postea; deinde subdit *Divinum auxilium*, tum stans, vel genuflexus, dicit secretò, *Pater*, *Ave*, & *Credo*. Si autem sit dicendum Completorium B. Mariæ; post *Benedicamus Domino*, incipit immediatè dicens *Converte nos*, & in fine illius, dicit *Benedicat*, & *custodiat*, & alia, ut supra.

VII. Ad Matutinas non solemnes, stat in loco suo, & indutus habitu suo Choralis, stans versus altare dicit secretò *Pater noster*, *Ave*, *Credo*, etiam ante Officium parvum B. Mariæ, si conjungitur cum Officio, aliàs tantùm dicit *Ave Maria*, deinde cantat *Domine labia* signans labia sua pollice dextero, tum subdit *Deus in adjutorium*; intonat Hymnum, incipit primam Antiphonam. In fine cujuslibet nocturni, incipit *Pater noster*, pari tono, quo dixit *Domine labia*, *Et ne nos inducas*, dicit absolutionem, & dat benedictiones stando, dicit ultimam lectionem, incipit *Te Deum*. Laudes eodem modo dicit quo Vesperas. Ad majorem tamen in choro spectat dare signum incipiendi Officium, dicere *Dies*, & *actus nostros*, &c. *Adjutorium nostrum*, &c. *Dominus nos benedicat*, *Noctem quietam*, &c. *Benedicat*, & *custodiat*, &c. *Dominus deus nobis suam pacem*, & dare signum egrediendi,

nisi alia sit consuetudo, ex Congreg. Episcoporum 18. Aprilis 1617. Hoc tamen intelligendum videtur tantùm, quando Hebdomadarius non celebrat solemniter, & quando non stat in loco digniori, quia tunc ad eum spectat hæc agere.

Ad preces, quæ dicuntur aliquando in Vesperis, & Laudibus, solus ipse recitat alta voce, & integrè Orationem Dominicam, quæ tamen ad alias horas dicitur secretò, exceptis principio, & fine, scilicet *Pater noster*, *Et ne nos inducas*. Ad Laudes omnia peragit respectivè, ut ad Vesperas.

VIII. Ad Primam, dictò *Pater*, *Ave*, & *Credo* secretò, incipit *Deus in adjutorium*, Hymnum, incipit Antiphonam, cantat Capitulum, dicit Preces, stans, vel genuflexus, si dicendæ sint, ut in Breviario: dicens *Adjutorium nostrum* se signat; facit Confessionem, ut ad Complet., & dicit Orationem. Post cantatum Martyrologium, dicit *Pretiosa*, &c. *Sancta Maria*, ter incipit *Deus in adjutorium* non se signans, tum versiculum *Gloria Patri* usque ad *Sicut erat* exclusivè, Orationem *Dirigere*, *Dies*, & *actus nostros*, *Adjutorium nostrum*, non se signans, & alia, ut in Breviario, & in fine subdit Antiphonam B. Mariæ, ut supra. Si sequatur Officium B. Mariæ, illud incipit immediatè post *Benedicamus Domino*, ante Martyrologium, quod dicitur tantùm post prædictum Officium Beatæ Mariæ.

IX. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam eadem respectivè observat, incipiens, *Deus in adjutorium*, Hymnum, Antiphonam, dicens Capitulum, & Orationem, & alia, eodem modo dicit Officium Beatæ Mariæ, dicens primùm *Kyrie* ante Orationem.

X. In officio defunctorum, incipit primam Antiphonam, & eam, quæ cantatur ad *Magnificat*, subdit preces, incipit Psalmum *Lauda anima*, & Orationem, seu plures, ut in Breviario. Ad Matutinum, incipit primam Antiphonam, & si Officium sit duplex, dicit ultimam lectionem, si sit consuetudo, aliàs non. Ad Laudes eodem modo profequitur quo ad Vesperas.

XI. Ad Psalmos Graduales, incipit absolutè, *Ad Dominum cum tribularer*, & in fine dicit *Pater noster*, & versiculos genuflexus, & ad Orationes stat.

XII. Ad Psalmos Pœnitentiales, genuflexus

flexus incipit Antiphonam *Ne reminiscaris*, & in fine dicit Litanias cum versibus, & initium Psalmi *Deus in adiutorium*, versus, & Orationes, ad quas tantum stat.

XIII. Hymnum *Veni Creator*, & *Ave maris stella*, stans quidem incipit, sed primo versiculo cantato, genuflectit: prima verò strophe cantata, surgit, quod in aliis observare debet, ita ut regulariter incipiat, & postea genuflectat, quando genuflectendum est. Dum Hymnos inchoat ab invocatione, verbi gratia *Creator alme siderum*, *Salutis humanae sator*, *Deus tuorum militum*, & alios similes, manus jungit, & inclinat se versus altare, ad alios non. Dum dicit Orationes supplices, extra Missam manus junctas habeat, item quando alia recitat, nisi Breviarium teneat, aut aliud. Cum dicit *Oramus*, caput inclinat.

XIV. Quoad initium Hymnorum de quibus supra, ad minores horas diebus non solemnibus poterunt cantores eos incipere, si ea sit consuetudo, sicut etiam ad Vesperas, & Laudes. In quibusdam etiam Ecclesiis, Juniores, vel Cantores incipiunt Antiphonas ad Matutinas, & Laudes, & alias horas, item Responsorium Versus, & *Benedicamus Domino*, qua in re standum est consuetudini.

XV. Graviori voce dicit *Confiteor*, & c. Benedictionem in fine Completorii, versus *Fidelium anima*, *Dominus det nobis suam pacem*, & Antiphonam B. Mariæ cum versu, & Oratione, excepto Completorio, incipit etiam voce graviore regulariter Officium B. Mariæ, Psalmos Pœnitentiales, Graduales, & Officium Defunctorum. In his etiam servetur consuetudo.

## C A P U T VI.

De Officio Cantorum.

### A R T I C U L U S I.

De eo in feriali officio.

I. **C**Antores (nomine cantorum intelligimus Clericos, seu Capellanos deputatos singulis hebdomadibus ad cantandos versus speciales, Antiphonas, Responsorium, ad incipiendos Psalmos, Canti-

*Man. Sacr. Carem.*

ca, & alia hujusmodi) aliter se habent in Officiis dierum, & festorum, qui non sunt de præcepto, sive ea sint duplicia, sive semiduplicia, aliter in Officiis de præcepto, aliter in Officiis solemnioribus, & aliter in Officio feriali; de quibus omnibus nobis agendum est.

II. Singulis hebdomadibus, si fieri potest, mutentur Sabbato ad Vesperas vicissim, adè ut dignior, si fieri potest, sit primus Cantor, & ex Choro hebdomadarii, alter verò sit in altera parte Chori, qui primo cantori respondeat cum opus est, quique Succentor appellari potest.

III. In Officio dierum qui non sunt de præcepto, & quando Officium non est duplex, primus Cantor ad Matut. cantat in medio Chori Invitatorium, quo repetito à Choro dicit Psalmum *Venite exultemus*, genuflectens cum dicit, *Et procliamus ante Deum*, eoque dicto intonat Hymnum (nisi intonetur ab hebdomadario, ut supra) & similiter Psalmos sui Chori, & versus. Item Responsorium prolixum ad Matutinum, & versus eorumdem, nisi singuli clerici id efficiant alternatim cum versibus. Item Responsorium brevium horarum, & versiculos, Martyrologium cum lectionibus brevibus, Primæ, & Completorii, genuflectens dum dicit ad illas *Tu autem Domine*: intonat tria Cantica Evangelica, *Magnificat*, *Benedictus Dominus Deus Israel*, & *Nunc dimittis*. Omnes etiam Psalmi cantandi post Antiphonas inchoatas à Clericis sui chori, ab ipso inchoantur. Psalmi verò, qui sunt sine Antiphonis, ut ad Completorium, alias horas, & tempore Paschali, à toto choro inchoantur, ac si unicus esset Psalmus, non habita ratione principii Psalmi, excepto primo Psalmo cujusque horæ, qui semper à primo cantore inchoantur. Ita Directorium Chori Romani. Inchoantur autem regulariter isti Psalmi ab ea parte, in qua dicitur versus *Gloria Patri*. In quibusdam tamen Ecclesiis insignioribus, Psalmi prædicti inchoantur à Cantore illius Chori ubi desinit Psalmus præcedens, & sic vicissim, quod non improbat, ut si fortè cantus sit depressior, possit ab eo attolli, & quando opus erit, deprimi, si sit nimis elevatus.

IV. Alter cantor illi in altero Choro respondens, intonat tantum Psalmos post Antiphonas inchoatas à Clericis sui Cho-

B ri, &

ri, & alios, qui sibi per ordinem juxta regulam nuper prædictam contingunt. Ex Psalmis autem, & Canticis pronunciant tantum dimidium primi versus.

V. In quibusdam Ecclesiis decantant vicissim lectiones ad Matutinas; sed præstat ut decantentur ab Aliis de Choro, & ipsi cantores Responsorialia decantent.

## ARTICULUS II.

*De officio Cantorum in festis, Dominicis, & officiis diversis.*

I. **I**N Dominicis autem, & aliis diebus festivis de præcepto, & in festis duplicibus, duo cantores cantant pro prima vice totum Invitatorium in medio chori, & eo repetito à choro, vel Musicis cantant totum Psalmum *Venite* ex libro ante eos, vel super pulpitem posito ibidem, quo dicto regulariter repetunt principium Invitatorii usque ad medium illius, & chorus reliqua profequitur. Tum primus cantor semper cum debitis genuflexione altari, & inclinatione celebranti, ei præintonat initium Hymni, & Antiphonam primi Nocturni, alias verò Antiphonas præintonat pari disciplina aliis Clericis. Item versus, si ea sit consuetudo, in medio chori post quemlibet Nocturnum, & Responsorialia prolixa, & versus eorumdem, sicut & versus ad omnes horas, etiam Laudes, & Vesperas decantant, sicut & Responsorialia brevialia. Item primus cantor præintonat celebranti initium cantici *Te Deum*.

II. Cantores Psalmos, Hymnos, ac versiculos intonantes, semper stant nudo capite; accedentes verò simul ad intonandum, & recedentes, facta genuflexione altari, vel Cruci semper, mutuis inclinationibus se salutant, & postea celebrantem, advertentes, ne sibi ipsi terga vertant recessuri ad sedilia sua.

III. In Vesperis autem, Matutinis, & Laudibus, ut supra c. 4. nu. 14. omnes Psalmos, Cantica, Hymnos, & versiculos decantant in medio chori, & semper genuflectunt in accessu, & recessu, licet ad altare non sit SS. Sacramentum, quia non sunt parati, nec Canonici, regulariter.

IV. Ad horas minores unus tantum

Cantor intonat Hymnum, si sit consuetudo, ut supra diximus, & Psalmos. Responsorialia verò brevialia, & versiculos cum socio cantat in medio chori. In quibusdam tamen Ecclesiis hujusmodi versus, & Responsorialia cantantur ab Acolythis designatis, qui stant in inferioribus subselliis, & in medio chori ea decantare solent.

V. Ad Completorium, quantum fieri potest, primus cantor dicit Lectionem brevem, cum *Jube Domne*, genuflectens in fine ibidem in medio chori, tum facta iterum genuflexione redit ad locum suum, ubi Psalmos inchoat, & Hymnum, si sit consuetudo. Post Capitulum dicit in medio chori cum socio Responsorium, & versum, & in loco suo inchoat Canticum *Nunc dimittis*. Antiphona verò ab hebdomadario intonatur.

VI. Ad Primam intonat in loco suo Psalmos, qui sibi contingunt, & socius alius, si talis est consuetudo; vel chorus eos profequitur, ac si unicus esset Psalmus, ut supra. Dicta oratione stans in medio chori cantat Martyrologium, quo dicto recedit, & in eodem medio Lectionem brevem, in cujus fine genuflectit, & recedit. At verò quando Tertia dicitur ante Missam solemnem, convenit ut ambo in medio chori, Psalmos, Responsorium breve, versiculum, & *Benedicamus Domino*, decantent.

VII. Ad Psalmos Graduales, primus Psalmus à celebrante inchoatur, Psalmi verò *Qui confidunt*, & *De profundis* à primo cantore, alios profequitur chorus sine ulla distinctione, ac si unicus esset Psalmus, in quorum fine dicitur versus *Requiem æternam*.

VIII. Ad septem Psalmos Pœnitentiales Antiphona per celebrantem inchoata, primus cantor intonat primum Psalmum, reliquos totus chorus ex ordine.

IX. Litanie solemnes, ut Sabbatis Sancto, & Pentecostes ante Missam, & in Processionibus Sancti Marci, & Rogationibus, & aliis similibus, in medio chori dicuntur ut in Rit. Romano, nisi fiat Processio.

X. Similiter in omnibus aliis Processionibus, duo cantores cantant Litanias, inchoant Hymnos, Psalmos Antiphonas, & Responsorialia. Eorum locus in processionibus est regulariter inter Sacerdotes, & ceteros Clericos, ut ab omnibus audiri possint, ita ut præcedant Sacerdotes, & sequantur alios,

alios, nisi alia sit consuetudo, ut incedant omnes post Crucem ante omnes alios. In Ecclesiis tamen Cathedralibus sæpè præcedunt Crucem, & etiam Thuriferarium. Ex Cærem. Episc. lib. 2. cap. 16.

XI. In Missa, quæ cantatur in Dominicis, cantato à celebrante *Asperges me* ad asperionem aquæ benedictæ, duo cantores in medio chori stantes subdunt *Domine*, & chorus reliqua prosequitur. Ibidem inchoant versus *Miserere mei Deus*, chorus prosequitur reliqua, subdunt *Gloria Patri*, &c. chorus *Sicut erat*, &c. deinde repetunt initium Antiphonæ *Asperges me*, chorus reliqua. Eodem modo intonant Introitum Missæ, & ibidem *Kyrie*, & illa pars chori hebdomadarii prosequitur *eleison*, & sic alternatim.

XII. Cantato à celebrante *Gloria in excelsis*, subdunt *Et in terra pax*, chorus reliqua alternatim. Inchoant Graduale, & cantant versus integrum. At tempore Paschali cantant primum *Alleluja* cum versu, secundum verò alii cantores designari. Potest tamen cantari Graduale à duobus Acolythis, si sit consuetudo, ut in multis Ecclesiis, vel ab aliis Clericis, numquam paratis.

XIII. Sequentia sic dicatur, ab iis inchoatur & chorus hebdomadarii prosequitur primum versus, & alii versus alternatim decantantur. Tractus regulariter cantatur alternatim à duobus, vel à pluribus.

XIV. Cantato à celebrante, *Credo in unum Deum*, subdunt, *Patrem omnipotentem*, chorus alternatim reliqua. Decet tamen, ut totus chorus simul decantet versus *Et homo factus est*. Inchoant etiam Offertorium, *Sanctus*, & elevato SS. Sacramento, *Benedictus qui venit*, similiter *Agnus Dei*, ac denique Antiphonam, quæ dicitur Communio.

XV. Si facienda sit oblatio à populo, & Communio, dum populus offert, possent convenienter decantare aliquos Psalmos, aut aliquid aliud: idem faciunt dum fit communio populi, si ea sit consuetudo, ut Psalmum *Exaudiat pro Rege*, & alios festo, vel mysterio convenientes, aut aliquid aliud convenientes.

XVI. In prædicta Missa, & aliis solemnibus, præcipuè verò solemnioribus, possunt isti cantores accipere pluvialia, & tot sal-

tem assignari debent ad Missam, quot ad Vesperas. Quando cantatur Missa non solemnem, primus cantor tantum incipit Missam, & alia quæ alii cantores simul inchoant in Missa solemnem. In his tamen videtur servanda laudabilis consuetudo Ecclesiarum.

XVII. Ad Vesperas, ubi Cæremionale admissum observatur, debent diebus solemnioribus designari duo cantores ex anterioribus, quorum ordinarius locus sit in inferioribus subselliis chori, qui cottis induti tantum, & non pluvialibus, in medio chori cum debitis genuflexionibus inchoent Psalmos ad Vesperas, & Laudes, qui etiam, cum debitis reverentiis, præintinent Antiphonas Canonicis, aut aliis, excepta prima ad Vesperas, & Laudes. Cærem. Episc. lib. 2. c. 3. de quibus suo loco.

XVIII. In Officio Defunctorum, quando dicitur cum novem lectionibus, intonat Psalmos, Versus, Cantica, Invitatorium, Responsorium, & Versus eorundem, etiam in medio Chori, & in fine versus *Requiem æternam*, & tertium Responsorium cuiusque Nocturni, & in fine Orationis, *Requiescant in pace*, semper detecto capite, & in medio chori, qui versiculus semper à cantore dicitur in loco suo, in fine officii ferialis defunctorum. Intonant similiter Antiphonas Clerici in huiusmodi officio, si ea sit consuetudo.

XIX. In prædicto Officio Missam decantant, ut in aliis Missis; ad Offertorium tamen cantant eam partem versus, scilicet *Hosias*, & *preces tibi Domine laudis offerimus*, similiter ad communionem versus, *Requiem æternam dona eis Domine*, & chorus reliqua prosequitur. Item cantant stantes *Benedictus qui venit*, cæteris genuflexis.

XX. In Absolutione ad tumulum duo Cantores intonant Resp. *Libera me Domine*; Versus verò sequens dicitur à cantoribus alterius chori, secundus ab aliis, & tertius ab iis qui primum decantarunt, si tot cantores assignari possunt. At Responsorium *Libera me Domine*, à toto choro prorsus resumitur. Ita praxis.

XXI. Finito Responsorio, primus cantor cum primo choro dicit *Kyrie eleison*, & secundus respondet *Christe eleison*, & omnes simul *Kyrie eleison*, & in fine Orationis dicunt, *Requiescat in pace*, si fiat pro unico.

XXII. In exequiis, in loco ubi jacet de-

functus, inchoant Psalmos *De profundis*, & *Miserere mei Deus*, & alios per viam, si alii dicendi sint, ut in Rituali Romano: in ingressu Ecclesiæ inchoant Responsorium *Subvenite*, & cantant ejus versum cum alio *Requiem æternam*.

XXIII. Post Missam, ad feretrum, dicta à celebrante Oratione *Non intres*, inchoant Responsorium *Libera me*, ut ad absolutionem infra. Quando procedunt ad sepulchrum, inchoant Antiphonas *In Paradisum*, & *Chorus Angelorum*, & eas repetunt, si opus est, & similiter Psalmos, si qui dicendi sint, ac Canticum *Benedictus Dominus*, non tamen tunc dicunt versum *Requiescat in pace*, sed celebrans. Ita Rit. Rom.

XXIV. Quando Antiphona eadem est cum principio Psalmi, cantores continuant quod sequitur in Psalmo, aut Cantico, ab eodem loco, ubi desinit Antiphona; at cum Antiphona integra est eadem cum primo versu Psalmi, verbi gratia, *Qui habitat* in festo Dedicationis Ecclesiæ, & ante Psalmum integrè cantatur in officio duplici, cantores incipiunt à secundo versu intonationem, scilicet *Dicet Domino*, ut in emendato Brevariario habetur, nisi sit tempus Paschale, quia addito *Alleluja*, discontinuatur Antiphona à Psalmo, & tunc cantores incipient Psalmum *Qui habitat*. Quando verò Antiphona desinit, sicut initium Psalmi, aut Cantici sequentis, ut Antiphona ad *Benedictus Dominus* in festo S. Joannis Baptistæ, scilicet *Apertum est*, non propterea cantores continuant id, quod sequitur, sed interim repetunt initium Psalmi aut Cantici.

XXV. Cantores vocem sumant, quantum fieri potest, à Choro, & hebdomadario non discordantem, si autem videant Psalmodiam nimis depressam, vel nimis elevatam, modestè provideant, ut ad tonum convenientem reducatur, habita tamen priùs à superiore, vel præfecto Chori, per aliquod signum, licentia.

XXVI. Prævideant diligenter quæ cantanda sunt, ne errent, legant Rubricas, & officium festi, & vocem suam ita temperent, ut vocis æqualitas semper fervetur, neque unus altiùs, quàm alter decantet, & simul pausent, quando opus est, nec unus præveniat alterum, ita ut omnes videantur esse unius, & ejusdem vocis.

XXVII. Si Litanias solemniter decantent, sint in medio chori; si verò extra Quadragesimam in directum dicantur, ut ad Matutinas, à cantore legantur in loco suo à parte hebdomadarii, vel etiam in medio chori, si sit consuetudo: hebdomadarius tamen eas dicit singulis sextis feriis Quadragesimæ. Cantent distinctè, & clarè ea, quæ cantanda sunt, ut ab omnibus audiri possint. In officio nocturno, aut quando aer est obscurus, lumen adhibeant sibi.

XXVIII. Circa ea, quæ diximus de initio Hymnorum, quos cantores inchoare debent, fervetur locorum consuetudo. Celebrans tamen Hymnos Vesperarum, Matutinarum, & Laudum inchoare debet. Ita Cærem. Ep. 2. c. 1. & 3. cap. 14. ibi enim præcipitur, ut Episcopus celebraturus incipiat Hymnum ad Matutinas. Idem potest intonare Hymnum ad Tertiam, si sit consuetudo.

## C A P U T VII.

### DE MAGISTRI, SEU PRÆFECTI Chori Officio.

I. **H**oc officium adeò necessarium arbitrati sunt Patres nostri antiqui ut eum cui hoc munus concessum est, inter digniores Ecclesiasticos constituerint, & inter præcipuos de choro, multis honoribus, ac privilegiis decoratum annumeraverint.

II. Ideò ex Conc. Provinciali Mediolan. 4. Præfectus chori eligi debet ab Episcopo, vel ille, qui major est in choro, hujusmodi officio fungi debet. In pluribus Ecclesiis Galliæ, etiam Cathedralibus, cantor, seu Præcentor appellatur: is ex aptioribus omninò esse debet, in cæremonialibus actibus maximè versatus, & ab omnibus aliis negotiis expeditus, ut semper choro præfens assistat, & solemnibus diebus, actionibus extraordinariis, processionibus, & absolutionibus Defunctorum. Diligenter provideat, ut omnia moderatè, ritè, & exactè fiant; nam chori moderatio, quæ in pausa, & convenienti sono, juxtà dierum qualitatem consistit, assignatio cantorum, & alia similia ad regimen chori spectantia, ejus moderamini committuntur.

III. Curet diligenter, ut disciplina psal-

psallendi exactè fervetur ab omnibus, & maximè illud de tarditate vocis, de debita pausa in medio versuum, de summo consensu, & concordia continentium, ut nullius vox ante alios præcurrat, nec post alios moretur, & ut nulla sit in cantu diversitas, sed semper fervetur æqualitas ab omnibus, quantum fieri potest.

IV. Singulis diebus prævideat officium, Martyrologium, & alia, quæ dicuntur in choro, & congruo tempore moneat Clericos, Cantores, Lectores, & alios de iis, quæ observanda duxerit, maximè circa prolationem, syllabarum quantitatem, & verborum connexionem.

V. Cum opus erit, convocet Clericos in aliquem locum congruum, ut in praxim deducant cantum, & pausam, quam præsertim in actionibus extraordinariis observare debent, & ad hoc rectè peragendum curet diligenter, ut omnia Breviaria, & libri chorales interpungantur, accentibusque debitis notentur, cui re pressò esse debet Thesaurus Sacrorum Rit. Gau. in quo multa verba, quæ apud minùs peritos sunt dubia, quoad quantitatem, & accentus, annotata reperiuntur, diligenterque etiam ad ea, quæ in tota Majori hebdomada fieri debent attendat cum Cæremoniario, sed præcipuè ad Matutinas Tenebrarum, Lotionem Pedum, Passiones, Prophetias, Benedictiones cerei, & fontium, & alia hujusmodi. Item in festo Corporis Christi, & ad alia quæ decantari debent.

VI. Assignet etiam aliquem de Choro, qui ejus nutu pulset campanulam, qua moneatur organista, ut organa pulset, aut à pulsatione cesseret.

VII. Ad Vesperas Sabbati per singulas hebdomadas, secundùm consuetudinem, assignet in tabella parata in Sacristia hebdomadarii, & egregios cantores, ut suprà, quorum absentiam, cum contingit, quod tamen raro fiat, suppleant præcedentes, tum hebdomadarii, tum cantores, curetque, ut prædicta tabella ab omnibus diligenter legatur, ut quisque studeat officio suo commissò.

VIII. Ex his constat Magistrum Cæremoniarum, & Præfectum chori sæpissimè debere inter se convenire, ut omnia meliori ordine, & modo fiant, ob conformitatem prædictorum inter se, & unius ab altero de-

*Man. Sacr. Carem.*

pendentiam, quæ certè magna est, ut appareat, & necessaria.

IX. Aliquando ipse Præfectus, præsertim in Gallia nostra, in majoribus festis assistit ad Vesperas, & Matutinas, Laudes, Missam, & alia officia solemnia, ut Processiones &c. apparatus pluviali, tenens manu dextra baculum argenteum, vel auratum pulchrè elaboratum, & ipse præintonat Episcopo, aut digniori celebranti ea, quæ ipse intonare debet: in his standum videtur consuetudini Ecclesiarum.

## C A P U T VIII.

### DE ORGANISTÆ, & musicorum officio.

I. **S**I Clericus aliquis arte pulsandi organa polleat, laicis cæteris paribus præferri debet. Clericali veste indutus suum exequatur opus majori qua poterit modestia, cavens præcipuè, ne organi sonus sit lascivus, aut profanus.

II. Dominicis diebus, ac festis de præcepto, & aliis solemnioribus, decet, ut pulsentur; excipiuntur tamen Dominicæ Adventus, excepta tamen tertia, in qua tantuntur, & omnes Dominicæ Quadragesimæ, excepta etiam quarta, in qua, cum sit Dominica Lætitiæ, pulsantur. Inter festa tamen solemniora, videtur excipiendum SS. Innocentium, in quo non videntur pulsanda, saltem ad Matutinas, & Missam, cum ipsa die abstinendum ab *Alleluja* in Missa, & ab Hymno *Gloria in excelsis*, nisi in Dominica venerit. Item adhibentur quoties occurrit celebrari solemniter, & cum lætitia pro aliqua re gravi.

III. In festis quæ tempore Adventus, & Quadragesimæ occurrunt, organa cessant; excipiuntur tamen aliqua festivitates solemnnes, videlicet festum Annunciationis in Quadragesima, & alia similes, & feriae, quæ solemniter celebrantur in quibusdam feriis, ut Romæ dies stationum in propria Ecclesia, iis enim pulsantur feriis, sicut in Missa feriae 5. in Coena Domini ad *Kyrie eleison*, & ad *Gloria in excelsis* tantum, & Vigilia Paschæ, incipiendo ab Hymno Angelico tantum, ut & ad reliquum officium, ut in aliis Missis solemnibus: in officio Defunctorum nunquam.

IV. Ad Vesperas utraque solemnes, debent pulsari statim ac celebrans exit è Sacrificia paratus, nec priùs silere, donec in loco suo sedeat, & ei datum fuerit à Cæremoniario signum incipiendi. Debent etiam pulsari in fine Psalmi post versum *Sicut erat in principio*, &c. loco Antiphonæ, quæ repeti deberet, & alternatim in versibus Hymnorum, & Cantici *Magnificat*, ita tamen, ut primi versus Hymnorum, & prædicti Cantici cantentur à choro, non autem ab organo, quòd etiam servatur in quibusdam versibus Hymnorum, ad quos genuflectimus, videlicet *Tantum ergo Sacramentum*, &c. quando scilicet Sanctissimum est in Tabernaculo, non verò aliàs, & similiter in versu, *O salutaris hostia*, & *O Crux ave spes unica*, etiam si versus immediatè præcedens fuerit decantatus à choro. Id etiam servatur in ultimis versibus Hymnorum, & in versu *Gloria Patri*, ob reverentiam SS. Trinitatis, cujus laudes ore decantare debemus, quòd nemini mirum videri debet, si hæc perpendantur exactè.

V. Ad Matutinas solemnes pulsantur organa ad hymnum primi nocturni, & ad *Te Deum* alternatim, versus tamen *Te ergo*, cantatur à choro genuflexo. In quibusdam Ecclesiis pulsantur ad Invitatorium, non verò ad Psalmum *Venite exultemus*. Ad Laudes, ut ad Vesperas respectivè pulsantur.

VI. Ad reliquas horas non pulsantur regulariter; solemnibus tamen diebus ad hymnum Tertiar, & Completorii, & ad Canticum *Nunc dimittis*, si sit consuetudo, poterunt pulsari, & præcipuè ad Antiphonam B. Mariæ in fine Completorii.

VII. Ad Missam solemnem pulsantur alternatim, cum dicitur *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*. Item finita Epistola, sed Graduale cantandum videtur à choro: Sequentia alternatim. Item ad Offertorium usque ad Præfationem. Item ad *Sanctus* alternatim. Ad elevationem SS. Sacramenti graviori, & dulciori sono, & facta elevatione, chorus prosequitur *Benedictus qui venit* stando, Cærem. Episc. lib. 1. c. 28. Item ad *Agnus Dei* alternatim, & in versiculo ante Orationem post Communionem usque ad prædictam Orationem, & in fine Missæ. Ad Symbolum, non est intermiscendum, sed à choro cantandum totum.

VIII. Tanguntur etiam in Collatione Ordinum, & more Romano ad hymnum *Veni Creator*, & in consecratione Episcopi ad prædictum hymnum, & Psalmum *Ecce quàm bonum* alternatim, si sit consuetudo, & in aliis hujusmodi actionibus.

IX. Item quotiescumque Episcopus solemniter celebraturus Ecclesiam ingreditur, convenit pulsari organum, dum oras ante altare, & capit paramenta, donec detur organistæ signum cessandi, & dum re divina peracta discedit.

X. Item adveniente Legato Apostolico, Cardinale, aliquo Archiepiscopo, aut etiam Episcopo extraneo, quem Episcopus honorare voluerit, aut etiam Principe, ubi primum fuerint ingressi Ecclesiam, donec ad altare genuflexi oraverint. Item quando diebus solemnibus, non tamen in Quadragesima, Episcopus capit sacras vestes pro officio solemni, si eo tempore nihil à choro cantatur, ut supra.

XI. Notandum autem est, quòd quodcumque per organum versiculis Hymnorum, aut Canticorum respondetur, semper idem proferendum esset ab aliquo de choro intelligibili voce, nisi sit aliquis, qui cantet cum eo: quòd videtur intelligendum tantum de officio Canonico, non de Missa, aut aliis hujusmodi.

XII. Cum in divino officio pulsantur organa, attentè observet Organista tintitum campanulæ, quo monetur, quando inchoandum, vel finiendum, ne nimis producantur sacræ actiones, vel nimis celeriter fiant; & neminem super, vel intra organa admittat organista, præter Cantores, aut alios, quibus opus est.

XIII. Ut autè organum rectè custodiat, clausum semper manet, nec nisi diebus festis, quibus eo utendum est, aperitur, & sæpè à pulvere, & telis araneorum mundetur.

XIV. Cavendum autem est, ne sonus organum sit lascivus, aut impurus, & ne cum eo proferantur cantus, qui ad officium quòd agitur non spectent, ne dum profani, aut ludicri, nec alia instrumenta musicalia cum organo pulsantur, nisi tubæ, tibæ, aut cornæ; similiter levia, ac minus decentia moteta nullo modo recitentur in fine Psalmorum, nec prorsus in toto divino officio.

XV. Præterea Organista cum Magistro Chori,



Chori, & Cæremoniario frequenter conveniat, & ubi sunt duo organa, ex illius præcepto in præcipuis solemnitatibus adhibeantur.

XVI. In Cæremoniis autem conformetur se organista choro, quantum fieri potest, ita ut caput tegat, aut detegat cum illo.

XVII. Præstat ut Episcopus probet ea, quæ cantanda sunt à Muscis, ex Conc. 3. Mediolanensi, sicut & Laici Cantores, & ut sint induti habitu Clericali semper, dedecere enim valde Cantores in Ecclesia habitu laicali, & profano indutos esse.

## CAPUT IX.

DE CANONICORUM OFFICIO,  
& ritibus ab eis servandis.

I. **O**ptimo jure, Domini Canonici Cathedralium Ecclesiarum dicuntur Ecclesiæ Senatus, quia sunt Episcopi Consiliiarii, & ideo, ut dignitatis præstantia, & auctoritate magna fulgent, ita moribus, gravitate, & religione reliquos superare debent. Dicuntur proprie Canonici, quasi sint regulares, vel quia sunt quasi regula Clericorum totius Diocesis, quibus Clerici omnes, quantum fieri potest, sese conformare debent, vel quia olim, cum Episcopi perfectioni vacantes, regularem vitam cum iis agebant, habitabantque simul in uno loco Ecclesiæ Cathedrali proximo, ut testantur adhuc eadem ipsa loca. De his multa Castaldus in sua præremoniarum lib. 1. nos verò tantum agimus de ritibus ab eis servandis, prout ab aliis Clericis differunt.

II. Venientem Episcopum ad Horas Canonicas, debent Canonici in habitu Canonicali, ex ea aula, & camera, quam ad hoc destinaverit, comitari, & deducere in Ecclesiam, Cærem. Ep. lib. 1. cap. 15. & in hoc casu, Canonici bini sequuntur Episcopum. Non tamen debent cogi sub poena excommunicationis ad associandum Episcopum Cong. Ep. 28. Maji 1584. In porta Ecclesiæ dignior ex Capitulo porrigit ei aspersorium cum osculis. Cærem. Ep. supra. Idem fit in Ecclesia Collegiata, id enim facit prior dictæ Ecclesiæ, non prima dignitas Ecclesiæ Cathedralis. Congr. Rit. 15. Maji 1608. In-

choatis horis, si venit Episcopus, obviam eant illi quatuor, aut quinque Canonici. Eadem Congr. 4. Julii 1615. Neque debent assistentes Episcopo deponere illi biretum de capite; sed ipse sibi detrahat. Eadem 21. Aug. 1604.

III. Canonici cum transeunt ante Crucem, quæ est in altari, & ante Episcopum, vel cum ad alterum illorum accedunt, vel ab eo recedunt, sive sint parati, sive non, caput & humeros tantum profundè inclinant, & profundius, si sit particula veræ Crucis: si verò sit Tabernaculum SS. Sacramenti super altare, ad illud semper genuflectere debent, sicut etiam ad Crucem tri-duo ante Pascha, ut infra dicitur. Cæteri verò de Choro, scilicet beneficiati, & alii tam Cruci, quàm Episcopo genuflectere debent. Ideo Subdiaconus Canonicus serviens Episcopo inclinatur se tantum profundè post Epistolam. Diaconus item petens benedictionem pro Evangelio, item Presbyter assistens ministrans thuribulum, & incensaturus Episcopum. Item Concionator etiam Canonicus non genuflectit ad benedictionem, nec Canonici sive parati, sive non sint, non genuflectunt ad benedictionem solemnem Episcopi. Congr. Rit. in una Oscensi 4. Maji 1613. referente Barboza.

IV. Episcopo celebranti, aut Pontificalia exercenti, ei inservire tenentur, ut in Cærem. Ep. notatur, eique obviant ut supra, at cum ante altare orat, facta cruci, altari, & Episcopo profunda inclinatione tantum, vel SS. Sacramento genuflexione, ad sedes suas vadunt, ubi genuflexi orant quamdiu Episcopus orat, quo surgente, & ipsi surgunt, & cum Episcopus eos salutatur, capite nudo profundè se inclinant. Si verò capere debent paramenta sua, ea capiunt dum Episcopus orat, ut in Cærem. Ep. lib. 1. cap. 15. ut infra suo loco.

V. Illud autem memoria teneant, quòd quando pluribus reverentiam facere debent, non ejus cui prius debetur, ratio habenda sit, sed tantum attendenda commoditas gradientis: regulariter enim primum ei à quo disceditur, deinde ei ante quem transitur, & ultimò ei ad quem fit accessus, fieri debet reverentia, idest, si disceditur ab Episcopo, primò illi, deinde altari, & e contra.

VI. Si quis ex Canonicis superveniat,

inchoato jam Officio, vel Missa, prius versus altare genuflexus parumper orat, mox surgens, & non prius, inclinat se profundè altari, deinde Episcopo; postea Canonicos salutatur, & alios circumstantes de choro prius, minùs tamen profundè ob reverentiam Episcopi, & hi tunc, & non prius, assurgentes eum consalutant, & Canonici parùm inclinati, beneficiati magis, saltem absente Episcopo, & vadit ad locum suum.

VII. Et si fortè esset principium horarum, & diceretur tunc in choro *Deus in adiutorium*, vel *Gloria Patri*, aut finis hymnorum, vel in Missa Confessio, Oratio, aut Evangelium, expectabit stans, donec ista perficiantur, deinde facta Oratione, & prædictis reverentiis, ut suprà, ibit ad locum suum; si tamen celebrans faceret Confessionem, ipse maneret genuflexus, donec celebrans ascenderet ad altare. Idem præstare debet accedens ad Chorum, sed permanet genuflexus.

VIII. Idem observatur si aliquis Prælatum, aut nobilis laicus, vel ex magistratu, aut officialibus civitatis, qui divinis officiis interesse soleat, supervenerit, Officio, vel Missa jam inchoata, non enim prius locum suum petat, quàm fecerit genuflexus orationem versus altare, deinde reverentiam Episcopo, & Canonicos, aliosque nobiles laicos, aut magistratum suosque æquales capiti nutu salutaverit; & si aliquid ex supradictis recitabitur in Missa, vel in Vesperis, expectabit finem stans, ut de Canonicis dictum est, & mox surgentibus eisdem Canonicis, & Magistratibus, quos ipse salutaverit, ab eis resalutabitur; mansionariis vero, seu Beneficiatis, quos vocamus Capellanos in multis locis, & aliis de clero supervenientibus, ut suprà, facta oratione, & debita reverentia Episcopo, & Canonicis, nulli ex Canonicis, aut Magistratu, vel nobilibus supradicti assurgunt, sed tantùm alii Mansionarii, & Clerici eorum æquales, vel inferiores. Et qui solent gestare Almutiam, dum assurgunt, à scapulis ad brachia demittant.

IX. Illud quoque pro regula notandum erit, ut æqualiter omnes prædicti, qui de eodem corpore sunt, cum sedendum erit, sedeant; cum verò surgendum, surgant. Sunt enim diversa corpora, seu chori ministrantium Episcopo celebranti diversi, alter Canoniorum in suis subselliis residentium,

alter Magistratum, vel nobilium laicorum, alter beneficiatorum, seu Capellanorum, & reliquorum Clericorum.

X. Cum igitur aliquis ex assistentibus Episcopo surgit, facturus aliquid ad officium suæ assistentiæ pertinens, pariter & alii coassistentes, & Ministri circumstantes surgere debent, non tamen Episcopus; & sic stare, donec ille sedeat; nec ideo tunc reliqui Canonici in choro sedentes, nec alii de choro surgunt, tamquam diversi chori. Similiter aliquo ex Canonicis in choro surgente, ut aliquid faciat ad ~~pubicum~~, & commune chori officium spectans, puta cum intonatur Antiphona, aut aliquid simile, omnes alii Canonici, ac beneficiati, ac reliqui de Clero assurgunt, præter prædictos, qui Episcopo assistunt.

XI. Inter laicos quoque, uno surgente ratione officii, ut cum datur illis incensum, aut pax, cæteri quoque surgunt: secus verò surgentibus aliis non sui ordinis.

XII. Si Episcopus non celebrat, sed aliquis suffraganeus, vel alius Episcopus, præsentem ipso Episcopo, adhuc essiceretur alius chorus ministrantium celebranti, qui eandem regulam servaret quoad sedendum, & surgendum, prout de aliis dictum est. Cum autem Episcopus surgit, omnes chori tam Canoniorum, & Beneficiatorum, quàm laicorum, & celebrantis consurgere debent.

XIII. Regula etiam est, ut, si plures in eodem loco veniant Prælati, ac etiam Legatus, & Cardinales, uni tantum ex ipsis qui erit major, puta Legato, & celebranti reverentia exhibeatur. Cum Episcopus celebrat familiares, vel nobiles, qui ei ad lotionem manuum ministrant, genuflexi officium suum peragunt, nisi adesset Legatus, vel suus Metropolitanus, quo casu ob reverentiam illius, non genuflexi, sed inclinati ministrant. Et pari modo, si aliquis suffraganeus, vel alius Episcopus celebraret, præsentem Episcopo proprio. Hæc ex Cærem. Episc. lib. 1. cap. 18.

XIV. Canonico celebranti, seu aliis, reverentia est exhibenda à beneficiatis quidem, & aliis Clericis profunda inclinatione; à Canonicis verò suis Collegialibus, mediocri.

XV. Canonici diebus Purificationis, & Palmarum, capientes candelas, & palmas non osculantur manum Canonici Celebrantis.

tis, sed tantum candelam, vel ramum, non genuflexi, etiam Episcopo, sed tantum profunde inclinati. Cærem. Episc. l. 2. c. 17. non item genuflectunt dum Celebrans, aut etiam Episcopus imponit eis cineres, & eodem tempore, quo prædicta accipiunt, reliqui de choro stant nudo capite pro eorum reverentia.

XVI. Diaconus Evangelii dum in Missa debet cantare Confessionem, ex memoria, si possit, decanter post Evangelium, sin minus, librum teneat inferior. S. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Maji 1608. Thurificare debet Canonicos, non Capellanos.

XVII. Diaconus Evangelii pacem accipiat post Diaconos assistentes ab Episcopo celebrante; Episcopo vero non celebrante, Subdiaconus pacem accipiat à Canonico, qui eandem dedit Episcopo, & illam dat cæteris Canonicis per ordinem, & reversus ad altare, dat pacem Diacono. Sacra Congreg. Rit. in Alexandrina dubio 13. Diaconus etiam, si sit ex dignitatibus, in Missa Pontificali post Episcopum incensat Prælatos, si adsint, Magistratus sæculares, dignitates, & Canonicos, Abbates, & alios minores Prælatos.

XVIII. Si Diaconus, & Subdiaconus ministrantes in Missis, quæ à Canonicis celebrantur, non sint ipsi Canonici, genuflectunt more aliorum, & tunc manum celebrantis osculantur, & accipiunt candelas, & ramos, & cineres genuflexi, sicut alii, post omnes Canonicos etiam non paratos.

XIX. Attamen Diaconus, & Subdiaconus semper, quantum fieri potest, debent esse ejusdem ordinis cum celebrante, & non inferioris, contraria consuetudine non obstante. Sacra Congreg. Rit. in Calaguritana 7. Septemb. 1593. & in Terulensi 8. Febr. 1631.

XX. Canonici in Ecclesiis Cathedralibus, & etiam Collegiatis, ubi præsertim est chorus Musicorum, alternatim bini recitant confessionem submissa voce usque ad *Indulgentiam* inclusivè, *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, simul verò *Sanctus*, & *Agnus Dei*. Atque etiam simul ad Confessionem, nisi sint parati, genuflectunt, Prælati enim soli ad Confessionem stant. Ex Rubr. Missalis.

XXI. Ad Matutinas, quando dicunt Lectiones Episcopo præsentem, post finem ea-

rum non osculantur manum Episcopi, ex Cærem. Episc. lib. 2. c. 5. licet alii osculentur.

XXII. Ad Processiones quibus Episcopus cum Mitra intervenit, incedant per Ecclesiam capite nudo; extra verò, testo bireto. Sacra Congr. Rit. in Lucensi Sarzanensi 5. Maji 1635.

XXIII. Si dicant Prophetias Sabbato Sancto, & Pentecostes, manum Episcopi non osculantur.

XXIV. Eadem respectivè agenda sunt à Canonicis Ecclesiarum Collegialium, tam erga superiores suos, quam Collegiales suos, non tamen erga Episcopum, quia se gerunt erga eum tamquam alii Clerici, nisi sit alia consuetudo. Eadem etiam servanda sunt à Canonicis Regularibus, cum verè sint Canonici, & gaudeant Canonicorum privilegiis. Alia multa ad Canonicos pertinentia infra scribemus, parte quinta circa Cæremonias Episcopi, Canonicorum, & aliorum.

## CAPUT X.

DE CONCIONATORIS OFFICIO,  
& Concione.

I. Concio regulariter habenda est statim Evangelio finito post osculationem librum, & incensationem Celebrantis ante Symbolum, aut *Dominus vobiscum*, & nunquam post oblata; hoc enim est aperte contra Rubricas Missalis: verum tamen propter populi commoditatem finita Missa poterit haberi, sed sine benedictione.

II. Pulpitum in quo habetur concio in Ecclesiis Cathedralibus, aut præsentem Episcopo in sede sua à parte Evangelii, debet esse à parte Epistolæ à regione folii Episcopalis, aut certè in medio. In aliis Ecclesiis à latere Evangelii, si fieri possit, in loco ita congruo, ut concionator ab omnibus audiri possit, etiam ab iis, qui sunt ad altare, ad illud poni debet imago Crucifixi ab ea parte, quæ majus altare respiciat, cum ea valde proficit ad augendam populi devotionem.

III. Materia ejus sit ex marmore, vel ex lateritio lapide, vel ex talibus scætilibus, & decenti opere, ac forma, sitque ornatum pallio convenientis coloris officio diei, excepta feria

feria 6. in Parasceve, qua debet esse omnino nudum.

IV. Absente Episcopo poterit super illud apponi umbella, vel Baldachinum, præcipuè si concionator sit in aliqua dignitate constitutus, & vox ipsius debilis id requirat: non enim præsentem Episcopo debet apponi, nisi necessitas id postulet, & debilitas vocis concionatoris.

V. Sermocinaturus, antequam pulpitem, seu suggestum ascendat, cotta indui debet, si sit Clericus, cum stola, si sit Sacerdos, extra civitatem tantum, & si sit consuetudo; si verò Regularis, indui debet habitu suo Regulari, si Canonicus Canonicali, & si Episcopus celebret, Canonicus ipse pluviali debet esse paratus. Si Episcopus concionem habeat, & non celebret, rocchetto, mozzetta, & stola utetur, aut etiam pluviali, & tunc Mitra utitur cum baculo, si celebret in paramentis Pontificalibus, aut in sede, aut ad altare, si velit. Si extra Dioecesim, mozzetta non utitur, sed mantelletto, nisi alia sit consuetudo.

VI. Concionator indutus, in Ecclesia, brevi oratione, vel ante altare, genibus flexis, concionem, auditoresque suos Deo devotè commendat, dicens præcipuè orationem *Munda cor meum*; mox cum Cæremoniaro, & comite socio deferente secum clepsydram, si opus sit, vadit ad pulpitem, ubi statim Cruci, vel altari facit inclinationem profundam si sit Canonicus, vel genuflexionem si sit SS. Sacramentum in eo, & non sit Canonicus: mox salutatur Clerum, ac populum. Tum tegit caput, & expectat donec tumultus cesset populi. Deinde caput detegens, manibus junctis, biretum tenens ante pectus, si eo utatur, oculisque ad Deum elevatis, signat se signo Crucis dicens, *In nomine Patris*, &c. & in fine jungit manus dicens, *Amen*, & statim ad altare genuflexus dicit clara voce salutationem Angelicam, eaque completa, surgit, caput tegit, sermonem incipit, & prosequitur de more. In fine populum benedicit, nisi præsentem Episcopo, quia tunc à benedictione abstinet.

VII. Regulariter debet sermocinari stando, nisi sit superior, Parochus, aut in aliqua dignitate constitutus, aut nisi propter infirmam valetudinem sedere cogatur: sed quantum fieri potest, præsentem Episcopo, aut alio superiori, semper stet.

VIII. Ex Concilio Mediolan. 6. Præpositi, & alii Episcopo inferiores ad altare concionantes stent, & aperto capite, vel, ut facilius audiantur, deposita planeta, & manipulo si velint, procedant ad pulpitem, & finita concione, ea resumant. In suggestu verò, capite tecto, vel sedeant (quia celebrant) vel stent, prout maluerint; ad altare verò ad cornu Evangelii stent, Ministris stantibus in plano ad idem cornu aspicientibus, nec candelæ altaris extinguantur.

IX. Si sanctissimorum nominum *Jesus*, & *Maria* fiat mentio, caput nudet; si tamen sæpè sunt repetenda, utatur concionator nomine *Christi*, vel *Domina nostra*, vel aliis similibus; item inclinet se ad nomen Papæ viventis capite nudo: & quando alloquitur Episcopum, ad eum expressè conversus, etiam nudo capite.

X. Si Episcopus sit præsentem, Cardinalis, aut Archiepiscopus, aut Legatus, post Evangelium, & ante concionem, facta brevi oratione, ut supra, ducente cæremoniaro ad eum accedit cum debitis reverentiis, ubi genuflexus, vel tantum inclinatus, si sit Canonicus, osculatur manum Episcopi, deinde petit ab eo benedictionem dicens *Jube domine*, &c. Tum accepta benedictione, petit mox indulgentias, dicens *Indulgentias Pater Reverendissime*, vel *Eminentissime*, cui Episcopus concedit indulgentias consuetas, quibus habitis, cum debitis reverentiis recedit, ac vadit ad ambonem, seu pulpitem, ubi statim, ut supra, facta debita reverentia altari, & Episcopo, concionem habet: Quia finita si dandæ sint indulgentiæ, non descendat, sed nudo capite genuflectat expectans finem Confessionis, quam facit Diaconus, & ea finita surgit, & stans in eodem pulpito, publicat indulgentias ab eo concessas, & statim descendit, receditque in pace. Advertat propterea, ut formam pronuntiandi indulgentias memoriter teneat, eo modo quo notatur in fine hujus operis.

XI. Ubi verò ab alio publicari solent, statim concionator finita Confessione discedat. Vel si non dantur Indulgentiæ, statim discedit, v. g. alio tempore, quam post Evangelium.

XII. In Gallia concionatores solent, post factum signum Crucis, statim uti præfatiuncula, qua facta, salutationem Angelicam

licam genibus flexis recitant. Eadem respèctivè fervari debent à Regularibus.

XIII. Feria sexta Parasceves non petitur benedictio, licèt coram Prælato, nec dicitur Salutatio Angelica, sed ejus loco concionator genuflexus versus Crucem, quæ est in altari, vel pulpito, dicit: *O crux ave spes*, &c. In fine verò concionis, cum Sanctissimi Crucifixi imago ab ipso nudo capite ostenditur populo, duo Acolythi cottis induti hinc inde accedere debent, intortitia accensa ferentes, si loci commoditas patietur, donec concionator eandem crucem deposuerit, vel præcedentibus iisdem Acolythis, in locum congruum reportaverit; Castaldus in sua Praxi.

XIV. Si SS. Sacramentum sit expositum, ut tempore Orationis Quadraginta horarum, concionator durante concione, nudo capite stabit ad cornu Evangelii, omnesque alii pariter (si non genuflectant) nisi sedere, ob infirmam valetudinem cogantur, sed semper nudo capite; ministri verò sacri in eodem latere stant in plano. Aliqui velum ante SS. Sacramentum apponunt, ut concionator sedere, & tegere caput valeat; sed tamen hoc videtur nimis contra Rubricas, cum Celebrans feria 5. in Coena Domini, & die sequenti debeat uti iisdem Cæremoniis coram SS. Sacramento incluso in calice cooperto, ac si esset omnino expositum, etiam in capsula incluso: rectius ergo est, ut omnino includatur, si fieri potest, in Tabernaculo, vel ut semper sit nudo capite, stando.

XV. In quibusdam locis die S. Paschæ, & duobus diebus sequentibus concionatores loco salutationis Angelicæ, dicere solent nudo capite Antiphonam *Regina cæli*. Alio verò tempore Dominicis diebus eandem salutationem Angelicam dicunt stando: sed hoc postremum videtur esse contra Cæremoniale Episcoporum, nam præcipit semper salutationem Angelicam quocumque tempore.

XVI. In concionibus, quæ fiunt in Oratoriis privatis, non est necesse, ut concionator induat cottam, sed sufficit vestis superior cum mantello, & biretto, si sit consuetudo.

XVII. In lectionibus, quæ aliquando extra officium fiunt, ut post Vesperas, quæ

verè collationes dici possunt, eadem quæ supra possunt observari, scilicet præcedenti numero.

XVIII. De concionibus quæ fiunt ab Episcopo parato, vide quæ infra p. 5. de Missa solemnè.

XIX. In quibusdam locis, concionatores antequam dicant *In nomine Patris*, &c. sibi os pollice dextro signant, dicentes, *Domine labia mea aperies*, ea ratione, qua Diaconus signat se initio Evangelii, & optimè.

XX. Regulariter concionator à nemine petere debet benedictionem, nisi ab Episcopo solo, aut eo superiore, in qualibet concione, & satis id innuit Cærem. Ep. lib. 2. cap. 18. & 19. nam illo capite præcipit, ut fermocinaturus petat benedictionem ab Episcopo præsentè, & cap. 19. sequenti præcipit, ut non petatur, quia tunc absens est. Ideòque non videtur introducenda consuetudo, ut hujusmodi benedictio petatur à quoquam, nisi ab Episcopo.

XXI. Episcopus autem, quocumque Prælato præsentè, etiam extra Diocesim, à nemine petere debet benedictionem ob ejus excellentem dignitatem.

XXII. Noctu fieri non debent conciones Conc. Mediol. 3. cum solemnès processiones fiunt, Oratio Quadraginta horarum, Jubilæum, sælix nuntium habetur, Gratiarum actiones agendæ sunt, publicatio fœderis, & similia multa celebrantur, de iisdem sermo habendus est, sed post Missam, non intra, nec petitur benedictio, etiam præsentè Episcopo.

XXIII. Idem dicitur in Missa defunctorum, vel in laudem alicujus magni viri defuncti, quo casu fit statim finita Missa, postquam Celebrans sumpserit pluviale, antequam fiat absolutio, & in habitu ordinario, & tunc concionator, nisi sit Regularis, induitur vestibus tantum nigris, & non cotta, nec Rocchetto. Cærem. Ep. lib. 2. c. 11.

XXIV. Quod ad officium concionatoris spectat, legantur ea quæ non minus prudenter, quam sanctè præscribit fusè in actis Mediolanensis Ecclesiæ Sanctissimus Carolus Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis. Nam quidquid est muneris concionatoris, ibi expressè explicatur, tum in Conciliis, cum in peculiari instructione Prædicationis Verbi Dei, quam edi-

edidit miræ eruditionis, ac pietatis plenissimam.

C A P U T XI.

DE MINISTRIS SACRIS.

I. **P**ER ministros sacros intelligimus Diaconum, & Subdiaconum, de quibus sigillatim nobis agendum est in sequentibus, modo prius aliqua in quibus conveniunt, & quæ simul eodem modo agere debeat in Missa, explicemus.

II. Ergo sumptis paramentis suis, exceptis manipulis, ambo Celebrantem adjuvant, dum paramentis suis induit se. Sed tamen præcipuè Diaconus.

III. Manus ita teneant junctas ante pectus, aut alio modo, ut non sint sub Dalmatica, aut Tunicella reconditæ.

IV. Quoties genuflectit Celebrans in medio eorum, aut surgit, ambo eum adjuvent brachia ejus sustentando, & si fiat cum pausa planetam ejus posteriorem aptant super pedes ejus, ut ad versum *Et incarnatus est*, & alia.

V. Quoties aliquid offerunt, prius illud, deinde manum Celebrantis; cum verò recipiunt, prius manum, deinde rem ipsam osculantur, præterquam in Officio Defunctorum, & quando est expositum SS. Sacramentum.

VI. Ad Confessionem ante Altare, ambo simul genuflectunt, se signant cum Celebrante, ambo simul respondent, se inclinant, & non profundius unus, quàm alius, & ambo simul dicentes *Tibi Pater, & te Pater, & Misereatur tui*, se convertunt ad Celebrantem, & cum idem Celebrans ascendit ad Altare, elevant hinc inde vestes anteriores Celebrantis, quod semper in paricafu faciunt, ambo simul genuflectunt pro primo accessu.

VII. Ambo simul adjuvant Celebrantem dum incensat altare, elevantes hinc inde partem posteriorem planetæ, eam accipientes paulò infrà humeros.

VIII. Ambo simul respondent *Kyrie eleison*. Ambo simul dicunt Hymnum Angelicum, Symbolum, *Sanctus*, & *Agnus Dei*, & quando ea recitant, unus non recitet alitius altero, sed ambo uniformitatem in

omnibus servant, quantum fieri potest.

IX. Nullus ex iis librum, aut Diurnum teneat præ manibus in tota Missa, imò nec Missale ipsum, sed ante Missam omnia ita prævideant, ut in eo indecenter quærere, & investigare non sit opus ea, quæ cantare debent.

X. Si sedeant, cum unus surgit aliquid commune acturus, surgat alter, & stet nudo capite, donec redierit socius, & sibi ipsi aliquantulum inclinent ante, & post discessum.

XI. Dum procedunt à tergo Celebrantis, ad illius latera prius genuflectant simul, & Diaconus aliquantulum secedat in suo gradu à parte Epistolæ expectans socium; ut ambo simul accedant ad ipsius latera, & antequam recedant ab eo, ibidem genuflectant, non verò in locis suis, nisi aliter notetur.

XII. Quando genuflectunt ad altare manus non ponant super illud, sed eas teneant ad pectus: similiter quando ibidem percutiunt pectus, manum sinistram pectori admoveant.

XIII. Ambo etiam æqualiter distent à Celebrante, sive initio Missæ, sive ad altare sint. Unde convenit, ut notentur aliquo signo loca, in quibus stare debent ad latera Celebrantis.

XIV. Quando celebrans pluviali est indutus, ambo simul procedunt, hinc inde ad latera ejus elevantes à parte sua anteriores partes pluvialis. Ideo unusquisque attendat diligenter ad socium suum, ut uniformitatem quantum fieri potest in omnibus servant, sive in inclinationibus, sessionibus, genuflexionibus, & aliis hujusmodi.

XV. Quando Celebrans vult sedere, prius sedeat, & hi duo postea sedeant. Sat illi reverentia adhuc nudo capite, & prius surgant, & deponant bireta sua, quàm Celebrans.

XVI. Caveant diligenter quando retrocedere debent, verbi gratia, quando debent descendere ab uno gradu ad alium, licèt proximum, ut non directè retrocedant, sed aliquantulum recedant ad latus, ut aspiciant locum ad quem descendunt, vel accedunt cum indecens sit sic retrocedere: idem dicendum est de aliis omnibus Ministris.

## CAPUT IX.

De Diacono, & ejus Officio in Missa  
solemni.

## ARTICULUS I.

I. **D**iaconus apud se diligenter advertat, se esse ex præcipuis Ecclesiæ ministris, & nobiliorem gradum obtinere inter eos, qui Sacerdoti simplici sacra facienti ministrant. Quapropter maxima puritate, tam corporis, quam animæ, ad ea, quæ ad Diaconatus officium pertinent, inservire debet.

II. Igitur Diaconus Evangelium cantaturus, hora congrua accedere debet ad Ecclesiam, ubi orat aliquantulum, & deinde accedit in Sacristiam; ubi accipit Missale Celebrantis, perquirit Missam, & signacula ejus disponit, & deinde illud defert ad altare, super quod supposito cussino, illud collocat in parte Epistolæ, nisi Sacrista, quod tamen non convenit, id prius, vel Presbyter assistens effecerint, tum in libro Evangeliorum perquirit suum Evangelium, illudque legit, ne fortè postea erret illud cantando, & signaculo ad id notato, illud defert ad credentiam in parte dextera ipsius, vel, si id fieri non possit, ad gradus altaris sub cornu Epistolæ, Cærem. Ep. lib. 1. cap. 12. Potest tamen illos duos libros simul deferre ad evitandos multos discursus.

III. Deinde lavat, & tergit manus in Sacristia, & induit se, aliquo Acolyto adjuvante, paramentis Ordinis sui positus à latere dextro paramentorum Celebrantis; Amictum ergo accipit per latera ambabus manibus, cujus Crucem osculatur, non se signans cum eo; mox albam, cingulum, stolam, cujus Crucem etiam osculatur, eamque super humerum sinistrum imponit, & sub suo brachio dextro ligari facit, Cærem. Ep. l. 1. c. 9. demum Dalmaticam, vel Planetam plicatam. Potest ad singula paramenta Orationes in Missali positas recitare, sed tamen ex peritorum judicio, non est necesse: manipulum hic non capit, sed postquam Celebrans fuerit omnino indutus, & si opus sit sudariolum appendit cingulo à parte sub-

IV. Sic paratus, hora convenienti stans

ad dexteram, & Subdiaconus ad sinistram celebrantis capit paramenta ipsius de suo loco, illisque induit Celebrantem modo, & ordine descriptis in Cærem. Ep. l. 2. c. 8. & infra Capitibus de Missa solemni fusè, & quamvis Ministri adjuvent cum opus est, præcipuè tamen operatur in his Diaconus, tamquam præcipuus, & proprius Minister. Celebrante sic parato, manipulum suum capit cum osculo crucis ipsius.

V. Diebus in Missali notatis tit. 19. n. 6. & 7. in majoribus Ecclesiis tam secularibus, quam regularibus induitur planeta plicata ante pectus, quæ est omnino similis Planetæ Celebrantis, cujus tamen pars anterior est plicata ante pectus, vel convoluta à parte anteriori, ut sic facilius, & commodius tantum munus suum valeat explere, de quo adhuc agemus tempore Adventus infra.

VI. Antequam egrediantur è Sacristia, stans à dextris Celebrantis parati, nudo capite ministrat naviculam, ut thus in thuribulum imponat, eo modo quo notatur p. 2. capite de Thurificatione. Deinde ibidem stans, nudo adhuc capite, profundam facit Cruci, vel imagini, quæ est in Sacristia, reverentiam, tum Celebranti, quasi se commendans ejus precibus in Missa; mox aperto capite, ac manibus junctis, procedit immediatè ante eum.

VII. At verò, si ob asperionem aquæ benedictæ, candelarum benedictionem, & alia hujusmodi, ipse Celebrans pluviali, vel etiam tantum Alba cum stola indutus sit, à dextris illius incedit simbrias pluvialis ejus attollens, quod facit etiam Subdiaconus à sinistris. Cærem. Ep. l. 1. c. 15.

VIII. Si, dum procedit, transire contingat ante Tabernaculum SS. Sacramenti, à dextris Celebrantis, nudo capite, flectit unicum genu; sed, si sit expositum, utrumque. Idem de Subdiacono dicendum.

IX. Si Sacristia unde discessit, sit in parte Epistolæ, ipse Diaconus, cum primò Cerroferario, & Thuriferario, propè cornu Epistolæ paululum retrocedat, ut Celebranti transeunti ante eos locum dent, eique se inclinent.

X. Cum pervenerit ante infimum gradum altaris, caput detegit, & de manu Celebrantis biretum accipit cum quasi osculo ipsius bireti, illudque statim cum suo, tradit

Ceremoniario, & cum eodem celebrante à dextris ejus semper genuflectit, nisi sit Canonicus, licet celebrans non genuflectat, quia ibi fortè non esset SS. Sacramentum, ponens genua super infimum gradum altaris.

XI. Cum Celebrans se signat initio, etiam se signat cum eo, & ei respondet ad Psalmum *Judica me Deus*, sicut Subdiaconus, qui ambo se inclinant cum celebrante: dum Celebrans dicit *Adjuvorum*, se signant, cum facit Confessionem, stant, qua finita, ambo se ad celebrantem inclinati profundè convertunt, dicentes *Misereatur tui*, usque ad finem. Et dicto à celebrante *Amen*, profundè se inclinant ad *Confiteor*, & percutiunt pectus ter ad *mea culpa*, manu sinistra infra pectus posita; dicentes verò *Tibi Pater, Et Te Pater*, se convertunt ad celebrantem, eique se profundè inclinant. Cærem. Ep. lib. 2. c. 8.

XII. Ad *Indulgentiam*, ambo stant signantes se: dum celebrans dicit *Deus tu conversus*, se inclinant profundius, quàm Celebrans: dum dicit *Oremus*, non deducunt manus, quia solius est celebrantis. Gav. p. 2. tit. 3. n. 9.

XIII. Dicto *Oremus*, cum Celebrans ascendit ad altare, ambo hinc inde Albam, & vestem anteriorem celebrantis elevant, Diaconus sinistra, Subdiaconus dextera, altera admota infra pectus, & eum comitantur ad Altare, ubi dum celebrans dicit *Orationem*, *Oramus te Domine*, genuflectunt manibus junctis dum Celebrans osculatur altare, propter primum accessum ex Gavanto p. 2. tit. 4. n. 4.

XIV. Deinde Diaconus ad dexteram celebrantis ministrat ei naviculam semiapertam acceptam de manu Thuriferarii, eam tenens ambabus manibus inter pollices desuper, & indies à lateribus ipsius, & versus celebrantem inclinatus dicit *Benedicite Pater Reverende*, acceptumque dextera de navicula cochlear vacuum, per manubrium propè vas ipsius, inter pollicem, & indicem, & alios digitos dexterae manus, itaut vas sit propius ad manum, illud ei porrigit cum oculis ipsius cochlearis, & manus, in parte exteriori ipsius: imposito verò thure, & benedicto, illud ipsum cochlear recipit cum oculis, prius manus, & cochlearis, non permittens, ut celebrans illud deponat in navicula, quod tamen multi faciunt: dein-

de dextera reddit naviculam Thuriferario, à quo eadem dextera recipit thuribulum per summitatem catenularum & sinistra per partem inferiorem propè vas ipsius.

XV. Tum eandem summitatem catenularum, quam osculatur prius, ponit in sinistra celebrantis, & extremitatem propè vas ponit in dextera ipsius, quam etiam osculatur in parte exteriori, ita tamen, ut ipsa sinistra Diaconi sit subtus dexteram celebrantis, qua thuribulum accipit, quasi eam sustentantis. Deinde posteriorem planam partem, paulo infra numeros aliquantulum elevat, & adjuvat ipsum celebrantem dum incensat Crucem, & altare, incedens cum eo, & semper genuflectens dum transit ante Crucem, licet celebrans tantum se inclinet, ut dicemus suo loco. Si fortè Calix sit super Altare, Diaconus illum amovet, ut infra ad oblata, & facta incensatione Crucis, illum reponit.

XVI. Altari thurificato, stans à latere Epistolæ in 2. gradu, vel alio, prout fert situs loci, supponendo dexteram suam, vel ambas manus dexterae celebrantis, ipsam osculatur parum inclinatus, & mox accipit vas thuribuli dextera, & summitatem catenularum osculatam, sinistra, paulumque recedens extra altare in planum ipsius partis Epistolæ, triplici ductu ipsum celebrantem incensat, facta ei prius, & post debita inclinatione, postea reddit thuribulum Thuriferario ambabus manibus, prout illud tenet.

XVII. Deinde locat se in 2. gradu, vel infimo, secundum situm altaris, ad dexteram celebrantis, ibique junctis manibus ante pectus, stat ad Introitum, ad quem cum celebrante se signat, & ad versus *Gloria Patri*, Cruci se inclinatur, nihil tamen dicens, sed ibidem respondet alternatim ad *Kyrie eleison*, & *Christe eleison*, submissa voce, tenens junctas manus, prout celebrans.

XVIII. Dicto *Kyrie*, vel sedet cum celebrante, si tempus id permittat, vel ibidem remanet à dextris celebrantis. Sed dum ultimum *Kyrie* cantatur à Choro, recedit post eum in 2. gradu, & statim per eundem gradum accedit ad medium altaris procedens à sinistris ejus, ibique, manibus junctis, stat dum celebrans dicit *Gloria in excelsis*, & caput inclinatur dum dicit *Deo*. Quo dicto, statim facta genuflexione, aliquan-



rulum fecedit ad cornu Epistolæ, ibique paululum expectat Subdiaconum, & tunc ambo simul ascendunt hinc inde ad latera Celebrantis, ibique stans sine alia nova genuflexione unâ cum Celebrante, & Subdiacono, submissa voce prosequitur Hymnum manibus junctis, non præveniendò, sed potius subsequendo vocem ipsius celebrantis, usque ad finem, & quando opus est inclinans caput; dicens *Cum Sancto Spiritu* se signat, & in fine dicens *Amen*, jungit manus.

XIX. Hymno dicto, si sedendum sit, facta genuflexione, deicendit nudo capite, junctis manibus, & vadit per breviorẽ viam sequens Subdiaconum, ac præcedens Celebrantem, ad sedem paratam in plano, ibique accipit biretum Celebrantis, quod ei porrigit cum quasi osculo illius, & elevat partem posteriorem planatæ, ne super eam fedeat, tum accepto suo bireto, elevataque etiam parte posteriori Dalmaticæ suæ, & facta profunda inclinatione Celebranti jam sedenti, & parva Subdiacono stanti adhuc, sedet à dextris ipsius celebrantis recto capite, & manibus hinc inde super genua extensis, & digitis simul junctis, prout Celebrans, nisi fortè vigente frigore intra manicas vestis suæ eas aliquantulum recondere cogatur. Ibi autem caput nudat, & inclinat ad Cæremoniarium nutum, vel quando Chorus se inclinat, non tamen iterum se signat in fine Hymni.

XX. Dum cantatur in Choro *Cum Sancto Spiritu*, vel paulò citius, idest cum dicitur *Christe*, Diaconus accipit biretum celebrantis dextera, cum quasi osculo ipsius, illudque super scamno ponit, & similiter suum, factaque Celebranti reverentia, & sequens Subdiaconum, redeunt per longiorem viam, idest per gradus anteriores ad altare, & per planum. At dum Diaconus erit propè cornu infimum gradus Altaris retrocedat paululum, ut Celebranti, cui se inclinat, locum præbeat transeunti, factaque altari in infimo gradu genuflexione, ascendit ad secundum gradum cum Subdiacono, vestes anteriores elevando, ut supra.

XXI. Si verò Celebrans non sedeat, ut accidit quando SS. Sacramentum est expositum, non inde discedunt Diaconus, & Subdiaconus, sed stant hinc inde ad altare quasi pares cum eo, & non unus post alium;

sed tamen non omnino collaterales: & cum cantatur in Choro *Cum Sancto Spiritu*, facta genuflexione, recedunt unus post alium.

XXII. Aliqui tamen præscribunt, si celebrans non sedeat post dictum hymnum, Diaconum, & Subdiaconum debere stare post celebrantem; sed videtur hoc contrarium Missalis Rubricis: habemus enim p. 2. in fine tituli quarti quoties Ministri stare debeant unus post alium, scilicet, dum Celebrans inchoat *Gloria in excelsis*, *Credo*, dum dicit *Dominus vobiscum*, Orationem, Præfationem, & *Pater noster*, & post Communionem, ergo non in aliis casibus, quàm eo loco præscriptis, & nunquam extra Missam, ita expressè Gavant. p. 2. tit. 4. n. 7. & alii, & hæc omnia respectivè ferè debent observari à Subdiacono.

XXIII. Dum celebrans dicit *Dominus vobiscum* stat Diaconus post eum, non tamen se inclinans, neque etiam Subdiaconus sicut neque quoties se vertit, eoque dicto accedit cum Celebrante ad cornu Epistolæ, ubi stat post eum, junctis manibus ad Orationem, seu plures, & deficiente Cæremoniarario, vel Presbytero assistente, vertit folia, si opus sit, non genuflexus in accessu, & recessu.

XXIV. Quando dicendæ sunt Orationes cum prophetiis, dicto *Oremus* à celebrante post *Kyrie eleison*, dicens Diaconus, *Flectamus genua*, ambo genua flectit, & cum Subdiaconus dicit *Levate*, surgit: in fine conclusionis Orationum non respondet *Amen*, nec ad alia quando Chorus respondet, quod notandum pro aliis locis.

XXV. Cum Subdiaconus incipit Epistolam, statim, & non prius Diaconus accedit ad dexteram Celebrantis, ipsique ministrat non junctis manibus, sed si opus sit, tenens librum, & vertens folia; se inclinans cum Celebrante, & genuflexus si opus sit, & in fine respondet submissa voce *Deo gratias*. Nec inde discedit, donec accedat ad Celebrantem Subdiaconus post finitam Epistolam, & tunc paululum retrocedit post Celebrantem, cedens ei locum in quo erat prius, ut ab eo benedicatur ipse Subdiaconus.

XXVI. Cum celebrans dicit in medio altaris *Munda cor meum*, Diaconus adhuc stans in suo loco de manibus Cæremoniararii, vel alterius, aut de credentia, iis deficient-

cientibus, accipit, ambabus manibus, librum Evangeliorum per angulos inferiores, duobus pollicibus super partem exteriorem, reliquis digitis sub libro positis, & ita, ut pars quæ aperitur, sit versus latus suum finistrum, & pars libri superior, sit parum super pectus inclinata. Tum solus per planum Presbyteri, non per gradus, illum defert ad medium altaris, facta prius super infimum gradum genuflexione, & Choro prius inclinatione ab utraque parte, si ante illum transeat, eumque quasi jacentem in medio ejus, & non à latere collocat, sic ut pars, quæ aperitur, partem Evangelii respiciat, deinde, facta ibidem genuflexione, accedit ad sinistram Celebrantis, & ad dexteram Subdiaconi, eique assistit, manibus junctis, quasi medius, dum legit Evangelium, genuflectens cum eo, & se inclinans quando opus est.

XXVII. Finito Evangelio, si supersit aliquid temporis, ibidem remanet, vel sedet cum Celebrante, si dicatur Sequentia: vel tunc stat post Celebrantem stantem inter cornu Evangelii, & medium altaris, & non in medio.

XXVIII. Circa finem Gradualis, *Alleluja*, Tractus, aut Sequentiæ, ministrat incensum, ut initio Missæ, redditaque navicula Thuriferario, descendit ad secundum gradum altaris, ubi genuflexus super suppedaneum, & manibus junctis, dicit etiam inclinatus, *Munda cor meum*, &c. ut in ordine Missæ. Quo dicto, surgit, accedit ad medium altaris, ubi, ambabus manibus, capit reverenter librum Evangeliorum de altari, & iterum descendit ad secundum gradum, ubi genuflexus, vel in medio inclinatus petit benedictionem à celebrante ad eum converso, & stante ubi erat prius, & non omnino in medio altaris, dicens intelligibili voce. *Jube Domne benedicere*, non *Domine*. Tum accepta benedictione, manum ejus dexteram libro superpositam, quem aliquantulum deflectit versus eum, in parte exteriori reverenter osculatur; deinde surgit, iterum Celebranti se inclinatur, & portans ambabus manibus librum Evangeliorum ante pectus, ut supra, descendit in planum, ibique genuflectit in medio à dextris Subdiaconi, & surgens procedit eodem modo ad locum Evangelii.

XXIX. Si propter Sequentiam, vel Tra-

ctum prolixiorum Celebrans velit sedere, statim ac legit Evangelium, facta genuflexione in medio, ipse Diaconus sedet cum eo, & circa finem Sequentiæ redit ad altare cum Celebrante, ibique tempestivè eum debitis genuflexionibus ministrat incensum, & reliqua peragit, ut supra.

XXX. Cum pervenerit Diaconus ad locum ubi Evangelium solet decantari, tradit librum Subdiacono, qui illum inter duos Ceroferos tenet apertum ante pectus, ita ut Diaconus possit in eo commodè legere, & ita, ut faciem ipsius Diaconi non videat, licet stet ante eum. Si sint Legilia, seu Ambones, vide quæ infra de Missa solemnè agemus.

XXXI. Finito cantu à Choro, Diaconus, junctis manibus ante pectus, incipit sonora voce *Dominus vobiscum*: cum dicit *Sequentia sancti Evangelii*, vel *initium sancti Evangelii*, signat principium Evangelii pollice dextro, reliqua manu extensa, & digitis simul junctis, manum sinistram interm super librum tenens, deinde se ipsum in fronte, ore, & pectore manu sinistra tum infra pectus posita advertens, ut non signet os suum dum aliquid cantat, quod vitabit, si postquam signaverit frontem dicendo *sancti Evangelii* pauset tantisper, ita ut tamen circumstantes id minimè advertant, quo facto signando pectus, dicit *secundum N.* Tum accipit thuribulum à Ministro stante post eum à dextris ejus sine osculis, & librum triplici ductu incensat, primum in medio, tum à dextris, denique à sinistris ipsius libri, inclinans se ante, & post, propter sacri textus reverentiam, ita tempestivè, ut finita sit incensatio statim postquam Chorus responderit *Gloria tibi Domine*. Deinde reddito thuribulo eidem ministro, junctis manibus, ut prius, incipit textum Evangelii inclinans se, & genuflectens versus librum, quando opus est; profundius tamen ad nomen *Jesu* inclinatur, quàm ad alia. Cærem. Ep. lib. 2. cap. 8.

XXXII. Finito Evangelio indicat principium Evangelii Subdiacono, & si illud principium sit in pagina præcedente, volvit folium, & aliquantulum recedit, ne Subdiaconum transeuntem impediatur, & statim per planum Presbyterii, sequens Ceroferos, manibus junctis, accedit omnino ad medium altaris, ubi facta genuflexione, & acce-

accepto thuribulo, ibidem Celebrantem stantem in cornu Epistolæ ad eum conversum triplici ductu incensat cum debitis inclinationibus ante, & post, osculato tamen prius libro ab ipso Celebrante.

XXXIII. Reddito thuribulo Ministro, ascendit ad secundum altaris gradum, ibique stat dum celebrans incipit *Credo*, inclinans caput ad verbum *Deum*, & statim genuflectit, & accedit ad dexteram Celebrantis, ubi cum eo, & Subdiacono dicit Symbolum, sicut Hymnum Angelicum. Dum dicit, *Et incarnatus est*, &c. genuflectit, dicens, *Audoratur*, inclinat caput. Ad *Vitam venturi sæculi*, signat se: dicens *Amen* jungit manus.

XXXIV. Post finem Symboli, adhuc ibidem stat, vel sedet, ut ad Hymnum Angelicum: at si stat ad altare, quando in Choro cantatur *Descendit de cælis*, simul cum Celebrante vertens faciem ad cornu Evangelii descendit ad secundum gradum altaris, ubi genuflectit adversum *Et incarnatus est*, & à parte sua partem posteriorem Planetæ Celebrantis adaptat, prius super pedes ejus, quod semper facit cum Subdiacono ad ea, in quibus sit aliqua pausa. Tum omnes surgunt, accedunt ad altare: & stantes ibidem permanent, & se inclinant cum Celebrante, quando opus est, nec tamen se signant ad finem Symboli dum cantatur in Choro. Diaconus tamen, post versum *Et incarnatus est*, defert bursam corporalium ad Altare de credentia, ut infra.

XXXV. At verò si sedent, profundè se inclinant nudo capite ad versum prædictum, exceptis tribus Missis Nativitatis Domini, & Annunciationis B. Mariæ, in quibus semper genuflectunt: quo dicto, Diaconus surgit, & facta Celebranti inclinatione debita, vadit, nudo capite, ad credentiam, si Calix in ea sit cum bursa, quod est semper decentius, atque de manu Ministri accipit bursam corporalium, & eam quasi jacentem ambabus manibus elevatam portat, tenens eam per latera ipsius, pollicibus & indicibus desuper, sed reliquis digitis subtus eam positus, & ita, ut pars, quæ aperitur, faciem ejus respiciat, sicque per planum solus, gravi, & decoro incessu, inclinans se Celebranti, & etiam Choro ab utraque parte, si ante eum transeat, procedit ad medium altaris, & facta genuflexione super infimum

gradum, ascendit super suppedaneum & ibi extrahit corporale de bursa, quam statim collocat erectam in cornu Evangelii, & corporale extendit in medio altaris, ita ut crux, quæ est in ora illius, sit prope oram anteriorem altaris. Tum statim genuflectens super suppedaneum ibidem, redit per breviorē viam ad Celebrantem, cui profundè se inclinat, & mediocriter Subdiacono.

XXXVI. Si Celebrans non fedeat, sed stet ad altare, paulò se retrahit cum Subdiacono versus cornu Evangelii, locum cedens Diacono, qui facta prius debita reverentia altari, ut supra, & non Celebranti, explicat corporale, factaque iterum genuflexione paulum recedit, & stat ad dexteram celebrantis, usque ad finem Symboli.

XXXVII. Quando non dicitur Symbolum, non ipse, sed Subdiaconus, bursam defert, dum celebrans dicit Offertorium, simul cum calice, ut infra.

XXXVIII. At verò si calix sit fortè in altari à principio Missæ, post versum *Et incarnatus est*, cum debitis genuflexionibus extrahit corporale de bursa, & illud extendit super Altare ut supra, bursam verò collocat ad cornu Evangelii.

XXXIX. Prope finem Symboli, si sedent, redeunt ad altare, sicut in fine Hymni Angelici, ibique stant unus post alium. At dum Celebrans incipit Offertorium, & non prius, Diaconus genuflectit, accedit ad dexteram illius, ibique stans expectat Subdiaconum, & eo accedente cum Calice, illum accipit de manu ipsius Subdiaconi, & ipse Diaconus ex Rubricis Missalis p. 2. tit. 7. n. 9. eundem calicem detegit, amovens partem longiorem veli desuper, & patenam cum hostia accipit, & utraque manu eam dat Celebranti, quam prius osculatur reverenter, deinde manum ejus. Cær. Ep. l. 1. c. 9.

XL. Si verò Subdiaconus afferat bursam cum Calice, accipit eam Diaconus, & in medio altaris collocat corporale, & bursam, ponit ad cornu Evangelii, & Patenam offert Celebranti, ut supra. Si autem calix sit à principio Missæ super altare, illum accipit, & collocat super cornu Epistolæ, cætera peragens, ut supra.

XLI. Si adsint particulæ consecrandæ pro communionē, delata pyxide ad altare paulò ante per Subdiaconum, aut Cæremo-

niarium, vel Sacristam, modo tamen Corporale sit explicatum prius, eam Diaconus aperit, vel si sint in aliquo alio calice, eum Diaconus detegit, antequam tradat patenam Celebranti, eamque parum perelevat, dum Celebrans Hostiam de Patena offert, qua deposita super altare, ipse etiam Diaconus eandem pyxidem, seu calicem ponit super corporale inter Calicem Missæ, & Crucem altaris, eamque cooperit. Gav. par. 2. tit. 7. n. 9.

XLII. Deinde calicem exterius à Subdiacono, ex Rubr. Missalis, accipit, & ampullam vini de manu ipsius, ex qua infundit vinum in prædictum calicem, quem sinistra per nodum tenet Celebrante inspiciente quantum vini sufficiat.

XLIII. Tum, post admixtas vino per Subdiaconum paucas guttas aquæ, prius à Celebrante benedictæ, ipse Diaconus, si guttæ appareant dispersæ intrâ Calicem, eas vel circumacto vino, vel Purificatorio abstergit, ne in consecratione oriatur dubium, an sint consecratæ. Gavant. par. 3. tit. 7. Tum porrigit ad manus Celebrantis Calicem cum osculis pedis illius Calicis, & manus Celebrantis, dextera pedem, sinistra nodum ipsius tenens, vel alio commodiori modo, ita ut Celebrans facilius illum dextera per nodum, sinistra per pedem accipere valeat, & tenere. Cumque celebrans dicit *Offerimus tibi Domine*, ipse etiam cum eo dicit eadem, dextera pedem calicis, seu brachium dextrum celebrantis sustentans.

XLIV. Oratione dicta, & reposito Calice à solo celebrante, Diaconus cum palla cooperit, deinde ponit in dextera manu nuda Subdiaconi stantis adhuc ibidem patenam de altari sublatam, quam extremitate veli ea parte pendentis contegit, Cærem. Ep. lib. 2. c. 8. itaut pars patenæ anterior pertinet Subdiaconi respiciat.

XLV. Si post Offertorium facienda sit oblatio à populo, serventur ea, quæ infra in Missa solemnibus habentur.

XLVI. Dicto per Celebrantem, *Veni sanctificator*, &c. Diaconus stans adhuc in cornu Epistolæ, naviculam ministrat celebranti, ut initio Missæ, & cum celebrans incensat Oblata, ipse pedem Calicis dextera tenet, & posteriorem planetæ partem circa humeros elevat sinistra, & paulo antequam incenset

crucem, facta genuflexione, amovet calicem de medio ad partem Epistolæ, non tamen extra corporale, si est satis capax; Cruce verò incensata, illum reponit in loco suo, facta postea genuflexione: deinde post incensationem altaris, recepto in cornu Epistolæ thuribulo, celebrantem ter incensat ut initio Missæ. Si fumus deficiat, incensat addat sine benedictione; ita quidam.

XLVII. Tum cum Thuriferario procedit ad incensandum Chorum, facta prius à dextris Subdiaconi genuflexione altari omnesque de Choro ab utraque parte salutat, & thurificat, & postea Subdiaconum. Deinde ipse incensatur à Thuriferario, ut dicemus infra capite de Thurificatione, stans in secundo gradu altaris, facta prius in eodem gradu genuflexione, ibique stat usque ad finem Præfationis, vertit tamen folia Missalis, si opus sit, deficiente Cæremoniario, qui id facere debet, genuflectens antequam accedat, & iterum antequam recedat.

XLVIII. Ad Præfationem, dum celebrans dicit *Deo nostro*, caput inclinat, & circa ejus finem, genuflectens in medio, ascendit ad dexteram Celebrantis, ubi inclinatus cum eo dicit *Sanctus* manibus junctis, postea erectus signans se, dicit *Benedictus qui venit*, quo dicto genuflectit ibidem, & accedit ad librum, ubi iterum genuflectit, non in medio altaris. Gav. p. 1. tit. 2. n. 8. Idem facit genuflectens semper in recessu, & accessu ad altare. Erectus assistit Celebranti dicenti Canonem, non junctis manibus, sed librum tenens Missalem elevatum aliquantulum sinistra, & dextera vertens solum, & digito ostendit Celebranti quæ sint dicenda. Id docet Cærem. Papæ de Presbytero assistente lib. 3. c. 11. in pari casu.

XLIX. Cum autem Celebrans dicit: *Quam oblationem*, &c. genuflectit, & accedit ad ejus dexteram, ubi genuflexus manet, aliquantulum tamen retrò post eum, in superiori gradu, & dum Celebrans genuflectit post consecrationem hostiæ, statim posteriorem planetæ partem, per infimam partem in medio capit sinistra, & elevat aliquantulum, & statim facta elevatione, antequam Celebrans genuflectat, eam deponit sine osculis, dextera verò Celebrantem circa brachium dextrum sustentat dum surgit.

L. Tum, surgente Celebrante, post adorationem hostiæ, quam antea elevavit, surgit etiam, discooperit Calicem, & statim iterum genuflexus, dum Celebrans consecrato Calice genuflectit, ipse iterum capit planetam, & eam elevat ut prius, & statim eam deponit sine osculis, surgensque Calicem repositum cooperit, & cum Celebrante genuflectit; deinde ad librum redit, ubi iterum genuflectit, & ministrans Celebranti stans ut prius, se signans ad hæc verba: *Omni benedictione*, & pectus percutiens dum Celebrans dicit: *Nobis quoque peccatoribus*.

LI. Si Pyxis adest cum particulis consecrandis, dum Celebrans dicit, *Qui pridie quam pateretur*, Diaconus erectus eam detegit, & collocat prope hostiam ante consecrationem, & deposita hostia post elevationem statim surgit, & eam cooperit & collocat in pristino loco, ut antea; deinde, facta genuflexione cum Celebrante, surgit discooperit Calicem, & genuflectit usque ad elevationem Calicis inclusivè.

LII. Cum autem Celebrans dicit, *Per quem hæc omnia*, genuflectit, & vadit ad dexteram Celebrantis, & ita opportunè accedat, ut unicam genuflexionem faciat in accessu, scilicet postquam Celebrans signaverit Calicem, tum eundem Calicem detegit, genuflectit, & surgit. Cum verò Celebrans signat Calicem cum hostia, dicens: *Per ipsum, & cum ipso*, duobus digitis dexteræ manus tenet pedem Calicis. Cærem. Ep. lib. 1. c. 9. ac reposita hostia super corporale iterum Calicem tegit, genuflectit, surgit, & ibi stans assistit Celebranti, vel si opus sit, cum debitis genuflexionibus accedit ad librum, ut folia vertat, deficiente Cæremoniario. Cærem. Cleric. Reg. Sancti Pauli; sed iste accessus videtur aliquo modo importunus.

LIII. Deinde cum Celebrans incipit *Pater noster*, & non prius ex Missalis Rubricis genuflectit, & vadit post eum, & eo incipiente, *Et dimitte nobis*, genuflectit in loco suo, & ascendit ad dexteram ipsius per viam breviorē, ubi removet partem veli, quæ est super patenam, & eam à Subdiacono capit, ipsamque extersam purificatorio ponit inter pollicem, & indicem manus dexteræ ipsius Celebrantis, postquam dixerit *Amen*, cum osculo ipsius patenæ, & manus. Cæm. Ep. lib. 1. c. 9. nec respondet, *Sed libera*

*nos à malo, nec Amen, nec Et cum spiritu tuo.*

LIV. Cum Celebrans submittit patenam hostiæ, Diaconus detegit Calicem, genuflectit, surgit, & immissa per eundem particula hostiæ in Calicem, iterum eum tegit, & cum Celebrante genuflectit, & surgit. Postea inclinatus versus SS. Sacramentum, dicit cum eodem ter, *Agnus Dei*, ter etiam pectus percutiens dextera, sinistra infra pectus posita.

LV. Tum genuflectit, & sic manet genuflexus dum Celebrans dicit totam Orationem *Domine Jesu Christe, qui dixisti*, &c. quæ dicta surgit, & cum Celebrans osculatur altare, illud etiam osculatur, manibus junctis ante pectus, & non super altare positis, tum sinistram genam sinistra etiam genæ Celebrantis jungens, ab eodem dicente *Pax tecum*, modestè complexus, accipit pacem respondens *Et cum spiritu tuo*, advertens ut brachia sua supponat brachiis Celebrantis.

LVI. Accepta pace à Celebrante, Diaconus, facta iterum genuflexione, vertit se per latus suum sinistram ad Subdiaconum stantem post Celebrantem in plano, advertens, ne terga vertat Sacramento, & similiter dat ei pacem per mutuum amplexum, & osculum, ut supra, dicens *Pax tecum*, advertens, ut brachia sua superponat brachiis Subdiaconi. Et si deferendum sit pacis instrumentum ad laicos, illud ipse osculatur, & tradit ministro comitanti Subdiaconum, statim ac illud osculatus fuerit.

LVII. Si adsit Assistentis paratus, hic accipit pacem à Celebrante, & eam dat Clero. Diaconus verò stans post Celebrantem, accipit eam ante Clerum ab ipso Assistente, & ipse Diaconus dat eam Subdiacono. Gav. p. 2. tit. 10. n. 9. & Crassus l. 1. c. 50.

LVIII. Post datam Subdiacono pacem, Diaconus ibidem statim accedit ad librum, ubi genuflectit, & Celebranti ministrat; & dum ipse dicit *Domine non sum dignus*, manibus junctis inclinat se, illud idem dicens ter submissa voce cum Celebrante, & ter percutiens pectus: dum se communicat de utraque specie (non autem tempore intermedio) profundè se etiam inclinat, & devotè, & versus altare, non omnino versus SS. Sacramentum.

LIX. At si aliquis assistit ad librum, vel Subdiaconus non redierit à Choro, sumpta à Celebrante hostia genuflectit in loco suo, & accedens ad ejus dexteram iterum genu-

flectit, & detegit Calicem dum opus est, quo detecto, genuflectit, surgit, & inclinat se profunde, ut supra, dum Celebrans sumit pretiosum Sanguinem, quo sumpto infundit vinum pro purificatione in Calicem, & iterum vinum dextera, & aquam eadem etiam dextera, reposita ampulla vini super bacile, aut altare, pro ablutione manuum Celebrantis in cornu Epistolæ cum solitis inclinationibus, & quasi osculis ampullarum. Hæc quidem ad Subdiaconum pertinent, non ad Diaconum, modò ipse Subdiaconus redierit de Choro: Si verò Subdiaconus redierit ante Communionem Celebrantis, ea omnino facta, & ablutione, Diaconus librum clausum, ut Subdiaconus ante Evangelium, reportat cum cussino ad latus Epistolæ, incedens per secundum gradum, & genuflectens in medio.

LX. Si facienda sit Communion generalis, vide quæ infra de Missa solemnè dicuntur.

LXI. Libro delato, ad cornu Epistolæ Diaconus aperit illum, ubi legenda est communio, & eam indicat Celebranti, ei assistens, qua dicta, vadit post illum ad medium Altaris, ibique stat dum dicit *Dominus vobiscum*, tum cum eo procedit ad idem cornu Epistolæ, ubi stat post Celebrantem dicentem Orationem, seu plures, ut initio Missæ.

LXII. In Quadragesima autem, scilicet à Feria quarta Cinerum, usque ad Feriam quartam majoris hebdomadæ inclusivè in Missa de Feria tantùm, Diaconus, dicto per Celebrantem ibidem *Oremus*, ante Orationem super populum vertens se ad populum (eo modo quo Celebrans vertit se ad populum dicturus *Dominus vobiscum* in medio altaris) cantat ibidem in cornu Epistolæ, manibus junctis, & demissis oculis, *Humiliate capita vestra Deo*, quo dicto, vertit se ad idem cornu Epistolæ, ut antea.

LXIII. Finita Oratione, seu pluribus, non claudit librum, sed Cæremoniarius, si non legatur aliud Evangelium; sed cum Celebrante redit ad medium Altaris, ubi dicto per eundem Celebrantem, *Dominus vobiscum*, genuflectit, ex Gavant. p. 2. tit. 1. 1. n. 3. & ad populum conversus, prout Celebrans, cantando dicit manibus junctis, *Ite missa est*, quod non dicitur à Celebrante, ut quidam non rectè. At si non sit dicendum *Ite missa est*, non vertens se, cantat *Benedicamus Do-*

mino manibus junctis: & dum Celebrans dicit *Placeat tibi*, &c. genuflectit in secundo gradu paululum versus cornu Epistolæ à dextris Subdiaconi, cum aliqua distantia, & se signat ad benedictionem Celebrantis.

LXIV. Tum surgit, & accedit ad cornu Evangelii, ubi quasi à dextris Subdiaconi super secundum gradum, aliquantulum post ipse Celebrantem stat se signans, inclinans, & genuflectens cum Celebrante versus librum, quando opus est, ut ad primum Evangelium.

LXV. Denique, dicto per Subdiaconum *Deo gratias*, accedit ad cornu Epistolæ à dextris Celebrantis, & in medio altaris, & facta Cruci inclinatione, descendit in planum, vertens se per eam partem quæ respicit cornu Evangelii, ubi cum aliis genuflectit, surgit, biretum à Ministro acceptum Celebranti porrigit cum quasi osculo, & suo etiam accepto, redit eodem modo, & ordine quo venerat in Sacristiam, salutans Chorum, ut initio Missæ, si fieri potest, ibique salutata imagine, & etiam postea Celebrante cum inclinatione profunda, eum adjuvat, dum deponit paramenta sua; Acolythi verò ministrant ipsi Diacono dum exiit se. Tum facta Oratione, lotisque manibus, cum aliis Ministris discedit in pace.

LXVI. Quando Diaconus utitur Planeta plicata, eam assumit paulò ante Missam, & antè primum *Alleluja* post Epistolam, eam deponit, vel citius, scilicet dum dicitur versus Gradualis, aut penultimus versus Tractus, eaque tunc super sinistrum humerum plicata in longum, aut convoluta super stolam complicatur: aut ponit aliud genus stolæ latioris in modum planetæ plicatæ: facta verò Communione Celebrantis, & ablutione manuum ipsius, postquam detulerit Missale ad cornu Epistolæ, eam resumit ut priùs. Quando autem Diaconus ea debeat uti, vide Rubricas Missalis p. 1. tit. 19. n. 6.

## ARTICULUS II.

### DE DIACONI OFFICIO IN MISSA defunctorum, & absolutione in fine Missæ.

I. IN Missa defunctorum, Diaconus, dum Celebrans ascendit ad Altare post Con-

Confessionem, quam facit ut in aliis Missis excepto Psalmo *Judica me Deus*) etiam ascendit cum eo, ubi genuflectit, & vadit statim cum Subdiacono ad dexteram Celebrantis in cornu Epistolæ, quia altare non incensatur, ibique stat, sed non se signat ad Introitum, nec quidquam osculatur, quod Celebranti porrigere debet, qui oscula non dantur in officio Defunctorum. Ministrat tamen respectivè, ut in aliis Missis. Non adhibetur incensum ad Evangelium.

II. Dum Celebrans incipit Evangelium, Diaconus capit librum Evangeliorum, & ad altare desert, de more. Si Sequentia dicitur, & Celebrans sedet, circa finem illius, Diaconus solus accedit ad altare per planum, stantibus aliis ministris, nudo capite, & in infimo gradu tunc genuflexus, dicit *Munda cor meum*, quo dicto, surgit, capit librum de altari, descendit in planum, ubi cum aliis genuflectit, & Celebranti sedenti profundè se inclinat.

III. Si verò Celebrans remanet ad Altare, circa finem Sequentiæ descendit tantum ad secundum gradum, ubi tunc dicit genuflexus super suppedaneum *Munda cor meum*, non petens benedictionem. Tum præcedens alios excepto Cæremoniario prius procedit à dextris Subdiaconi. Cær. Ep. l. 2. c. 21. & Cær. Papæ.

IV. Quo dicto celebrans dicit versus populum *Dominus vobiscum*, & dum incipit Offertorium, Diaconus explicat corporale delatum cum bursa à Subdiacono simul cum Calice, bursam ad cornu Evangelii collocat, & ministrat vinum more solito; non dat Patenam Subdiacono, sed statim facta oblatione hostiæ, eamdem Patenam ponit aliquantulum subtus corporale, & reliquam partem ipsius Purificatorio, post extensionem Calicis cooperit. Ministrat incensum ad oblata sine osculis, & finita incensatione incensat tantum celebrantem, & Episcopum, si adsit.

V. Post incensationem altaris, Diaconus celebrantem solum thurificat de more, & ipse manutergium cum Subdiacono ad tergendas manus celebrantis à parte sua tenet sub pellicula, quam Acolythus ministrat, & lotis manibus illud extendit super illas, ut celebrans tergat easdem cum debitis reverentiis, & non osculis. Gav. par. 2. tit. 13. num. 2. Cum celebrans dicit *Orate fratres*, ipse respondet, *Suscipiat Dominus, &c.* quo

*Man. Sacr. Carem.*

dicto, nisi adsit Cærenonarius, accedit ad librum cum solitis reverentiis, ubi folia Missalis vertit, si opus sit: ad Præfationem stat à tergo celebrantis.

VI. Circa finem Orationis Dominicæ; Patenam accipit ab Altari, & eam exterfam dat celebranti sine osculis: ad *Agnus Dei*, non percutit pectus, sed eo dicto, & facta genuflexione accedit ad librum, ubi iterum genuflectit, & ministrat ut in aliis Missis. In fine dicens *Requiescant in pace* junctis manibus, non vertit se ad populum.

VII. Cætera omnia agit Diaconus, ut in aliis Missis, exceptis iis quæ suprâ diximus.

VIII. Ad Absolutionem, si facienda est, deposito tantum suo manipulo in cornu Epistolæ, adjuvat celebrantem in eodem cornu Epistolæ exeuntem se Planeta, & manipulo, eique imponit Pluviale. Deinde ad medium altaris à sinistris suis, & ibi genuflectit, surgit & procedit ad lecticam etiam à sinistris celebrantis nudo capite, ubi stat aliquantulum retrò post eum etiam à sinistris. At cum Cantores cantant versum *Requiem aeternam* Responsorii *Libera me, Domine*, vel dum Responsorium repetitur, ministrat incensum de more accedens ad dexteram celebrantis, cum genuflexione, & sine osculis porrigit cochlear, dicens tamen *Benedicite Pater Reverende*.

IX. Inchoato à Celebrante *Pater noster*, accipit de manu Ministri aspersorium, & illud eidem celebranti porrigit, & elevans sinistra fimbriam Pluvialis dexteram, facta altari genuflexione procedit aliquantulum post eum à dextris ejus, dum facit asperionem, genuflectens Cruci, quam tenet Subdiaconus, & SS. Sacramento ante illud transiens, si extra majus altare sit. Completo autem circulo receptum aspersorium reddit Ministro, acceptumque thuribulum tradit etiam celebranti, & eodem modo illum comitatur quoad asperionem, ut mox suprâ. Tum reversus ad medium altaris genuflectit, accipit thuribulum, illudque reddit Thuriferario, deinde accipit librum de manu Ministri, & stans ante faciem celebrantis, facta ei prius inclinatione debita, paulò tamen à sinistris ejus tenet librum apertum, ex quo dicit versus, & Orationem cum suis conclusionibus, quibus dictis recedit, facta celebranti iterum inclinatione, pro-

ut venerat, à sinistris Celebrantis, vel post Crucem, vel post Clericos, si adsint ad le-  
cticam.

X. Eodem modo ministrat ad Exequias, exceptis paucis, de quibus infra, modò fiant post Missam immediatè, non verò alio tempore, quia eo casu non adhibentur Ministri sacri, ut infra.

### ARTICULUS III.

#### DE DIACONI OFFICIO in Processionibus.

**I**N Processionibus communibus Diaconus nudo, vel tecto capite, ut infra, procedit à sinistris Celebrantis, & ideò non elevat pluviale ejus, quia illud non elevat quando Subdiaconus defert Crucem. In aliis verò Processionibus solemnibus procedit à dextris, & Subdiaconus à sinistris, ambo elevantes pluviale Celebrantis à parte sua.

II. In Processione SS. Sacramenti faciet ut feria 5. in Coena Domini dicetur, & in festo Corporis Christi. Porresturus SS. Sacramentum Celebranti, antequam de altari illud recipiat, genuflectit, & postea cum illud tradiderit Celebranti, iterum genuflectit.

III. Dum defertur SS. Sacramentum, procedit à dextris Celebrantis sinistra manu fimbriam pluvialis elevans, altera brachium Celebrantis, vel pedem ostensorii sustentans ad majorem commoditatem ipsius Celebrantis; feria tamen sexta in Parasceve, quia Celebrans non utitur pluviali, sinistra manu illius brachium sustentat, si commodè potest, & altera pedem calicis tenet; & in omni Processione SS. Sacramenti semper recitat Psalmos, aut Hymnos cum ipso Celebrante, & eadem voce, non verò cantat cum aliis Clericis.

IV. Cum verò pervenerint ad locum ubi reponendum est SS. Sacramentum, accepturus tabernaculum gestatorium, vel Calicem à Celebrante, genuflectit totus super gradum supremum seu suppedaneum in cornu Epistolæ quasi ei renes vertens, ibique accipit ambabus manibus SS. Sacramentum; tum se erigens, stat aliquantulum ante celebrantem, ut illud adoret, mox super altare illud deponit, iterum genuflectit, mi-

nistrat incensum, & adjuvat Celebrantem dum Sacramentum incensat, ut supra, omit-  
tens oscula solita.

V. Ad Orationem genuflexus ad dextram Celebrantis librum sustinet cum Subdiacono ad sinistram, quem clausum postea reddit Acolyto. Ad benedictionem fimbriam Pluvialis à parte sua elevat aliquantulum, non porrigit Sacramentum Celebranti, ut benedicat, sed ipse Celebrans illud accipit de altari, ut infra; reposita verò hostia super Corporale à Celebrante post benedictionem surgit, & ipsam hostiam intra tabernaculum majus cum contactis genuflexionibus reponit, clavique offerat ostiolum, & factis debitis reverentiis, cum Celebrante recedit. De his fusè suis locis.

In Translatione Reliquiarum ante, vel post Missam, quia alius Subdiaconus defert Crucem, procedit etiam à dextris Celebrantis, sicut in Processione SS. Sacramenti, adjuvans etiam ipsum Celebrantem, si eadem Reliquias defert.

### CAPUT XIII.

#### DE SUBDIACONO.

### ARTICULUS I.

#### De Subdiaconi officio in Missa solemnè.

**I** Subdiaconus, quia in sacris inservit, sicut Diaconus, eadem animi puritate, & sanctitate debet inservire. Debet etiam diligenter legere ea, quæ supra de Diacono diximus; multa enim sunt utriusque communia, quæ hic longum esset recensere, ut patet.

II. Hora competenti cum Diacono accedit ad Ecclesiam, ubi aliquantulum orat, vel in Sacristia; quo factò, Epistolam perquirat in libro suo, eam perlegit, & signaculo suo notat. Tum lavat & tergit manus, Calicem aptat, purificatorium super expandens, super quod ponit Patenam cum hostia integra, ac benè tersa, deinde pallam, postea velum parvum, ac bursam desuper, eumque cum libro Epistolarum, & aliis necessariis asportat ad Credentiam, nisi fortè Sacrista (quod tamen non ita convenit) hæc priùs fecerit.



III. Reverfus in Sacrifiſtiam capit adjuvante aliquo Acolyto paramenta ſua poſita à ſiniſtris paramentorum Celebrantis, eo modo, quo Diaconus à parte ſua, ſcilicet Amictum, cujus crucem oſculatur, Albam, Cingulum, & Tunicellam, quæ eſt ejuſdem formæ, ac Dalmatica Diaconi, habens tamen manicas ſtrictiores, & longiores aliquantulum, dicens ſi velit, quod tamen non eſt neceſſe, orationes ad ſingula paramenta, & ad Tunicellam eam orationem, quam dicit Epifcopus. At, cum tempus eſt, adjuvat Celebrantem cum Diacono, dum paramenta accipit. Cærem. Ep. l. r. c. 10. Celebrante induito, ipſe manipulum, & non prius, capit oſculando crucem ejus in medio.

IV. Poſt horam, quæ immediate præcedit Miſſam, facta prius cum aliis imagini principali in Sacrifiſtia, & celebranti profunda reverentia, nudo capite, à ſiniſtris Celebrantis ad altare ante Diaconum procedit junctis manibus, & tecto capite. Si verò procedit Celebrans cum pluviali, aut ſtola tantum, ut ad benedictionem cinerum, & alia, incedit à ſiniſtris illius, elevans ſiniſtram ſimbriam pluvialis ſi eo utatur. Cærem. Ep. lib. r. c. 15. In aſperſione aquæ benedictæ diebus Dominicis procedit, ut infra dicemus ſuo loco.

V. Si tranſeat ante majus altare, ad quod non debet Miſſa celebrari, ſemper genuflexit nudo capite, & ſi eſt ibi expoſitum SS. Sacramentum, vel in alio loco ante quod tranſeat, utrumque genu flexit à ſiniſtris Celebrantis. Si Sacrifiſtia ſit in parte Evangelii, ipſe cum erit prope cornu Evangelii paululum retrocedet cum ſecundo Ceroferario, ut det locum Celebranti tranſeunti ante eum, faciens ei reverentiam.

VI. Cum pervenerit ad altare à ſiniſtris Celebrantis, tradit biretum ſuum Cæremoniario, genuflexit ſemper (ſi non ſit Canonicus, qui non genuflexit Cruci,) licet non ſit Tabernaculum SS. Sacramenti, & una cum Diacono pari voce reſpondet, ſe ſignans, inclinans, percutiens pectus, convertens ſe ad Celebrantem, aſcendens ad altare, ibi genuflexit, & alia faciens cum eo. Ideo ad ipſum Diaconum diligenter attendere debet, ut jam ſuprà diximus. Non extendit manus ſuas dum Celebrans dicit, Oremus ante *Aufer à nobis*.

VII. Quando Celebrans ad altare ponit

thus in thuribulum, ſtat quaſi à ſiniſtris ejus aliquantulum poſt eum, & facie verſa ad altare aliquantulum, & cum altare thuriſicat, dextera aliquantulum elevat eam partem planetæ, quæ eſt circa brachium ſiniſtrum illius, ſiniſtra infra pectus admota, ſemper Cruci genuflexit cum Diacono, dum comitatur Celebrantem.

VIII. Facta incenſatione altaris, ſine genuflexione, accedit ad latus Epistolæ, ubi dum Celebrans incenſatur, ſtat à ſiniſtris Diaconi manibus junctis, non ſe inclinans. Ita in Capella Sanctiſſimi. Deinde per planum accedit ad dexteram Diaconi in recta linea, ibique, nihil dicens, ſtat manibus junctis dum Celebrans dicit introitum, ſe inclinans Cruci ad *Gloria Patri*, cum Celebrante, & ſe ſignans initio Introitus.

IX. Ad *Kyrie*, reſpondet alternatim Celebranti eodem tono ibidem, quo dicto ibi ſtat uſque ad ultimum *Kyrie*, quod in choro cantatur, tunc enim accedit per planum ultimus omnium ad medium altaris, ibique ſtat in plano ante gradum inſimum poſt Diaconum. Dum Celebrans incipit *Gloria in excelsis*, inclinat caput ad verbum *Deo*: Tum facta genuflexione in loco ſuo, accedit ad ſiniſtram Celebrantis, cum quo, & Diacono dicit ſubmiſſa voce hymnum Angelicum uſque ad finem, inclinans ſe, & in fine ſe ſignans cum eis.

X. Hymno dicto, vel ſedat, ſi ſedendum eſt, vel ſemper ſtat à ſiniſtris Celebrantis, quaſi par, prout Diaconus, Gav. par. 2. tit. 4. n. 7.

XI. Si ſedendum ſit, eundo ad ſedem, Diaconum præcedit, facta prius Altari genuflexione, ibique facta Celebranti inclinatione prius, manet ſedens, tecto capite, & manibus parum extenſis ſuper Tunicellam, & genua poſitis, ſicut de Diacono diximus, inclinans ſe, & detegens caput cum aliis.

XII. Dum cantatur in Choro *Cum ſancto ſpiritu*, ſurgit, deponit biretum, & facta Celebranti inclinatione, procedit ante Diaconum ad medium altaris, per planum, ubi genuflexit à ſiniſtris Celebrantis: & dum ipſe Celebrans aſcendit, ipſe Subdiaconus ad ſecundum altaris gradum aſcendit elevans veſtes Celebrantis aliquantulum, & mox deſcendit in planum.

XIII. At ſi non ſedat, cum etiam dicitur in Choro *Cum ſancto ſpiritu*, facta genuflexione

xione à sinistris Celebrantis descendit in planum, vertens se per eam partem, quæ respicit ipsum celebrantem, ibique stat dum Celebrans dicit, *Dominus vobiscum*, & statim cum eo vadit ad cornu Epistolæ, ubi stat ad Orationes.

XIV. Si dicatur *Flectamus genua*, cum aliis statim genuflectit, & primus omnium surgens, dicit: *Levate*.

XV. Circa finem Orationis, seu Orationum, stans in loco prædicto, tempestivè accipit de manu Cæremoniarum librum Epistolarum ambabus manibus facie ad ipsum conversa, ex Cærem. Cleric. Reg. S. Pauli lib. 1. cap. 1. & à dextris ipsius Cæremoniarum accedit in medium altaris per planum, salutans chorum ab utraque parte, si fieri potest, si Chorus non distet ab altari, portans prædictum librum elevatum ambabus manibus ante pectus, tenens eum per angulos inferiores, ita ut pars superior sit parum inclinata super pectus ejus, & ita tempestivè, ut ambo genuflectant in conclusione ad ea verba *Jesum Christum*, in infimo gradu, ne cogantur in via inclinare se, quod certè faciendum esset.

XVI. Deinde procedit ad locum ubi legi solet Epistola, ibique, sibi tenens librum ambabus manibus, ita ut palmæ earum librum ipsum tangant, incipit alta, & sonora voce Epistolam, stante Cæremoniarum à sinistris ejus, qui folia vertit, quando opus est, vel si adsit pulpitem paratum, super illud legit Epistolam manibus libro appositis.

XVII. Epistola cantata claudit librum, & eo modo quo supra, eum portans redit ad medium altaris, ubi genuflectit, postea procedit ad cornu Epistolæ, ibique genuflexus in gradu infimo, vel alio commodiori, quasi prope posteriorem angulum altaris, deflextens partem superiorem ipsius libri, super positam Celebrantis manum in exteriori parte osculatur, & ab eo nihil dicente, signo Crucis caput inclinans, benedicitur.

XVIII. Tum idem Subdiaconus surgit, & reddito libro suo comiti, capit Missale Celebrantis cum cussino, & illud per planum defert clausum ante pectus ad cornu Evangelii, genuflectens in medio, ibique ministrat Celebranti ad ejus sinistram stans in secundo gradu, vel alio commodiori, tenens librum manu sinistra, & illum elevans, si

opus sit, & folia vertens dextera, qua etiam indicat Evangelium, & alia signans, & inclinans se, & genuflectens cum eo, (nisi teneat librum) & eidem respondens, *Et cum spiritu tuo, Gloria tibi Domine*, & in fine, *Laus tibi Christe*.

XIX. In Ecclesiis, in quibus cantus non est in usu, ne inter Graduale, & Evangelium aliqua mora interponatur, liber Missalis per unum Acolythum potest transferri, dum cantatur Epistola, atque eo casu Diaconus assistit Celebranti, dum legit Evangelium. Ita Castaldus in sua praxi l. 1. f. 7. c. 1. n. 11. ubi asserit se accepisse tale consilium à Cæremoniarum Papæ. Decentius tamen est, ut Celebrans expectet in cornu Epistolæ, donec Subdiaconus redeat, ut ibi benedictionem largiatur. Hæc enim mysterio non carent.

XX. Lecto Evangelio à Celebrante, Subdiaconus defert Missale cum cussino prope medium altaris, ne Corporale impediatur, ut commodius ibidem Celebrans Offertorium, & alia legat stans in medio. Tum facta genuflexione ibidem ad planum Altaris descendit, ubi stat retrò post Celebrantem, non omninò ante medium altaris, sed inter ipsum medium ipsius, & cornu Evangelii. At cum Celebrans benedicit Diaconum, ipse eodem tempore cum aliis Ministris genuflectit. Cæm. lib. 2. cap. 8. Gavantus tamen existimat hoc intelligendum esse tantum de Missa Pontificali (de qua alias agemus infra par. 5.) non de aliis Missis, quod fatis probabile videtur, idè stare potius debet, quàm genuflectere.

XXI. Tum facta à sinistris Diaconi genuflexione super infimum gradum procedit junctis manibus etiam à sinistris ipsius Diaconi, nudo capite ad locum Evangelii, ubi accipit ab eo librum clausum ambabus manibus, quem postea etiam ambabus manibus tenet apertum ante pectus, & elevatum, ita ut pars superior libri sit oculis suis aliquantulum altior, ne ipsum Diaconum videat in facie; & sic stat in medio Ceroferariorum vertens renes ad eam partem, quæ pro Aquilone figuratur. Cæm. Ep. l. 2. c. 8. faciem vero convertens ad ipsum Diaconum, nec ibi unquam se inclinat, aut genuflectit, nec se signat, cum immobile lectoris repræsentet, nisi fortè, quando stat à dextris Diaconi cantantis Evangelium in ambone lapideo si sit

si fit consuetudo, de quo intrà in Missa solemni. At isti amboes vix sunt in usu nunc, nisi in quibusdam Ecclesiis.

XXII. Finito Evangelio Subdiaconus statim recta via defert librum Evangeliorum apertum, & supra oculos elevatum ad celebrantem, sine ulla profus reverentia, etiam SS. Sacramento, licet sit expositum, propter sacri textus reverentiam, eique ostendit principium Evangelii osculandum. Deinde clauso libro paululum retrocedit, & celebranti se inclinat profundè, tum sine mora descendit in planum, & ibi genuflectit super infimum gradum altaris quasi à dextris Diaconi, & prædictum librum ipsemet defert ad credentiam, cum tunc non sit alius, qui illum deferat, quia fortè Cæremoniarius deest.

XXIII. Deposito libro statim redit ad medium altaris, ubi genuflectit, & erectus stat post Diaconum, dum celebrans cantat Symbolum, inclinans caput ad verbum *Deum*. Tum facta genuflexione ascendit ad sinistram Celebrantis cum Diacono, ubi profequitur Symbolum genuflectens, & se inclinans manibus junctis, & in fine se signans, & iterum jungens manus cum celebrante.

XXIV. Dicto Symbolo, vel remanet stans ad altare à sinistris celebrantis, vel sedet, ut ad Hymnum Anglicum. At si stat genuflectit in secundo gradu cum celebrante, & Diacono ad versum, *Et incarnatus est*, inclinans caput etiam ad verba, *Et homo factus est*, & cum eodem Diacono à parte sua Planetæ partem posteriorem celebrantis adaptat super pedes ejus. Si autem sedent, dum cantatur in choro versus prædictus, inclinat se profundè; quo dicto surgit, aperit caput, & stat ibidem, dum Diaconus defert bursam Corporalis ad altare, ei se inclinans transeunti: qua delata, & Diacono sedente, ipse etiam sedet, facta ei prius mediocri reverentia, & caput tegit. Cærem. Episc. lib. 1. c. 18. & Jacob. c. 17. n. 8.

XXV. Circa finem Symboli quod cantatur à choro, redit cum celebrante ad Altare, eo modo, quo ad *Gloria in excelsis*. Si verò non sedit, circa finem ejusdem Symboli, facta prius genuflexione, descendit post Diaconum in planum, ubi stat dum Celebrans dicit *Dominus vobiscum*.

XXVI. Dicto *Oremus* à Celebrante, genuflectit, & ad credentiam accedit, ubi à

Cæremoniario, vel alio imponitur humeris ejus velum oblongum sericeum, & pulchrum coloris paramentorum, ita ut à latere dextro longius pendeat, & aciculis, aut spinulis ita firmatur, ut postea non defluat, nec decidat, & accipit Calicem, (cujus velum parvum amotum est, si fortè sit explicatum super illum, ab aliquo ministro paulò ante) manu nuda sinistra per nodum. Gav. p. 2. tit. 7. nu. 9. & parte illa longiori eundem calicem tegit, super quam partem extensam apponit manum dexteram, & cautè, advertens ne aliquid decidat, procedit ad altare per brevioram viam, id est per latus Epistolæ à dextris Cæremoniarrii, ibique deponit calicem, quem Diaconus discooperit, ea parte longiori veli deposita, & ipse Diaconus dat Patenam celebranti, ut supra. At si Subdiaconus bursam cum corporali defert (quod facit, quando non dicitur Symbolum) eadem parte veli remota, Diaconus eandem bursam accipit, & alia facit, quæ supra.

XXVII. Interim Subdiaconus calicem sinistra per nodum accipiens, dextera accipit purificatorium, & ipsius digitis in calicem immisis, calicem extergit purificatorio, quem statim exterum tradit sine osculis Diacono, & statim etiam ampullam vini, quam accepit ab Acolycho; ipse verò dum Diaconus vinum in calicem infundit, dextera ampullam aquæ elevatam tenens per manubrium, ostendit Celebranti dicens inclinatus aliquantulum, *Benedicite Pater Reverende*, paucasque guttas ipsius aquæ benedictæ ab ipso celebrante cautè, & modestè in calicem infundit, & postea ampullam ipsam reddit Acolycho, sicut etiam aliam ampullam vini, quam à Diacono recepit.

XXVIII. Si autem Calix sit super altare, quod non convenit, statim ac celebrans dixit *Oremus*, facta genuflexione, accedit ad credentiam, ubi tantum velum oblongum accipit, ut supra, & præcedens Acolythum, procedit ad altare, ubi Calicem detestum extergit, & ministrat, ut supra.

XXIX. Deinde remanet stans, donec Diaconus post oblationem calicis illum teneat, quo testò, ab eodem accipit in dextera manu nuda Patenam, quam ipse Diaconus oblongi veli extremitate ab ejus humeris dependentis, adjuvante Cæremoniario, tegit, ita ut pars interior ipsum Subdiaconum

respiciat. Gav. p. 2. tit. 7. & alii. Quo facto, sine genuflexione, redit post Celebrantem ad medium altaris in plano, ubi facta prius genuflexione ex Rubricis Missalis, stat sustinens eandem Patenam elevatam ob oculos, usque ad finem Orationis Dominicæ, nisi notetur aliter, sinistra manu brachium dextrum sustentans, si opus sit.

XXX. Advertat autem, ut non genuflectat, nec se inclinet, dum Celebrans, incensans Altare, genuflectit cum Diacono, nec se etiam inclinet, (ad utramque tamen elevationem genuflectit ut infra) neque etiam folia Missalis vertat absente Diacono, aut alio. Respondet Celebranti dicenti *Ora te fratres*, & dicit *suscipiat Dominus* usque ad finem, quod non incipit, quin prius Celebrans conversus fuerit ad altare.

XXXI. Facta incensatione in Choro, incensatur à Diacono duplici ductu tantillum recedens ad cornu Evangelii, versa facie ad Diaconum stantem in parte Epistolæ, inclinans se eidem Diacono ante, & post, & aliquantulum demittens Patenam ad pectus, quam postea iterum elevat. Si verò Chorus sit retrò post altare, Subdiaconus stat etiam ut suprà, sed vertit faciem ad cornu Evangelii, ad quod tunc stat Diaconus eum incensans. Cærem. Cleric. Reg. minorum p. 2. c. 8.

XXXII. Dum Celebrans dicit in Præfatione *Deo nostro*, inclinat caput, & paulò antequam dicatur *Sanctus*, etiam si Patenam sustineat, genuflectens in loco suo, accedit ad sinistram Celebrantis, ubi inclinatus cum illo dicit *Sanctus*, & dum dicit *Benedictus qui venit*, erigit se, nec tamen se signat, quia Patenam sustinet.

XXXIII. Dicto *Benedictus qui venit*, genuflectit, & descendit post Celebrantem, ubi stat, & paulò antequam elevetur SS. Sacramentum genuflectit ibidem eo tempore quo Diaconus, sicque manet genuflexus super infimum gradum altaris, usque ad elevationem Calicis, & genuflexionem Celebrantis post eam inclusivè, nec unquam Planetam ipsius elevat, sed semper Diaconus. Tum surgente Diacono surgit, & stat, nec se signat, nec genuflectit, nec se inclinat, nisi post depositam Patenam, nisi etiam aliter notetur.

XXXIV. Cum in Oratione Dominica celebrans dicit *Et dimitte nobis debita*, Cærem. Episc. lib. 1. c. 10. genuflectit, & accedit

ad celebrantem cum Diacono per viam brevioram ad cornu Epistolæ ad dexteram ipsius Diaconi, & ibi stat, illique offert Patenam, quam ipse Diaconus detegit velo, & eam exteris purificatorio præbet Celebranti; tum amoto per se ipsum, & non per alium velo, quod ab humeris ejus pendeat, illud tradit Cæremoniario deferendum super credentiam, deinde genuflectit, & redit ad locum suum post celebrantem. Et dum celebrans dicit *Pax Domini*, genuflectit, & ascendit ad sinistram ipsius, iterum genuflectens cum eo ad altare cooperto Calice, & inclinans junctis manibus, ter dicit *Agnus Dei*, percutiens pectus cum ipso celebrante, manu sinistra infra pectus posita, deinde facta iterum genuflexione, redit post celebrantem, ubi stat, ut prius, donec à Diacono pacem acceperit.

XXV. Postquam Diaconus acceperit pacem à celebrante, eam dat Subdiacono, sinistram genam sinistra ipsius jungens per mutuum amplexum, ita ut brachia sua supponat brachiis Diaconi, eique dicenti, *Pax tecum* respondet, *Et cum spiritu tuo*, quod item observant alii in danda, & accipienda pace.

XXXVI. Accepta pace à Diacono, genuflectit ibidem, & eam desert in Chorum comite Cæremoniario, aut alio, ibique choro salutato ab utraque parte, accedit ad digniorem, cui dat pacem per mutuum complexum eo modo quo accepit à Diacono, ita ut tamen brachia sua supponat brachiis digniorum se, tum eam distribuit alteri digniori ex alia parte chori; eam enim dat primo cujusque ordinis tantum, & ipse dignior tradit eam viciniore etiam per osculum, & hic alteri, & sic vicissim, advertens ipse Subdiaconus, ut servet debitas reverentias altari dum transit ante illud, aut aliquos Prælatos, nullam tamen ulli quantumvis in suprema dignitate constituto reverentiam facit, nisi post datà pacem, quia tunc ea data, debita reverentiam exhibet accipienti. Si autè distincti sint ordines in choro, id est si aliqui sint Canonici, alii beneficiati, vel Capellani inferiores, tunc pacem debet prius dare digniori Canonico, ab utraque parte chori, & mox eodem ordine, aliis pro eorum qualitate. Si item in Ecclesia sive Cathedrali, sive Collegiata, Canonici sint distincti inter se per dignitates, ita ut alii sint Dignitates, alii Presbyteri, alii Diaconi, alii Subdiaconi, pacem dat primæ dignitati, postea primo Presbytero-

Bytero, tum primo Diacono, deinde primo Subdiacono.

XXXVII. In Ecclesiis insignioribus, quando Subdiaconus est Canonicus ipse dat tantum Pacem Canonicis; qua data, eam dat comiti suo per osculum, qui eam dat postea aliis. In aliis quibus Cathedralibus, Canonicus dat pacem non beneficiato, seu Mansionario, Pluviali parato, qui cum ministro ipsius Canonici eam dat in choro aliis beneficiatis pari disciplina. Laicis vero datur per instrumentum, quod prius osculatur ille qui immediatè receipt pacem à celebrante: Subdiaconus vero dat eam laicis tunc, quos Diaconus sigillatim incensavit. Aliis vero datur à cæremoniario, aut alio. Nunquam vero à Diacono, ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum, & ex Gavanto ibidem, nec cum Patena. Comes autem Subdiaconi desert secum istud instrumentum de altari, si dandum sit, quod Subdiaconus statim, dum illud daturus est osculandù, accipit, deinde illud extergit, & magnatibus osculandum præbet, inclinans se illis tantum post osculum; at si dandum est aliis non magnatibus, Subdiaconus non illud accipit, sed solus comes illud præbet, nec extergit illud, & Subdiaconus ad altare redit. Velum instrumento adhiberi debet coloris paramentorum manubrio ejus appensum, quo post osculum quodlibet, illud tergat, si sint plures viri insignes, alias non. Advertat insuper, ut nulli det pacem cum osculo, nisi stanti; idèò que si quis federet, aut genuflecteret, quod nullo modo fieri debet, moneatur, ut surgat: quod si facere renuerit, pax ei deneganda est. Hæc autem intelliguntur de iis tantum, quibus pax per osculum dari solet.

XXXVIII. Post datam pacem in choro, Subdiaconus statim cum socio facta choro inclinatione, redit ad altare, ubi in infimo gradu genuflectit, & stans dat pacem socio. Tum facta iterum genuflexione, redit ad dexteram celebrantis, ubi denuò genuflectit cum eo si fortè genuflectat, alias non; & dum dicit *Domine non sum dignus*, illud etiam dicit submissa voce inclinatus versus altare, & ter percutiens pectus; hoc verò fiat modò Subdiaconus ad altare redierit è choro, quem tamen celebrans non expectat, sed quæ sunt dicenda profequitur. Similiter profundè se inclinat versus altare, & non versus SS. Sacramentum omninò, dum celebrans se communicat sub

utraque specie, non autem tempore intermedio: at dum celebrans incipit *Quid retribuam Domino*, discooperit Calicem, genuflectit, surgit, & ministrat, ut infra.

XXXIX. Si verò Subdiaconus non redierit è choro, Diaconus cum genuflexionibus solitis accedit ad dexteram celebrantis, ubi vices Subdiaconi supplet, donec redierit, ut supra diximus.

XL. Si facienda sit communio, & velit eam accipere, dum Diaconus facit confessionem, vadit cum genuflexione quasi ad medium altaris in secundo gradu, ubi genuflectit, & postea à sinistris Diaconi, si etiam eam accipit, & sic genuflexus manet, donec fuerit communicatus, ut infra in Missa solemnè. Accepta verò purificatione, stat à sinistris ipsius celebrantis, sequens eum, dum dat communionem, supponens Patenà mento communicantium; nisi id præstet Diaconus.

XLI. Facta Communione à celebrante ex utraque specie, & aliis omnibus, Subdiaconus stans à dextris celebrantis, capit ampullam vini de manu ministri, ex qua infundit vinum in Calicem super altare à celebrante porrectum, pro ejus purificatione; mox sumpta ampulla aquæ sinistra, infundit iterum super pollices, & indices celebrantis prius vinum eadem dextera, ampullamque statim reddit Acolytho, vel ponit super altare, si aliter fieri non potest; tum dextera accipit ampullam aquæ, & ex ea infundit etiam aquam super pollices, & indices sicut prius vinum, donec celebrans fecerit signum desinendi, elevando parumper Calicem, cum debitis oculis ampullarum. Deinde redditis ampullis, accedit ad cornu Evangelii genuflectens in medio plani, retrò post Diaconum, eidem cedens locum superiorem, ibique Calicem mundat purificatorio, Patena & Palla eum cooperit, plicat Corporale, quod reponit in bursam, & accepto parvo velo plicato ab Acolytho, extendit illud super prædictum Calicem, tum super imponit bursam, super quam velum replicat in parte anteriori, solusque sine socio reportat illum ad credentiam (facta genuflexione in plano super infimum gradum) per viam breviorè. Gav. p. 2. tit. 10. num. 8. & ibi Calicem in anteriori parte cooperit, ita ut pars inferior non cooperiat frontem credentiæ, sed super mensam credentiæ aptè cadat. Si tamen in principio

Missæ Calix parvo velo non fuit coopertus, nec ab eo in fine cooperietur; sed delatus ad credentiam videtur conveniens, ut cooperiatur cum ampullis, & pellicula, & hostiaria, ut in principio Missæ, magno velo Subdiaconali prædicto.

XLII. His peractis, redit citò ad latus Epistolæ sine genuflexione, stans post Diaconum ad Orationes, & in fine earum procedit cum eo ad medium, ubi stat non se vertens, nec se inclinans, dum dicitur *Ite Missa est*, aut aliquid alium. Inclinat se tamen, dum Diaconus dicit *Humiliate capita vestra Deo*, & ad Orationem, quæ sequitur.

XLIII. Paulò antè benedictionem ascendit ad secundum gradum altaris, ubi est Diaconus, ab eo æqualiter stans versus cornu Evangelii, & à sinistris ejus genuflectit, (nisi sit Canonicus) se signans, dum Celebrans dat benedictionem.

XLIV. Si peculiare Evangelium dicendum sit à celebrante, dicto per Diaconum *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, facta genuflexione accedit ad cornu Epistolæ, ex quo accipit Missale cum cussino, quod defert ad cornu Evangelii genuflectens à sinistris Diaconi, dum celebrans dat benedictionem, ad quam tunc non se signat. Dum celebrans legit Evangelium, assistit ei, ut ad primum Evangelium, se signans, inclinans, aut genuflectens cum eo, nisi teneat librum, quia tunc à genuflexione, & signo Crucis abstinet, & respondet ei cum opus est, dicens in fine *Deo gratias*.

XLV. Finito Evangelio, & facta inclinatione cum Celebrante à sinistris ejus ad medium altaris, descendit ad gradum infimum, vertens faciem versus cornu Epistolæ, ibique cum omnibus aliis genuflectit, surgit, capitebiretur, testoque capite, eodem ordine quo venerat, junctis manibus, & salutato choro, si fieri potest, redit in Sacristiam, ubi facta prius imagini, tum celebranti reverentia, pariter cum aliis, nudo capite, adjuvat eundem Celebrantem cum Diacono, dum deponit paramenta, quibus depositis salutant cum iterum, ut decet, ac deinde exiit se paramentis suis, ab aliquo Acolyto adjutus. Denique Calicem, & alia, quæ prius allata fuerant ad credentiam, reportat in Sacristiam, adjutantibus aliis ministris, & facta Oratione, in pace recedit.

## ARTICULUS II.

DE SUBDIACONI OFFICIO  
in Missa solemnè pro defunctis.

I. Subdiaconus in Missa solemnè pro defunctis initio se gerit, ut in aliis Missis, prout Diaconus. Ad Introitum non se signat. Cantata Epistola non osculatur manum Celebrantis, nec ab eo benedicatur, sed statim facta genuflexione tradit propè credentiam librum suo socio, & defert librum celebrantis ad cornu Evangelii, ut aliàs.

II. Ad Evangelium sequitur Diaconum præcedentem. Cærem. Epist. lib. 2. c. 11. quo finito non defert librum osculatum Celebranti, sed illum clausum à Diacono, finito Evangelio, facta genuflexione altari, tradit ministro. Ad Offertorium calicem coopertum velo parvo tantum cum bursa defert ad Altare, neque petit aquæ benedictionem, sed infusa aqua in Calicem, pergit ad sinistram celebrantis, genuflectens in medio, eique assistit ad incensationem Altaris, ut in aliis Missis ante Introitum, elevans parum partem posteriorem Planetæ circa brachia; celebrante incensato ministrat cum Diacono mappam à parte sua Celebranti ad tergendas manus suas. Gav. p. 2. tit. 13. n. 2. non dicit *Suscipiat Dominus*, sed Diaconus, ut supra. Sed tamen dicit *Sanctus* de more.

III. Paulò antè elevationem SS. Sacramenti, facta genuflexione in medio, accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans imponit thus in thuribulo, ministrante Thuriferario cochlear, & thuribulum sine benedictione, quo facta genuflexus accipit ab eodem Thuriferario thuribulum, incensat SS. Sacramentum, cum debitis etiam inclinationibus ante, & post ad utramque elevationem.

IV. Tum reddito thuribulo eidem Thuriferario genuflectit, & redit ad medium altaris, ubi facta genuflexione, manet stans, & non genuflectit cum celebrante. Ad *Agnus Dei*, non percutit pectus, sed tantum à sinistris celebrantis inclinatus manet manibus junctis illud dicens. Deinde mutat locum, hoc est, à sinistra ad dexteram celebrantis, genuflectens, quando accedit, & recedit, ibique stat, & inclinat se, dum celebrans dicit *Domine non sum dignus*, detegitque calicem, quando opus est. Cætera peragit, ut in aliis Missis, respectivè.

V. Ad

V. Ad Absolutionem in fine Missæ, adjuvat, si opus sit, Celebrantem dum exiit se Planeta, & manipulo, ad latus Epistolæ, ac ipse etiam suum manipulum deponit. Tum capit Crucem prope altate, si fieri potest, ad cornu Epistolæ præparatam, quæ posita est ibi ante initium Missæ, & cum Ceroferariis accedit ad medium altaris sine ulla reverentia, ibique expectat Celebrantem. Deinde etiam sine ulla reverentia ad lecticam procedit post Thuriferarium cum Cruce, cuius imago ipsum Thuriferarium respiciat. Gav. p. 2. tit. 13. num. 4. At cum ad caput lecticæ pervenerit, per latus suum dextrum progreditur ad pedes ejus, id est per latus Evangelii, & medius inter duos Ceroferarios, sistit se ad pedes lecticæ contra altare, id est vertens faciem ad altare, & ad Celebrantem, ita ut tumulus sit semper inter altare, & se ipsum, & ibi stat immobilis, distans tamen ab ipsa lectica tribus, aut quatuor passibus, ut Celebrans, & Diaconus postea faciem inter Crucem, & lecticam habeant transitum, nec ullam Diacono, sed neque Sacerdoti facit reverentiam transeunti ante se. Dicitur à Cantoribus *Requiescat in pace*, redit in Sacristiam eodem modo, & ordine quo venerat, non genuflectens etiam SS. Sacramento, licet ante illud transeat.

VI. In Exequiis eadem facit quæ supra, præterquam quod sistit se semper ad caput defuncti, & numquam ad pedes cujuscumque defuncti etiam Sacerdotis, ex Rituali Romano; statque semper usque ad finem.

VII. Dum autem Cantores inchoant Antiphonam *In paradysum deducant*, eodem ordine, quo supra, procedit ad locum sepulturæ, & ibidem, eodem modo, se collocat.

VIII. Hæc verò omnia fiunt à Subdiacono tantum quando dicitur Missa solemniter in Exequiis, quia extra Missam non debet ministrare in paramentis, sed Acolythus tunc portat Crucem, & numquam Subdiaconus paratus.

IX. In Missis defunctorum sine ministris, aliquis Clericus cantat Epistolam Cotta indutus.

## ARTICULUS III.

DE SUBDIACONI OFFICIO  
in Processionibus.

I. IN Processionibus ordinariis procedit cum Cruce (semper imagine Crucifixi versa ad Thuriferarium, si adsit, ut infra) & medius inter duos Ceroferarios, indutus paramentis coloris ejusdem cum Celebrante, modò paramenta deferat, ut capite de Processionibus dicetur, sine manipulo: & ubi loci angustia simul cum Ceroferariis incedere non permittit, præcedunt Ceroferarii.

II. In Processionibus SS. Sacramenti, aut quando defertur aliqua Reliquia insignis aut quando fiunt solemniter, alius debet esse Subdiaconus paratus Tunicella tantum cum cotta, aut Alba si sit consuetudo, qui Crucem deferat. Subdiaconus verò Missæ procedere debet à sinistris Celebrantis, elevans simbriam Pluvialis ejus à parte sua. In aliis verò ordinariis, numquam est alius Subdiaconus ab eo, qui ministrat ad Missam, sed ipse tantum Crucem paratus defert sine manipulo.

III. In Processione ergo SS. Sacramenti, omnia peragit, quæ infra suis locis, & advertat quod semper debet elevare anteriorem partem Pluvialis Celebrantis dum immittit thus in thuribulum, adjuvat item Cæremoniariarium dum imponit velum oblongum humeris Celebrantis, vel ipsemet eum imponit, adjuvante Cæremoniarario, illudque aciculis, aut spinulis firmat. Pedem Calicis, vel Tabernaculi tenet una manu, scilicet sinistra, altera Pluviale Celebrantis si commode fieri potest, sicut Diaconus à parte sua elevat aliquantum. Respondet Celebranti dum recitat Psalmos, aut alia. Tenet librum genuflexus à parte sua cum Diacono in supremo gradu altaris, dum Celebrans recitat Orationem vel plures, & cum ab eo datur benedictio cum tabernaculo ostensorio, ibidem sic genuflexus, anteriorem Pluvialis partem elevat, vertens faciem ad SS. Sacramentum. Data benedictione à Celebrante, velum oblongum illius amovet, & dat Cæremoniarario deferendum super Credentiam. Denique omnibus completis recedit, nudo, vel tecto capite, respectivè, cum Celebrante, & aliis in Sacristiam, ut infra dicetur.

IV. Regulariter procedit nudo capite nisi frigus, aut ventus, aut æstus, aut aliquid aliud illud tegere cogant, & præcipuè extra Ecclesiam.

C A P U T XIV.

D E C E R O F E R A R I I S.

A R T. I.

*De Ceroferariis in genere.*

I. Ceroferarii ordine Acolythatus decorari debent, eorum enim officium ex ordinatione ipsa id requirit; debent esse item ambo pares statura quantum fieri potest, sicut eorum candelæ, & candelabra recta, & non inclinata, deferenda. Cum autem ea sumpturi sunt, semper ea nudis manibus sumunt, & discoopertis, & is qui est à parte dextera ponit dexteram in medio candelabri globo, sinistram verò in pede qui cingulo respondeat; qui verò ad sinistram, è contra accipit globum sinistra, dextera verò pedem. Cærem. Ep. lib. I. c. II.

II. Eorum habitus semper est Cotta, sive superpellicium, & licet in quibusdam locis utantur Albis, regulariter tamen convenientius est, ut utantur Cottis, quia est eorum habitus Clericalis.

III. Bini incedere debent, & non unus post alium, nisi angustia loci impediatur, & tunc junior præcedit seniore.

IV. Genuflexiones æqualiter, & eodem tempore simul faciunt, nisi aliquid obstet: incedunt semper pari, & æquali passu, & in omnibus aliis semper convenire, & conformes esse sibi invicem debent, quantum fieri potest. Dum stant, sint corpore recto, ac firmo, demissisque ad terram oculis, & instar statuarum immobiles, unde non sæpè genuflectunt ad multa, ut ad Evangelium, initio hymnorum *Veni Creator*, & *Ave maris stella*; & ad alia, ad quæ Clerici, & alii genuflectere debent, ut infra dicetur, & præcipuè quando comitantur Crucem cum candelabris suis.

V. Dum candelabra non tenent, & manus vacuas habent, si procedant processione sacra cum Celebrante, aut aliis, regulariter eas junctas tenent ante pectus sicut ad

Evangelia, ad quæ non deferunt candelabra, initio Missæ dum Celebrans facit Confessionem, donec ascendat ad Altare, dum Celebrans dicit *Gloria in excelsis*, & Symbolum, quando sunt genuflexi dum Celebrans se communicat, ad Orationem ante Epistolam, & post Communionem, & ad quædam alia, prout ab experto, & prudenti Cæremoniario docebuntur. Ad alia verò manus pectori appositæ modeste tenere debent, prout etiam admonebuntur, & dicemus etiam suis locis.

VI. Cum ipsi Acolythi deserviant ad accendendos, & extinguendos cereos, advertant, ut si plures sint accendendi, tam ad Vesperas, & Missam, quàm ad aliud officium solemne, præsertim diebus solemnioribus, honorum observent. Ambo facta Altari genuflexione, accipiunt virgas oblongas, & quæ vulgò extinctoria vocantur, habentes candelas in earum summitate, quam unusquisque admovet ad lampadem, vel lampades, quæ sunt ad Altare, si prius in Sacrificia non fuerint accensæ, tum bini accedentes hinc inde ad Altare, facta iterum genuflexione, accendunt à parte sua primum cereos qui sunt medio Altaris, seu Crucis, vel Tabernaculo proximiores, deinde remotiores, sive quatuor, sive sex, iisdem ordine, & tempore, ita ut unus numquam alterum præveniat, sed similiter id faciant quantum fieri potest, vel saltem qui prius accendit cereum, expectet alium: quibus accensis, descendunt simul ad infimum gradum Altaris ubi genuflectunt, candelas extinguunt, virgas in locis suis deponunt, & redeunt in Sacrificiam, vel in Chorum. Si verò extinctoria sint in Sacrificia, ibidem ea accendunt Ceroferarii, & deferunt recta linea ad Altare, ubi facta genuflexione, cereos accendunt, ut supra, quibus accensis, ea reportant cum debitis reverentiis, vel ea relinquunt ad Altare.

VII. Quando autem prædicti cerei sunt extinguendi, sive omnes, sive aliqui tantum, hæc erit ratio. Idem Acolythi facta in medio ante Altare genuflexione, accipiunt extinctoria, & hinc inde à parte sua quisque suos extinguit ordine retrogrado incipientes à remotioribus à Cruce, & facta genuflexione recedunt.

VIII. Si verò unus tantum accendit cereos, incipit ab iis qui sunt à parte Epistolæ Crucis



Cruci Altaris proximiores, tum eos qui sunt à parte Evangelii, & pari modo, & eos extinguit modo contrario, incipiendo à remotioribus à Cruce.

IX. Advertant etiam Ceroferarii, ut, dum genuflectunt retrò post Subdiaconum, aut alios, id faciant convenienti spatio, ne sint nimis ipsi propinqui, dum genuflectunt.

In extinguendis cereis possunt uti spongia aqua humefacta, si eis videbitur.

X. Ad Altare dum celebratur Missa respondeant ad Confessionem Celebranti, & ad alia, dicant *Kyrie eleison*, hymnum Anglicum, Symbolum, submissa voce. Item *Sanctus* & *Agnus Dei* si sint ad Altare, & *Domine non sum dignus*.

## ARTICULUS II.

### DE CEROFERARIIS.

*Ad Vesperas, Matutinas solemnes,  
& Officium Defunctorum.*

I. **A**D Vesperas solemnes Ceroferarii hora congrua ante ultimum signum facta Oratione in Ecclesia cortas induunt (in quibusdam tamen Ecclesiis Albas) & ambo accendunt cereos in Altari, ut supra, quibus accensis redeunt in Sacristiam cum debitis reverentiis, ubi accendunt cereos suos, & hora competenti, paratis Celebrante, & aliis, candelas suas accipiunt, & candelabra, & ea portantes ad Altare procedunt ante omnes Clericos, ibi genuflectunt ad angulos infimi gradus omnium postremi cum Celebrante in medio cum suis assistentibus, & facta brevi oratione, depositis, & extinctis ipsis cereis super gradu laterali seu plano capellæ, ex Cæp. Episc. lib. 2. c. 3. recedunt cum Celebrante, & aliis in Chorum, ubi eum salutant ab utraque parte, nudo capite, & manibus junctis, deinde ad loca sua accedunt, & ibi permanent dum dicuntur Vesperæ, ad quas Choro se conformant caput tergentes, surgentes, sedentes, & inclinantes se cum eo manibus decenter pectori admotis, aut super genua, dum sedent, appositis, prout alii de Choro.

II. Si accedant ad Analogium in medio Chori paratum ibi cantaturi Antiphonas post Psalmos, genuflectunt semper in accep-

tu, & pariter in recessu, nec inde recedunt quin Cantores principium Psalmi inchoaverint; accedunt verò dum dicitur versus, *Sicut erat*, non verò *Gloria Patri*, quia tunc debent esse inclinati.

III. Circa finem ultimi Psalmi, tempestivè, salutato Choro, & prius Celebrante, accedunt ad Altare comite Cæremoniario, ad quod genuflectunt, accendunt suos cereos, nisi fuerint prius accensi à Sacrista, aut ab alio, & eos qui fortè sunt in candelabris majoribus ante Altare secundum consuetudine locorum. Advertant autem, ut non sint in via, neque accendant cereos dum dicitur versiculus *Gloria Patri*, aut enim illum anticipent, aut differant, donec dictus sit, aut si sint in via sistant se ad illum versum, & inclinent se profundè Altari. At si fortè sint genuflexi dum dicitur prædictus versus, non furgant donec prius absolvatur integrè prædictus versiculus. Tunc ad Celebrantem accedunt cum suis cereis accensis, ex eommuni praxi urbis, & ex Gavanto, propter ipsius Celebrantis reverentiam, & facta ei debita reverentia, coram eo stant in plano hinc inde, facie ad invicem, vel ad eundem Celebrantem versa, si commodè fieri potest, ita ut neque Altari, neque Celebranti terga vertant, atque manent inter Celebrantem, & Assistentes, donec Celebrans, dicto Capitulo, inchoaverit Hymnum, quo inchoato, facta Celebranti inclinatione, recedunt, & candelabra loco congruo, versus medium Chori, deponunt, facta prius, & post debita genuflexione Altaris tum ad loca sua recedunt.

IV. Si Celebrans intonat Hymnos *Veni creator*, vel, *Ave Maris stella*, non recedunt, nisi post absolutam strophem, ad quam stant, licet omnes alii genuflectant.

V. In multis Ecclesiis finito Hymno, & facta Celebranti debita inclinatione, sine candelabris versiculum decantant in medio Chori, genuflectentes ante, & post, Altari. In aliis verò cantatur à duobus Assistentibus, ut supra eorum capite diximus ex Cærem. Episc. lib. 2. c. 3. Cantato versu, vel tempestiviùs si non decantent versum, accedunt ad Altare cum debitis genuflexionibus in infimo gradu, ibique stantes ferè ad cornua Altaris anteriora, conduplicant hinc inde parrem anteriore tapetis super Altare positi usque ad medium,

dium, nisi jam antea à Sacrista id factum fuerit, quod est convenientius ex consuetudine recepta; at, incensato Altari, si commodè fieri potest, illud reducunt, prout antea erat, vel expectant post Vesperas, si aliter fieri non potest. Si tamen Altare nimis distet à Choro, possunt illud conduplicare. circa finem Psalmorum, antequam scilicet accipiant candelabra, vel cum accesserint ad Altare, dum cantatur *Magnificat*, depositis prius super gradu infimo candelabris.

VI. Regulariter autem inchoato Cantico sumunt candelabra, & salutato Choro cum Celebrante, procedunt ad Altare eo modo, quo supra, ante Assistentes paratos, ibique facta cum aliis genuflexione, stant ad angulos infimi gradus versus idem altare, dum Celebrans incensat altare; quo incensato, & genuflexione facta, denuò in Chorum recedunt cum aliis, ubi stant ut ad Capitulum coram Celebrante, dum incensatur: Tum deponunt candelabra in priori loco, vel alio non remoto, ipsique suo ordine incensantur omnium postremi. Si verò Celebrans incensatur paulò ante finem Cantici *Magnificat*, candelabra non deponunt nisi prope Celebrantem, & ad versù *Gloria Patri*, se inclinant.

VII. Circa finem Antiphonæ, resumptis candelabris, si ea antea deposuerint, accedunt cū debitis reverentiis ad Celebrantem coram quo stant, ut prius usque ad *Benedicamus Domino* inclusivè, & mox deponunt candelabra, ut prius, eaque recipiunt post Antiphonam B. Mariæ; qua dicta cum versu, & Oratione, deducunt Celebrantē in Sacristiam, ubi facta debita reverentia Cruci, & ipsi Celebranti, adjuvant assistentes dum se exuunt.

VIII. Si non dicatur Antiphona B. M. non deponunt candelabra, nisi in Sacristia. Si aliud Altare etiam præter majus sit incensandum, ad illud etiam procedunt cum Celebrante, sequentes Thuriferarium post incensationem prioris Altaris.

IX. In Cæremoniali Episcoporum non explicatur clarè, ut assistant ad Capitulum cum candelabris, nec ut deferant candelabra ad *Magnificat*, sed consuetudo jam ferè ubique recepta, dignitas Celebrantis, & processio sacra quæ fit ad Altare, & Canticum sacrum *Magnificat*, id satis declarant. Si tamen Altare sit in Choro, vel juxta Chorum, sine distantia, non videtur necesse, ut dese-

rant candelabra, sed satis est, ut procedant manibus junctis ad Altare, ut conduplicent velum, quod est super Altare, ut supra.

X. Ad Matutinas, diebus solemnibus, procedunt omnium postremi cottis induti, cum aliis Clericis, quia tunc Celebrans regulariter non est paratus, & assistunt in locis suis ad officium conformantes se Choro.

XI. Dum cantatur octavum Responsorium, vel citius, si opus sit, accipiunt candelabra accensa, comite Cæremoniaro, & ad Celebrantem accedunt, factis debitis Altari genuflexionibus, & ipsi Celebranti inclinatione, & ante eum stant, ut supra (ita ut numquam illi terga vertant, neque Altari) dum cantat ultimam Lectionem, & incipit Hymnum, *Te Deum laudamus*, quo inchoato faciunt illi inclinationem debitam, & candelabra sua ad Altare deferunt cum debitis genuflexionibus, & redeunt ad loca sua.

XII. In nocte Nativitatis Domini, candelabra etiam sustinent ad Orationem post absolutum Hymnum *Te Deum*, quo absoluto eum comitantur in Sacristiam, & inde ad Missam solemnem, ut suo loco dicitur in Festo Nativitatis Domini.

XIII. Ad Laudes circa finem Psalmi *Laudate Dominum de Cælis*, ex communi etiam usu, sustinent etiam candelabra coram Celebrante ad Capitulum, donec inchoaverit Hymnum, item ad Altare, cum dicitur Canticum *Benedictus*, procedunt ad illud incensandum. Similiter ad Orationem usque ad finem, eo modo quo ad Vesperas, ac postea cum illo recedunt.

XIV. In quibusdam Ecclesiis solent ante initium Matutinarum deferre candelabra ad Altare, ut initio Vesperarum, quia tunc Celebrans est paratus cum suis Assistentibus, decantant versus in fine nocturnorum, & aliqua responsoria cum suis versibus. At hæc nullo modo præscribuntur in Cærem. Episcoporum, quia numquam Celebrans est paratus ad Matutinas, nisi ad ultimam Lectionem.

XV. In Officio Defunctorum solemnè, ad Vesperas dum repetitur Antiphona post *Magnificat*, capiunt candelabra, & comite Cæremoniaro cum debitis reverentiis, ut supra, ea tenent ante Celebrantem, stantes, eo modo quo ad Vesperas. Cærem. Epif. lib. 2. c. 10. eumque comitantur in Sacristiam Idem faciunt ad Laudes, & non ad ultimam

lectionem, quia eam Celebrans regulariter non dicit, nisi ex consuetudine; & tunc si celebrans esset paratus, assistent etiam cum candelabris, sed hæc non sunt in usu.

XVI. Si Officium istud dicatur separatim ab alio Officio, poterunt comitari Celebrantem è Sacrificia ad Altare ante initium prædictarum Vesperarum solemnium, si ea sit consuetudo, quæ tamen non videtur introducenda, utpotè nimis irregularis, cum Officium istud ferè sit totum feriale.

## ARTICULUS III.

DE CEROFERARIORUM  
Officio in Missa solemnii.

I. **P**aulò ante Missam solemnem Ceroferrarii accedunt in Ecclesiam, ubi breviter orant, lavant manus, induunt cottas suas, adjuvant Ministros sacros, dum capiunt paramenta sua. Tum accendunt cereos Altaris suo tempore, & eos etiam, qui sunt in candelabris suis: deinde omnibus paratis, & posito incenso in Thuribulo à celebrante, nudo capite cum candelabris suis accensis, procedunt ad Altare è Sacrificia, facta prius Cruci, & celebranti debita reverentia, sequentes Thuriferarium. Si Sacrificia sit in parte Evangelii secundus Ceroferrarius, & Subdiaconus propè gradum infimum Altaris paululum retrocedunt, ut celebranti locum cedant, cui transeunti se inclinant: si verò sit in parte Epistolæ, idem à parte sua præstabit Diaconus cum primo Ceroferrario.

II. Cum pervenerint ad Altare, genuflectunt omnium postremi in plano super infimum gradum à lateribus aliorum hinc inde, mox surgunt cum iis, & deferunt simul candelabra sua super cornua credentiæ posteriora; commodius enim est, ut super cornua posteriora ponantur, quam super anteriora: eaque debent remanere accensa toto tempore Missæ. Advertat autem ille, qui est à parte Evangelii, ut non genuflectat iterum, dum transit per medium Altaris, quia prima genuflexio sufficit. Idem de altero in simili casu dicendum, si id illi contingat.

III. Depositis candelabris manent genuflexi hinc inde à lateribus credentiæ, collateralibus candelabris suis, non verò ante ipsam credentiam, & manibus junctis, quali conversi ad Altare. Initio se signant cum Cele-

brante, & ei respondent, sicut alii ministri, sed aliquantulum submissius se inclinant, & percutiunt pectus. Primus autem Ceroferrarius debet habere locum suum ad dexteram credentiæ, quæ est Altari proximior.

IV. Cum celebrans ascendit ad Altare, surgunt, & stant, prout erant genuflexi, manibus decenter pectori admotis, ut supra, sedentque, dum Celebrans sedet, tecto capite, sed super aliquam sedem humilem nudam propè credentiam, vel ad gradus laterales inferiores Epistolæ, facie tunc ad celebrantem conversa, ex Gavanto. In stando, & genuflectendo conformant se choro, non tamen sedent ad Epistolam, etiam si chorus sedeat. Regulariter tamen sedere non debent, præsertim si celebrans sit Prælati, aut Superior, aut in aliqua dignitate constitutus ultimi autem sedere debent, & primi surgere. Idem de Thuriferario dicendum.

V. Si tamen sit Clericorum in Choro numerus exiguus, prædicti Acolythi, depositis candelabris supra credentiam, (facta prius à Celebrante confessione, & postquam ascendit ad altare, & non prius) possunt illuc ire cum debitis genuflexionibus Altari, ut cum aliis decantent, quousque post cantatum ab ipsis Graduale, & versum sequentem, si talis est consuetudo, tempus sit resumendæ candelabra pro Evangelio, ut sit in quibusdam locis; sed rarè id fieri debet, cum sint Ministri speciales Altaris. Si verò Chorus nimis distet ab Altari, minimè cantare debent Graduale, sed tempestivè ad credentiam accedunt, ut parati sint ad Evangelium. Si sint ad credentiam, poterunt submissa voce dicere *Kyrie eleison*, manibus junctis, & Hymnum Anglicum separatim, cum sint semoti à se invicem.

VI. Dum Diaconus accepta benedictione à Celebrante pro Evangelio descendit de Altari cum libro, & non prius, ambo accipiunt sua candelabra, & sequuntur Thuriferarium ad Altare per planum, ubi habentes ipsum Thuriferarium medium, quasi inter Diaconum, & Subdiaconum, omnes simul genuflectunt, Acolythi in plano, illi super gradum infimum, ne bis genuflectere cogantur, dum scilicet illuc accedunt, & inde recedunt: tum procedunt post Thuriferarium ad locum Evangelii, ibique habentes medium Subdiaconum, stant usque

ad finem Evangelii facie ad Diaconum conversa, ita ut dignior eorum sit ad dexteram, alter verò ad sinistram Subdiaconi, nullo modo se signantes, nec se inclinantes, nec genuflectentes, cum candelabra immobilia repræsentent.

VII. Cantato Evangelio, statim sine mora præcedentes Diaconum, redeunt ad credentiam, genuflectentes Altari cum eodem Diacono, & sese celebranti stanti in cornu Epistolæ inclinantes, ibique depositis candelabris stant dicentes submissa voce, si velint, Symbolū manibus junctis sicut Hymnū Anglicum; ad versum verò, *Et incarnatus est*, cum celebrante genuflectunt. Quòd si stant, semper genuflectunt iterum ad eadem verba, cum à celebrante, & Choro dicuntur.

VIII. Dum Diaconus portat bursam corporalem ad Altare, si sedeant, surgunt, & stant nudo capite, donec ipse redierit ad locum suum, & tunc cum illo iterum sedent, facta ei prius debita reverentia. Dum celebrans surgit, ipsi surgunt, & stant.

IX. Dum inchoatur Offertorium, secundus Acolythus, aut alius adjuvat ad credentiam Subdiaconum in expandendo velo oblongo humeris ejus, ita ut à dextro latere longius pendeat; & extremitate illius veli cooperit Calicem, amoto prius à Subdiacono parvo velo, si sit super calicem, ut supra, ab ipso Acolytho ( si tegitur eo velo parvo ) qui illud plicat, & ponit super credentiam à parte sinistra: Tum ipse primus Acolythus accipit pelviculam cum ampullis vini, & aquæ, easque directè sequendo Subdiaconum defert ad Altare ambabus manibus, cavens, ne per viam decidat, & cum ad altare pervenerit, easdem successivè tradit Subdiacono, prius ampullam vini, deinde illam aquæ sine osculis, easque etiam ab eodem Subdiacono recipit suo tempore.

X. Impositis vino, & aqua in Calicem recedit cum iisdem ampullis ad credentiam, ubi stat, dum celebrans incensat Altare.

XI. Dum Diaconus incensat celebrantem, idem Acolythus accipit de credentia pelviculam manu sinistra, & dextera ampullam aquæ, vel buccale, si ( quod fortè sit pro dignitate celebrantis ) per manubrium super dicta pelvicula, eaque defert ad Altare, comite alio Acolytho à sinistris suis portante ambabus manibus manutergium plicatum,

ibique stant post Diaconum, dum incensat Celebrantem, & Cæremoniariū, post cuius incensationem, ille primus ministrat aquam ad ablutioem digitorum, fundens eam super indices & pollices illius, supposita pelvicula; alter verò subministrat mapulam, quam ambabus manibus super manus, & brachia celebrantis expandit, tepens eam per angulos superiores, servatis ab utroque debitis reverentiis, & cum quasi osculis ampullæ, & manutergii ante, & post.

XII. Deinde facta profunda reverentia Celebranti, ambo recedunt eodem modo, quo venerant, & reponunt ampullam, & bacile, ex quo effundunt aquam in aliquem locum congruum, & honestum extra Pavimentum, & plicatum manutergium reponunt super credentiam, ad quam stantes postea incensantur à Thuriferario, inclinantes se ei aliquantulum ante, & post.

XIII. Dum dicitur Præfatio, inclinant se ad ea verba *Deo nostro* cum Celebrante, & si sint majora candelabra ad Altare, ambo simul tempestivè, facta genuflexione Altari, sumpto lumine de lampade, vel de credentia, & non de ipso Altari, nisi aliter fieri non possit, accendunt simul cereos in ipsis candelabris appositos, facie semper, quantum fieri potest, etiam in simili casu, ad Altare conversa, vel unus tantum eos accendit, primò eum qui est à parte Epistolæ, tum cum qui est à parte Evangelii.

XIV. Deinde facta genuflexione, & depositis virgulis, seu extinctoriis, vadunt in Sacristiam, ubi accipiunt funalia, non candelabra, prius ab aliquo accensa, & Thuriferarium sequuntur ad Altare procedentem, ita ut qui à dextris incedit, facem aliquantulum ad dexteram, qui à sinistris, ad sinistram inclinet, altera manu infra pectus posita.

XV. Cum ad Altare procedunt, Chorum, si commodè fieri potest, salutant, nullo modo terga vertentes Altari, ita usus, & praxis Urbis; tum facta cum Thuriferario medio inter eos altari genuflexione, & facta sibi invicem capitis inclinatione mediocri, genuflexi postea manent in recta linea cum æquali distantia inter se, & ab altari quatuor ferè, aut quinque passibus, & etiam à Subdiacono. Videndus est tamen situs, & capacitas Presbyterii. Si tamen sit commodius, genuflectunt ad la-

tera ipsius Altaris, facie sibi invicem versa.

XVI. Si Sacristia sit retrò post altare, sintque duæ portæ, Presbyterium ambo ingrediuntur per portam Evangelii, & redeunt per portam Epistolæ, si fieri potest. Si verò sint quatuor, sex, aut octo, egrediuntur bini per utrumque latus, & eo casu digniores præcedunt ab utraque parte, sed Thuriferarius, & Cæremoniarius per portam Evangelii, alii per aliud latus. Cùmque ad medium pervenerint, expectant se invicem, & formantes rectam lineam se salutant, & ad Altare genuflectunt, & genuflexi postea manent, vel ibi, vel ad latera Altaris, ita ut digniores sint Subdiacono proximiores, ut supra, usque ad elevationem Calicis inclusivè, vel usque ad Communionem etiam inclusivè. Dum elevatur Hostia, elevant etiam faces, seu intorticia, usque ad depositionem Calicis inclusivè, calce earumdem apposito infra pectus.

XVII. In præcipuis Festis, & majoribus Ecclesiis, & quando celebrans est in aliqua dignitate constitutus, & ubi sunt multi Clerici, quatuor videlicet, vel etiam octo adhiberi possunt Ceroferarii, & tunc ii, qui Missæ inserviunt, remanent ad credentiam genuflectentes, & stantes prout Chorus, & tunc digniores sunt Subdiacono proximiores, ut supra regulariter; quando sunt Ceroferarii ordinarii; ipsi deferunt hujusmodi intorticia.

XVIII. Post elevationem Calicis, surgunt cum aliis, & facta iterùm genuflexione, recedunt cum Thuriferario, & Cæremoniario in Sacristiam, ibique funalia extinguunt; & si Sacristia sit retrò post Altare, minus digni prius recedunt. Si tamen sint aliqui communicandi, remanent cum facibus accensis genuflexi, usque ad peractam Communionem.

XIX. Id etiam observare debent diebus assignatis in Rubricis Missalis part. 2. tit. 8. n. 8. scilicet diebus jejuniorum, & in Missis pro Defunctis. Excipe tamen vigiliam Nativitatis Domini, Sabbata Paschæ, & Pentecostes, & Feriam 5. in Coena Domini, cum Quatuor Temporibus Pentecostes, quia his diebus in Choro non genuflectitur, & his diebus statim faces suas ad credentiam deferunt post elevationem Calicis.

XX. Extinctis funalibus, statim ad credentiam redeunt cum debita inclinatione Choro, & genuflexione Altari, ibique

stant prout Chorus, nec cum celebrante genuflectunt, quando genuflectit.

XXI. Circa finem Orationis Dominicæ, deficientibus aliis Ministris, secundus Acolythus accedit cum debita genuflexione ad cornu Epistolæ, ubi ambabus manibus accipit velum oblongum à Subdiacono, quod, facta iterùm genuflexione, reportat ad credentiam, super quam illud plicatum prius collocat.

XXII. Dum celebrans dicit *Agnus Dei*, percutiunt pectus inclinati profundè, idem faciunt ad *Domine, non sum dignus*, nisi funalia gestent, non enim tunc percutiunt pectus. Si sint ad credentiam, etiam stant versus altare profundè inclinati, dum Celebrans se communicat sub utraque specie, stant etiam profundè inclinati versus SS. Sacramentum, & dum alios communicat.

XXIII. Si desit Cæremoniarius, aut alius Minister, & si non teneant funalia, dignior facta genuflexione comitatur Subdiaconum, ad chorum eum præcedendo, ad pacem deferendam, portans in dextera sua pacis instrumentum, si dandum est Laicis osculandum, servatis semper debitis reverentiis, ut alias dicitur; & mox ad Altare reversus facta genuflexione, stans in plano à dextris, tunc Subdiaconus ab eodem accipit pacis osculum, eamque deposito prius instrumento pacis super Credentiam, vel in alio loco, dat aliis Acolythis circa Altare, non tamen iis, qui genuflexi funalia gestant. At verò ex Gav. par. 2. tit. 10. n. 8. si postea danda sit Pax cum instrumento aliis, quos Diaconus non incensavit, illud pacis instrumentum iterùm recipit.

XXIV. Si faces deferunt, & velint communionem accipere, alios sibi substituunt Acolyths, qui eas teneant, donec communicaverint; & dum fit Communio, manent genuflexi, facie sibi invicem versa, ut supra, à lateribus Altaris, ne Celebranti, & Ministris suis sint impedimento; ideòque bonum est, ut ab initio Canonis ita se disponant, quando præsertim facienda est Communio.

XXV. Ad Communionem Laicorum primus ex illis desert vas cum vino, & aqua pro eorum purificatione cum manutergio, ut infra, modò sint alii intorticia ferentes.

XXVI. Si non fit Communio, dum Celebrans sumit pretiosum Sanguinem, primus desert ampullas vini, & aquæ cum pelvi-

eula ad Altare, quas Subdiacono successivè porrigit sine osculis, easque rezeptas ad credentiam reportat sine genuflexione. Alter verò Acolythus defert interim parvum velum plicatum de credentia ad cornu Evangelii, genuflexus in medio, illudque tradit Subdiacono, quo ipse tegit Calicem. Tum ambo cereos ex majoribus, si ibi sint, candelabris, extinguunt cum extinctoriis, factis debitis reverentiis Altari cui verterentur non debent; quibus extinctis, redeunt ad loca sua cum debita reverentia, ibique stant vel genuflexunt, prout Chorus. Si verò nondum redierint de Sacristia, aut si sint alio impediti, Thuriferarius, aut Cæremoniarius ampullas vini, & aquæ, & postea velum, ministrabit.

XXVII. Ad benedictionem in fine Missæ genuflexunt, signantes se, manu sinistra apposita infra pectus. Ad Evangelium, stant se signant, & cum celebrante genuflexunt versus tamen Altare.

XXVIII. Post finitum Evangelium, & non prius, resumtis è credentia candelabris, accedunt per planum ad cornua hinc inde infimi gradus, ubi cum aliis Ministris semper genuflexunt, & cum celebrante, & aliis recedunt in Sacristiam salutantes chorum, si fieri potest, & Crucem, seu imaginem principalem, quæ est in Sacristia, & denique Celebrantem. Tum deponunt candelabra, & adjuvant Ministros exuentes se. Deinde cum Subdiacono redeunt ad credentiam, indeque etiam cum eo reportant ea, quæ prius ad credentiam fuerant præparata. Denique facta oratione, in pace recedunt.

#### ARTICULUS IV.

##### DE CEROFERARIIS in Missis Defunctorum, & aliis actionibus.

I. IN Missis Defunctorum deferunt quidem ad Altare initio Missæ candelabra, sed non ad Evangelium, ad quod procedunt omnium postremi, manibus junctis, post Subdiaconum. Ad lotionem manuum celebrantis afferunt etiam pelviculam, & manutergium; sed qui defert manutergium, illud tradit Diacono, quod, exteris Celebrantis manibus, illi restituit; qui verò pelvi-

culam, ipse ministrat aquam sine osculis ampullæ, quia tunc ab osculis abstinendum est.

II. Tenent faces accensas ab elevatione usque ad Communionem inclusivè.

III. Ad absolutionem in fine Missæ deferunt candelabra habentes Subdiaconum mediū, ut suis locis dicetur infra. Cætera peragunt, ut in aliis Missis, nisi aliter notetur.

IV. In omnibus Processionibus, etiam in Exequiis, regulariter habent medium Subdiaconum, aut alium Clericum Crucem deferentem.

V. Non incongruè in majoribus, & insignioribus Ecclesiis, præter hos supradictos Ceroferarios, potest alius adhiberi, qui de ampullis vini, & aquæ serviat, quique eas deferat super aliquam pelviculam paulo ante Offertorium, & eas opportunè porrigat Subdiacono, & ad credentiam reportet. Ipse etiam cum alio Acolytho ampullam aquæ, & buccale cum pelvica, secundum morem multarum Ecclesiarum urbis, pro lotionem manuum celebrantis, portare, & postea reportare debet. Ad Communionem eandem ampullas defert, ut supra diximus, hoc autem patet ex Cærem. Epif. lib. 1. c. 11. ubi innuit prædictum Acolythum debere ministrare Missæ, quæ etiam non sit Pontificalis; habentur enim in fine capitis talia: *Disti omnes Ministri (scilicet Thuriferarius, Ceroferarii, & minister de ampullis) necessarii sunt, etiam in Missis non per Episcopum celebratis, in Ecclesiis Collegiatis, præter illos qui ministrant Mirram, baculum Pastoralem, & gremiale, quæ sunt Episcopalis dignitatis propria.*

VI. Potest etiam ipse, si desit Cæremoniarius, accipere bireta Celebrantis, & ministrorum, & ea collocare loco congruo, ac reddere in fine Missæ, dare librum Epistolæ Subdiacono, eum comitari ad locum Epistolæ, ac reliqua peragere, quæ respectivè ad Cæremoniarium spectant, non decent tamen eum incedere à sinistris Ministrorum sacrorum, & aliorum quos comitatur, sed præire ad Altare, ut solia vertat Missalis. Idem tamen procedit ad altare initio Missæ à sinistris Thuriferarii, & in fine Missæ eodem modo redit in Sacristiam. Potest etiam providere multis, quæ facienda sunt ad Altare, aut alia loca.

VII. Acolythi prædicti Ceroferarii Sabato

bato Santo, & Pentecostes, assistunt quidem ad Evangelium, sed tantum junctis manibus, & similiter ad eam partem, quæ habetur loco Evangelii, quando in majori hebdomada cantantur Passiones, hinc inde à lateribus Subdiaconi sine candelabris, & in Dominica Palmarum, si talis sit consuetudo, poterunt ad prædictam partem deferre palmas, ut infra dicitur.

VIII. Multa alia sunt Officia ceroferiorum, quæ vix hoc loco possunt explicari, de quibus infra suis locis commodius acturi sumus.

## C A P U T XV.

De Officio Thuriferarii.

## A R T I C U L U S I.

De Thuriferarii officio in genere.

I. **T**huriferarius, Thuribulum, Naviculam, & cochlear ministraturus, thus in ea debet imponere congruo tempore, sicut & ignem in loco apto præparare, in aliquo vase ad id destinato, pro Vesperis quidem, Laudibus, & Processionibus in Sacristia, vel prope eam, pro Missa verò prope Altare in aliquo loco, remoto tamen à populi conspectu, atque etiam scabellum, forcipes ad capiendos carbones, sicut etiam ligna sulphurata, & alia omnia suo officio convenientia, & cautè advertat, ut ignis non deficiat.

II. Hora competenti, & omnibus suprà dictis paratis, factaque priùs oratione, lavat manus, cottam induit, accipit Thuribulum dextera, illudque pollice in anulum majorem immisso, altero verò ejusdem manus digito, videlicet annulari, minorem anulum catenulæ elevantis coopertorium Thuribuli, appositum sustinet, sinistra verò pedem naviculæ clausæ cum thure, & cochleari, eaque gestat ambabus manibus, æqualiter semper elevatis, & manicis cottæ suæ super brachia reflexis, ne fortè cum Thuribulo, vel navicula implicari, aut comburi contingat, & cum opus est, operculum aliquantulum per catenulam sursum trahit, cum verò affert Thuribulum ad celebrantem, ut in illud thus immittat, ipse navicu-

lam dextera tunc, sinistra verò Thuribulum defert. Cærem. lib. 1. cap. 23. Videat etiam ut pars naviculæ, quæ aperiri debet, semper pectus suum respiciat.

III. Cum alicui traditurus est naviculam, tradit eam dextera, & regulariter eam sinistra recipit, modò altera sustineat Thuribulum.

IV. Hoc autem modo Thuribulum sustinet coram celebrante, ut in illud thus immittat, conversus ad celebrantem, sustentans majorem anulum Thuribuli sinistra manu, & elevato altero annulo operculi manu dextera, eademque manu dextera complectens catenulas circa medium earum, inter operculum, & Thuribulum æqualiter elevatum ad naviculæ altitudinem, ipsum Thuribulum flexo quasi genu sustinet, nisi aliter notetur. Tum data per Celebrantem benedictione super Thuribulum adhuc apertum, acceptaque navicula sinistra ipsum Thuribulum clausum porrigit Diacono, aut Assistenti, aut alteri. Advertat autem, ut cum dat Thuribulum in manibus Diaconi, aut Assistentis, qui mox illud ad manus Celebrantis Altare thurificaturi porrigere debent, catenularum summitatem in dextera, Thuribulum verò in sinistra prædictorum ponat, ut ipsi deinceps commodè ad manus celebrantis contrario modo porrigant, videlicet catenulas in sinistra, Thuribulum in dextera. Cærem. Episc. lib. 1. cap. 23.

V. Si verò Thuriferarius teneat naviculam sinistra, debet Thuribulum dextera tantum manu porrigere per catenularum summitatem, nimis enim incommodum esset illud ambabus manibus porrigere. At si ipsemet Thuriferarius immediatè porrigit Thuribulum in manus celebrantis, aut etiam ministri alicujus, ipsum celebrantem, aut alterum incensaturi, tradit illud eodem modo quo Diaconus ambabus manibus, videlicet dextera summitatem tenens, & sinistra catenularum extremitatem prope vas ipsius thuribuli, modò naviculam non teneat altera manu; osculatur verò illud tunc quando porrigit Celebranti, non verò aliis, soli enim Celebranti debentur oscula. Advertat etiam, ut non omnino genuflectat dum celebrans imponit thus, sed sit quasi flexo genu, nisi ministret Episcopo, quia tunc genuflectit ei dum thus imponit in

Thuribulum. Item advertat, ut si benedici debeat thus in Thuribulo à celebrante, Thuribulum illud non claudat, quin prius celebrans illud benedixerit: & ideo semper apertum illud tenere debet ante celebrantem, donec benedixerit: Quando autem benedicendum erit thus, infra dicemus suis locis.

## ARTICULUS II.

De Officio Thuriferarii ~~ad Vesperas~~  
& Laudes.

I. **A**D Vesperas solemnes Thuriferarius è Sacristia facta Cruci, & celebranti reverentia, procedit omnium primus manibus junctis, nudo capite sine Thuribulo, factaque ad Altare cum celebrante, à sinistris primi Ceroferarii, genuflexione, & oratione, vadit in chorum etiam manibus junctis, salutans cum aliis Clericos ibi assistentes. Tum procedit ad locum suum, qui ordinariè debet esse in inferioribus subselliis chori propè sedem celebrantis, ut ei præsto sit, si opus sit. Dum dicitur, *Deus in adjutorium* se signat, & in cæteris conformat se choro, & assistentibus. In multis tamen Ecclesiis procedit post Ceroferarios ordine suo cum aliis Clericis, quando scilicet Clerici accedunt ad chorum processionaliter, & benè.

II. Circa finem ultimi Psalmi Vesperarum factis debitis celebranti, choro, & Altari reverentiis, vadit in Sacristiam, & inde cum Thuribulo, & navicula, post versum qui sequitur Hymnum, redit ad Altare ubi facta genuflexione expectat celebrantem, cum quo, & aliis genuflectit, & statim ascendit ad suppedaneum Altaris, ubi facta iterum genuflexione, porrigit, ut supra, quasi flexo genu naviculam primo assistenti, & Thuribulum sustinet ante celebrantem, ut in illud thus immittat, & postea tradit illud assistenti, ut etiam supra.

III. Potest tamen Thuriferarius decenter, & convenienter, dum cantatur prædictus versus, accepto Thuribulo de Sacristia, ad medium chori accedere, cui se inclinat ab utraque parte profundè, & ibi jungere se Ceroferariis, ut ibi celebrantem expectet, & tunc procedit omnium primus ad Altare, ubi ministrat naviculam primo assistenti, ut mox supra; cum autem tra-

didit thuribulum assistenti, facta genuflexione, descendit in planum ad cornu Epistolæ, ubi stat versus Altare habens naviculam, ibique etiam, finita incensatione, recipit Thuribulum ab assistente, & mox, facta genuflexione cum aliis, redit in chorum, præcedendo omnes, ubi, post debitas inclinationes, iterum tradit Thuribulum primo assistenti, cujus fimbriam pluvialis dextera elevat, dum celebrantem incensat, à quo etiam, postquam incensaverit celebrantem, Prælatos, & Magistratus, si qui sint, illud Thuribulum recipit, & omnes de choro incensat ritu, capite de Thurificatione, præscripto infra; naviculam verò in loco congruo deponit, vel tradit alicui custodiendam.

IV. Advertat autem, ut non incenset cantores, aut assistentes dum actu cantant soli, aut aliquid etiam soli inchoant, sed expectet donec cantum expleverint, aut cantum præveniat quantum fieri potest. Dum etiam dicitur versus *Gloria Patri*, neminem incensare debet, sed debet inclinare se versus Altare. Metiatur verò ita incensationem tam chori, quam populi, ut omnino absoluta sit ante Orationem, & si non sit absoluta, cesset ab incensatione, qua completa, tam in Vesperis, quam Laudibus, post factam debitam choro, & Altari reverentiam, redit in Sacristiam, deinde deposito Thuribulo, & navicula, recedit in chorum, si opus sit cum debitis reverentiis, non tamen eo tempore quo celebrans Orationem decantat. Si autem opus sit, potest ministrare lumen celebranti ad Capitulum, & Orationes, & deficiente pulpito librum ministrare, modò id officium suum non impediatur.

V. In minoribus Ecclesiis, si fortè nulli sint assistentes ad Vesperas, & Laudes propter Clericorum paucitatem, dum dicitur *Magnificat*, vel citius, ipse Thuriferarius cum alio Acolyto, si fieri potest, à sinistris suis, præcedens Ceroferarios, vadit ad Altare cum celebrante, ubi genuflectit in plano à dextris, & socius à sinistris ipsius celebrantis, tum ascendit super suppedaneum, & stans dat naviculam socio, qui mox eandem ministrat celebranti, ut thus in Thuribulum imponat de more, cum osculis cochlearis, & manus ipsius celebrantis; ipse verò Thuriferarius offert Thuribulum celebranti cum



ti cum debitis osculis, ut supra, & Altare thurificet more solito, & interim ambo pluviale ipsius elevant hinc inde, deposita prius navicula in loco congruo, genuflectentes semper ante medium Altaris.

VI. Thurificato Altari, Thuriferarius stans in Cornu Epistolæ, in infimo gradu, supponendo dexteram suam, vel ambas manus dexteræ celebrantis, illamque osculando, capit thuribulum propè vas dextera, manubrium sinistra, ipsum pariter osculando, quo factò ambo Acolythi genuflectunt ut prius ante Altare, & cum eo recedunt in chorum, ubi Thuriferarius celebrantem, reliquos de choro, & populum, ut infra capite de Thurificatione, incensat.

Completa incensatione, redit in Sacristiam solus, & deinde in chorum, ut supra, ut ministrat candelam, aut librum celebranti, si opus sit. Tandem, absolutis Vesperis, redit in Sacristiam cum celebrante, factis reverentiis choro, & Altari, nisi remaneat in choro.

Ad Laudes eadem Thuriferarius agit respectivè quæ supra ad Vesperas.

### ARTICULUS III.

#### *De Thuriferarii officio ad Missam solemnem.*

I. **A**D Missam solemnem Thuriferarius congruo tempore in Sacristia antequam procedant ad Altare porrigit naviculam Diacono, & ministrat Thuribulum Celebranti, tum imposito thure in Thuribulum procedit nudo capite ante omnes alios portans Thuribulum fumigans dextera, & naviculam sinistra. Si tamen facienda sit aquæ benedictæ aspersio, aut Cinerum, aut aliorum benedictio, non illa defert, ut suis locis dicemus, sed procedit manibus junctis, vel diebus Dominicis defert vas aquæ benedictæ, ut infra dicitur capite de ministro de vase, quod ab ipso legendum est.

II. Dum autem procedit, salutat cum Celebrante chorum ad signum Cæremoniarum, accedensque ad Altare ( paulum retrocedit à cornu Epistolæ, si Sacristia sit in parte Epistolæ ) genuflectit à dextris Diaconi si fieri potest, aliàs in plano versus cor-

nu Epistolæ, si gradus sint nimis breviores. Tum surgit, & recedit ad idem cornu Epistolæ in plano, ubi genuflectit ad Confessionem, & alia, donec celebrans ascendat ad Altare post factam confessionem, agitans tantisper Thuribulum apertum, ne ignis extingatur.

III. Facta confessione, ascendit per gradus laterales Epistolæ, ferè ad medium Altaris super suppedaneum, ubi facta genuflectione, itans à dextris Diaconi ante Celebrantem, naviculam semiapertam tradit Diacono dextera, & ministrat Thuribulum celebranti, ut supra, quo factò, recipit naviculam sinistra, & Thuribulum tradit Diacono dextera.

IV. Dum celebrans incensat Altare, facta genuflectione, descendit in planum ad cornu Epistolæ, ibique ad ipsum conversus, stans, expectat finem incensationis. Deficiente Cæremoniarum, amovet librum cum cussino de Altari deposita prius navicula super credentiam, & eum, cum debitis genuflectionibus, reponit, post factam prius incensationem illius cornu, super quod reponi debet, & advertat, ut tunc descendat tantum in planum propè, & juxta cornu Epistolæ, & non longè ab ipso.

V. Finita incensatione celebrantis, recipit Thuribulum à Diacono à dextris ejus stans, & illud collocat in loco congruo, & commode, reditque ad credentiam, ubi se conformat choro, stando, vel genuflectendo, aut sedendo, non tamen sedet ad Epistolam, ad quam chorus sedet. Potest tamen commode collocare Thuribulum super credentiam, si prius emittat carbones ex eo, illudque in aliquo vase ad id destinato reponere, advertendo ne carbones in vase ad id parato prope Altare extingantur.

VI. Dum cantatur Graduale, vel citius, præparat Thuribulum cum navicula, & ad signum Cæremoniarum, vel Diaconi, aut circa finem Sequentiæ, ascendit ad Altare cum debitis genuflectionibus, ibique ministrat naviculam, & Thuribulum, ut initio Missæ.

VII. Imposito, & benedicto thure, receptaque navicula sinistra, descendit tenens Thuribulum, & eandem naviculam per gradus laterales Epistolæ, facta prius genuflectione, & accedit ad Cæremoniarum,

quos præcedit ad medium Altaris, dum scilicet Diaconus, post acceptam benedictionem, descendit ad infimum gradum ipsius Altaris, ubi genuflectit in plano in medio cæroferiarum, eo tempore quo Diaconus, & Subdiaconus genuflectunt super infimum gradum. Tum præcedit cæroferarius ad locum Evangelii, ubi collocatis omnibus in locis suis, stans aliquantulum post Diaconum à dextris Cæremoniarii, si adsit, tenet ac leniter ducit Thuribulum semiapertum. Si tamen Cæremoniarius debet Thuribulum porrigere Diacono, ut supra diximus lib. 1. cap. 1. Thuriferarius stare debet à sinistris Cæremoniarii. At cum Diaconus dixerit *Initium* vel *Sequentia*, &c. Thuribulum clausum dextera, quia sinistra tenet naviculam, tradit Cæremoniario, vel immediate Diacono, ut supra, receptumque iterum, elevata catenula, agit, ac genuflectit cum Diacono, si opus est, versus Altare, & inclinat se etiam cum eo.

VIII. Cantato Evangelio, statim redit ad medium Altaris omnium primus, ubi facta cum iis genuflectione, erectus tradit, ut supra, Thuribulum Diacono sine osculis, statque in plano quasi à dextris Diaconi dum Celebrantem incensat, deinde accepto Thuribulo de manu Diaconi, genuflectit iterum, illudque loco congruo deponit, ac statim ad Credentiam redit, ubi, si fieri potest, in loco suo dicit voce submissa solus Symbolum, tunc se conformans Celebranti, & cum eo genuflectens ad versum *Et incarnatus est*. Si verò non dicitur Symbolum, incensato Celebrante agit Thuribulum loco congruo, ne ignis extingatur.

IX. Dum Celebrans offert Hostiam, parat Thuribulum iterum, & naviculam, & dum dicit, *Veni sanctificator*, post oblationem Calicis, accedit ad Altare cum solitis reverentiis, ibique ministrat naviculam, & Thuribulum, ut supra, & statim, dato Thuribulo Diacono, facta genuflectione descendit in planum, & si non adsit Cæremoniarius, librum cum cussino amovet de Altari cum debitis reverentiis ante, & post, & descendit in planum prope, & juxta cornu Evangelii: quo reposito redit ad cornu Epistolæ per planum capellæ, genuflectens in medio, ibique post Diaconum stat dum incensat Celebrantem.

X. Post hæc genuflectit in medio post

Diaconum, & deferens secum naviculam dextera, sinistra infra pectus posita, ad ponendum thus in Thuribulo, si fumus deficiat, comitatur eum in chorum, præcedendo. At cum ad chorum pervenerit, salutatis Clericis ab utraque parte, accedit ad digniorem, quem Diaconus thurificat de more, factis ab utroque debitis reverentiis ante, & post. Quo facto retrahit se ad partem superiorem chori, ubi stans expectat Diaconum

qui reliquos de choro thurificat. Tum, postquam chorus incensatus fuerit, factis ei hinc inde cum Diacono debitis reverentiis, redit ad Altare, ibique facta genuflectione post eundem, stat dum Subdiaconum thurificat, deinde, accepto thuribulo, eundem Diaconum incensat duplici ductu, cum debitis inclinationibus ante, & post, deinde Acolythos stantes ad credentiam sine mora & inclinationibus, nisi fortè aliquo nutu capitis.

XI. Si autem Diaconus Beneficiatus, & alios inferiores ministros non incensavit, ipse Thuriferarius post incensationem ipsius Diaconi eos incensat, deinde Acolythos ad Altare. Dominos verò locorum, sedem distinctam ab aliis habentes, de quibus nihil præscribitur in Cærem. Episcoporum, duplici, vel unico ductu pro consuetudine, & qualitate personarum. Postea, facta genuflectione, in medio Presbyterii, stans conversus ad populum, incensat illum ter; primo in medio, tum versus cornu Epistolæ, denique versus cornu Evangelii cum inclinatione ab utraque parte, ante, & post si tamen ibi est expositum SS. Sacramentum, stat ferè ad latus Evangelii. Gav. ibid. tit. 7. num. 10.

XII. Finita incensatione populi, & facta genuflectione Altari, vadit in Sacristiam cum Thuribulo, & navicula, ubi accendit, nisi alius id efficiat, funalia pro Acolythis, & dicto *Sanctus*, redit, præcedens eosdem, ad Altare cum Thuribulo, & navicula, clerum in choro salutans, & genuflectens in plano ante Altare in medio eorum, & mox surgens accedit ad infimum gradum in plano, ante cornu Epistolæ, ibique genuflexus, immisso per se ipsum, vel Cæremoniarium thure in Thuribulum sine benedictione, naviculaque prope se deposita, ter incensat SS. Sacramentum in utraque elevatione, scilicet cum

cum celebrans illud primò adorat, tum cum illud elevat, denique cum illud deponit profundè se inclinans ante, & post incensationem, deinde facta iterum genuflexione resumptaque navicula recedit genuflectens in medio, si transeat ante Altare solus, vel cum Acolythis, in Sacristiam, de qua manibus decenter ante pectus compositis redit iterum ad credentiam, ubi stat, vel genuflexus manet prout Chorus, non genuflectens cum Diacono quando tegit, aut detegit Calicem, si stat.

XIII. Potest etiam absente Cæremoniaro, aut alio Ministro, ut suprà, accedere ad Altare sub finem Orationis Dominicæ, ibique velum Subdiaconi recipere ambabus manibus, & super credentiam reportare, ac illud plicare, genuflectens in accessu, & recessu ab eodem Altari.

XIV. Cùm dicitur *Agnus Dei*, cum celebrante in loco suo percutit sibi pectus, ut alii. Cùm danda est pax, deficiente Cæremoniaro, genuflectens, ut suprà, comitatur Subdiaconum in Chorum, ut ad incensationem, portans in dextera brachio sinistro superposita decenter pacis instrumentum, quod eidem Subdiacono porrigit, quando opus est, si ab ipso met danda sit pax Laicis; alias non desertur illud pacis instrumentum.

XV. Data pace Choro, redit ad Altare, ubi facta genuflexione, eam capit ab eodem Subdiacono cum osculo, factaque iterum genuflexione, eam separatim dat aliis Acolythis, si sint à se invicem separati, & distantes à lateribus credentiæ, vel solum digniori, si sunt contigui, per mutuum amplexum, & osculum: deinde laicis cum instrumento, si opus sit, ut jam diximus. Si hæc non agat Thuriferarius, sed alius, tunc ipse inclinatus profundè percutit pectus ter, dum dicit cum Celebrante, *Domine, non sum dignus*, & ad Communionem Celebrantis profundè se inclinat, si adsit.

XVI. Si facienda sit Communione, potest etiam, si alius non adsit, ministrare laicis purificationem in vasis cum vino, & aqua postquam Communionem sumpserint, & simul mappulam, manu sinistra, ad os tergendum, genuflectens semper SS. Sacramento, quando ad ipsum accedit, vel ante illud transit, aut ab eo recedit.

XVII. Ad Orationes stat, vel genuflectit

prout Chorus. Ad benedictionem manet genuflexus, signans se cum aliis. Ad Evangelium etiam stat. Denique completa Missa, & facta cum aliis genuflexione, ut initio Missæ, & in eodem loco, præcedendo Cæremoniaros manibus junctis & nudo capite redit in Sacristiam, ibique facta Cruci debita reverentia, adjuvat ministros sacros paramenta sua deponentes.

XVIII. Potest etiam deficiente Cæremoniaro porrigere Diacono biretum celebrantis, deinde illud ipsius Diaconi, sicut etiam Subdiacono in fine Missæ, prout ea accepit initio, eo modo quo Cæremoniarus: sed initio Missæ prius debet deponere Thuribulum & naviculam, & biretis in loco congruo depositis, ea resumere.

XIX. Absente etiam Cæremoniaro, vel alio ministro, circa finem Orationis, quæ immediatè dicitur ante Epistolam, accipit de credentia librum Epistolarum ambabus manibus, quem postea tradit Subdiacono eo modo, quo Cæremoniarus, cum mediocri inclinatione, eumque postea comitatur ad locum Epistolæ, & ad celebrantem, cum debitis reverentiis, ut suprà diximus, multaque peragit respectivè, sicut ipse Cæremoniarus.

XX. Advertat autem, ut præcedat semper eum, quem conducit. Item, ut cum is, quem comitatur, inclinare se aut genuflectere debet, ipse quoque se inclinet, aut genuflectat, quia in his, aut similibus, quasi munus Cæremoniarum exercet.

#### ARTICULUS IV.

*De Thuriferarii Officio in Defunctorum  
absolutione, & exequiis.*

I. IN Missis Defunctorum Thuriferarius non portat Thuribulum initio Missæ, sed primus procedit suo ordine manibus junctis, & nudo capite. Ad Confessionem genuflexus manet propè Credentiam. Ad Orationem, seu plures, genuflectit, sicut Chorus. Si tamen desit Cæremoniarus, ministrat librum Subdiacono, & eum comitatur ad Epistolam, & ea finita post genuflexionem, illum recipit, & ponit super credentiam.

II. Si distribuendæ sint candelæ, possit eas distribuere in Choro, nisi alius id efficiat. Non procedit ad Evangelium cum aliis, nisi vices gerat Cæremoniarum, quia tunc

eos præcedit, & accepto in fine Evangelii libro à Subdiacono, post factam genuflexionem, illum reponit super Credentiam.

III. Ad Oblata ministrat de more naviculam, & thuribulum, quod, incensato celebrante, recipit, & defert in Sacrifiâ ubi intorticia accendit pro Acolythis, ut supra.

IV. Post dictum *santus*, à Celebrante, redit portans thuribulum, & naviculam, ad Altare, præcedens Acolythis de more funalia deferentes, ubi cum eis genuflectit, & accedit ad cornu Epistolæ, ibique thuribulum porrigit Subdiacono, in eodem cornu genuflexo, qui prius stans, ibidem posuit thus in eo, ut SS. Sacramentum incenset, ut supra diximus, & tunc manet ipse etiam genuflexus in plano. Post elevationem recipit thuribulum cum navicula, quod statim reportat in Sacrifiâ, ubi curat, ut ignis pro Absolutione non deficiat. Tum redit ad Credentiam, ubi genuflexus manet, prout Chorus, usque ad *Pax Domini* exclusivè. Non percutit pectus ad *Agnus Dei*, sed tantum ad *Domine non sum dignus* profundè inclinatus, sicut ad Communionem celebrantis. Ad Orationes genuflectit. Dum dicitur Evangelium ultimum, vel tempestiviùs parat ignem in thuribulo pro Absolutione faciendâ in fine Missæ.

V. Ad Absolutionem defert thuribulum ante Crucem, facta priùs Altari genuflexione cum socio suo, portante vas aquæ benedictæ à sinistris ejus, & cum pervenerit prope caput lecticæ, sinens abire Subdiaconum ad pedes ipsius lecticæ, retrò post celebrantem firmat se à dextris focii sui in parte Epistolæ. Cum cantatur ultimus versus Responsorii *Libera me, Domine*, facta genuflexione in medio, porrigit Diacono naviculam, stans à dextris ejus, & ante celebrantem, cui ministrat thuribulum, ut in illud thus imponat.

VI. Deinde recedit ad priorem locum genuflectens priùs in medio, & facta asperzione lecticæ à celebrante, thuribulum tradit eidem Diacono, factaque incensatione illud recipit. Tum si faciendæ sint exequiæ thuribulum agit aliquantulum, ne ignis deficiat pro loco sepulturæ. Dicto per Cantores, *Requiescant in pace*, ordine quo venerat, recedit.

In exequiis eadem agit quæ supra, sed

cùm post Ref. *Libera, &c.* incensationem corporis, & Orationem, corpus ad locum sepulturæ defertur, ipse præcedit iterum Crucem, ibique stat post celebrantem, ut supra, pro situ loci, & porrigit naviculam, & thuribulum Diacono, ut illud ministret celebranti quando opus est, ad incensandum corpus & locum defuncti ante Canticum *Benedictus*. At verò, si desit Diaconus ipse ministrat naviculam, aut Cereponiarium, & porrigit thuribulum sine oculis, & comitatur celebrantem dum incensat feretrum, elevans pluviale ejus, genuflectens Cruci, & Altari; in aliis etiam ministrat, sicut Diaconus.

## ARTICULUS V.

*De Thuriferarii Officio in Processionibus.*

I. **A**D Processionem SS. Sacramenti, duo Thuriferarii assistere debent quantum fieri potest, de quibus suis locis feria quinta in Cœna Domini, & Festo Corporis Christi, & alibi; ambo procedunt moventes continuè & tractim manibus dextris sua thuribula de iisdem pendencia, & fumantia, altera manu pectori posita, quasi sternendo viam SS. Sacramento cum odore incensi.

In Translatione solemnî Reliquiarum, possunt etiam adhiberi duo, qui incensent Reliquias in Processione, eo modo quo celebrans Altare, terga minimè vertentes SS. Sacramento, vel Reliquiis: in aliis Processionibus unicus debet adesse Thuriferarius qui præcedit Crucem portans thuribulum dextera, naviculam sinistra æqualiter elevata usque ad pectus.

## CAPUT XVI.

*De Ministri Vas aquæ Benedictæ portantis officio.*

I. **E**st alius Acolythus, cujus officium est portare vas aquæ benedictæ ad asperionem aquæ benedictæ, & Absolutionem pro defunctis, & alia multa, ut infra suis locis. Cùm defert vas prædictum, tenet illud regulariter sinistra per inferiorem par-

partem aliquantulum elevatum usque ad pectus, mediocriter tamen ab eo remotum, dextra verò Asperforium inter pollicem, & indicem, firmans illud super labrum dicti vasculi; habenda tamen est ratio formæ illius vasis, illudque Asperforium porrigit Diacono, aut etiam Celebranti, vel alteri, quando opus est.

II. Diebus Dominicis, Thuriferarius munus illud potest explere, cum non gesserit thuribulum, nisi in principio Missæ, & nisi sit alius Acolythus ad id destinatus. Itaque quisquis ille sit, tenens illud vas, eo modo quo supra, cum celebrans procedit ad Altare aspergendum, ille ante ministros procedit, ubi genuflectit à parte Diaconi, cui Asperforium tradit quando opus est; & cum procedit ad Chorum, incedit quasi à dextro latere Diaconi, paulò tamen ante eum, & ei iterum porrigit Asperforium, ut infra capite de asperfione aquæ benedictæ p. 2. dicemus.

III. Facta asperfione, redit in Sacristiam, ex qua desert ad Altare Planetam, & manipulum celebrantis, dextera cooperta manica cottæ, tenens superiorem partem ejusdem Planetæ, cum manipulis celebrantis, & Ministrorum, sinistra verò illam elevans. Et circa finem Orationis *Exaudi* accedens facta genuflexione, tradit manipulum Subdiacono, & Planetam Diacono, atque utraque manu accipiens Pluviale celebrantis, illud desert in Sacristiam cum debita genuflexione. Castaldus l. 1. sect. 4. c. 16. n. 4. & 5. Reposito Pluviali in loco suo, capit thuribulum cum navicula, & mox accedens ad Altare genuflectit in medio, & inde accedit ad cornu Epistolæ prope credentiam, ubi genuflexus manet ad Confessionem.

IV. Antequam dicatur Missa solemnis pro Defunctis, parat in cornu Epistolæ, vel alio loco prope Altare, vel super Credentiam, vas aquæ benedictæ cum asperforio, & etiam Rituale, si alius id non efficiat.

V. Pro Absolutione verò, circa finem Missæ solemnis, portat de Sacristia Pluviale nigrum pro celebrante ad cornu Epistolæ, quod tradit Ministris sacris, recipitque Planetam, manipulos tam celebrantis, quam Ministrorum, collocans eos cum prædicta Planeta super altare in cornu Epistolæ, nisi alius sit locus commodior, quia eo casu non debent poni super Altare.

VI. Ad Lecticam procedit à sinistris Thuriferarii ante Crucem, facta prius genuflexione cum aliis, vas aquæ portans, ut supra, & si non sit alius, etiam Rituale cum suo tegumento nigri coloris sinistra, ante pectus, vel commodiori modo quo potest. Remanet ad pedes Lecticæ post celebrantem, & Diaconum, stans à sinistris ejusdem Thuriferarii dum Responsorium *Libera me Domine* dicitur, ad cuius finem, inchoato à celebrante *Pater noster*, porrigit Diacono Asperforium, statque suo loco, dum Celebrans aspergit Lecticam, finitaque asperfione, illud ab eodem recipit. Thurificata autem Lectica, porrigit etiam Diacono Rituale, illudque finita Oratione recipit, & mox accedit ad Crucem à sinistris Thuriferarii, & ordine quo venerat redit in Sacristiam; ubi facta reverentia Cruci, & celebranti, reponit vas suum, & librum in locis suis.

VII. Si deferatur defunctus ad locum sepulturæ, tunc vadit etiam ante Crucem à sinistris Thuriferarii, ad prædictum locum, & postea eodem modo stat post celebrantem, si situs loci patitur, ministrans, quando opus est, & asperforium, & librum Diacono.

VIII. In exequiis, ipse solus procedit ab Ecclesia ad locum ubi jacet corpus defuncti, & eodem modo redit ab eo loco ad Ecclesiam, quia tunc Thuriferarius non ministrat. Si autem non adsit Diaconus, ut in Exequiis extra Missam evenit, vel ob rationabilem aliquam causam, celebrantem induit pluviali, adjutus à Thuriferario, & librum ipsemet desert cum vase, elevatque à dextris Pluviale celebrantis, dum feretrum aspergendo circuit, genuflectens Cruci, & Altari, deposito prius vase, & libro in aliquo loco congruo, quem librum capit, & sustinet apertum ante eum dum cantat orationes, paulò tamen à sinistris ejus, quibus finitis redit eodem ordine quo venerat in Sacristiam, ut supra.

IX. Item, si opportunum sit, & Acolythorum sit numerus sufficiens, portat vas aquæ benedictæ diebus Dominicis, Sabbato sancto, & Pentecostes, ante Crucem. Item, quando deferatur SS. Sacramentum, & illud Extremæ unctionis ad infirmos, & ad alia multa, de quibus infra suis locis particularibus.

## CAPUT XVII.

## De Ministro Missæ Privatae.

I. **M**inister deputatus ad inserviendum Missæ privatae, quisquis ille sit, cessante omni impedimento ministrare debet alacriter in divinam intentus Majestatem, & memor sit ad plusquam Angelicum se vocari ministerium, ideoque toto cordis affectu ad illud se comparet, ut fructum ejus cum augmento gratiæ spiritualis consequi mereatur.

II. Hora designata accedit ad Ecclesiam, ibique aqua benedicta se aspergit, & orat, deinde vadit in Sacristiam, ubi lavat manus dicens, si velit, *Fiat Domine cor meum immaculatum, ut non confundar*, & si vacat, paululum orat iterum genuflexus dicens Orationem, *Actiones nostras*, aut aliam similem. Hic Acolythatus ordine, si fieri potest insignitus esse debet, atque etiam cotta indutus ex præcepto Missalis, & capillis modeste complanatis, coronaque spectabili. Si tamen nullus adest Clericus, posset ex consuetudine aliquis vir ex honestioribus supplere vices, & Missæ ministrare, numquam verò foemina.

III. Sic indutus ampullas mundas vini, quod purum, & album, si fieri potest, esse debet, & aquæ cum lance, & manutergio, desert ad capellam, vel locum in quo celebranda est Missa, eaque intra fenestellam in cornu altaris paratam, vel super mensam, quæ dicitur credentia, ponit, ibique tapetem Altaris decenter revolvit versus partem posteriorem ipsius altaris, vel potius amovet; quod videtur decentius; & pulverem desuper Altare excutit scopa aliqua ad id destinata. Parat etiam ibi alia ad Missam necessaria, videlicet tabellam Secretarum, Crucem in medio Altaris, duo candelabra cum totidem cereis, & manutergium Sacerdotis. Parat etiam virgam cum candelula in ejus summitate, ad accendendos, & extinguendos cereos: & si qui sint communicandi in Missa, præsertim multi, parat hostiarum, in qua tot sint hostiæ quot sufficiant, sicut & inappulam, aut plures extendendas ante communicandos, & aliam ad os purificandum, cum vasis pro eorum purificatione: ponit insuper campanulam

super Credentiam, nisi fortè una specialis ibi appensa sit pro elevatione SS. Sacramenti: Item parat in Sacristia Calicem, quem Chirothecis mundis ad id tantum destinatis tangere potest, si non est in facris, super quem ponit, & extendit purificatorium, patenam cum Hostia, pallam lineam, tum velum, & desuper burfam cum Corporali intus. Si tamen hæc omnia Sacrista peregerit, in sono liberatus erit minister.

IV. Item, si jam Sacerdos sit paratus ad capienda paramenta, cereos accendit, incipiens ab eo qui est à parte Epistolæ, sumens ignem ex lampade, quæ ibidem, vel alibi ardeat, vel secum defert etiam ignem, si necesse sit; non enim decet sumere ignem de Altari aliquo, nisi aliter fieri non possit.

V. Deinde redit in Sacristiam, ubi celebrantem adjuvat à dextris ejus, dum paramenta capit, eo modo quo sequitur. Capit prius vestem ipsius superiorem si habeat, & eam complicatam loco congruo deponit; non super mensam ubi sunt paramenta, nisi necessitate urgente, inferiorem vestem etiam scopula emundat, præcipuè circa collaria. Si tamen celebrans sit cotta indutus, ut convenit ex Rubricis Missalis, hoc fieri non debet. Celebrans autem biretum suum non ponit super Calicem, aut Missale, ut e ratione minister illud ab aliis possit dignoscere; alia enim via illud dignoscere potest.

VI. Daturus vestimenta Sacerdoti, eum adjuvat stans à sinistris ejus, singula decenter accommodans, & unumquodque prius osculetur, non omnino in medio, sed à latere Crucis, quam tradit osculandam celebranti, Cærem. Cleric. Reg. Minorum. Si celebrans lavet manus, ministrat ei aquam & manutergium, si opus sit, cum debitis reverentiis.

VII. Primò ergo ei amictum dat, quem circa humeros ejus parum replicat, & revolvit, si nimis circa humeros decidat, & aptat circa collaria, ita ut vestium summitatem, hoc est collaria tegat. Crucem verò, quam osculatur prius, quam tradat amictum celebranti, ita disponat, ut medium locum obtineat, nec ruga circa collum contrahatur.

VIII. Deinde ambabus manibus Albam accipiens, celebrantem collum submittentem ea induit, & manu dextera elevat primum

num manicam dexteram, postea sinistra manicam sinistram, ut Sacerdos manus intra eas immittat, easque aciculis oblati Sacerdos contrahit, si forte longiores sint, aut laxiores.

IX. Postea cingulum à tergo porrigens, Albam circumcirca elevat, ne nimis effluat, sed decenter undequaque pendeat, & vestes contegat, illiusque fimbriam à lateribus ante, & retrò irà aprat, ut ad altitudinem digiti, vel circa super terram æqualiter fluat. Tum adæquat etiam plicaturas ipsius Albæ tam circa collum, quàm circa cingulum, & latera, ne inconcinna appareant. Tum manipulum ministrat, & chordulis ad brachium sinistrum firmat infra cubitum non longè à manu, ne cadat, aut Celebrantem impediatur. Postea stolam ambabus manibus tenens osculandam præbet Sacerdoti in Cruce, quam prius osculatur, & eam circa collum sic aprat, ut non longè à collo distet, nec tam altè attollatur, ut à Planeta non tegatur, eamque è tergo cum vitta ligat, si sit consuetudo, quæ satis probatur ex communi usu urbis, præsertim si stola sit latior, & ea Crux, quæ est in stola, medio colli respondeat.

X. Denique plicata posteriori parte planetæ super mensam in qua est, elevataque ambabus manibus, ut caput celebrantis submitti queat, eam circa collum, & humeros eleganter accommodat. Si autem Planeta sit materiæ pretiosæ, eam non plicare debet, sed in longum extensam assumet, & ea sic Celebrantem induet.

XI. Deinde paululum retrocedens, diligenter prospicit, an cuncta sint rectè circa celebrantem disposita; & si quid non sit rectè dispositum, illud statim adaptat; si celebrans sudariolo indigeat, illud appendit cingulo ejus à parte dextera intra Planetam, ne appareat.

XII. Tum, si opus sit, vadit ad Altare, ubi iterum videt, an omnia parata sint, & cereos accendit, nisi jam sint accensi, ut supra; non enim decet Sacerdotem expectare tempus accendendi eos: si autem aliquid desit, curat diligenter, ut afferatur. Et prævideat, ut candelæ accensæ æqualiter distent à Cruce, & à reliquo ornatu ita sint remotæ, ut ab incendio, ceræque fluentis macula tuta sint omnia, sintque ipsæ candelæ in extremis cornibus posterioribus ipsius Altaris, & non in medio, aut circa medium.

XIII. Reversus in Sacrificiam, biretum Celebranti porrigit cum osculo illius tantum, capit Missale, manus apponens angulis inferioribus ipsius, sinistram nimirum angulo libri, qua parte aperitur, & ante pectus illud sustinens, genuflectit in agni, quæ est in Sacrificia, & dextera accipit aspersorium cum aqua benedicta, si talis est consuetudo, illudque osculatur tradit celebranti, & genuflexus ab eo aspergitur cura silentio. Tum surgens receptum aspersorium cum osculis, reponit loco suo, & pulsata paulò ante campanula, præsertim in majoribus Ecclesiis, modestè præcedens celebrantem tribus, aut quatuor passibus, oculis demissis, incesu gravi, procedit ad Altare, portans librum ante pectus elevatum.

XIV. Si Sacrificia sit post Altare majus, quantum fieri potest, egrediatur per portam Evangelii, & regrediatur post Missam per partem Epistolæ, si ad illud Altare celebret. Si ad alia Altaria, servet consuetudinem locorum quoad exitum, & reditum. Si item in via occurrat ei aliquis Sacerdos paratus, eum salutatur, quisque sequatur viam suam à latere suo dextro, & si contingat eum transire ante majus Altare, in quo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit post Sacerdotem, eo loco tamen, ut eum statim præcedat; ubi verò est SS. Sacramentum expositum, vel elevatur, vel est super Altare, accipit biretum Celebrantis, & genuflectit, sed non surgit, quin celebrans prius surrexerit, cui tamen prius biretum reddit. Si autem Altare ita situm sit, ut celebrans ad medium illius accedere non possit, quin prius ante cornu Epistolæ transeat, aliquantulum retrocedens, aditum illi transeunti præbet; & si ipse ante medium Altaris transit, genuflectit ipso medio.

XV. Cum ad Altare pervenerint, minister ad dexteram Celebrantis sistit se, & stans ibidem accipit ab eo biretum dextera, cum osculo tantum illius, illudque ad minorem digitum sinistræ manus appendit, & postea genuflectit, licet Celebrans non genuflectat.

XVI. Advertat autem, ut semper genuflectat transiens ante medium Altaris, etiam si sit super illud sola Crux, cum sacri Ministri eo ipso digniores, in Missa solemnem semper ibi genuflectant. Ex Rubr. Missalis par. 2. tit. 2. n. 7. Si tamen talis sit consuetudo, ut idem

idem minister tantum se inclinet ad Altare, in quo non est Tabernaculum SS. Sacramenti, illam non audeo improbare, cum gravissimi auctores id sentiant, & praxis faveat. In sequentibus tamen utar nomine *genuflexionis* tantum, & non *inclinacionis*, utpote convenientiori, quia hoc est magis conforme Missali. Notandum etiam est, quod licet minister in multis actibus transiens ante Crucem se inclinet tantum profundè; nihilominus concurrentes cum celebrante, Sacerdote genuflectente, aut inclinante se profundè, ipse etiam semper genuflectere debet, ut accedit in primo accessu ad Altare, & in ultimo recessu; semper autem sine dubio genuflectit transiens ante Tabernaculum SS. Sacramenti, in quocumque Altari existentis.

XVII. Facta ergo genuflexione, ascendit ad Altare per cornu Epistolæ, ne sit collateralis Celebranti, librumque clausum super cussinum ibi paratum colloca, ita ut pars inferior libri Altare tangat, superior vero pulvino adhæreat, & ea pars, qua liber aperitur, sit versus medium Altaris.

XVIII. Tum per idem cornu Epistolæ descendens, biretum Celebrantis clavo appendit, vel alio loco congruo deponit, & numquam super Altare; & postea, si opus sit, Cappellam claudit, nec sinat laicos intra illam consistere, si fieri potest, & præsertim foeminas.

XIX. Deposito bireto redit ad Altare, & facta genuflexione in medio accedit ad cornu Evangelii, ubi genuflectit in plano aliquantulum post Celebrantem, à sinistris ejus, vel si sint plurius graduum ordines, ante infimum gradum supremi ordinis, & manibus junctis usque ad Introitum Missæ.

XX. Cum Celebrans incipit Missam, dicens *In nomine Patris*, se signat cum eo, & respondet ei dum dicit, *Inroibo*, &c. addens *Ad Deum, qui letificat juvenentem meam*. Similiter respondet ei ad Psalmum *Judica me Deus*, eadem voce, & tono, inclinans se ad versum, *Gloria Patri*, Ad versum, *Adjutorium nostrum*, se signat, & respondet, *Qui fecit caelum, & terram*. Dicto à Celebrante *Confiteor*, non respondet *Amen*, sed statim dicit, *Misereatur tui*, &c. conversus ad Celebrantem, ex Cærem. Epif. lib. 2. cap. 8. in pari casu. Ad *Confiteor*, dicens *tibi Pater*, & *te Pater*, convertit se inclinatus ad Celebran-

tem, & dicens *ter, Mea culpa*, ter pectus suum percutit. Dicto à celebrante *Misereatur vestri*, adhuc inclinatus respondet *Amen*. Ad *Indulgentiam* se signans idem respondet. Inclinat se iterum, dum celebrans dicit *Deus tu conversus*, ad quæ respondet, ut in Ordinario Missæ.

XXI. Signat autem se, quando Celebrans se signat, non tamen in Canone, nisi illud advertat; & quando genuflectit, si stat genuflectit cum eo. Similiter pectus percutit cum eo, tam in Canone, quam extra. Quandoque respiciat, an candelæ ardeant, & eas etiam reconcinnet emunctorio, cum opus est, ad id parato. Numquam è sacello exeat, nisi sit alius, qui ejus vices gerat. Non habeat librum præ manibus, nec preces horarias, nec aliquid recitet, nec meditetur, quod attentioni ad ministerium ejus noceat.

XXII. Cum celebrans dicens *Aufer à nobis*, ascendit ad Altare, ipse genuflectit super infimum gradum Altaris, sic manens, non manibus junctis, sed decenter pectori appositis, donec Evangelium dicatur, nisi necessitate cogente; ibique respondet ad *Kyrie*, ad *Dominus vobiscum*, *Et cum spiritu tuo*. Ad conclusionem Orationum *Amen*, post *Per omnia secula seculorum*. Et ad finem Epistolæ dicens *Deo gratias*. Si autem nulli sint gradus ad Altare, sed tantum bradella, seu suppedaneum, genuflectit tantum in plano. Ad versum *Gloria Patri* in Introitu, inclinat se versus Altare. Percutit autem sibi pectus ter dicens *mea culpa*, semel ad *Nobis quoque peccatoribus*, ter ad *Agnus Dei*, & ter ad *Domine non sum dignus*, ut infra, dextra; sinistra verò infra pectus posita.

XXIII. Quando celebrans dicit *Flectamus genua*, ipse minister subdit *Levate genuflexus*, nec surgit ad Orationem sequentem; & dum celebrans vertit se ad populum diciturus *Dominus vobiscum*, aut *Orate fratres*, paululum se inclinat. In fine cujuslibet Læctionis seu Prophetiæ, vel Epistolæ, respondet, *Deo gratias*, exceptis ultima prophetia Danielis Sabbato quatuor Temporum, & Læctionibus feriæ 6. Parasceves, & Sabbati Sancti, si diebus istis ministret, ut infra. Ad nomina *Jesu*, *Maria*, & *Sanctorum*, de quibus dicitur Missa, aut sit commemoratio, se inclinat cum Celebrante profundè, vel profundius pro dignitate personarum.

XXIV. Circa finem Gradualis, vel Sequen-



quentiæ, aut Tractus, surgit, accedit ad cornu Epistolæ, genuflectens in medio, ibique ambabus manibus accipit Missale clausum, pollice sinistro intra folia ipsius interjecto, ubi est Evangelium, illudque cum cussino, manu dextera subtus eum posita, desert cum debita genuflexione ad latus Evangelii per planum, quod semper, si fieri potest, observare debet, & ita illud super Altare collocat, ut superior pars libri respiciat cornu posterius Altaris, non verò parietem, sive partem ejus contra se directam.

XXV. Postea directè per gradum anteriorem descendit in planum ad cornu Epistolæ genuflectens in medio, & in medio cornu stat in plano manibus junctis, versùs Celebrantem, ei respondens, se signans in fronte, ore, & pectore, ac genuflectens cum eo, quando opus est, versùs Altare. Item respondet, *Et cum spiritu tuo*, & *Gloria tibi Domine*, & in fine adhuc stans, dicit *Laus tibi Christe*. Quod similiter facit in fine Passionis, quæ dicitur loco Evangelii, præterquam die Parasceves, finitoque Evangelio genuflectit in eodem cornu Epistolæ.

XXVI. Dum celebrans incipit Symbolum, genuflexus, & manibus junctis, caput inclinat ad verbum *Deum*. Idem facit dum dicit *Et incarnatus est*, &c. & ad verbum *Adoratur*. In fine verò se signat.

XXVII. Si quis fortè Communionem petit ad Altare, ubi ministrat, neque in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, dum celebrans legit Offertorium, minister, antequam ampullas accipiat, offert Hostias de credentia in Hostiaria, & eas offert celebranti sine eorum cōtactu, secundùm numerum communicandorū, quem eidem debet assignare, cū inclinatione debita, pro ipsius qualitate, ante, & post.

XXVIII. Lecto Offertorio, idem Minister surgit, & facta genuflexione, ascendit ad Altare, ubi velum Calicis à celebrante depositum, accipit, plicat, & prope tabellam Secretarum versùs cornu Epistolæ, ad posteriorem partem Altaris juxta gradus, ubi sunt candelabra, collocat extra Corporale, & non ante Crucem, quæ est in medio Altaris. Gav. par. 2. tit. 7. n. 2. Si tamen minister non possit plicare velum, ut suprà, celebrans ipse id efficiet. Tum facta genuflexione, iterùm ad credentiam vadit, & sumens ampullas sine operculis, dextra scilicet pedem ampullæ

vini, & sinistra pedem ampullæ aquæ, & ambabus manibus bacile, ampullis super illius extremitatibus positis, cavens, ne decidant, ascendit ad Altare per gradus Epistolæ, portans eas elevatas, atque à se invicem, & à pectore aliquantulum remotas, rostro ad se conversis.

XXIX. Sed antequam ascendat, si ministrat in Altari majori, cum ad infimum gradum pervenerit, ponit primò super illum pedem sinistram, retento dextro in plano, & genu dextro super eundem gradum reflexo, Tabernaculo reverentiam facit, si adfit. Cærimon. Cler. Reg. Minorum. Et statim ascendit ad secundum gradum, ac deposito bacili super cornu Epistolæ, ambas manus cum ampullis æqualiter elevatas super Altare ponit. Deinde offert celebranti ad se venienti ampullam vini, quam priùs osculatur, illi se inclinans, vel genuflectens pro qualitate personæ, & supponens lancem iisdem ampullis, ne guttæ super Altare decidant. Tum ampullam aquæ mutat à sinistra ad dexteram, & recipiens ampullam vini à Celebrante sinistra, cum quasi osculo illius, & debitis reverentiis, eidem ministrat dextra ampullam aquæ, quam etiam prius deosculatur, eamque retinet demissam aliquantulum, dum celebrans benedicit aquam, quam statim attollit, & eidem celebranti porrigit cum debitis reverentiis, ut suprà, eamque postea recipit dextera, cum quasi osculo illius, & reverentiis debitis. Offert autè, & recipit ampullas sine oculis manus Celebrantis, per pedem eas tenens, ut celebrans eas per aurem, seu manubrium capere possit.

XXX. Dum celebrans offert Calicem, minister reportat tantùm ampullam vini ad credentiam, ibique mantile accipit, & portat plicatum ad Altare, illudque super ipsum Altare ita aptat, ut celebrans illud capere possit facile, & tenens sinistra bacile, dextera verò ampullam aquæ per aurem, Celebranti que se inclinans, ut suprà, & ampullam quasi osculans, fundit parum aquæ in pelvim, deinde in medio bacilis super indices, & pollices Celebrantis, donec ipse det signum desinendi, elevando parùm manus. Ipsique ministrat, non super Altare, sed extra illud, scilicet ante cornu anterius Altaris, brachium suum dextrum paulùm ab ipso producens, ne aquæ guttis maculet paramenta Altaris, baci-

bacile verò quasi ad cinguli altitudinem elevat, & ampullam ad octo circiter pollicum mensuram super ipsum bacile attollit. Tum iterum se inclinat, & immissa in Sacrarium aqua, vel in locum congruum, & nullo modo in pavementum, sic ut nihil aquæ in pelvi remaneat, omnia ad credentiam reportat, facta Celebranti debita reverentia, ibique mantile plicat, sumptaque campanula citò redit ad Altare ad cornu Epistolæ, ubi ponit campanulam prope se.

XXXI. Si SS. Sacramentum sit expositum, non ascendit ad Altare, sed in plano consistens ibidem ministrat Celebranti, sine oculis ampullæ, & manutergij ad lotionem, & extensionem manuum ejusdem, populo terga vertens in plano, ibique tenet tunc manutergium super brachio sinistro, & illud eodem modo recipit, ac statim cum debitis reverentis reportat ad credentiam, & citò redit, ut supra, ad cornu Epistolæ, ubi celebranti dicenti *Orate fratres*, genuflexus respondet *subscipiat Dominus*, non tamen priùs, quin ipse celebrans circulum fecerit, & ultimum verbum, scilicet *Omnipotentem*, finierit, nec in fine dicit *Amen*, sed ipse celebrans.

XXXII. Ibidem genuflexus respondet ad Præfationem, inclinans caput ad *Deo nostro*. ad *Sanctus* non percutit pectus, sed ter, non tamen continuatè, pulsat campanulam, quod est decentius, duobus ictibus pro singulis ternis vicibus. Tum reponit eandem campanulam erectam in secundo gradu ad dexteram celebrantis, cum quo se signat ad *Benedictus*.

XXXIII. Dum celebrans dicit *Memento*, vel citius, si opus sit, surgit, capit virgam, & in ejus summitate aptat candelam, si jam ante Missam eam non aptaverit, eaque sumpto lumine ex lampade, vel aliunde ex candelabro, quod est in cornu Epistolæ, si aliter fieri non potest, (quod tamen non videtur convenire) cereum, qui est in candelabro majore ad cornu Epistolæ, accendit pro elevatione SS. Sacramenti.

XXXIV. Sed in festis de præcepto, si sit consuetudo, cereos utriusq; candelabri, incipiendo à parte Epistolæ, si tot sint, accendit, eosque accendendo sit versa facie semper ad Altare, si fieri potest, & hæc agendo celebrantem quandoque observet, an ad actum consecrationis pervenerit. Tum enim deposita virga, etiamsi cereum nondum accenderit, ad campanulam pulsandam accedit, nec ex-

tinguit cereum, aut cereos, donec celebrans pretiosum Sanguinem sumpserit, & alios, si sint, communicaverit. Tum genuflectit super infimum gradum Altaris à latere Epistolæ, vel supra bradellam post celebrantem, si nulli sint gradus. Ad consecrationem jungit manus, si potest, & inclinat se profunde.

XXXV. At cum ipse Celebrans, facta consecratione Hostiæ, surgit à genuflexione, ut elevet eandem Hostiam, sinistra manu minister capit posteriorem partem Planetæ in medio partis infimæ, eamque elevat tantillum ad elevationem Hostiæ, ne celebrantem impediat, sine ullo osculo ipsius planetæ, dextera verò ter campanulam eo modo quo supra, pulsat, primò dum genuflectit, deinde dum eam elevat, & denique dum celebrans eam deponit, adorans devotè SS. Sacramentum. Idemq; præstat in elevatione Calicis, profunde se inclinans, sicut ad elevationem Hostiæ.

XXXVI. Si fortè fiat tunc processio, aut si celebretur Missa solemnis, aut aliquid aliud juxta Altare, ubi tunc celebratur Missa, minister non pulset campanulam. Deposita Hostia idem minister etiam Planetam deponit sine oculis, quod & facit post elevationem Calicis.

XXXVII. Deinde statim cum celebrans surgit, etiam surgit, & recedit ad priorem locum, ubi genuflexus manet, junctis manibus, si velit, usque ad sumptionem Sanguinis, nisi danda sit pax, ibique campanulam prope se deponit, & respondet quando opus est, & ad ea verba, *nobis quoque peccatoribus, miserere nobis, dona nobis pacem*, post *Agnus Dei*, & *Domine non sum dignus*, percutit pectus, ut celebrans, sicut signat se etiam dum dicit *omni benedictione caelesti*, &c. si potest, ut supra.

XXXVIII. Si danda est Pax, dicto à celebrante *Agnus Dei*, accipit pacis instrumentum, & genuflexus ad dexteram celebrantis, dum dicit *Orationem Domine Jesu Christe*, tenet idem instrumentum elevatum super Altare, quod dicta Oratione osculandum ei præbet, cui dicenti *Pax tecum*, ipse respondet, *Et cum spiritu tuo*, adhuc genuflexus.

XXXIX. Tum, si aliquis sit Prælati, aut Princeps, vel etiam vir insignis, surgit, & defert illi pacem modo infra dicendo capite de Missa coram Prælati. Non autem tenet, nec dat pacis instrumentum, nisi sint Personæ aliquæ insignes, ut supra.

XL. Quando faciendâ est Communio, postquam celebrans sumpserit pretiosum Sanguinem, & non priùs, extendit linteum ante communicandos, ut in Missali, non illud quod extergendis manibus celebrantis fervit, cum id non deceat, genuflexusque manibus junctis à latere Epistolæ dicit *Confiteor Deo &c.* ut in Missa. Deinde communicatis vas vini, & aquæ porrigit, cum altera mappula, ut se purificent, ut capite de Communione dicetur.

XLI. Si non fiat Communio, dum sumitur Sanguis à celebrante, vel paulò ante, surgit, & campanulam reportat ad credentiam, & ibi accipit ampullas per manubria cum pelvicula, depositis, ut priùs, in ipsa credentia operculis, & æqualiter eas elevatas defert ad Altare cum iisdem genuflexionibus, & in cornu Epistolæ deponit pelviculam super altare, & primò extensa manu dextera, ministrat vinum ex ampulla, quam tenet per aurem, cum quasi osculis ampullæ, & reverentiis debitis ante, & post, pro celebrantis purificatione, ut suprà dictum est de Offertorio, excepto quod tenet hic ampullas per aurem, non per pedem. Tum rursus eodem modo ministrat pro digitorum ablutione, paulum retrocedens, ex eadem ampulla vinum, eaque deposita super pelvicula, vel super Altare, capit eadem dextera aliam ampullam aquæ, ex qua ministrat aquam. Infundat autem vinum, & aquam paulatim in medio ipsius Calicis super pollices, & indices ipsius celebrantis, sicut ad *Lavabo*, nempe immota manu, & quoad celebrans, elevatis paulum digitis, aut Calice, det signum desinendi, & tunc urceolum non retrahat incurvato adhuc ore, aut canaliculo ampullæ, sed priùs illum erigat, ne guttæ aliquæ super pedem Calicis, aut mappæ decendant. Deinde, facta genuflexione, reponit ampullas cum pelvicula super credentiam, & eas suis operculis tegit.

XLII. Deinde extinguit cereum, vel cereos majorum candelavorum, & primò eum, qui est à parte Evangelii, mox deponit loco congruo extinctorium, cavens, ne cerei remaneant fumigantes. Si tamen faciendâ sit Communio post Missam, non extinguit prædictos cereos, nisi post peractam Communionem.

XLIII. Postea defert Missale clausum cum

*Man. Sacr. Carem,*

cullino, eo modo quo suprà, ad cornu Epistolæ cum debitis genuflexionibus, illudque ibi repositum aperit in folio, in quo celebrans lecturus est Communionem. Deinde redit ad cornu Evangelii genuflectens in medio, ibique genuflexus manet, donec acceperit benedictionem, ad quam se signat, & respondet celebranti ad ea, quæ debet. In Quadragesima se inclinat etiam genuflexus ad Orationem super populum, incipiens statim ac celebrans incipit *Humiliate capita vestra Deo.*

XLIV. Dum legitur Evangelium, stat à latere Epistolæ, ubi se signat, & genuflectit cum Celebrante facie ad Altare versa: at quando non legitur Evangelium S. Joannis, (quod faciliè advertet minister, ex libro, quem idcirco Celebrans relinquit apertum super Altare) dicto, *Ita Missa est*, sollicitè mutat librum ad cornu Evangelii cum solitis reverentiis, advertens ut, si fieri potest, sit genuflexus in plano ante medium Altaris, quando celebrans dat benedictionem, ad quam tunc non se signat.

XLV. Finito Evangelio, & non priùs, extinguit cereos Altaris cum instrumento, incipiens à parte Evangelii; vel curat, ut per alium extinguantur. Deinde ascendit per gradus collaterales Epistolæ, ut in principio accipit Missale, & biretum Celebrantis, quod numquam superponit Altari, & vadit per planum propè medium Altaris ad dexteram celebrantis, ubi facta debita genuflexione, & inclinatione celebranti ante, & post, porrigit illi biretum cum quasi osculo illius, tali modo, ut celebrans illum capere, & capiti suo faciliè imponere, atque aptare possit. Tum incedens ante illum, portansque librum, ut initio, redit eodem modo quo venerat in Sacristiam.

XLVI. Cum ad Sacristiam pervenerit, sistit se in ingressu, celebranti se inclinat, & expectat donec transeat. Tum procedens inclinat se imagini, quæ est in Sacristia, & iterum celebranti, à quo biretum accipit cum quasi osculo illius, illudque suo loco reponit, similiter & librum. Deinde redit ad sinistram celebrantis, quem, dum se exiit, adjuvat hoc modo. Primò planetam ejus accipit, admota manu intra eam à parte posteriori, & extensam, non verò inversam supra mensam collocat. Postea stolæ ligamen solvit, si opus sit, eamque acceptam cum

osculo propè Crucem, etiam non inversam super Planetam extendit, & aptat: in medio stolæ manipulum etiam cum osculo ponit eodem modo. Tum cingulum à tergo Celebrantis accipit, & duplicatum decenter super imponit: deinde Albam detrahit à brachio sinistro, & postea à brachio dextro, quam statim aptabit, & ita recolliget, ut alius commodè illam induat; & si opus sit, excutiet pulverem aliquantulum circa ejus fimbrias.

XLVII. Deinde recepto à Sacerdote amictu, genuflexus, secundùm morem quarundam Ecclesiarum, statim benedictionem à celebrante petit, dicens, *Benedicite Pater*, & prædictum amictum suo loco ponit. Si talis non sit consuetudo, amictum recipiet, & super albam extensum collocabit, chordulis, ne terram tangant, super eum elevatis, seu cum Sacerdote plicabit, quem cum sudariolo ponet in loco suo, tum dabit Celebranti biretum.

Si verò prædicta paramenta eo tempore quo Sacerdos exiit se, ita componere non possit, postea ea adaptare non negligat, semper autem cum solitis osculis, ut initio Missæ à celebrante ea recipiat.

XLVIII. His peractis, redit ad altare, ubi celebrata fuit Missa, & inde si necesse sit, ea quæ priùs pro Celebrante attulerat, reportat, vel à Sacrista, aut alio reportari curat, cassinumque ad latus Epistolæ transfert, si erat à parte Evangelii, tunc cottam deponit, & aliquantulum orationi vacat.

XLIX. Si facienda sit Communio, tam post communionem celebrantis, quàm in fine Missæ, genuflectit à latere Epistolæ, & ea peragit, de quibus infra agemus. Facta Communione vasculum ad abluendos digitos præparatum semper Celebranti porrigit, deinde reddito ei bireto, ambo recedunt.

L. Non aliter quàm stans, aut genuflectens ministret, & si fortè aliquid desit, id requirat antequam celebrans eo indigeat, modesto, & moderato tono celebranti respondeat. Quietè semper & cum silentio omnia sua officia peragat, nec ab aliis edi strepitum patiatur, maxime ab inchoato Canone, & multò magis à se ipso absteineat quantum potest à nimia tussi & excreatione, omnemque tumultum mendicantium, infantium, & canum clamorem compefcet, prudenter tamen, ne ulli det offensæ occasionem, nec

permittat, ut supra, laicis Capellæ ingressum quantum poterit. Numquam relinquit Celebrantem solum ad Altare, & si exire cogatur, substituat alium. Advertat ut transiens ex una parte Altaris ad aliam non incedat per suppedaneum Altaris, ubi stat Celebrans, sed semper, quantum fieri potest, per planum; nec etiam in toto hoc ministerio terga vertat Cruci, vel Altari, quantum fieri potest.

LI. Sacra vasa munda, ac nitida semper tenere debet: in hyeme si opus sit prunas Celebranti ministrat post lotionem manuum, antequam legatur Communio, ac quoties Sacerdos innuerit; & si fortè ignitabulum super Altare deponit, laminam ferream, aut alterius materiæ illi supponat. Biretum tradit, & accipit cum osculo illius, & non manus, vel potius cum quasi osculo, candelas cum opus fuerit emungit, quas ad lampadem, si est juxta Altare, accendit, potius quàm ad cereos Altaris, nisi aliud obftet.

LII. Similiter lumen ministrat Celebranti, si tempore, vel loco obscuro celebrat. Præcipuè ad ea, quæ rarò leguntur, videlicet ad Epistolam, Evangelium, Orationes, & alia id genus. Transfert librum semper clausum ab una parte ad alteram, delatumque aperit, præterquam in principio Missæ. Si aliquando retrocedere cogatur, videat ea quæ supra c. II. de Ministris sacris diximus. Curet ut in Sacristia sint superpellicea pro Sacerdotibus, qui iis uti volent, & etiam crepidæ pro Sacerdotibus, qui calceis non utuntur.

## C A P U T XVIII.

*De eodem Ministro Missæ privata  
coram Episcopo, aut alio Præ-  
lato inservienti.*

I. **P**rocedit manibus junctis ad Altare, cum omnia ibidem sint jam antea præparata, ut decet, ne Episcopus cogatur expectare Celebrantem, vel si aliter fieri non potest, desert quæ restant necessaria ad celebrationem. Cum accesserit ad Altare priùs genuflectit Prælato, deinde Altari.

II. Postea si quæ habet apud se pro celebratione, ea parat. Tum si non est in cornu Epistolæ, ad illud accedit, ubi manet genuflexus in plano, ne videatur Episcopo colateralis, & ibi respondet Celebranti, versa facie

facie ad Altare faciens confessionem, & dicens *Tibi Pater* convertit ad Celebrantem, non ad Prælatum: facta autem Confessione dum celebrans ascendit ad Altare, ipse accedit ad cornu Evangelii; transiens post Episcopum, cui genuflectit, & Altari unica genuflexione.

III. Advertat autem, ut dum transit ab una parte Altaris ad aliam, non transeat ante Episcopum quantum fieri potest. Item, ut semper genuflectat in hoc casu, sed unica genuflexione, Altari, & Episcopo, si sit directè ante medium Altaris.

IV. Ad Evangelium ministrat, ut aliàs Celebranti, sed in cornu Evangelii remanet respondens celebranti: at eo finito capit Missale cum debita genuflexione, & illum offert apertum, sine ulla reverentia, Episcopo osculandum in initio, quod ei indicat, post cujus osculum claudit librum, Episcopo genuflectit, & Missale cum debita genuflexione refert ad Altare super cussinum. Si tamen Prælatus habet Capellanum paratum, ipse, non minister, tradit librum osculandum Episcopo.

V. Si forte aliqui sint Prælati Episcopo majores, offert librum tantum digniori. Si sint æquales, verbi gratia, Cardinales, nulli datur liber osculandus, nisi adsit Legatus à latere, quia tunc Legatus semper osculatur librum, & in his casibus Celebrans ipse numquam librum osculatur, etiamsi nullus librum osculetur; numquam verò Laico defert Missale osculandum, etiam Domino loci, nec Vicario Episcopi, nec Commendatario, neque aliis in Rubrica non nominatis, ex Decreto Sac. Congr. Rit. 17. Septembris 1611. Principibus tamen ex tolerantia datur liber osculandus, modò sit alius ab eo quo utitur Celebrans, & hoc casu Celebrans librum suum osculatur, Gav. p. 2. tit. 6. n. 6.

VI. Finita Præfatione, & inchoato Catione, minister accendit cereos, qui sunt in majoribus candelabris, & post elevationem Calicis eos extinguit cum debitis genuflexionibus. Si tamen desunt hujusmodi candelabra, saltem accendat ordinarios. Possunt etiam deferri intortitia si sint, à duobus scutiferis Episcopi, vel Clericis, qui statim post elevationem Calicis, recedunt cum facibus suis, quas extinctas, & non fu-

migantes loco suo reponunt. Eorum verò locus erit à lateribus Altaris, versa sibi invicem facie, ne sint Episcopo collaterales.

VII. Dum celebrans dicit primam Orationem ante communionem, scilicet *Domine Jesu Christe, qui dixisti*, minister tenens pacis instrumentum dextera super Altare elevatum, manet genuflexus ad dexteram ejus, & ea dicta, & osculato Altari, ministret prædictum instrumentum osculandum Celebranti adhuc genuflexus. Tum surgit, & facta iterum genuflexione, accedit ad Prælatum, cui sine ulla reverentia tradit ambabus manibus prædictum instrumentum osculandum, dicens *Pax tecum*, deinde genuflectit Prælato, & defert cum debitis genuflexionibus, antè, & post, instrumentum ad Altare, vel credentiam. Velum ipsius instrumenti manubrio coloris paramentorum appensum esse debet, quo tergat illud, antequam tradat osculandum Prælato.

VIII. Si plures sint Prælati, minister eis præbebit instrumentum pacis, incipiens à dignioribus, & post osculum, non verò prius debitam faciet reverentiam, & qualibet vice extergit illud ante osculum; aliis verò non Prælatis illud quidem tradit, & unicuique dicit *Pax tecum*, sicut aliis Prælatis, sed non illud extergit, nisi sint Principes, aut insignes viri.

IX. Post finem Evangelii prædictus minister, antequam extinguat cereos Altaris, Prælato discedent genuflectit.

X. Idem minister serviens Missæ privatae, præsentibus aliis Cardinalibus, eadem peragit ubique terrarum, Patriarchis item, & Archiepiscopis in suis provinciis, non autem coram aliis extraneis; non enim eis debet genuflectere, sed tantum inclinare se profundè, aut mediocriter, pro eorum dignitate: nec Missale debet dare illis osculandum, sed tantum Pacis instrumentum, ut supra, & in fine Missæ reverentiam debitam illis facere debet.

XI. Id etiam fieri potest Principibus: non tamen liber debet illis tradi osculandus, nisi forte sint ex illustrissimis, ut supra, & ex tolerantia, & tunc celebrans etiam illum osculari debet; foeminis verò numquam. Hactenus de Ministris Ecclesiæ.



# M A N U A L I S

SACRARUM CÆREMONIARUM .

Juxta Ritum Romanum .

P A R S S E C U N D A .

## DE FUNCTIONIBUS ECCLESIASTICIS & de modo eas exercendi.

**D**E præcipuis Ecclesie Ministris, simulque de eorum Officiis sigillatim satis fuse parte præcedenti egimus. Nunc autem, divina favente gratia, de Officiis divinis, aliisque functionibus Ecclesiasticis, juxta Ritum Romane Ecclesie ( à cujus regula minime recedere possumus, nec volumus ) simul & laudatas multarum insignium Ecclesiarum, que eodem ritu utuntur, consuetudines, generatim agere perutile judicamus.

### C A P U T I.

*De Disciplina in Choro servanda, de ingresso Clericorum in eum, ac simul de silentio, corporis habitu, modestia, &c. & de cantu.*



**S**TATIM ac Officii divini signum per campanas, aut aliquid aliud datur, omnes Ecclesiastici, ea qua par est modestia, accedere debent ad Ecclesiam, ac si Dei Optimi Maximi, aut saltem Angeli invitantis ad divinas Laudes decantandas vocem audirent.

II. Valdè ergo laudabile est, & observatu dignissimum, ut dato ultimo signo conveniendi in Chorum, vel citius, singuli Clerici, antequam in illum ingrediantur, in Sacristia suum induant habitum Choralem, hoc est cottam, seu superpelliceum, quod idem est, vel Rocchettum, aut alium, si etiam eo utantur, secundùm laudabilem locorum consuetudinem, numquam enim in Choro sine suo habitu eis esse licet, tuncque bini procedant in Chorum, primò seniores, deinde juniores, nisi incendant processione sacra, ex Cærem. Episc. lib. 1. cap. 15. hoc tamen intelligendum est de Festis solemnioribus, ex Congr. Rit. 12. Junii 1628. sufficit enim, aliis diebus, qui non sunt pri-

me, aut secundæ classis, aut non solemnes, ut congregentur in Chorum hora convenienti, & dato signo. Cær. Ep. l. 2. c. 3.

III. Si autem incedant processione sacra cû Ceroferibus, & Celebrante parato cum assistentibus, ut ad Vesperas solemnes, præcedunt primò juniores, tum seniores, mox assistentes parati, & ultimò celebrans. Cær. Ep. l. 1. c. 15.

IV. Cùm pervenerit ante Altare, omnes genuflectunt, si in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti; at verò si sit in Altari tantùm Crux, & sint Canonici, hi profundè se inclinant, alii verò semper genuflectunt; tùm singuli ad locum sui ordinis accedunt, ubi genuflexi manent orantes, donec detur signum surgendi, & incipiendi à Superiore, quo dato surgunt, & stant, uniformitatem in omnibus, quantum fieri potest, observantes.

V. Per necessarium est, ut inviolabile, mirum, & quodam modo, ex Paride Crasso, venerabile, ne dicam pertinax, ab omnibus servetur silentium in Choro, nec in illo prorfus habeantur colloquia, nisi quis cogatur ex necessitate loqui de iis, quæ tantùm ad functionem suam pertinent; nullus pariter risu, aut quovis gestu incomposito rem divinam perturbet, vel literas, aut libros quoscumque, præter Breviarium, aut Diurnum, eaque tempore debito, & cum opus est legat: vitentur impertinentia, & oculorum divagatio, ne inde mentis oriatur distractio: & ad id attendat præcipuè Cæremoniarius, ut supra, vel Præfectus Chori.

VI. Quisque manus pariter benè compofitas, complicatas videlicet, vel junctas, vel super genua, si sedent, extensas, si aliquando opus est, habeat, si librum non tenet: nullus item deferat Chirothecas, ex Conc. Mediol. pedes etiam benè compofitos, & quasi simul benè junctos, nec unquam unum super alterum teneat, nec etiam eos super sedilia inferiora elevatos habeat.

VII. Omnes modestè suis subfelliis innixi Officium suum recitent, non privatim, sed cum aliis simul, attentè, & devotè, Laudes divinas in conspectu Angelorum decantent, & si fortè cuiquam dormire contigerit, statim à socio, vel Cæremoniario excitetur. Loca mutare non debent, ne occasione quidem flectendi genua in alio commodiori loco.

VIII. Omnes in stando, genuflectendo, aut alio quovis actu uniformitati studeant, quan-

do simul omnes eadem facere convenit: nemo in demittendis, attollendis que sedibus, vel per Chorum incedendo strepitum faciat, & qui ante finem discedere cogitur, aliquantum extra sedem, vel omnino in plano Chori hinc inde se inclinet, semperque in ingressu, & egressu Majori reverentiam facere debet. Cong. Reg. & Episc. 18. Aprilis 1617.

IX. Cumque aliquis Antiphonam intonaturus, vel aliquid aliud facturus, pertineas ad commune Officium, surgit, reliqui omnes, vel saltem ii qui sunt in eadem parte Chori, etiam surgant, dummodo non sint superioris ordinis. Cær. Ep. l. 1. c. 18.

X. Omnes promptè, & sine cunctatione surgant simul, paulò antequam finiatur aliquid, post quod standum est, aut genuflectendum, nec ante sedeant, quàm id, quod sequitur, priùs inchoatum fuerit, verbi gratia, cum Lectiones dicendæ sunt, non ante sedeant, quin priùs Chorus responderit, Amen, ante initium Lectionum.

XI. Si quis ex Clericis jam inchoato Officio, vel Missa, veniat in Chorum, ante Altare genuflexus parumper orat, tum surgens ibidem facit iterum debitam reverentiam Cruci Altaris, genuflexionem scilicet, vel tantùm inclinationem, si sit Canonicus, deinde inclinatus salutatur Superiorem, & reliquos de choro hinc inde nudo capite, qui etiam assurgentes eum consalutant, secundùm personæ qualitatem, ut supra diximus capite de Canonicis, Tum ad locum suum accedit. Qui autem egressurus est, priùs reverentiam faciat Choro, & postea Altari.

XII. At si interim in Vesperis, aut aliis Horis, dicatur *Deus in adjutorium, Gloria Patri, Oratio*, ultimus versus Hymnorum, vel in Missa fiat confessio, aut Oratio dicatur, aut Evangelium, vel denique aliquid aliud, ad quod chorus vel stat, vel est inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram, expectet respectivè stans vel inclinatus, vel genuflexus separatim in medio Chori, prout ipse Chorus, & mox factis reverentiis ut supra, ad locum suum accedat.

XIII. Numquam licet egredi è Choro sine necessitate, etiam expleto Officio, nisi priùs factò signo exeundi à Superiore, nec plures quàm duo dum fit Officium divinum pro qualibet vice deferant Chorum, aliis in eodem existentibus. Congr. Episc.

18. Aprilis 1617. neque dum Celebrantur divina Officia, extra Chorum cum cotta, vel sine ea permaneant. Ibidem neque pileus pro bireto adhibeatur.

XIV. Nemo per Ecclesiam sine causa discurrat, nec quid sibi agendum sit clamando, aut sibillando quærat, sed per solum nutum à socio sibi vicino, vel alio discat.

XV. Unusquisque suo muneri diligenter incumbat, cavens ne in aliquo erret, ne cunctetur, ne tempus præveniat, nihil sibi sumat, nec quidquam aliis præscribat, nisi ex officio suo id efficiat.

XVI. Aliquo absente, convenit, ut qui proximè illum sequitur, aut si infra se alius non fuerit, qui immediatè super eum erit, suppleat vices illius.

XVII. In Choro, finito Officio, flexis genibus, voce submissa, saltem Orationem Dominicam dicant, tum surgente Hebdomadario, ad signum majoris surgant, & consalutantes se reciprocè, simul exeant, & se inclinent, ut genuflectant Altari, ut suprâ, & bini progrediantur ad Sacristiam, ubi modestè cottas, aut alium habitum exuant.

XVIII. Numquam in faciendis reverentiis attendenda est dignitas personarum, quibus exhibendæ sunt, sed tantum commoditas gradientis, ut suprâ diximus p. 1. Advertant autem omnes, ut Majore præsentè, ob ejus reverentiam Superiori ordinario, si gradus sit inferioris, non adèd fiat profunda reverentia.

XIX. Si quis in aliquo erret leniter, ipsius error, vel modesto tegatur silentio, vel prudenter, quantum fieri poterit, corrigatur.

XX. Denique omnes actus qui in ipsa, & pro ipsa celebratione fiunt, ab omnibus placidè, modestè, ac reverenter, solo Cæremoniario non per signum modò, sed per nutum, perque unum tantum, si sufficit, intuitum, id est per signum aliquod levissimum fieri debent, ita ut nemo quid acturus sit quærat tunc clamando, aut desistat scandalizando, sed omnia ante tempus prævideantur, & instruantur, etiam cum exhibitione schedulæ Cæremonialis, in qua omnia notata, & omnia figillatim, & per seriem ordinata sint, ut in ipso actu omnis decor, & reverentia quoad ejus fieri possit interveniat. Minimè convenit ut qui sunt seniores, & qui sedent in superioribus subselliis sedeant in sedilibus inferioribus: imò unusquisque locum suum

modestè retineat, nisi alia causa rationabilis appareat aliter faciendi.

XXI. Multum decet, ut intra subsellia Chori sint quædam arculæ calce plenæ, in quas conspuendum sit, ne sputo pavimentum, aut subsellia fœdentur.

XXII. Quod spectat ad Cantum Ecclesiasticum, vitandus est quantum fieri potest, cantus lascivus, profanus, raucus, asper, vel dissonans; sed vox cantorum sit canora, suavis, liquida, atque acuta, habens sonum, & melodiam sanctæ Religioni convenientem. Audiant Cantores, quid de Cantoribus dicat B. Birgitta: *Clericorum cantus non sit pressus, non fractus, non dissolutus, sed honestus, & gravis, uniformis, & per omnia humilis, psalmodia plus redoleat suavitatem, mentis humilitatem, & devotionem, quam aliquam ostentationem. Non vacat à culpa animus, quando cantantem plus delectat nota quam res, qua canitur; omninoque est abominabile Deo, quando mentis elevatio plus fit propter audientes, quam propter Deum.*

XXIII. Quoad ea, quæ cantanda sunt, notandum est, quædam cantanda esse tardiori, & solemniori, alia verò celeriori cantu; alia item cantanda potius recitando, quam cantando: diebus Dominicis, & festivis ob eorum solemnitatem, cantus tardior esse debet, & solemnior, præsertim Hymnorum, Cantorum *Magnificat, Benedictus Dominus Deus Israel, Nunc dimittis*: item Symboli S. Athanasii, scilicet *Quicumque vult salvus esse, Hymni Te Deum laudamus*, & aliorum omnium, sicut omnium etiam Psalmorum, quàm diebus ferialibus; similiter etiam in Officio Canonico, quàm in Officio de B.M. Item versus *Gloria Patri, & Filio*, potest etiam solemniori vocis modulatione recitari. Item finis Gradualis, Versus, Tractus, Kyrie eleison, & alia hujusmodi, & aliquando conclusio prædictorum, & aliorum decantatur à toto Choro, ut Kyrie, Hymni Angelici, Gradualis, Tractus, Alleluja, Symboli, &c.

XXIV. Officium Defunctorum, quod dicitur in principio mensis, in Adventu, & Quadragesima, non solemniter, Psalmi gradualis, & Pœnitentiales, regulariter dicuntur in directum, sed tamen clarè, & distinctè ab omnibus proferri, & audiri debent.

XXV. Graviori tono pronunciantur Confessio ad Horas, Absolutiones ante Lectiones,



versus *Fidelium anima*, &c. *Dominus det nobis pacem*; *Divinum auxilium*, & *Antiphonæ B. M.* in fine Officii. Ad Completorium tamen regulariter solet cantari solita prædicta Antiphona cum versu & Oratione.

XXVI. Decet tamen, ut Antiphonæ, *Salve Regina*, & *Alma Redemptoris Mater*, cantentur in fine Vesperarum Sabbati ante primam Dominicam Adventus, & Sabbati ante Dominicam SS. Trinitatis, si his Sabbatis dicantur Vesperæ separatim à Completorio, quia regulariter hujusmodi Antiphonæ debent inchoari per cantum. Si verò dicatur Completorium simul cum Vesperis, cantabitur Antiphona post Completorium tantum.

C A P U T II.

Quando standum in Choro.

I. Standum semper in Choro ante omnes Horas, scilicet à principio Orationis Dominicæ inclusivè, quando Horæ alicui præmittitur, & in Completorio, ab iis verbis, *Jube domne benedicere*, donec inchoatus sit primus versus primi Psalmi.

II. Ad Matutinas standum ab Oratione Dominica usque ad initium primi Psalmi primi Nocturni, ut supra. Item à Versibus inclusivè, qui dicuntur post Antiphonam tertiam, vel unicam tempore Paschali jusque Nocturni, usque ad initium primæ Læctionis, quam Lector non incipit, quin prius sedeant Clerici in Choro, & præterea dum verba Evangelii præmittuntur Læctionibus tertii Nocturni, donec hæc verba, *Et reliqua*, prolata fuerint; ad quæ standum versus eum, qui ea cantat. Item standum est celebranti dum dat omnes Benedictiones ante quascumque Læctiones, nisi sit Episcopus, nam hic tantum ad primam, quartam, & septimam Benedictiones stat, ad alias verò sedet. Alii tamen de Choro ad alias Benedictiones sedent, scilicet, ad secundam & tertiam ejusque Nocturni.

III. Item quando Episcopus, aut alius paratus quilibet faciens Officium in Matutinis solemnibus, dicit nonam Læctionem omnibus pro ejus reverentia standum est, quoties etiam ipse Episcopus stat. Item Clericis ipsis cantantibus Læctiones, standum est, licet alii de Choro sedeant.

IV. Item standum intonantibus Antiphonas, & aliis qui sunt de eodem Choro. Ex Cærem. Episc. & Jacob. Quod similiter observatur ad incensationem, & similia, ut scilicet uno surgente alii omnes saltem de eodem Choro, aut ejusdem ordinis surgant. Idemque à Magistratibus, & aliis Nobilibus debet observari.

V. Quando tamen Capellani, seu Beneficiati tantum incensantur, Canonici ea ratione stare non debent, sicut nec Chorus, quando Laici post Beneficiatos incensantur.

VI. Standum item universo Clero ad omnes Horas cum dicuntur coram SS. Sacramento exposito, nisi fortè ad Matutinas pro earum prolixitate, vel alia rationabili causa sedere permittatur; sed semper nudo capite. Ex Cærem. Episc. l. 2. c. 33.

VII. Item ad elevationem SS. Sacramenti etiam standum in Choro, quando ad Altare, ad quod Chorus conversus est, Missa privata dicitur. Sed dum cantant in Choro, Congregatio Rituum non permittit Celebrationem Missarum in prædicto Altari. Attamen si necesse sit eam ibi celebrare, campanula ad elevationem non debet pulsari, ex Gavanto.

VIII. Item standum dum administratur SS. Sacramentum ad Missam, exceptis iis qui accepturi sunt Communionem. Ex Cærem. Ep. l. 2. c. 29. Item ad totum Hymnum, *Te Deum laudamus*, excepto versu, *Te ergo*, ut infra dicitur.

IX. Item ad Læctiones in Officio parvo B. Mariæ in Adventu, quia sunt de Evangelio. Item ad Symbolum, *Quicumque vult salvus esse*. Ex Sacra Cong. Rit. 23. Decembris 1624.

X. Item in omnibus Horis, à Capitulo, vel in Completorio, ab Hymno inclusivè, usque ad finem, præterquam ad Antiphonas ante *Benedictus*, & *Magnificat*, & ad earum repetitionem, ad quas sedendum est. Excipiuntur etiam aliqua, de quibus infra; excipitur etiam Martyrologium, ad quod semper sedendum, nisi in Vigilia Nativitatis Domini, & die sancto Paschæ, de quibus infra suis diebus. Præterea excipiuntur quædam preces, quæ aliquando dicuntur non stando, sed genibus flexis, ut in Rubricis Breviarii præscribitur, & infra dicitur, & tunc hebdomadarius solus ante *Dominus vobiscum*, pro prima Oratione dicenda surgit, & stat usque ad finem.

XI. Item standum ad Antiphonas B. M. in fine Horarum toto tempore Paschali, & in omnibus Dominicis à primis Vesperis inclusivè, usque ad finem Completorii post secundas Vesperas etiam inclusivè, & præterea ad *Pater, Ave, & Credo*, toto illo tempore, & dictis Dominicis. Item, meo quidem iudicio, videretur standum ad majores Antiphonas ante & post *Magnificat*, à die decimasextima Decembris inclusivè usque ad Vigiliam Nativitatis exclusivè. Et eadem ratione ad Antiphonam ad *Magnificat* Festi Ascensionis Domini: sed hæc saniori iudicio submitto.

XII. Ad Officium Defunctorum standum etiam ab omnibus, quando solemniter dicitur, donec inchoatus sit primus Psalmus, & ad *Magnificat*, sicut in Laudibus, ad *Benedictus Dominus*, & dum in Matutinis recitatur Oratio Dominica ante Lectiones. Ad Orationes huiusmodi Officii Vesperarum, & Laudum solus celebrans, & Ceroferarii stant.

XIII. Quod spectat ad salutationem Angelicam, quæ ter in die dicitur, sequi debemus regulam Antiphonarum B. Mariæ, quæ dicuntur post finem Officii; nam standum quando ad eas stamus: genuflectendum quando ad eas genuflectimus. Si tamen verbi gratia dicantur Horæ Matutinæ die Dominica sub finem diei pro feria sequenti, videtur genuflectendum ad salutationem Angelicam, quæ postea eadem die Dominica initio noctis dicitur.

XIV. Item toto tempore Paschali, scilicet à Missa Sabbati Sancti inclusivè, usque ad Festum SS. Trinitatis etiam inclusivè, standum ad omnes Horas, exceptis iis, quæ infra capite sequenti.

XV. Adea item in versibus, & responsoriis, quæ in Evangelio lecta genuflexionem petunt, ut *Verbum caro factum est*, & *Præcipientes adoraverunt eum*, & alia, videtur standum. Sed quando ad Evangelium dicuntur, genuflectendum est.

### C A P U T III.

#### Quando genuflectendum in Choro.

I. **G**enuflectendum est omnibus in Choro qui transeunt ante Tabernaculum SS. Sacramenti, & ad medium Chori

accedunt, vel ab eo recedunt, & etiam si solâ Crux sit in Altari, exceptis Canonicis, ut supra, quod tamen à paucis observatur, & à multis non rectè negligitur. At si SS. Sacramentum sit expositum, utrumque genuflectendum. Cær. Ep. l. 1. c. 21.

II. Item genuflectunt in locis suis ante initium Officii, donec detur signum surgendi à Superiore. Item in Matutinis dum dicuntur hæc verba, *Et prociadamus ante Deum* Psalmi, *Venire exultemus*, & ad versum, *Te ergo quæsumus*, Hymni, *Te Deum laudamus*. Item in Hymnis ad hos versus *Veni Creator*, & *Ave maris stella*, &c. O *Cruce ave spes unica*, &c. etiam tempore Paschali (genuflexiones enim tunc temporis non prohibentur, ad ea quæ adorationem requirunt.) Item ad hos versus, *Tantum ergo Sacramentum* &c. & *Salutaris hostia* &c. si coram SS. Sacramento etiam in Tabernaculo incluso: aliàs non.

III. Excipitur tamen celebrans, vel alius prædictos versus intonans, qui non genuflectit, nisi post intonationem. Item genuflectendum à Lectore tantum in fine Lectionis, dicente *Tu autem Domine miserere nobis*, ad quascumque Lectiones. Excepto celebrante parato, ut infra dicitur. Ex Cærem. Episc. lib. 2. cap. 5. Cum autem ab eodem Lectore leguntur plures Lectiones, tunc tantum ad *Tu autem Domine* profundè se inclinatur, & in fine discessurus genuflectit, Castald. l. 1. 6. c. 3. n. 2.

IV. Item ad omnes Horas initio precum ferialium, quando dicuntur genibus flexis, ex Rubr. Breviarii, usque ad *Benedicamus Domino* inclusivè, vel etiam exclusivè, si immediatè sequitur Officium B. M. contra multos qui statim in Choro surgunt, præsertim ad Vesperas, & Laudes post dictam primam Orationem, contra Rubricas Breviarii.

V. Idem etiam semper servatur à pari in Vesperis, & Matutinis Defunctorum, ut statim, dicta Antiphona post *Magnificat*, & *Benedictus*, genuflectatur. Item in Psalmis Gradualibus ad Preces, & non ad Psalmos. Ad Psalmos Pœnitentiales etiam genuflectendum cum Litanis, & aliis usque ad finem Precum, & Orationum inclusivè. Hebdomadarius tamen in his, & aliis omnibus surgit, paulò antequam dicat *Dominus vobiscum*, ante Orationes, & sic usque ad finem.

stat, ut supra. Excipitur tamen triduum ante Pascha, in qua Oratio *Respice quasumus* dicitur etiam à Celebrante semper genuflecto, etiam ad gratiarum actionem in fine refectionis.

VI. Item genuflectendum ad Antiphonas B. Mariæ, quando dicendæ sunt in fine Officii, pro ratione temporis, & ad Salutationem Angelicam, excepto tempore Paschali, & Dominicis ut supra.

VII. Item genuflectendum est, etiam tempore Paschali, ad preces, quæ fiunt pro Defunctis, ad Litanias quascumque, & ad Preces, quæ pro gravioribus necessitatibus fiunt, sicut, & tempore Synodi cujusque, vel Capituli generalis, aut Provincialis apud Regulares, vel si dicuntur ad invocandam gratiam Spiritus Sancti, excepto ☉, qui Orationes cantat.

VIII. Item in Martyrologio quod dicitur pridie Nativitatis Domini, statim post hæc verba *in Bethlehem Judæ*, usque ad illa verba *Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem* inclusivè, exceptis tantum Ceroferrariis, si adsint, ut infra; hi enim semper stant, cæteris omnibus, etiam Lectore, genuflexis.

IX. Item omnibus etiam Canonicis, & aliis de Clero in plano genuflectendum, si jam inchoato Officio in Chorum veniunt, & aliquantulum orandum antequam ad locum suum accedant. Quod observandum est à magistratibus, & etiam à Superioribus, & Prælatibus.

X. Item quoties elevatur, ostenditur, & circumfertur SS. Sacramentum per Ecclesiam, & alia loca, omnes etiam stantes in Choro, nisi sint in cantu valdè impediti, genuflectunt, nec surgunt donec ultra transferatur. In Processionibus etiam transeuntes ante SS. Sacramentum debent genuflectere, & usus contrarius est verè abusus, ex Sacra Congr. Rituum, referente Castaldo lib. 2. S. 1. cap. 4. n. 2. & in Pacensis 14. Decemb. 1602.

XI. Item Clerici non Canonici, quoties transeunt ante Cardinalem, ubique, & Archiepiscopum, aut Episcopum in sua jurisdictione, vel Episcopus transit ante eos, semper genuflectere debent. Cærem. Episc. lib. 1. cap. 18. & Cærem. Papæ lib. 3. S. 1. cap. 29. atque etiam cum accedunt ad legile, ut ibi legant Lectiones, & dum ab eo recedunt, quando scilicet est in medio Chori,

XII. Item genuflectendum omnibus ad benedictionem solemnem Episcopi, exceptis Canonicis, qui numquam genuflectunt: Sacra Congr. Rit. in Olcenf. 4. Maji 1613: sive sint parati, sive non:

XIII. Notandum verò est, ut in ipsis genuflexionibus quæ fiunt cum aliqua mora, omnes utrumque genu flectant, non verò unicum tantum; omnis autem genuflexio debet fieri graviter, & modestè; & cum multi genuflectunt, id ita efficiant, ut omnes simul genuflectant, & omnes eodem tempore, cum res postulaverit, confurgant. Cum verò bini, sive in Processionibus, sive ad aliquid aliud agendum, ante Altare pertranseunt, ambo simul genuflectant, & surgant, genu ad terram usque portantes strenuè, alacriter, sine strepitu, & cunctatione, & cum æquali distantia, vel duorum, aut trium passuum ab iis, qui eos sequuntur, ita ut ipsi sequentes non sistant se expectantes, ut in eodem loco genuflectant post eos.

XIV. De genuflexionibus quæ fiunt ante Episcopum dum lavat manus, aut aliquid aliud agit, agemus 5. part. hujus operis suis locis.

## C A P U T IV.

*De inclinationibus quando, & quomodo fieri debent.*

I. **Q**uoties profertur nomen *Jesu*, omnes detecto capite inclinare caput, & humeros debent (non autem ad nomen Christi) Cærem. Episc. lib. 2. cap. 8. Ad *Mariæ* verò nomen, & Sanctorum, de quibus fit Officium, aut Commemoratio, & ad nomen Papæ viventis, toties caput inclinandum est, ad nomen tamen Mariæ profundius.

II. Item ad versum *Gloria Patri*, & quoties SS. Trinitatis expressè fit mentio, præsertim per enumerationem Personarum divinarum, tam in fine Hymnorum, & Orationum, quàm in Antiphonis, quæ in Festo SS. Trinitatis dicuntur, & etiam aliis diebus, detecto capite fit inclinatio, quo tempore

pore incedentes per Chorum listant, atque versus Altare inclinare se debent: qui vero sedent, fatis est, si detecto capite se inclinent, prout sunt.

III. Item ad hos versus, *Sit nomen Domini benedictum. Sanctum, & terribile nomen ejus. Benedictus Dominus die quoridie. Sit nomen ejus benedictum in sacula. Benedictum nomen Majestatis ejus. Benedicat nos Deus Deus noster.* In Completorio etiam ad hos, *Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum. Benedicamus Patrem, & Filium, & Benedictus es Domine in firmamento cali,* & ad Canticum trium puerorum, quando hi duo postremi versus dicuntur, inclinare nos debemus nudo capite.

IV. Item ante Episcopos extraneos profundè tantum inclinandum est, & Principes, & alios pro dignitate personarum. Item ad *Confiteor Deo*, quod ad Primam, & Completorium dicitur, usque ad *Misereatur, &c.* inclusivè, ab iis qui illud recitant, inclinandum etiam est, illudque debet à toto Clero replicari. Ex Sacra Congreg. Rituum in Placentina 19. Maji 1607.

V. Cum verò plures adfunt Prælati ejusdem gradus, & ordinis, putà Cardinales, aut Episcopi, vel uni tantum eorum, qui prior est in ordine, si genu flexo reverentia fiat, vel omnibus simul, sine capitis, & humerorum inclinatione fieri debet. Castaldus lib. 2. S. 1. c. 5. n. 9.

VI. Notandum porrò est, quòd nomine *reverentia* communiter intelligenda sit inclinatio, vel genuflexio, cum sit nomen genericum, quod sub se comprehendit genuflexionem, & inclinationem, quæ specificantur in multis casibus.

VII. Si Episcopus adfit præsens Officio Celebrans ante initium illius, & antequam proferat verba *Indulgentiam, absolutionem, &c.* ad Primam, & Complet. Item ante verba, *Benedicat nos, &c.* & ante ea verba *Dominus nos benedicat*, debet profundè se inclinare ante Episcopum præsentem. Ex Cærem. Epif. lib. 2. c. 2. & 4 De aliis inclinationibus tam in Missa, quam aliis horis sæpiùs ante Altare, & celebrantem faciendis, suis locis agemus.

VIII. Inclinationes autem prædictæ regulariter debent fieri capite nudo, & corpore inclinato, quantum fieri potest, & in his gravis & singularis modestia observari de-

bet, ita ut gestus exterior, ea quæ ore proferruntur, comitetur, & cultu exteriori pietas, & interior cultus augeatur. Quando verò fiunt hujusmodi inclinationes, omnes simul se inclinent, & æquali modo, aded ut unus non profundius se inclinet, quam alius.

IX. Non fiant autem hujusmodi inclinationes ita profundè, ut cantui Clericorum noceant. Quando etiam inclinatio debet esse brevissima, sufficit, si sit mediocris; & quando debet esse cum mora, videtur facienda profundius. Notandum obiter, quòd quando præcipitur inclinatio capitis, non ita strictè id intelligendum est, ut tantum fiat capitis inclinatio, sed adhuc requiritur saltem aliqua humerorum etiam inclinatio, ut patet in Missali, & Cærem. Episc. multis in locis.

## C A P U T V.

*Quando Caput denudandum, aut tegendum.*

I. **D**enudandum caput regulariter ab omnibus de Choro, quoties ipsis standum, aut genuflectendum, aut inclinandum est, licet sedeant: & si sedeant ad Matutinas, & alias omnes horas, aut aliud Officium præsentè SS. Sacramento, semper caput nudandum, ergo etiam cum ministratur, aut desertur.

II. Item in principio Officii, donec primus Psalmus sit inchoatus, ad Capitula, Hymnos, Versus, & Orationes, ad Preces quoque, & Suffragia, & reliqua, quæ sequuntur, usque ad finem Officii, donec è Choro, & Ecclesia egressi sint.

III. Item ad Lectiones parvi Officii B. M. in Adventu. Item ad Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domini, quando genuflectendum est, & in die Paschæ. Item ad Officium Mortuorum, donec inchoatus sit primus Psalmus: ad Versus ante Lectiones, & dum dicitur *Pater noster*, standum est capite detecto: quod pariter servatur in Vesperis, & Laudibus post repetitionem quintæ Antiphonæ usque ad finem Oratorum, excipe Antiphonas *Magnificat*, & *Benedictus*, ad quas caput tegendum.

IV. Item ad exequias cum per Ecclesiam proceditur, & in Absolutione ad tumulum, Celebrans tantum pluviali indutus caput

regit, sed ante SS. Sacramentum capite nudo genuflectit, & accedens ad tumulum biretum Ministro tradit, quod post finem reverfurus in Sacrificiam, recipit.

V. Cum ad offerendum corpus proceditur è loco habitationis suæ, omnes teſto capite ſilentes incedunt uſque ad locum ubi jacet defunctus, ibique nudant capita ad Orationes, & alia, & dum corpus deſertur, teſto capite pſallendo procedunt, donec ad Eccleſiam pervenerint, ubi caput nudant.

VI. At cum extra Eccleſiam ad ſepeliendum corpus procedunt, omnes per viam caput tegunt, donec ad locum perveniant. Ad ungen- dum infirmum teſto capite proceditur.

VII. Regulariter verò quando unus, aut duo, vel quatuor aliquid cantant, verbi gratia, Hebdomadarius incipit Officium, dicit Capitulum, Orationes, aut alia hujusmodi ſolus, aut duo, vel plures intonant Pſalmos, Reſponſoria, eorum Verſus, & alia ſimilia, nudare debent capita, licet alii de Choro ſint teſto capite.

VIII. Advertant autem omnes, ut uniformitatem ſervent exactè in tegendo, aut detegendo capite, aded ut omnes ſimul caput tegant, aut detegant, quando id fieri debet ab omnibus.

IX. Qui propter infirmam valetudinem pileolo (quem nos Galli vocamus *Caloram*) utuntur, eum deponunt cum dicturi ſunt Leſtiones, & Orationes, cum alios aqua benedicta aſpergunt, vel ipſimet aſperguntur, cum incenſant, aut incenſantur, cum Pacem recipiunt, cum SS. Sacramentum elevatur, cum miniſtratur, & cum deſertur, cum Celebrans benedicit populo, cum cantatur in Choro *Et incarnatus eſt, &c. Et Verbum caro factum eſt*, vel cum ſoli intonant Pſalmos, Antiphonas, & alia hujusmodi.

X. In Miſſa, neque Miniſtri, neque Celebrans uti debent pileolo ſine licentia expreſſa Summi Pontificis, quæ non ſolet concedi niſi ex gravi cauſa, & tunc qui habet talem licentiam illo utitur uſque ad manuum ablutionem, ante quarum lotionem, illum tradit Miniſtro cuſtodiendum, & poſt purificationem accipit, & nunquam ſuper Altare, aut Credentiam deponi debet. Ita in Miſſali recognito.

XI. In Eccleſiis Cathedralibus Celebrante Epifcopo, neque Cæremoniarius, neque

Sacriſta, neque Miniſtri inferiores, aut alii inferiores Clerici caput tegere debent ante ipſum, & ſedem ejus, quod etiam à ſcuriferis, & familiaribus Epifcopi ad Credentiam aſtantibus obſervari debet, niſi id eis permittatur ab Epifcopo. Hoc tamen non obſervatur à Presbytero aſſiſtente, Diaconis, & Subdiacono, qui aliquando, & ſæpè capita tegunt, ut ſuis locis.

## C A P U T VI.

## De Conversionibus ad Altare.

I. Circa hujusmodi conversiones ad Altare, vix certa regula poteſt assignari propter Eccleſiarum diverſas conſuetudines. Convenit tamen, ut omnes ſe convertant ad illud, ab Oratione Dominica ante initium omnium horarum uſque *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine*, &c. incluſivè Cærem, Ep. lib. 2. c. 1. in pari caſu.

II. Item ad Capitula Veſperarum, & Laudum uſque ad *Deo gratias* incluſivè. Si verò hymni inchoantur per invocationem, ſtant converſi uſque ad initium hujusmodi hymnorum incluſivè, ut infra. Ad alias verò Horas ſtant converſi à Capitulo uſque ad finem Officii. Item ad Orationes, quæ dicuntur in fine Veſperarum, & Laudum. Item in fine Officii, ad Antiphonas, Verſus, & Orationem B. Mariæ, ad *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo*. Item ad Preces, ſicut ad Verſus, qui dicuntur poſt Hymnos ad Veſperas, & Laudes. Item ad Primam à *Pretioſa in conſpectu Domini*, uſque ad finem. Item à Verſu incluſivè, qui dicitur in fine cujuſque Nocturni, uſque ad finem benedictionis incluſivè. Item ad omnes Litanias. Poteſt idem obſervari ad Pſalmum *Venite exultemus*, ſed in his ſtandum videtur Eccleſiarum laudabili conſuetudini, & Congregationum. Advertendum eſt, ut uniformitas ab omnibus cuſtodiatur in hujusmodi conversionibus. Ideò videntur præſcribendæ regulæ de hujusmodi conversionibus à Superioribus Eccleſiarum, & Congregationum, ut ab omnibus ſiant vero, & pari modo, ne cum aliqui ſe convertunt ad Altare, alii id non efficiant.

## C A P U T VII.

De ſigno Crucis, quomodo, & quando formandum.

I. **Q**Uando aliquis ſe ſignat ſigno Crucis, ſiniſtram manum extenſam cum digitis, & pollice ſimul junctis omnino infra pectus teneat, ita ut ſit extra limites Crucis quæ ſit dextera; eadem verò dextera erecta, & extenſa, ejus digitis ſimul etiam cum pollice junctis à fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dextrum, ſignum Crucis format: non inſectendo digitos, nec caput inclinando, ſed erectum tenendo; & poſt ſignum formatum, manum dexteram, nec pectori, nec ori admoveat, ut quidam; ſed ſtatim ipſa dextera cum ſiniſtra jungatur, ſi fieri commodè poteſt.

II. Formandum autem eſt ſignum Crucis initio omnium Horarum ad hæc verba *Deus in adjutorium*, non autem quando repetuntur in Pfalmis, aut Precibus ſerialibus, nec quando dicitur ter poſt Martyrologium. Item cum dicitur verſus, *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, ſcilicet ad Primam ante confeſſionem, & ad Martyrologium, & ad Completorium ſemel, non verò ad Pfalmos. Similiter ad Primam cum dicitur *Dominus nos benedicat*; & in fine Completorii dum dicitur *Benedicat*, & *cuſtodiat*, &c. Item ad Confeſſionem dum dicitur *Indulgentiam*, &c. Item ad Antiphonam de Cruce in ſeriali Officio, ſcilicet *Per ſignum Crucis*, ex Gavanto.

III. In principio Matutini nos ſignamus in ore ad hæc verba, *Domine labia mea aperies*, pollice dextro, reliqua manu extenſa mediocriter, ſiniſtra verò infra pectus poſita, & congruenter ſignandum eſt pectus eodem pollice dextro initio Completorii ad hæc verba, *Converte nos Deus ſalvatoris noſter*. Ita praxis communis.

IV. Item Celebrans, Miniſtri, & reliqui de Choro ſe ſignant initio Canticorum *Magnificat*, & *Benedictus*, non tantum quia proceſſuri ſunt ad Altare incenſationis cauſa, ſed quia verè ſunt de textu Evangelico; & eadem ratione ad Canticum *Nunc dimittis*. ita Gav. tom. 2. ſect. 10. c. 2. n. 10.

V. Cum celebrans incipit *Dens in adju-*

*torium*, dicendo *Deus oculos aliquantulum* elevat, & tangens dextera frontem dicit *in*, & poſtea pectus, dicit *adjutorium*, & tangens humerum ſiniſtrum, & dextrum, dicit *meum*, & in fine jungens manus dicit *intende*, ita ut pro unoquoque verbo tangat primò frontem, tum pectus, deinde humerum ſiniſtrum, poſtea dextrum; & in fine jungat manus.

VI. Quoties autem Celebrans paratus Pluviali ſe, aut aliquid aliud ſignat ſigno Crucis, miniſter à dextris ejus, aut alius debet elevare Pluviale illius. De ſigno Crucis in Miſſa faciendo, ſuo loco dicemus agendo de Miſſa.

VII. Hoc autem ſignum Crucis non tantum ab Hebdomadario, ſed etiam ab omnibus aliis non impeditis formandum eſt ad ea, quæ notavimus.

## C A P U T VIII.

De Aſperſione Aquæ benediçtæ.

I. **C**UM ſingulis diebus Dominicis aquæ benediçtæ aſperſio fieri debeat ( niſi Ep. celebret Miſſam; ex Cærem. Ep. l. 2. c. 31. ) Sacerdos, qui celebraturus eſt Miſſam ſolemneſſimam, debet, quantum fieri poteſt, eſſe Alba, & ſtola coloris Miſſæ convenientis, in modum Crucis poſita paratus, & hora convenienti, ante horam Tertiam, ſal in vaſe proprio, & aquam etiam in alio vaſe ad id parato in Sacriſtia nudo capite, & junctis manibus, niſi ipſemet librum tenere cogatur, benedicere debet, ut in Miſſali, vel Rituali præſcribitur.

II. Quod ſi alius à Celebrante Miſſam, benedicere debet aquam, adhibeat ſuper Cotam tantum, ſtolam violaceam, hinc independentem. Ex Rit. Romano. Ter autem ſal in aquam immittit poſt exorcifinum, faciendo tres Cruces ut in Miſſali, dicendo ſemel tantum *Commixtio ſalis*, &c.

III. Facta benediçtione Celebrans poſt Tertiam, ex Cærem. Epſc. l. 2. c. 31. ſi dicatur, paratus Pluviali coloris convenientis ſine manipulo, medius inter Diaconum & Subdiaconum paratos, ſi cum iſdem celebranda ſit Miſſa, ſine manipulis, anteriores, ſim-

ſimbrias Pluvialis ejus elevantes accedit ad Altare , præcedentibus Thuriferario , cum vaſe aquæ benedictæ , ut ſuprà , vel alio Acolyſto , ut ſuprà p. 1. cum prædicto vaſe Ceroſerariis cum candelabris , & poſt eos Cæremoniario , ut ſuprà ſuis locis .

IV. Cùm pervenerint ante Altare , omnes genuſcſcunt , ut ad Miſſam inſrà , ſed deponunt priùs bireta ſua inter manus Cæremoniarii , ut in Miſſa ſolemni . Tum Ceroſerarii deponunt candelabra ſua ſuper Credentiam , ubi genuſcſcunt , donec Celebrans furgat ; & tunc remanent ſtantes , conformantes ſe Choro .

V. Thuriferarius verò , ſeu Acolythus ( officio tunc fungens Exorciftæ , ex Joanne Bonhomio Epifcopo Vercellenſi ) cum vaſe , & aſperſorio , genuflexus à dextris Diaconi , aſperſorium cum aqua porrigit ipſi Diacono dextera , ſine oſculis , & hic illud tradit Celebranti cum oſculo illius in extrema ſui parte , & manus Celebrantis in parte exteriori , qui mox incipit Antiphonam , *Aſperges me* , vel *Vidi aquam* : tum frontem Altaris ſtatim aſpergit ter , in medio ſcilicet , tum in parte Evangelii , & denique in parte Epiftole , miniſtris ſacris anteriores ſimbrias Pluvialis ejus elevantibus , deinde aſpergit ſe ipſum adhuc genuflexus , tum erectus miniſtros adhuc ibidem genuflexos , priùs ſcilicet Diaconum , & deinde Subdiaconum .

VI. Incipit autem Antiphonam ante aſperſionem Altaris , ex Cærem. Epifc. l. 2. c. 31. & Gavant. part. 4. tit. 19. num. 11. & eodem modo videtur intelligenda Rubrica Miſſalis , quæ tamen poſtponere videtur Antiphonam . Convenit enim , ut dicatur *Aſperges me* futuri temporis , ante aſperſionem actualem . Deinde Cantores proſequuntur *Domine hyſſopo* , vel parati pro Miſſa ſolemni , vel cottis tantum induti .

VII. Deinde reddit aſperſorium Celebrans Diacono , & hic miniſtro , & facta ab omnibus miniſtris genuflexione , & à Celebrante debita reverentia , medius inter duos iſtos miniſtros ſacros , Cæremoniario , & miniſtro de vaſe præcedentibus , ſed tamen Miniſter de vaſe eſt propius Diaconum quaſi à dextris ipſius Diaconi , vadit in chorum , ubi Clericos ſalutat cum inclinatione , Tum Diaconus accipit Aſperſorium , illudque tradit Celebranti cum debitis oſculis ,

itaſque à dextris ejus , partem pluvialis ejus elevat , ſicut Subdiaconus à ſiniſtris aliam partem , & interim Celebrans accedit ad Superiorem Chori , quem cum inclinatione pari ſalutat ante , & poſt , & eum ſeparatim aſpergit ; reliquos verò ſine mora , & plures ſimul quaſi in circulum , & non unum poſt alium , & ſine inclinatione , niſi ſint Canonici , quia ſigillatim aſpergi debent , & cum inclinatione ante , & poſt , ad majorem eorum venerationem , & non unico icſtu , ex Decreto Sacre Congregationis Rituum in Peruſina 20. Decembris 1601. Totum Clerum ſtare decet nudo capite , & aſpergenti ſe inclinare . Poſſeſt autem , & debet ſervari conſuetudo laudabilis locorum in aſperſione tam Cleri , quam populi : regulariter tamen aſperguntur qui ſunt propè cancellos altaris .

VIII. Interim celebrans dum facit aſperſionem , dicit totam Antiphonam *Aſperges me* , vel , *Vidi aquam* , & totum Pſalmum *Miſerere mei Deus* alternatim cum Miniſtris . Ita Rubricæ Miſſalis . Non tamen dicitur totus Pſalmus *Conſtremeni Domino* tempore Paſchali , niſi illud ſciat ex memoria : & dum Celebrans tranſit ante medium altaris , debitam illi facit cum Miniſtris reverentiam .

IX. Celebrans reverſus ad Altare cum debitis reverentiis , aſpergit Acolyſtos , Ceroſerarios ad Credentiam ſtantes , & Miniſtrum de vaſe , & poſt finitam aſperſionem , ſtans in plano ante gradus ipſius , junctis manibus cantat verſum *Oſtende nobis* , & alios cum Oratione *Exaudi* ex libro , quem Miniſtri ſacri ſtantes hinc inde tenent ante eum , vel ſuper pulpitum .

X. Finita tota aſperſione , Miniſter collocat vaſculum aquæ in loco congruo , & accepto Miſſali de Credentia , niſi ſit ſuper Altare , tradit illud Diacono , qui illud collocat , finita oratione , ſuper Altare , cum cuſſino in cornu Epiftole , ac mox idem Miniſter pluviale Celebrantis deſert in Sacriſtiam , facta genuflexione altari , & de ea aſſert Planetam , & manipulos Celebrantis , & miniſtrorum , eo modo quo ſuprà notavimus : vel unus ex Ceroſerariis aſſert Planetam , & alius manipulos , ne mora intercedat inter aſperſionem , & Miſſam .

XI. Si tamen per alium prædicta Planetam , & manipuli aſſerantur , tunc miniſter de vaſe , finita Oratione deſert Pluviale

in Sacriſtiam, & mox cum thuribulo redi-  
bit ad Altare. In his, & ſimilibus, Cæremoni-  
arii prudentia, & induſtria requiritur,  
cujus eſt aptè omnia ordinare.

XII. Si faciens aſperſionem non eſt Miſ-  
ſam poſteà celebraturus ſolemniter, tales  
miniſtros non habet, ſed unum tantum  
Acolythum. Congreg. tamen Reg. decre-  
vit, ut fiat per ipſum Celebrantem, etiamſi  
ſit prima, vel alia dignitas, non obſtante  
contraria conſuetudine, quæ potiùs corrup-  
tela, quàm conſuetudo dici debet, cum ſit  
contra Rubricas Miſſalis Romani, & diſ-  
poſitionem Cær. Ep. l. 2. c. 30. In Peruſi-  
na 29. Novembris 1632.

XIII. Quòd ſi in Altari ſit expoſitum SS.  
Sacramentum, non aſpergitur Altare, ea  
ratione qua non ſignatur initio Evangelii  
in fine Miſſæ. Ideò etiam tunc Diaconus  
abſtinet ab oſculis Aſperſorii, & manus  
Celebrantis, quando illud eidem offert, vel  
ab eo recipit, ad Altare tantum, & non ex-  
tra illud, quia tunc oſcula adhibentur.

XIV. Si adſit Epiſcopus, aut alii Præla-  
ti in locis ſuæ juřiſdictionis, aut Cardinalis  
ubique gentium, aſperſo Altari ſolus Ce-  
lebrans cum Miniſtro Cæremoniario, re-  
manentibus miniſtris ad Altare genufle-  
xis, accedit ad ipſum, & cum reverentiis  
debitis ab eo, & genuflexionibus à comiti-  
bus ſuis, porrigit ei Aſperſorium cum de-  
bitis oſculis. Tum ipſe Epiſcopus primò  
ſe ipſum, tum Celebrantem aſpergit, eique  
ſtatim reddit Aſperſorium, quod Celebrans  
recipit cum debitibus oſculis, & inclinatione  
profunda, & iterum genuflexione à prædi-  
ctis: deinde redit ad Altare, cum debitibus re-  
verentiis aſpergit Miniſtros adhuc genufle-  
xos, tum Clerum, & populum, ut ſuprà.

XV. Quòd ſi prædicti Prælati innuant, ut  
ipſe Celebrans eos aſpergat, facta tunc ante  
& poſt profunda inclinatione, eos aſpergit,  
quod præcipuè ſit quando ſunt plures Præla-  
ti ejuſdem ordinis, & dignitatis.

XVI. Quando autem in Cæremoniali,  
ſuprà, præcipitur, ut ſolus Celebrans ſine  
ſacris Miniſtris procedat ad aſpergendum  
Epiſcopum, hoc ſit ob reverentiam Epiſco-  
pi præſentis, ut coram eo Celebrans mi-  
nori cum pompa procedat.

XVII. Si adſit aliquis Princeps non ha-  
bens ſuperiorem, aut Principiſſa in loco

ſuæ juřiſdictionis temporalis, ante omnes  
alios aſperguntur eo ordine quo incenſantur.

XVIII. Si Chorus ſit fortè in loco editio-  
ri, aut ab Altari remotiori, decet, ſi aliter  
fieri non poteſt, ut alius Sacerdos à Cele-  
brante cum cotta, & ſtola convenienti  
eum aſpergat, dum celebrans aſpergit po-  
pulum ad cancellos.

XIX. Si item maximus ſit populi concu-  
ſus, ut in multis Eccleſiis noſtris Galliæ, &  
ſit conſuetudo aſpergendi populum, poſſent  
tunc, ſi aliter fieri non poſſet, plures Sacer-  
dotes parati cottis, & ſtolis, aſpergere po-  
pulum hinc inde, & hoc conceſſit Grego-  
rius XIII. 30. Decemb. 1573. Eccleſiis Hiſpa-  
niarum in Bulla, quam ipſe legi, ut ſimplex  
Sacerdos cum ſtola, & ſuperpelliceo, &  
cum Acolytho tantum aſpergat populum.  
Et hoc non videtur pugnare contra ſupe-  
riùs dicta, cum ſaveat conſuetudo, & neceſ-  
ſitas cogat. In hoc tamen ſaniori juđicio  
libenter me ſubmitto.

XX. In Dominicis de Paſſione, & Pal-  
marum, non dicitur *Gloria Patri*, ſed poſt  
Pſalmum *Miſerere mei Deus*, repetitur im-  
mediatè Antiphona, *Aſperges me*.

XXI. Si facienda ſit Proceſſio ſolemnis  
ſtatim poſt aſperſionem, & deferendum  
ſit incenſum, Acolythus, depoſito vaſe  
aquæ, Thuribulum capit, ut dicetur in die  
Purificationis, & Dominica Palmarum, &  
ſiet benediſtio thuris ante Proceſſionem.

XXII. In die ſancto Paſchæ, & Penteco-  
ſtes, ubi eſt fons baptiſmalis, ſit aſperſio  
cum aqua pridie benediſta ad fontes, ſed ea  
aqua accipitur ante inſuſionem olei, &  
ſacri Chriſtinatis, ut in Miſſali.

XXIII. In minoribus Eccleſiis, in quibus  
dicitur tantum Miſſa privata loco ſolemnis,  
ſive Convengualis, ſive Parochialis, debet  
ante eam à Celebrante induto, ut ſuprà, fieri  
Altaris, ſui ipſius, poſteà Cleri, nobilium,  
ac populi aſperſio, & poſteà pluviale ante  
Altare, vel in Sacriſtia, ſi eo utatur, deponit.

XXIV. Ex Rituali Romano, & ex praxi Ur-  
bis, & multarum Provinciæ, in vigilia  
Paſchæ ſolet fieri aſperſio per domos, & alia  
loca à Parocho, aut aliis de ejus licentia; quæ  
conſuetudo valdè laudabilis extat, ideoque  
retinenda, & introducenda ubi non eſt.

XXV. Minimè probandus eſt uſus qua-  
rundam Eccleſiarum, in quibus poſt ver-  
ſum



sum Gloria Patri, & Filio, &c. statim Cantores repetunt tantum hæc verba, *Lavabis me, & super nivem dealbabor*, quia est contra Rubricas Missalis.

## CAPUT IX.

De Thurificatione.

## ARTICULUS I.

De Thurificatione in genere.

I. **T**huribulum, navicula, & cochlear, sint, si fieri potest, argentea, & artificiosè elaborata, vas thuribuli capacitatis convenientis, & tres catenulæ illud sustineant, quæ manubrio in summitate innectantur; operculum vasis habeat annexam minorem catenulam, quæ ex minori pendens annulo, & transiens per manubrium, in parte suprema ipsius operculi terminetur. Manubrio verò debet esse major annulus annexus in medio, & ambo annuli non ita sint tenues, sed aliquantò crassiores, & spissiores, ne digito lædant, atque ita capaces, & ampli, ut in anulum minorem, indicem, aut alium digitum Thuriferarius commodè, & pollicem in majorem anulum immittere possit. Catenularum verò longitudo sit quatuor palmorum circiter, ut sinistra manente immobili infra pectus, ipsum thuribulum dextera facilius ducatur: in suprema parte operculi Thuribulum habeat globulum annexum altitudinis unius pollicis, aut duorum, in quem ipsæ catenulæ desinant, sitque absque cælatura, & quasi figuram ovalem, non verò sphericam referat: ut facilius celebrans, aut alius incensaturus possit tenere thuribulum per illum, & thurificare.

II. Thuribulorum duorum usum non probat Sacra Rituum Congregatio in Alexandrina 15. Martii 1608. in quarto dubio, & in Lucerina 21. Julii 1618. Excipiuntur tamen Processiones SS. Sacramenti, in quibus duo adhibentur: & etiam Translationes Reliquiarum solemnium, in quibus duo adhiberi possunt, si opus sit.

III. In Navicula ponitur tantum thus purum, boni odoris, & si alia miscentur

aromata, ut solemnioribus diebus, thuris quantitas superet: illudque thus non sit omninò contusum, ne repentè evanescat, aut nimis solidum, ne omnino cremari non possit.

IV. Qui ministraturus est Thuribulum, advertat, ut illud teneat ita elevatum ad naviculæ altitudinem coram Celebrante, ut ipse non cogatur se inclinare dum incensum imponit. Idem dicendum de eo qui ministrat naviculam.

V. Thus semper benedicitur à Celebrante statim ac immissum est in thuribulum, & non prius, præterquam feria 6. in Parasceve, aut quando SS. Sacramentum est expositum, & illud tantum, & non aliquid aliud cum eo est thurificandum, quia ibi est Auctor benedictionis, ut accidit in Processionibus, in quibus defertur, quo tempore oscula cochlearis, thuribuli, & manus Celebrantis non dantur. Si verò Altare simul cum SS. Sacramento incensandum est, aut aliquid aliud, tunc quidem thus benedicitur, sed sine osculis.

VI. Si aliquando fumus in thuribulo deficiat, Thuriferarius paululum thuris non benedicti superaddere potest; hoc tamen rarò videtur faciendum, & non nisi necessitate cogente. Ita periti.

VII. Thuriferarius naviculam, & Thuribulum gestat, ac Celebranti, aut Diacono, aut alteri porrigit, & illud ab iisdem recipit, eo modo quo diximus supra proprio capite.

VIII. Diaconus verò Chorum incensaturus, aut alius non deferens naviculam, manu sinistra catenularum summitatem, seu manubrium cingulo tenus elevatum tenet, manu verò dextera æqualiter elevata defert vas thuribuli, non illud movens, & longius aliquantulum à vestibus tenens, ne comburantur; vel fortè melius Thuribulum ipsum defert dextera, tenens illud per summitatem, sinistra posita infra pectus, & hic modus est conformior; sic enim Thuriferarius illud portat, Cær. Ep. l. i. c. 11.

IX. Semper stando imponitur thus à Celebrante (nisi sit Episcopus, qui aliquando sedens illud imponit) etiam præsentè SS. Sacramento, contra quosdam, qui illud imponunt genuflexi, qui manifestè agunt contra Cærem, Episc.

## ARTICULUS II.

*De modo imponendi, & benedicendi incensum, & de Thurificatione Altaris in Missa.*

I. **I**N Missa quæer imponitur incensum in Thuribulo à Celebrante. Prima impositio fiat ab eodem in Sacristia, vel alio loco, unde procedendum est ad altare pro Missa inchoanda, eo modo quo mox infra num. sequenti, & adhuc dicemus in Missa solemn.

II. Secunda impositio, quæ est prima ad Altare; fit ante introitum post Confessionem. Celebrans ergo hoc modo imponit, & benedicit thus in Missa. Postquam facta confessione ascendit ad Altare, & illud osculatus est, stans in medio illius convertit faciem suam ad cornu Epistolæ, Diaconus verò accepta interim de manu Thuriferarii, ut supra, navicula, dextera, & statim sinistra manu eam tenens, convertit se, & partem naviculæ apertam ad Celebrantem, statimque accipiens cochlear vacuum circa partem inferiorem manubrii, eo modo quo diximus cap. de Diacono, osculatur illud in summitate, & tradit Celebranti; cuius manum dexteram (non digitos) in exteriori parte osculatur. Deinde sic conversus, & tunc ambabus manibus tenens naviculam, se inclinans dicit, *Benedicite Pater Reverende.*

III. Tum Celebrans accepto cochleari sinistram tenens infra pectus positam, ter è navicula thus accipit eodem cochleari, & ter immittit in Thuribulum tribus distinctis locis, dicens, *Ab illo benedicaris in cuius honore cremaberis, Amen.* Quæ verba sic dispensat ut in prima thuris impositione dicat *Ab illo benedicaris*, in secunda *in cuius honore*, in tertia *cremaberis, Amen.* Et statim reddet Diacono cochlear. Deinde dextera manu signabit thus in Thuribulo adhuc aperto, nihil dicens; ideoque Thuriferarius non debet illud claudere, quin priùs thus sit benedictum. Prædicta verò formula utitur quoties benedicit incensum, nisi ad Oblata, ut infra.

IV. Thure imposito Diaconus accipit manu dextera cochlear à Celebrante ab inferiori parte manubrii, osculata priùs dextera ipsius Celebrantis, ipsumque deinde cochlear osculatur in manubrii summitate,

statim ac illud à Celebrantè recèpit, & repònit in navicula, quam etiam claudit, & mox accipit manu dextera Thuribulum clausum à Thuriferario, cui sinistra reddit naviculam, tenensque catenularum summitatem dextera juxta manubrium, sinistra verò easdem catenulas propè operculum, statim ipsum manubrium osculatur, & summitatem catenularum juxta illud ponit in sinistra, earumdem verò partem inferiorem in dextera Celebrantis, cuius eandem manum statim etiam osculatur, ut suprà.

V. Deinde Celebrans sinistram, qua complectitur summitatem catenularum juxta manubrium, infra pectus admoveat, eamque tenet immobilem in tota incensatione, dextera verò tenens easdem catenulas simul junctas prope operculum, ita ut eadem dextera globulum prædictum complectatur, sic tenet Thuribulum, ut proprio pondere in tota incensatione nullatenus moveatur, ac præter motum ab ipso Celebrante impressum, nullum actum habeat, adèò ut illud per totam incensationem versus id, quod incensat, ducat commodè, & ad se retrahat, ac cum gravitate, & mora competenti reducat. Tum ad Altare conversus, profundè se inclinat Cruci, etiamsi sit in ea particula veræ Crucis; sed tabernaculo SS. Sacramenti, si adsit, genuflectit extremitatibus manuum super Altari positus, ut faciliùs genuflectere, & surgere valeat. Elevato deinde Thuribulo, ter incensat Crucem in medio tantùm æquali ductu, ita ut ad unumquemque ictum tantillum quiescat, & tractim ducat Thuribulum, nihil dicens, ac iterum facta debita reverentia incensat Altare, incipiensque à latere Epistolæ, & faciem ad illud convertens, aliquantulum ducit Thuribulum versus posteriorem Altaris planitiem recta linea, triplici ductu, & æquali distantia, prout Candelabra distribuuntur; earum tamen ratio non habetur, seu plura, seu pauciora fuerint, etenim ipsa tantùm posterior pars incensatur non candelabra. Ducit verò Thuribulum, & simul procedit movendo pedem illum priùs qui est propior Altari, totque passus omnino facit, quot Thuribuli tractus; manus enim cum pede, quantum fieri potest, concordare debent in motu, ut incensus Thurificationi ex æquo respondeat.

Car. Ep. lib. 1. cap. 23. Vide quæ infr. n. 17.

VI. Cum pervenit ad cornu Epistolæ, demissa manu aliquantulum inclinatus thurificat partem illius inferiorem lateralem, tum superiorem bis ducendo Thuribulum, semel in parte inferiori, ac iterum semel in parte superiori; deinde conversus ad altare, & faciem quasi ad medium ipsius vertens incensat ejus planitiem anteriorem circa oram, Thuribulum velut in semicirculum ter ducens, usque ad medium Altaris procedendo.

VII. Perveniens ad medium altaris debitam facit reverentiam, ac posteriorem partem altaris versus cornu Evangelii incensat ter ducens thuribulum, ut in cornu Epistolæ, ac incensat semel inferiorem partem ipsius cornu Evangelii, & semel superiorem. Deinde stans adhuc, & elevans thuribulum, nec ultra progrediens (nisi longitudo altaris cogat aliquantulum illum progredi versus medium) incensat Planitiem anteriorem, seu mensam in cornu Evangelii, ter ducens thuribulum quasi in semicirculum, ut supra, nisi quod à parte Epistolæ thuribulum ducit a cornu Epistolæ ad medium, & hinc à cornu Evangelii ad medium altaris, nec ibi facit reverentiam altari, quia tunc numquam accedit ad medium, sed statim quasi retrocedit ad cornu Evangelii, ubi manu aliquantulum demissa, incensat partem illius anteriorem, seu frontem, ter ducens recta linea thuribulum usque ad mediū altaris, ad quod interim progreditur.

VIII. Dum accedit ad medium altaris debitam facit reverentiam, & pariter incensat triplici ductu partem anteriorem à medio usque ad cornu Epistolæ, ubi reddit utraque manu thuribulum Diacono, qui stans in secundo gradu, supponendo manum suam, vel ambas, dexteræ Celebrantis, quam osculatur in parte exteriori, capit thuribulum prope vas dexteræ, & sinistra manubrium, illud etiam osculando. Tum descendit in planum, & Celebrantem stantem junctis manibus ante pectus, sinistro brachio quasi tangentem frontem altaris, incensat triplici ductu cum profunda inclinatione ante, & post, cui Celebrans nullatenus se inclinat.

IX. Deinde idem Diaconus reddit thuribulum Thuriferario stanti à dextris ejus paulum retrò, qui postea Celebranti se reverenter inclinat, & hinc recedit.

X. Dum altare initio Missæ incensatur à

*Man. Sacr. Carem.*

celebrante, stant hinc inde Diaconus à dextris, & Subdiaconus à sinistris, posteriores planetæ partes illius circa humeros paululum elevantes, Diaconus sinistra, Subdiaconus dextera, altera infra pectus posita, & semper genuflectunt ante Crucem, nisi sint Canonici. Advertant autem, ut aliquantulum distent semoti à Celebrante. Ad Oblata verò tantum Diaconus à dextris Celebrantis ministrat, quia Subdiaconus tenet retrò Patenam, nisi aliter notetur.

XI. Si super altari sint insignes Reliquiæ inclusæ in capsulis, vel imagines majores argentæ, aut aliæ sculptæ inter candelabra, aliæ tamen ab iis quæ aliquando in tabellis depictæ, vel etiam circa Tabernaculum sculptæ sunt, incensata Cruce, factaque illi debita reverentia, antequam diccedat è medio altaris, primò incensat eas quæ à dextris sunt, id est in parte Evangelii, bis tantum ducens Thuribulum, incipiens semper ab eis, quæ Cruci vel Tabernaculo sunt proximiores, & facta iterum Cruci reverentia, eodem modo incensat eas, quæ sunt à sinistris, id est, in parte Epistolæ: tum absque ulla reverentia, sine mora, altare modo supra dicto thurificat. Et hic modus incensandi semper observatur, etiam si sint plures Reliquiæ, vel plures imagines, ac plura, vel pauciora candelabra.

XII. Si in altari sit Tabernaculum SS. Sacramenti non expositi, Celebrans ei genuflectit ante, & post incensationem, & dum transit ante illud, ut in Missali. At quando dicitur in Missali, quod Celebrans genuflectat ante illud transeundo, hoc intelligitur de transitu tantum in ipso actu thurificationis.

XIII. Tertia thuris impositio, & benedictio, quæ est secunda ad altare, in Missa solemni fit, scilicet. antequam Diaconus dicat *Munda cor meum*, eodem modo profus quo præcedens, sed tunc thuriferarius retinet semper thuribulum, & cum eo accedit ad locum Evangelii, ubi tradit thuribulum Diacono postquam dixit *Sequentia*, vel *Initium Sancti Evangelii*, quo accepto ipse Diaconus librum Evangeliorum incensat triplici ductu, in medio, à dextris, & à sinistris libri, facta ei ante, & post inclinatione, eoque finito idem Diaconus stans in medio altaris, facta prius Altari genuflexione, Celebrantem stantem in cornu Epistolæ triplici ductu thurificat, ut supra de Diacono diximus, it-

clinans se ante, & post: quo facto reddit Thuribulum Thuriferario.

XIV. Quarta thuris impositio, & benedictio, quæ est tertia ad Altare, fit post oblationem Calicis hoc modo. Dicto à Celebrante, *Veni sanctificator, &c.* Celebrans, ministrantibus de more Diacono cochlear, ac naviculam, & Thuriferario Thuribulum, ter imponit incensum dicens; *Per intercessionem, &c.* ut in ordine Missæ, sic verba dispensans, ut cum pronuntiat verbum, *Benedicere*, reddito cochleari, simul benedicit incensum. Tum accepto de manu Diaconi Thuribulo, nulla prorsus facta reverentia, incensat oblata, ducens ter Thuribulum super Calicem, & Hostiam simul in modum Crucis recta linea, & transversa, non autem veluti quatuor puncta designando. Postea demittens aliquantulum thuribulum ita ut summitas operculi non altiùs eleveatur quam summitas cupæ ipsius Calicis, illud ter ducit circum Calicem, & Hostiam omnino, scilicet bis à manu dextera ad sinistram, transiens priùs inter Calicem, & Crucem, & denique semel à sinistra ad dexteram, dispensans verba in qualibet incensatione hoc pacto. In prima incensatione signando oblata dicit, *Incensum istud*, in secunda signando etiam, *A te benedictum*, in tertia, *Ascendat ad te, Domine*, in quarta verò demittendo Thuribulum, & illud ducendo circum oblata, *Et descendat super nos*, in quinta, *Misericordia*, in sexta, & ultima *Tua*; interim Diaconus dextera tenet pedem Calicis, dum Celebrans oblata thurificat. Tum facta de more oblati reverentia incensabit Crucem, Reliquias, seu Imagines si adsint, & Altare, ut supra initio Missæ, dicens interim *Dirigatur Domine oratio mea, &c.* ut in ordine Missæ. Quæ verba sic distribuet, & ita profe-

ret, ut eodem tempore finiatur, quo absolvitur altaris incensatio. Sic autem solent communiter distribui. Ad incensationem Crucis dicit *Dirigatur, Domine oratio mea*, ad incensationem Altaris à parte Epistolæ *Sicut incensum, &c.* & à parte Evangelii, *Pone Domine, &c.* Denique incipiendo incensationem totius frontis anterioris Altaris, *Ut non declines, &c.* Statimque, incensatione finita, in cornu Epistolæ reddet Diacono thuribulum, ut supra, dicens, *Accendat in nobis, &c.* & ab eodem incensabitur triplici ductu, ut initio Missæ. Tunc Chorus, & alii thurificabuntur.

XV. Hæc autem Oratio, *Dirigatur, &c.* tantum dicitur in Missa tempore incensationis, & nusquam aliàs.

XVI. Cum elevatur SS. Sacramentum incensatur triplici ductu à Thuriferario in utraque elevatione. In Missis verò Defunctorum incensatur à Subdiacono & in aliis semper, si non teneat Patenam, quia dignioris est SS. Sacramentu thurificare.

XVII. In ipso actu thurificationis Celebrans graviter, & cum decore se gerat, non personam, aut caput dum thuribulum ducit aut reducit, aut se movens, & sinistram, quæ summitatem catenularum tenet, firmam, stabilemque teneat; dexteram verò manum, ac brachium commode, ac tractum cum thuribulo movebit versus personam, aut aliud, ita ut cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter, & competenti mora reducat.


Ut autem faciliùs cognoscantur ordo incensationis, & loca quæ in altari debent incensari, sicut & numerus ictuum, hanc tabulam à R. P. Gavanto præscriptam, huic apponendam judicavimus.



18 17 16 8 9 10

21 22 23 15 14 13

24 25 26 27 28 29



QVANDO IN ALTARI NON SVNT RELIOVIAE IN CENSATA CRUCE IN MEDIO  
 p[ro]sequitur in c[on]structionem per numerum 8 et celebr[ati]o[n]is numer[us] 4, 6, 8, 9


19

20

11

12

ORDO INCENSATIONIS ALTARIS. EX THE SAVRO. SACR.  
RITVVM. A. SACRA. CONGREGATIONE. APPROBATO. DE PROMPT.



## ARTICULUS III

De Thurificatione Sanctissimo Sacramento  
exposito in Altari.

I. Variis modis thurificatur SS. Sacramentum expositum : etenim aliquando simul cum Altari, aliquando solum incensatur, & nihil aliud. Thurificatur cum Altari simul, quoties Missa, aut Vesperæ celebrantur solemniter ad Altare, in quo est expositum. Thurificatur solum, cum in Missa solemniter elevatur, cum exponitur, vel reconditur, aut deferri debet processionaliter.

II. Quando ergo Altare simul cum SS. Sacramento incensatur, Celebrans benedicit semper incensum de more; at quando solum incensatur, thus non benedicitur; utrobique verò abstinendum est ab osculis tum cochlearis, & thuribuli, tum manus Celebrantis.

III. In Missa in qua patet expositum, thurificatur ante Introitum, & post Oblatorum incensationem. Ante introitum quidem Celebrans post osculum Altaris, stans semper, & aliquantulum ad cornu Evangelii, & non in medio (quod semper facit in hujusmodi impositione thuris, & incensatione, sive sit super suppedaneum Altaris, sive in secundo gradu, sive alio loco) quasi convertens faciem suam ad cornu Epistolæ, benedicit de more incensum, quo benedicto, sine ulla genuflexione, descendit ad secundum gradum Altaris, cavens, ne eidem terga vertat quantum potest, ubi genuflexus super suppedaneum accipit Thuribulum, & SS. Sacramentum devotè, & graviter triplici ductu interposita inter quemlibet ductum brevi morula, thurificat, loco Crucis, quæ abesse debet, dum SS. Sacramentum est expositum, facta profunda inclinatione ante, & post, & interim Diaconus, & Subdiaconus manent hinc inde genuflexi aliquantulum elevantes planetam illius circa humeros, ut suo loco dictum est. Circumstantes verò omnes ad Altare, interim genuflectunt. Tum surgens facta genuflexione incensat Reliquias, & Altare, ut supra.

IV. Completa incensatione Altaris, & reddito thuribulo Diacono, descendit Celebrans in planum extra gradus à latere Epi-

stolæ, cavens ne renes vertat ullo modo SS. Sacramento, ibique stans in plano versa facie ad populum, incensatur à Diacono stante ante illum, & ad populum terga vertente, Gavantus. Ideo cum Celebrans est extra gradus, convertit se ad populum, ita ut faciem convertat prius ad cornu Evangelii, quasi circumlum faciendū.

V. Ad Evangelium, Celebrans eodem modo ponit incensum, & eo dicto incensatur ubi est in cornu Epistolæ, non descendens in planum. Ita periti.

VI. Ad Oblata, SS. Sacramentum hoc modo thurificatur. Celebrans stat, ut supra, aliquantulum in cornu Evangelii, benedicit incensum de more, tum accepto de manu Diaconi Thuribulo, nulla facta genuflexione, incensat oblata ut alias, ac postea genuflexus, ut supra, super suppedaneum Altaris, SS. Sacramentum thurificat dicens, *Dirigatur, &c.* omnibus Ministris, & aliis circumstantibus genuflexis, excepto Subdiacono stante in plano post Celebrantem, & Diaconus eo casu non amovet Calicem de medio Altaris, quia non subest periculum effusionis. Tum surgens, facta genuflexione, incensat Reliquias, & Altare; quo incensato, descendit in planum, ut initio Missæ, ubi thurificatur.

VII. In Vesperis solemnibus, quando est expositum SS. Sacramentum, thurificatur hoc ritu ad *Magnificat*. Celebrans cum pervenerit ad Altare, genuflectit utroque genu cum inclinatione in plana terra, quantum fieri potest, & osculato Altari, ministrante primo Assistente, imponit, & benedicit thus de more, tum descendit, sine ulla genuflexione, ad secundum Altaris gradum, & in ora suppedaneæ genuflexus accipit Thuribulum, & incensat SS. Sacramentum triplici ductu, ut initio Missæ, cum inclinatione ante, & post, duobus assistentibus fimbrias pluvialis sui anteriores elevantibus hinc inde. Tum surgit, ascendit ad Altare, quod facta prius genuflexione incensat, sed prius Reliquias, aut Imagines, ac reddito in cornu Epistolæ thuribulo, redit ad medium Altaris, ubi genuflectit, deinde declinans parumper ad latus Evangelii, ne renes vertat SS. Sacramento, descendit ante

ante infimum gradum, & facta ibidem in plano genuflexione utroque genu, ordine quo venerat, redit in Chorum cum Assistentibus, & aliis Ministris.

VIII. Quod spectat ad alium modum thurificandi SS. Sacramentum, sine alia thurificatione, ut fit in Missa solemnī, ad elevationem, & quando exponitur, aut reconditur, vel deferitur processionaliter, nihil dicendum videtur hoc loco, quia satis propriis locis de hoc modo acturi sumus, sicut etiam de thurificatione SS. Sacramenti feria sexta in Parasceve, & aliis vicibus.

## ARTICULUS IV.

DE THURIFICATIONE IN VESPERIS, & Laudibus, & aliis circa alias Thurificationes.

I. IN Vesperis solemnibus semel tantum adhibetur incensum, nempe ad Canticum *Magnificat*. Quo inchoato Celebrans cum Assistentibus suis procedit ad Altare, ubi, factis debitis reverentiis, imponit, & benedicit incensum, & altare thurificat, ut initio Missæ, illique assistunt duo digniores assistentes, sicut in Missa Diaconus, & Subdiaconus, hinc inde elevantes fimbrias anteriores Pluvialis sui, ministrante primo naviculam, & Thuriferario thuribulum; secundo interim elevante pluviale ipsius Celebrantis à parte dextera, & dū transeunt ante Crucem, profundè se inclinant tantum: si verò sit Tabernaculum SS. Sacramenti, omnes genuflectunt: ut innuit Cærem. Ep. lib. 2. cap. 2. Finitaque incensatione primus Assistentis recipit thuribulum, quod mox reddit Thuriferario; quo facto redeunt ad medium Altaris, ex quo, facta inclinatione, descendunt in planum, & inde, facta debita Altari reverentia, redeunt in Chorum, ubi Celebrans primus omnium, etiamsi ibi essent Cardinales, incensatur à primo Assistente. Post Celebrantem incensatur Prælati proprius, & alii si qui sint. Postea Clerus, ut infra.

II. At, si non sint Assistentes, ut in minoribus Ecclesiis, sed solus Thuriferarius, ipse Thuriferarius sinistra sustentans ad Altare annulum majorem thuribuli, & eadem

*Man. S. Aer. Cærem.*

manu inter indicem, & pollicem naviculam, per ejus pedis extremitatem tenens, dextera verò minorem annulum operculi elevans, eademque manu catenulas inter operculum, & vas thuribuli complectens, inclinatus dicit Celebranti: *Benedicite Pater Reverende*, impositoque, & benedicto thure, ut suprà, demisso operculo, porrigit ipsi thuribulum, cum osculo, & solitis inclinationibus. In eo autem casu ipse Thuriferarius dum Celebrans ponit incensum manu sinistra pedem naviculæ apertæ tenet ante Celebrantem, ex qua thus immittit in Thuribulum, cochleari à se ipso sumpto, & dum Celebrans incensat, à dextris ejus elevat Pluviale, & genuflectit transiens ante medium Altaris.

III. Vel fortè commodius possent hæc fieri hoc modo: Acolythus alius deputatus, sumpta navicula à Thuriferario, porrigit cochlear Celebranti, cum debitis osculis, & ambo simul ministrant sicut Assistentes ad incensationem elevantes pluviale, & semper genuflectentes transeunt ante medium Altaris.

IV. Si aliud altare incensandum sit, ut in die festo alicujus Sancti, cui illud dedicatum est, quod tamen rarò fieri debet; facta incensatione majoris Altaris, & reddito thuribulo, factaque debita reverentia, Celebrans, & omnes ministri procedunt ad illud eodem ordine quo ad primum; ibique ab omnibus facta debita reverentia, scilicet à Ceroferrariis, & Thuriferario semper genuflexione, Celebrans osculatur Altare, & illud incensat sicut primum, non tamen iterum imponit thus, nisi necessitas cogat, & simul omnes eodem ordine recedunt. At mos iste facile non est instituendus.

V. Si item SS. Sacramentum non est in Altari majori, sed in alio diverso ab eo ad quod Vesperæ celebrantur, tunc illud super quod asservatur, prius incensandum est, ex praxi Urbis, ante aliud quodcumque, ob reverentiam SS. Sacramenti, eodem modo quo suprà, ibique Celebrans imponit, & benedicit incensum, eo verò Altari incensato, Altare majus incensatur de more.

VI. Si item insignis Reliquia, aut celebris Imago, vel etiam particula veræ Crucis incensanda sit alibi, quàm in Altari majori, quod rarò fieri debet, Celebrans ibidem, sumpto thuribulo, eas incensat



centat triplici ductu, profundè se inclinans antè, & post; Ministris etiam, seu Assistentibus pluviale illius elevantibus.

VII. Imponitur autem, & benedicitur regulariter thus ad Altare, aliquando tamen in Sacristia, verbi gratia, antequam Celebrans exeat ab eà pro Missa celebranda, & ante lotionem pedum feria quinta in Coena Domini, ut suo loco dicitur, & in aliis locis, ut in Processione SS. Sacramenti, Sabbato sancto, ad Exequias, & Absolutionem, &c.

VIII. In Vesperis Defunctorum nunquam thus adhibetur, nec in Missa, nisi ad Oblata, & tunc Altare, Celebrans, & Episcopus si adsit etiam non paratus thurificatur. Cærem. Episc. lib. 2. c. 12. Ad Absolutionem, & Exequias, adhibetur etiam incensum, & benedicitur, ut in Rituali.

#### ARTICULUS V.

DE MODO INCENSANDI  
*personas, & quæ personæ sunt incensan-  
 da, & quo ordine, & de numero  
 thurificationum.*

I. **C**um sit incensatio generalis in Choro, omnes qui incensantur stant nudo capite, præsertim quando incensantur Canonici; non tamen Canonici stant, dum Beneficiati incensantur, neque dum Magistratus; & qui prior est incensandus, capitis inclinatione alterum immediate subsequenter, antea invitare debet ad incensationem prius capiendam. Cærem. Episc. lib. 1. cap. 23. & hoc præcipuè servatur inter Canonicos, & Sacerdotes. Ita Cærem. Cleric. Reg. Minorum. Et si ille qui thurificat sit æqualis dignitatis cum thurificando, aut etiam majoris, capite inclinato reverentias mutuas sibi faciant, ante, & post thurificationem. Thuriferarius profundè se inclinet Canonicis, & Sacerdotibus; illi autem parum, vel nihil versùs thuriferarium correspondent, qui & ipse thurificando alios post Canonicos, parum, vel nihil versùs eos caput inclinat, pro eorum qualitate. Sed Episcopus, vel Legatus cum thurificatur, nulatenus versùs thurificantem caput, nec mo-

dicum quidem inclinat, sed manu dextera super eum signum Crucis facit: Celebrans nulli, nisi Presbytero thurificanti ad Vesperas. Convenit tamen, ut tantillum caput inclinet Diacono, dum ab eo thurificatur, quasi nutu quodam; Diacono thurificanti inclinent se profundè Clerici, qui non sunt Sacerdotes.

II. Nullus verò incensetur nisi stans etiam populus, qui de his admoneri debet: & si aliquis sedeat, aut genuflectat, modeste moneatur, ut surgat ad incensationem capiendam, quòd si noluerit, incensari non debet: nullus etiam patiatur, ut sedens, aut stans à genuflexo incensetur in Missa nisi summus Pontifex. Singuli autem debent incensari, ut patet ex Cærem. Ep. lib. 1. cap. 23. stante thurificante versùs thurificandum facie ad faciem, cum inclinatione ante, & post pro dignitate personæ, nisi fortè fiat incensatio sine mora; quod accidit aliquando in Missa ante finem Præfationis, vel ante principium Orationis ad Vesperas, Gav. par. 2. tit. 7. & tunc sufficit si tantum primo cuiusque ordinis se inclinet; Populus autem circumstans, simul, triplici ductu cum solitis inclinationibus ante, & post incensatur; primò in medio, secundo in parte Epistolæ, tertio in parte Evangelii, quo tempore Thuriferarius stat ad Altare, ut suo capite diximus. Si verò populus sit alibi, incensatur ubi est, pari disciplina.

III. In quibusdam tamen Ecclesiis incensantur omnes Clerici, etiam Canonici Cathedralium Ecclesiarum, successivè à Thuriferario, vel alio sine mora, non habita ratione dignitatis, procedendo ab ima parte Chori ad Superiorem, vel contra, pro situ Chori, quod non sine ratione fortè observatur, & hoc modo occurritur multis casibus, qui sæpè solent generare lites, & discordias inter multos.

IV. Quando Missa cantatur sine Ministris, ut in multis minoribus Ecclesiis, initio non incensatur Altare, nec thus adhibetur, nisi fortè ad Evangelium, post Oblata, & ad elevationem. Si tamen plures sint Acolythy, ut dicemus infra, tunc Altare potest thurificari secundum consuetudinem locorum; quod non videtur ad praxim revocandum, nisi de licentia Superiorum.

V. Quod

V. Quod spectat ad Personas, quæ incensanz sunt, liceat mihi hic apponere proprium textum Cærem. Ep. lib. 1. cap. 23. & ea quæ in ipso Cærem. præscribuntur. Personæ autem quibus hoc thurificandi alios officium competit, solent esse diversæ, pro diversitate celebrantium, & solemnitatum, ac personarum, quæ thurificandæ sunt. Nam Episcopus solemniter celebrans Vesperas, thurificato Altari, thurificatur (*re-cto capite*) stans apud sedem à Presbytero assistente parato, qui postmodum dat thuribulum in manibus Subdiaconi, qui in crastinum cantaturus est Epistolam in Missa, vel alicujus Acolythi, vel aliàs, ut dicitur in cap. de Vesperis &c. qui thurificat omnes de Choro. In Missa verò cum Episcopus est apud Altare, thurificatur semper à Diacono Evangelii parato: cum verò est apud sedem, videlicet finito Evangelio, thurificatur (*nudo capite*) à prædicto Presbytero pluviali parato, qui accipit thuribulum de manu Acolythi, qui illud tenebat; sed si celebret apud faldistorium, puta præsentem Legato, vel alio Cardinale, vel Metropolitanano, thurificatur ab eodem Diacono, qui & alios de Choro thurificat: deinde det thuribulum in manu alicujus Acolythi, qui primò ipsum Diaconum, à quo thuribulum recepit, mox alios, si qui in Choro supersunt, & reliquum populum thurificat. Diaconus verò redit ad officium suum.

VI. Quòd si adesset Legatus, Rex, aut Princeps magnus, nihilominus eadem personæ ipsos thurificarent, quos diximus Episcopum celebrantem thurificare, & non aliàs; præsertim, quæ in dignitate Episcopali sunt constitutz, quas nullo modo contingit alios quantumvis maximos Principes thurificare.

VII. Si autem Episcopus non celebrat, sed interest Vesperis, vel Missæ per alium celebratz, ipse Episcopus semper à Presbytero assistente thurificandus est. Canonici verò, & alii de Choro, in Vesperis, ab aliquo Acolytho, in Missa; à Diacono qui cantat Evangelium, thurificantur, qui & cæteros omnes thurificat, præsertim Canonicos; Beneficiatos verò, & alios minores thuriferarius secundum consuetudinem locorum, in quibusdam enim Ecclesiis, & multis, incensatis Canonicis, Subdiacono, & Diacono,

alii omnes à thuriferario incensantur. Antequam inchoetur Evangelium, videlicet, lecto, per Diaconum, titulo Evangelii, ipse ter thurificat librum Evangeliorum, primò in medio, tum à parte dextera libri, mox à sinistra.

VIII. Ordo autem thurificandi, sive in Vesperis, sive in Missa, erit talis. Primò in Vesperis thurificato Altari, thurificatur Episcopus Celebrans, vel alius quicumque Celebrans, & cujuscumque conditionis, (quod Prælati multi advertere debent inferiores, & præcipuè Abbates Commendatarii, qui volunt incensari ante Celebrantem inferioris ordinis, agentes contra Cæremionale, & quod magis est, volunt etiam thurificari ab ipso Celebrante abusive) dum dicitur *Magnificat*, &c. Idem observatur in Missa tam in principio, quam post oblata; tum Legatus Cardinalis, si aderit, vel etiam Cardinalis non Legatus, mox Archiepiscopus illius provinciz, si aderit, & post eum Episcopus non celebrans, sed præsentis in Sacrificio, post quem immediatè Presbyter assistens, & duo Diaconi, assistentes, nisi adsint majores Episcopo, & in casu quo non sit Episcopo assistentia.

IX. Si fortè aderunt Nuntius Apostolicus cum facultate Legati de Latere intra fines suæ Legationis, aut Visitator Apostolicus, Episcopus, thurificantur ante Archiepiscopum, & Episcopum. Sed si Nuntius Apostolicus non habet talem facultatem, vel Visitator non sit Episcopus, post Episcopum, & Archiepiscopum: & hoc intelligatur quando Nuntius, & Visitator sunt in loco eorum jurisdictionis. Si aderunt Archiepiscopus, & Episcopus hospites, thurificandi sunt post Episcopum proprium.

X. Si fortè aliquis S. R. E. Cardinalis esset Episcopus Suffraganeus præsentem suo Metropolitanano, non Cardinale, thurificandus est prius ipse Cardinalis, ob reverentiam officii, & dignitatis Cardinalatus. Post prædictos thurificantur, si aderunt, Prothonotarii de numero participantium, deinde Nuntii Apostolici Prælati, non existentes in loco eorum jurisdictionis, sed transeuntes, tum Dignitates, & Canonici secundum eorum ordinem, videlicet primò dignitates, deinde Canonici Presbyteri, tum Diaconi, mox Subdiaconi, si Præbendæ



natori etiam Collegiatae. S. Cong. Rit. in Calaguritana 5. Julii 1603. Canonici Collegiatae ante Rectores, & Beneficiatos aliarum Ecclesiarum Parochialium, etiam quando in eorum propriis Ecclesiis interfunt simul divinis Officiis, nec est hujusmodi caeremonia aliquo praetextu omittenda, si ex consuetudine fieri solet. S. Cong. Rit. in Calaguritana 10 Junii 1601.

XIX. Hæc quæ diximus præcipuè intelliguntur de Cathedralibus, & Collegiatis majoribus. At in Ecclesiis Parochialibus minoribus, & Regularium quoad incensationem clericorum, servetur laudabilis consuetudo locorum. Diaconus tamen, & Subdiaconus, & alii parati in choro duplici ductu, sicut & Superior non celebrans, nisi solearthurificari triplici, Sacerdotes verò, unica, Gav. p. 2. tit. 7. n. 10. cæteri, sine mora, nisi etiam alia sit consuetudo, quæ duplicem etiam istum præbeat Sacerdotibus.

XX. Quoad incensationem Laicorum, Domini locorum minorum, de quibus in Caeremoniali prædicto nulla fit mentio, seu Magistratus, incensari poterunt à Thuriferario duplici, vel unico ductu, pro qualitate personarum post Acolythos, ii videlicet, quibus proprium scamnum, seu sedes ab aliis distincta parari solet. Consuetudo autem locorum laudabilis in his attendi solet, ad pacem tum Cleri, tum Laicorum conservandam in toto incensationis ordine, & ritu. Gav. ibidem.

XXI. Si chorus nimis distet ab Altari majori incensetur secundum consuetudinem sæpè sine mora. Si in editiori sit, & altiori loco, & in conspectu Altaris, incensato celebrante videtur convenire, ut Diaconus illum incenset è Presbyterio, vel Capella majoris Altaris: dirigendo incensationem triplici ductu ad illum: tum Subdiaconum incensat, & alia fiant de more. Vel fortè convenientius est ut Diaconus postquam celebrantem incensavit det thuribulum Thuriferario, qui postquam ipsum Diaconum, & Subdiaconum incensavit, procedat in Chorum, quem incenset sicut Diaconum, & postea redeat ad Altare ubi alios Acolythos incenset. Ita concessum est Hispanis referente Alcozer, ubi Altaria multum distant à choro. Ideò videtur hujusmodi modus servandus potius, quam prior.

XXII. Si chorus sit retro post Altare, incensato celebrante, Diaconus, si fieri potest, facta genuflexione ibidem ingrediatur in eum per partem lateris Epistolæ, eumque incenset, & facta incensatione redeat per portam Evangelii, & stans in parte Evangelii eo casu Subdiaconum incenset, deinde dato thuribulo Thuriferario, ipse incensetur ab eo, stans versa facie ad eum, stante etiam in eodem cornu Evangelii. Quædam adhuc dicemus de Thurificatione iuis locis.

## C A P U T X.

## D E P A C E.

## A R T I C U L U S I.

DE ORDINE DANDI PACEM IN  
Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis,  
absente Episcopo.

I. **P**AUCA de Pace hic dicemus, acturi de ea postea in Missa solemnè. In Missa solemnè, dicto *Agnus Dei*, à celebrante, & Ministris, Diaconus statim genuflexit à dextris illius, dum ipse celebrans dicit Orationem *Domine Jesu Christe, qui dixisti*, qua dicta, se erigens osculatur Altare extra Corporale, manibus junctis, eo tempore quo celebrans osculatur Altare, & accipit pacem cum osculo loco suo præscripto, & ea accepta, factaque genuflexione SS. Sacramento, convertit se ad Subdiaconum, cui dat pacem etiam cum osculo, ut supra. Tum idem Subdiaconus, assistente sibi à sinistris Caeremoniario, aut alio, pacem in choro desert, servatis debitis reverentiis eundem, & redeundo, nisi fortè instrumentum ferat, cum quo eam daturus est, quia tenens istud instrumentum neminem salutatur, nisi fortè post datam pacem. Accedit autem ad digniorem de Choro, eumque sine ulla prorsus reverentia complectitur, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, & dicit *Pax tecum*, cui ille respondet *Et cum spiritu tuo*, inclinans se ipsi Subdiacono ante, & post datam pacem, cui tamen tantum se inclinat Subdiaconus postea, pro qualitate personæ. Eadem disciplina idem Subdiaconus ei, qui est in primo loco alterius Chori, pacem desert, quam descendens postea ad inferiorem Cho-

Chorum, primis cuiusque ordinis dabit; reliqui verò stantes in Choro, seniores scilicet junioribus ipsam per ordinem distribuent.

II. Data pace in Choro, Subdiaconus eum salutatur, & ad Altare redit, cui genuflectit, & dat pacem comiti suo, & hic eam aliis. Acolythis circumstantibus pari disciplina, vel si sint impediti, nulli. Subdiaconus verò redit ad dexteram celebrantis, ubi facta genuflexione ministrat, ut suo loco diximus. Si detur Assistentis paratus celebranti, hic accipiet Pacem à celebrante, quam dabit Clero, eo modo quo supra, sed priùs Diacono, & hic dabit eam Subdiacono. Ut ait Crassus l. 1. cap. 50.

III. Non præmittuntur autem invitationes, quæ fiunt in incensatione. Laicis verò datur per instrumentum osculatum ab eo qui pacem à celebrante immediatè accepit, & nemini, nisi stanti, dari debet, scilicet, cui per osculum datur.

IV. Ordo dandi pacem est idem, qui de incensatione, sed per instrumentum datur laicis singulis, qui illud osculantur: Subdiaconus autem porrigit illud laicis, quos Diaconus incensavit. Acolythus verò, vel Cæremoniarius iis, quos ipse thurificavit: numquam verò à Diacono extra altare alicui datur, neque Domino loci, ex Decreto Sacræ Congr. Rit. 5. Julii 1614. Neque datur unquam cum Patena loco Tabellæ, seu instrumenti: quam Patenam prohibuit Pius V. in Epist. ad Archiepiscopum Tarraconensem.

## ARTICULUS II.

### DE ORDINE DANDI PACEM coram Episcopo, &c.

I. **D**atur Pacis osculum alio modo, ac per diversos Ministros præberi solet, cum ipse Episcopus solemniter celebrat Missam, aliter cum per alium Prælatum, vel non Prælatum Missæ solemniter cantatæ interest, aliter cum Episcopo absente, vel in Collegiatis Ecclesiis, Missa solemniter celebratur, & demum aliter in Missa plana. De his duobus modis egimus capite præcedenti, de hoc cum de ministro privatæ Missæ supra, & infra dicemus.

II. Episcopo ergo celebrante, post dictum *Agnus Dei*, Presbyter assistens accedit ad

dexteram Episcopi, ubi genuflectit sicut Diaconus, & surgens osculatur Altare cum celebrante etiam sicut Diaconus; mox appropinquans sinistram genam sinistra celebrantis, ab Episcopo accipit pacis osculum dicente *Pax tecum*, cui ipse respondet *Et cum spiritu tuo*; factaque ibi iterum genuflexione, non vertens renes SS. Sacramento, discedit comitante Cæremoniario, osculumque prædictum per Chorum ordine distribuit, incipiendo à dignioribus. Ordo autem idem erit prout de incensatione diximus, hoc excepto, quòd ipse Presbyter Assistentis non dat osculum Diacono Evangelii, & Subdiacono Epistolæ, nec duobus Diaconis Assistentibus, hi enim capiunt pacem ab eodem Episcopo, statim postquam illam dedit Presbytero Assistenti, genuflectentes ante, & post ante SS. Sacramentum, non tamen osculantes Altare. Illi verò, hoc est, Diaconus, & Subdiaconus, capiunt pacem ab eodem Episcopo celebrante, cum ab eo accipiunt Communionem.

III. Sed si fuerint Sacerdotes, & jam celebraverint, vel velint hac die celebrare, tunc postquam Presbyter Assistentis Canonicus cum Pluviali pacem ab Episcopo celebrante acceperit, ut eam per Chorum distribuat Diaconus Evangelii debet Pacem ab Episcopo accipere, & illam Subdiacono dare, Subdiaconus verò tunc illam duobus Diaconis Assistentibus ministrare debet. Sacra Cong. Rit. in Bracharensi 17. Junii 1606.

IV. Observabit autem ipse Presbyter assistens osculum ferens, ut nulli, quantumvis supremo Principi, etiamsi esset Imperator, vel Rex, ullam reverentiam faciat, antequam pacem det, sed post datam pacem, cui etiam ipsi, qui acceperunt pacem ab eo, parèbreverentia correspondent, cum sit ex primis Dignitatibus, vel Canonicis Ecclesiæ.

V. Regulare est, ut Pax detur primo cuiusque ordinis; videlicet primo ex Canonicis Presbyteris, primo ex Canonicis Diaconis, & primo ex Canonicis Subdiaconis, ubi distinctæ sunt Præbendæ: vel ubi Præbendæ non sunt distinctæ, primo ab utroque latere stanti, qui successivè pacem dat alteri subsequenti, & ille dat alteri, & si aderunt Laici, ut Magistratus, & Barones, ac nobiles, detur pax cum instrumento, quod instrumentum prius

præis osculetur Presbyter Assistens, habeatque velum coloris paramentorum manubrio ejus appensum, quo abstergetur in loco, in quo osculari debet, eoque osculato à Principe, reponetur super Altare in cornu Epistolæ.

VI. Postquam verò prædictus Assistens Pacem dignitatibus, & Canonicis, ac Magistratui dederit, dabit eam alicui Acolyto, vel Cæremoniario, qui cæteris de Choro eam distribuet. Nulli autem Ecclesiastico osculum hujusmodi dandum est, nisi stanti.

VII. Si inter Canonicos esset aliquis Prælati, aut alius, qui non esset ejusdem ordinis cum ipsis Canonicis, qui pacem cum eis accipere non debet, ipse Presbyter Assistens dabit pacem ei qui proximè eum sequitur, ne hic qui pacem ordine suo ei dare deberet, cogatur locum cedere, & accedere ad eum. Item si unus ex Canonicis nimis distaret ab alio, ipse etiam Presbyter assistens daret ei qui distat, pacem, qui eam dabit sequenti successivè.

VIII. Quando autem Episcopus ipse non celebrat, sed Missæ per alium celebratæ præfens fuerit, idem Presbyter Assistens accipiet Pacem à celebrante, acceptamque Episcopo deferet, qui eam duobus Diaconis Assistentibus dabit, qui propterea ad eum accedent unus post alium cum debitis reverentiis ante, & post.

IX. Advertendum tamen est, si is qui celebrat sit Prælati, ita ut habeat Capellanum assistentem cum Pluviali in Missa, tunc ipse Capellanus assistens, postquam Episcopus pacem acceptam à suo Presbytero assistente dederit duobus Diaconis assistentibus accedit in Choro ad locum dîcti Presbyteri assistentis, qui dedit pacem Episcopo, qui que statim post datam pacem recessit in Chorum, & ab eo accipit pacem, quam ad alios de Choro ordine supradictò deferret.

X. Quòd si is qui celebrat non sit Prælati, nec habeat Capellanum assistentem cum Pluviali, eodem modo Presbyter Episcopi assistens accipit pacem à celebrante, eamque ad Episcopum deferret, qui dat illam Diaconis assistentibus, ut supra, mox stans in loco suo inter Canonicos illam dabit Subdiacono, qui cantavit Epistolam in Missa, qui que ideo accedit ad eum, qua data,

eam ad alios deferret: nisi adefset major Episcopo, quia tali casu semper illi dabitur pax ab eodem Presbytero assistente, priusquam det Episcopo proprio. Si verò sint Abbates, aut alii Episcopo inferiores, dabitur illis à Subdiacono. At si sit Episcopus extraneus capiet etiam Pacem à Presbytero assistente. Si item Episcopus extraneus celebret coram proprio Episcopo, data pace Presbytero assistenti proprii Episcopi, ipse dabit Pacem Diacono, qui eam dabit Subdiacono, si Communionem non sunt accepturi.

XI. Absente Episcopo, ut in Ecclesiis Collegiatis, dabitur pax, ut supra, capite præcedenti, & ut infra de Missa solemnè, cum reverentiis debitis.

XII. In Missis quæ non cantantur, sed planæ sunt, coram Episcopo adhiberi solet instrumentum Pacis, ut dicitur suo loco.

XIII. Pax mulieribus non datur. Sacra Congregatio Rit. in Lucerina 5. Junii 1617. & aliquando arbitrio Episcopi remittitur. Eadem Sacra Congreg. Rit. in Granat. 9. Maij 1606.

## CAPUT XI.

### DE VESPERIS.

#### ARTICULUS I.

##### DE VESPERIS SOLEMNIBUS in Ecclesiis Majoribus.

I. **H**ora competenti Sacrista Altare præparat, ut decet, paramentis coloris convenientis, super quod candelabra, quot sufficienti apponit pro festi qualitate. Cærem. Episc. l. 1. c. 12.

II. In Sacristia præparat Cottas, & Pluvialia æqualia inter se in numero sufficienti pro Celebrante, & ejus assistentibus etiam coloris convenientis, & si sit consuetudo, pro celebrante præparat amictum, Albam, cingulum, & stolam convenientem, aliàs non: sufficit enim regulariter Cotta, & Pluviale, nisi sit Canonicus, quia amictu tunc debet uti, ex Cærem. Episc. l. 2. c. 3. Usus tamen stolæ, & Albæ non improbat Gavantus, præsertim apud Regulares, tomo 2. sect. 10. c. 3. n. 8.

III. Thu-

III. Thuriferarius in Sacristia præparat ignem in vase parato, forcipes, ligna sulphurata, &c. Thuribulum, & naviculam cum cochleari, & incenso. Ceroferarii duo candelabra cum duobus cereis: unum, vel duo extinctoria pro accendis, & extinguendis cereis Altaris apud altare præparabuntur.

IV. In Choro Sacrista, vel alii Ministri præparant sedem celebrantis in digniori parte Chori, ea scilicet, quæ ei ipsa hebdomada obtigerit, panno, vel aliquo tapete tectam cum pulvino uno, & super genuflexorio ante se posito, si fieri potest, alterum pulvinum cum tapete, super quod, vel super legile, si tale genuflexorium apponi non possit, etiam tapete tectum, apponere debet Breviarium majoris formæ, tectum velo sericeo coloris paramentorum, cum signaculis in eo aptatis, ubi sunt ea, quæ ipse cantare, aut dicere debet, & in quo accentus rectè notati reperiantur.

V. Istud autem legile ita aptari debet, ut facile inde amoveri possit quando opus erit, præsertim ad incensationem Celebrantis. Item parant iidem Ministri in medio Chori, vel in loco consueto in plano sedes panno viridi tectas pro assistentibus secundum eorum numerum, & eo casu quo sit legile ante Celebrantem, sternitur tapetium ante eum.

VI. Paulò ante signum ultimum Vesperarum tempestivè accenduntur lampades Ecclesiæ, & cerei altaris per Ceroferarios cottis indutos, duo illi; qui sunt in candelabris suis in Sacristia, sicut & alii si qui fortè accendi debent, eo modo quo diximus supra parte prima.

VII. His ita dispositis, vel citiùs, omnes Collegiales, & Clerici habitu Choralis induiti conveniunt in chorum, ex Cær. Ep. l. 2. c. 3. ubi expectant Celebrantem; vel etiam in Sacristiam, unde procedunt in Chorum senioribus præcedentibus (quia non procedunt processione sacra) cum debitis altari reverentiis, ut supra: & genuflexi orant in locis suis, donec celebrans accedat in Chorum. In Festis tamen solemnioribus procedunt in Chorum, ut infra.

VIII. Tum Celebrans, & assistentes paulò antè ultimum signum, paramenta sua accipiunt nihil dicentes, etiamsi Celebrans accipiat Albam, & Stulam; quibus paratis Ceroferarii capiunt candelabra sua, & in fe-

stis solemnioribus, ut supra diximus, procedunt omnes processione sacra in Chorum (facta priùs nudo capite debita Cruci, & celebranti reverentia, & sibi ipsis mediocri, quibus aliquali reverentia celebrans respondet pro eorum qualitate etiam nudo adhuc capite) ex praxi Ecclesiarum Urbis, & ex Cærem. Episc. lib. 1. cap. 15. & ex Sacra Congreg. Rituum 12. Junii 1628. hoc modo. Præcedunt duo Ceroferarii, Magister Cæremoniarum, qui procedunt nudo capite, & alii bini de Capitulo, postea Assistentes, si plures sunt duobus, ultimo loco celebrans medius inter duos ultimos Assistentes (licet etiam tantum sint duo) fimbrias ejus Pluvialis anterioris elevantes. Omnes supra dicti, tecto capite, bini junctis manibus, oculis demissis, & modesto incessu procedunt, exceptis Ceroferariis, & Cæremoniarario, nemini caput detegentes nisi Episcopo, aut aliis Prælatiis, aut summis Principibus. Si sit adeò magnus populi concursus, ut vix Assistentes elevare possint Pluviale celebrantis, decet ut præcedant duo, vel saltem unus, mazzerii, qui viam dirigant: si item via sit angustior, procedant singuli, ita ut junior seniore præcedat.

IX. Cum pervenerint ante Altare, omnes de capitulo, facta debita Altari reverentia, accedunt in chorum etiam bini ad suas sedes, ubi orant genuflexi, donec celebrans ad sedem accedat. Celebrans verò, & Ceroferarii omnium postremi hinc inde è lateribus stabunt, & in eorum medio assistentes, & inter ipsos medius celebrans, simulque omnes detecto capite genuflectunt in plano, tum surgunt, & iterum genuflectunt super infimo gradu, & sic genuflexi parumper orant, ac interim Ceroferarii candelabra sua deponunt ad latera altaris extinctis suis cereis super gradum, vel in plano inferiori.

X. Post orationem surgunt omnes, & profundè altari caput, & humeros inclinant. Si verò SS. Sacramentum in eo asservatur denud genuflectunt, semper autem Ceroferarii, & alii Clerici non Canonici genuflectunt, & eodem ordine quo supra, procedunt in chorum, ubi Collegiales suos stantes, tunc celebrans, & assistentes parati ab utraque parte chori salutant, nudo capite, incipientes à digniori, qui etiam nudo capite stantes, profunda inclinatione, eos consalutant.

XI. Quo factò, celebrans ascendit ad primam sedem paratam ut suprà, ubi sedet in sede sua paululum tecto capite, & quiescit donec detur illi à Cæremoniario signum incipiendi, sedentibus etiam aliis de choro. Assistentes verò parati stant ante eum in plano, ut suprà eorum capite. Si tamen sit consuetudo, & si loci angustia, aut aliquid aliud obstet, possunt ipsi Assistentes postquam comitati fuerint celebrantem ad sedem suam, accedere statim ad eorum scamna parata, ut suprà, & ibi sedere, sicut alii, in choro. Interim campanæ pulsantur, & organa tanguntur. Cum autem per Cæremoniarium datur signum incipiendi cum inclinatione celebranti, statim cessant organa.

• XII. Et tunc omnes, & ipse Celebrans surgunt, & dato bireto Cæremoniario, vel alteri Clerico, dicunt omnes simul stantes nudo capite versùs Altare, & manibus iunctis, secretò *Pater noster*, &c. & *Ave Maria*, integrè; quibus dictis, elevatur ei pars dextera Pluvialis aliquantulum, per Cæremoniarium, vel alium, si id commodè ab eo fieri non possit, & ipse se signat signo Crucis à fronte ad pectus, dicens clara & competenti voce, prout in Directorio chori Romani, *Deus in adiutorium*, &c. ut jam suprà diximus, & interim omnes alii se signant cum eo.

XIII. Cum dicitur versus *Gloria Patri*, &c. omnes se inclinant versùs altare prout sunt, annuente Cæremoniario, ut suprà i. p. c. i. diximus, ex consuetudine Urbis. Cum dicitur *Sicut erat*, &c. primus Assistentis, facta Altari debita reverentia, id est genuflexione si SS. Sacramentum sit in Altari, vel inclinatione Crucis, quod fit semper in pari casu, duce Cæremoniario, aut alio, si absit, accedit ad Celebrantem propiùs, cui profundè se inclinat cavens, ne terga vertat Altari, & expleto per chorum *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine*, & non priùs, præintonat illi primam Antiphonam primi Psalmi, clara & sonora voce, & ab omnibus de choro intelligibili, qua per celebrantem repetita, & non priùs, ipse Assistentis iterum ipsi, & Altari debitam facit reverentiam, & cum Cæremoniario ad sedilia pro se, & aliis Assistentibus parata, recedit, ubi stat cum aliis.

XIV. Expleta per chorum Antiphona, ipsi Assistentes, jam ferè ubique ex consuetudine recepta, inchoant primum versum

Psalmi usque ad medium. Quo inchoato, & non priùs, celebrans, & omnes alii sedent tecto capite, sicque remanent sedentes usque ad Capitulum, nisi ex accidenti surgere cogantur pro intonatione Antiphonarum, & Psalmorum. In quibusdam tamen locis aliqui Regulares stando cantant Vesperas, secundum laudabilem eorum consuetudinem.

XV. Decet autem ut semper Clericus aliquis adsit prope sedem celebrantis, ut præsto sit, si fortè egeat illius opere, vel saltem Cæremoniarius, cujus est ei assistere.

XVI. Cum autem dicitur versus *Gloria Patri* in fine Psalmorum, omnes, sedentes caput profundè inclinant usque ad versum *Sicut erat*, exclusivè; alicubi tamen surgunt ex laudabili eorum consuetudine.

XVII. Assistentes prædicti, ut suprà diximus capite de Assistentibus, præintonant alias Antiphonas aliis de Clero, incipiendo à dignioribus, ab utraque parte chori, eodem modo quo primam, cum debitis reverentiis & si contingat eos transire ante Celebrantem, eise inclinant. At cum ipse cui præintonatur Antiphona surgit, omnes pariter de choro, vel saltem qui sunt à parte illius chori surgunt, detegentes capita sua, excepto celebrante, qui semper sedet; & dum sedet, pariter sedent omnes cum aliqua honoris significatione. Is verò cui Antiphona præintonatur ab Assistente, respondet præintonanti in reverentia ante, & post.

XVIII. Item cum unus Assistentium surgit præintonaturus Antiphonam, vel aliquid aliud facturum, & Assistentes pariter surgunt, & stant nudo capite donec redierit ad locum suum, & tunc mutuam ei faciunt reverentiam. Versus *Gloria Patri* potest solemniori modulatione decantari, & finito quolibet Psalmo, Antiphona cum Organo repeti, ut capite proprio diximus, & tunc unus ex clericis deputatus intelligibili voce in medio chori recitat ea, quæ pulsantur per Organa.

XIX. Si fortè Clerici quidam in minoribus subfellis assidentes, ad Analogium in medio chori positum accedant, ut ibi cantent Antiphonas, non illuc accedant, donec dictus fuerit versus *Gloria Patri*, quo dicto, accedant ad medium chori cum genuflexione ibidem, nec inde recedant, donec media pars primi versus Psalmi sequentis inchoata fuerit à Cantoribus, & tunc ad sedilia sua,



sua, facta prius genuflexione, recedant.

XX. Si verò Assistentes parati ut supra non incipiunt Psalmos, præintonant alias Antiphonas præter primam, ut præscribit Cær. Ep. l. 2. c. 3. duo Cantores cottis tantum induti: cum repetitur Antiphona postquam immediatè Psalmus debet inchoari, ex suis inferioribus subfelliis, ubi regulariter sedent, in medium chori exeuntes, & se sibi invicem jungentes, cum debitis reverentiis prius, & postea; prius quidem celebranti, sibi invicem, & Altari; & post intonationem Psalmi, altari, & sibi invicem, & celebranti, in medio ipsius chori intonant Psalmum, quo inchoato, recedunt ad sedilia sua. Cantores etiam prædicti præintonant cæteras Antiphonas aliis sicut Assistentes, ut supra diximus, ab utraque parte chori, comite Cæremoniario, & pari disciplina. Ita Cær. Ep. l. 2. c. 3. Et hoc præcipuè servandum est ubi sunt multi clerici, & ubi est consuetudo.

XXI. Cum cantatur ultimus Psalmus, Thuriferarius, facta debita reverentia Celebranti, & choro, accedit ad Altare, ubi facta ei prius genuflexione, accendit cereos Ceroferarius (& alios qui sunt in majoribus candelabris, si sit consuetudo) igne à proxima lampade assumpto, vel etiam ab Altari, si aliter fieri non potest commodè. Deinde, facta iterum genuflexione, recedit in Sacrifià, ubi ignem præparat, & alia sibi necessaria.

XXII. Circa finem ejusdem ultimi Psalmi, Ceroferarii comite Cæremoniario, factis celebranti, & choro debitis reverentiis accedunt ad Altare, ubi genuflectunt, accensos cereos (vel si non sunt accensi à thuriferario, ut supra, eos accendunt, sicut & candelabra majora prædicta) accipiunt, & dum repetitur ultima Antiphona, vel citius, ambo, eodem comite Cæremoniario medio cum iisdem, cereis accensis, ex communi consuetudine jam omnium ferè Ecclesiarum urbis ex Gav. sect. 10. c. 3. num. 15. cum debitis reverentiis accedunt ad Celebrantem, seque hinc inde ante eum, & à lateribus ejus in plano collocant, facie ad se invicem, vel ad Celebrantem versa, prout loci situs requirit, sicut & ipsi Assistentes parati accedunt etiam ad Celebrantem cum debitis reverentiis, & ita se locant hinc inde, ut ipsi Ceroferarii Celebranti sint propiores in plano chori. Cæremoniarius verò est tunc à dex-

tris, si fieri potest, Ceroferarii, qui est à dextris celebrantis, caventes omnes ne revertant Altari, nec ipsi Celebranti. Advertant autem quantum fieri potest, ut non sint in via dum cantatur versus *Gloria Patri*, & si aliter fieri non potest, omnes cum candelabris, aut sine iis inclinent se profundè ante Altare. Præterea si in accessu ad altare sunt genuflexi dum idem versus inchoatur, non inde surgant quin prius sit completus, quo completo accipiant candelabra.

XXIII. Finita ultima Antiphona seu sono organi, Celebrans furgens, biretum tradit cæremoniario, vel aliquo loco congruo deponit si nullus sit qui illud recipiat, junctisque manibus stans, Capitulum cantat ex libro super pulpitem, vel genuflexorium posito, vel ab aliquo clerico sustentato, & si opus sit, aliquis clericus ministrat candelam accensam sicut ad Orationem, præsertim aere obscuro.

XXIV. Responso per chorum *Deo gratias*, unus Assistentium, facta prius Altari debita reverentia, accedit propius ante faciem celebrantis, eique præintonat initium Hymni cum debitis reverentiis ante, & post; quo per eum repetito, omnes Assistentes, factis iterum debitis reverentiis, recedunt ad loca sua, ubi stant nudo capite, sicut & cæteri de choro usque ad finem Hymni. Ceroferarii item post inchoatum Hymnum recedentes cum debitis reverentiis, candelabra in aliquo loco congruo deponunt in choro, vel ubi prius, si chorus non multum ab Altari distat, ut supra diximus.

XXV. Si principium Hymni inchoatur per invocationem Dei, vel Christi, v. g. *Salutis humana sator, Deus tuorum militum, Veni Creator, &c. Jesu Redemptor omnium, &c.* celebrans jungit, extendit & elevat manus, & caput inclinat versus Altare. Cær. Ep. l. 2. c. 19.

XXVI. Si dicantur Hymni *Veni Creator*, vel *Ave Maris stella*, Celebrans dum illos incipit, stat quidem, & facit ea quæ numero præcedenti; sed hymno à se inchoato, genuflectit, & assistentes non discedunt, sed genuflectunt versus Altare ibidem, donec absolvatur prima stropha. Ceroferarii tamen ibidem remanent stantes prout erant. Deinde finita stropha, recedunt omnes, ut supra, cum Cæremoniario, factis Celebranti, & Altari debitis reverentiis. Ad hymnum

num Assistentes stant manibus junctis, sicut & Celebrans. Cærem. Episc. l. 2. c. 3. non verò alii.

XXVII. Hymno finito, duo ex Assistentibus paratis, accedentes ad medium chori ante altare cum debita reverentia, cantant simul versum voce altiori, quibus chorus respondet.

XXVIII. In quibusdam tamen Ecclesiis, duo Acolythi, & sæpè Cæroferarii, pari disciplina, eundem versum in eodem loco decantant manibus junctis, & sine candelabris.

XXIX. Dum chorus respondet ad versum, dignior Assistentium comite Cæremoniario, rediens ad celebrantem cum debitis reverentiis, præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*; qua per eum repetita, ipse, & omnes alii de choro sedent tecto capite, donec fuerit integrè decantata.

XXX. Interim duo Acolythi, seu ipsi Cæroferarii, accedunt ad altare, si non multum à choro distat, ubi facta genuflexione hinc inde, elevant partem anteriorem veli, seu tapetis illi superpositi, nisi fortè id jam factum fuerit ante initium Vesperarum, aut Capitulum, ut supra diximus, illudque duplicant usque ad medium, explicantque post incensationem Altaris, vel post Vesperas, si aliter fieri non potest. Tum Cæroferarii candelabra sua accipiunt, & cum debitis reverentiis accedunt ad Celebrantem, vel ad medium chori, ubi stantes celebrantem expectant. Si tamen chorus sit juxta, vel prope Altare, non est necesse, ut candelabra deferant ad *Magnificat*. Thuriferarius item accedit de Sacrificia cum thuribulo, & navicula ad Altare, facta debita genuflexione, vel potius redit in Chorum, ubi se adjungit Cæroferariis, ut supra diximus.

XXXI. Finita Antiphona in Choro, duo ex Assistentibus paratis intonant Canticum *Magnificat*, & tunc omnes surgunt; celebrans verò, & alii omnes Assistentes depositis biretis suis super sedilia sua, factoque sibi signo Crucis à fronte ad pectus, quod faciunt etiam omnes alii de choro propter reverentiam Sacri Cantici, & Evangelii, ex Cæ. l. 2. c. 3. ac salutatis ab utraque parte chori Clericis capitis inclinatione, qui eis correspondent in reverentia, procedunt etiam nudo capite propter canticum Evangelicum, & manibus junctis ad altare, Thuri-

ferario, & Cæroferariis, ac Cæremoniario ante eos præcedentibus, ita ut duo postremi Assistentes hinc inde elevent partem anteriorem Pluvialis celebrantis, & ibi ante infimum gradum debitam faciunt reverentiam, sed semper Ministri inferiores genuflectunt.

XXXII. Mox Celebrans cum duobus dignioribus Assistentibus ascendit ad Altare, illudque osculatur, imposito ac benedicto thure in thuribulo, ministrante primo Assistente naviculam, & Thuriferario thuribulum, ut diximus capite de thurificatione in Vesperis, Altare thurificat hinc inde duobus Assistentibus, & interim alii Assistentes, si adsint, stant in plano facie versa ad Altare, & Thuriferarius descendit in planum ad cornu Epistolæ, ubi stat versa facie ad Altare.

XXXIII. Si alia Altaria sint incensanda, videlicet Altare Sanctissimi Sacramenti, aut aliud, fiant omnia quæ supra diximus.

XXXIV. Incensato Altari, celebrans redit thuribulum primo Assistenti, qui illud recipit cum solitis osculis, & tradit thuriferario stanti in cornu Epistolæ, tum rediens ad medium Altaris, & Assistentes hinc inde simul cum eo, caput etiam inclinans Cruci, postea in planum descendentes, debitas faciunt Altari reverentias, & eo ordine in chorum redeunt quo venerant, ac servatis iisdem salutationibus. Tum Cæroferarii deponunt candelabra in loco apto, si supersit multum temporis usque ad Orationem, alias verò remanentes ante ipsum celebrantem ea accensa sustinent. Assistentes autem celebrantem conducunt usque ad sedem suam, ubi stant donec incensatus fuerit à primo, tum statim ad sua loca redeant facta ei reverentia.

XXXV. Celebrans verò ascendit ad locum suum, ubi capitis inclinatione invitato prius ad honorem incensationis digniori, qui post eum debet incensari, etiam si sit Prælatum, incensatur à primo ex Assistentibus, cum profunda inclinatione ante, & post, cui celebrans aliquantulum in salutatione correspondet, & Thuriferarius interim simbriam Pluvialis ejus anteriorem elevat, qui mox accepto thuribulo, alios de Choro incensat, scilicet Canonicos, aut alios, ut capite de thurificatione diximus; Canonicos quidem duplici ductu, vel secundum con-

fuetudinem locorum. Si Assistentes sint ejusdem ordinis, cujus sunt Canonici, incensantur ante Canonicos, quia sunt parati; si verò inferioris, post Canonicos, sed semper duplici ductu: cæteri de choro unico, vel solum transeundo sine mora, ut supra dictum est; vel etiam duplici, si sit consuetudo.

XXXVI. Advertant autem in Choro, ut cantum ita dimetiantur, ut tota incensatio sit expleta antequam Celebrans dicat *Dominus vobiscum*, quia tunc omnino cessare debet Thuriferarius ab incensatione initio Orationis. Cær. Ep. l. 2. c. 3.

XXXVII. Dum dicitur versus *Gloria Patri*, Thuriferarius cessans ab incensatione se inclinat versus Altare, quo dicto, prosequitur incensationem, si jam non est completa.

XXXVIII. Si Thuriferarius advertat non satis restare temporis ad complendam totam incensationem ante Orationem, statim post versum *Gloria Patri*, relicta incensatione Cleri incompleta, vel iis incensatis, quasi sine mora, pergat ad incensandum populum, dum dicitur versus *Sicut erat*, & repetitur Antiphona, ad quam omnes sedent tecto capite.

XXXIX. Interim Acolythi resumunt candelabra, & accedunt cum Assistentibus, comite Cæremoniario, ad Celebrantem cum debitis Altari & ipsi celebranti reverentiis, eique assistunt ad Orationem, sicut antea ad Capitulum.

XL. In Ecclesiis Patriarchalibus, & Collegiatis Urbis, duo Canonici, & duo Beneficiati bini solent procedere post celebrantem ad Altaris incensationem, præcedentibus Canonicis, & ad altare genuflectunt, vel se inclinant respectivè, & dum altare thurificatur, stant versa facie ad altare: & post incensationem eodem ordine quo venerant sua sedilia repetunt cum honoris significatione ad celebrantem, ibique cum aliis suo ordine thurificantur. Et hæc consuetudo laudanda, & probanda videtur, præsertim quando Tabernaculum SS. Sacramenti est ad Altare, ut quando est expositum.

XLI. Expleta Antiphona, omnes surgunt, & celebrans junctis manibus, ac nudo capite cantat versus Altare *Dominus vobiscum*, *Oremus*, & Orationem cum sua conclusione, vel plures pro qualitate temporum, secun-

dum regulas, vel Rubricas Breviarii.

XLII. Qua, seu quibus finitis, dum celebrans dicit *Dominus vobiscum*, duo ex assistentibus, facta inclinatione celebranti, accedunt ad medium Chori versus Altare, ubi ante versum decantaverunt, ibique facientes prius Altari debitam reverentiam, cantant *Benedicamus Domino*, tum facta iterum debita reverentia, ad celebrantem redeunt cum inclinatione profunda, qui humiliorum voce dicit versum *Fidelium anima per*, &c. & alia, ut infra. Cum autem dicitur *Benedicamus Domino*, Ceroferarii cum debitis reverentiis recedunt, & candelabra ubi prius in Choro deponunt, si statim celebrans non debet recedere in Sacristiam. Thuriferarius verò deposito suo thuribulo in Sacristia redit in chorum, unde non discedit, nisi in fine cum cæteris de Choro. Sed advertat, ut non sit in via, dum dicitur Oratio, sed vel anticipet tempus illius, vel redeat dum celebrans dicit *Dominus vobiscum*, &c.

XLIII. Si faciendæ sint aliquæ commemorationes, Antiphonæ debent inchoari à quibusdam Cantoribus designatis regulariter, nisi inchoentur à toto choro, vel à duobus ex Assistentibus, & tunc accedunt ad medium Chori: & hoc fieri potest quando pauci sunt Cantores in Choro: versus verò à duobus tantum cantoribus debent decantari, non verò à celebrante, & si Antiphonæ inchoantur à duobus Assistentibus, non redeunt ad celebrantem, donec dixerint *Benedicamus Domino*.

XLIV. Si Completorium immediatè dicitur post Vesperas, dicto à Celebrante *Fidelium anima*, ut supra, Assistentes, sumptis biretis de manu Cæremoniarii, cum Ceroferariis, & eodem Cæremoniario salutatis Clericis nudo capite ab utraque parte Chori, discedunt per chorum, & extra illum tecto capite, eo ordine quo venerant, in Sacristiam, & si contingat eos transire ante, vel propè majus Altare, genuflectere debent ad gradus illius, ut initio Vesperarum, ibique aliquantulum orent; si verò non sint oraturi, Ceroferarii semper genuflectunt, & alii profunde se inclinant nudato capite, postea in Sacristiam recedant.

XLV. Si verò non sequatur Completorium, dicto à Celebrante graviore voce

*Dominus det nobis suam pacem*, post Orationem Dominicam, celebrans incipit eadem voce Antiphonam B. Mariæ, quam postea stans ibidem, vel genuflexus pro ratione temporis profequitur cum aliis; qua finita ipse celebrans etiam stans, vel genuflexus dicit versum, & stans semper dicit *Oremus*, & Orationem, in cujus fine dicit *Divinum auxilium*. Tum Ceroferarii candelabra sua resumunt, ad celebrantem accedunt, & cum eo, & aliis facta debita Choro, & postea altari reverentia, ut supra, in Sacristiam recedunt, ubi, factis debitis reverentiis, omnes paramenta deponunt, adjutantibus iisdem Ceroferariis, qui postea extinctis cereis suis, & iis, qui sunt ad altare, facta Oratione, recedunt.

XLVI. Si immediatè post Vesperas facta sit Processio, aut cantandæ Litanie tam B. Mariæ, quam Sanctorum, aut continuandum aliud Officium, statim dicto *Benedicamus Domino*, id faciendum est, omisso versu *Fidelium anima*. Qui versus etiam non dicitur quando immediatè dicitur Officium Defunctorum, aut immediatè post horam aliquam dicitur Missa, sive solemnis, sive privata, modò sit conventualis.

XLVII. In multis Ecclesiis hujus regni solent Assistentes parati per chorum deambulare etiam cum baculis, aut virgis argenteis ad Vesperas, & Missam. Sed certè convenit, ut saltem quando SS. Sacramentum est expositum, ab hujusmodi deambulationibus abstineant, stentque nec sedeant si fieri potest cum Episcopus stare debeat nudo capite ob SS. Sacramentum expositum. Cær. l. 2. c. 33.

## ARTICULUS II.

### *De Vesperis solemnibus in Minoribus Ecclesiis.*

I. **Q**uando Officium Vesperarum fit sine Assistentibus, ut in minoribus Ecclesiis, & quibusdam Congregationibus, hora competenti accenduntur cerei per Acolythos, si fieri potest: tum celebrans indutus paramentis suis, ut supra, procedit tecto capite in chorum præcedentibus Thuriferario sine thuribulo, & alio Acolytho, si fieri potest, à sinistris ejus, junctis manibus, & nudo capite, quos sequuntur Ceroferarii cum

*Man. Sacr. Cærem.*

candelabris accensis, & omnia respectivè peragunt ad altare, ut præcedenti capite, genuflexi orantes. Tum facta oratione ad Altare vadit ad locum suum, ubi incipit Vesperas, intonat Antiphonam primam, quam aliquis cantorum prius præintonat illi, si fieri potest; aliæ verò Antiphonæ à cantoribus præintonantur aliis Clericis, sicut & Psalmi secundum consuetudinem. Cantat Capitulum, incipit Hymnum, & Antiphonam ad *Magnificat*, & cum supradictis quatuor Acolythis præcedentibus, cum thuribulo, & candelabris procedit ad altaris incensationem, ut capite præcedenti, & tum Thuriferarius, & ejus socius supplet vices Assistentium in ministrando naviculam, & thuribulum, & elevando hinc inde pluviale celebrantis dum incensat altare, dimissa prius navicula ab eo, qui eam ministrabat, in aliquo loco congruo. Postea reddito thuribulo, & facta altari reverentia redit in Chorum cum prædictis ministris, ibique incensatur à Thuriferario, & alii omnes, ut supra.

II. Finitis verò Vesperis redeunt eo ordine quo venerant in Sacristiam, in qua prædicti Ministri eidem celebranti, dum paramenta deponit, ministrant. Hic modus celebrandi Vesperas in Ecclesiis ruralibus, & Parochialibus minoribus, videtur aptior, & convenientior, & valdè conformis Cærem. Prædicti duo cantores cottis induti possunt sedere in medio chori super sedilia parata, ibique ea agere quæ Assistentes parati.

Si in prædictis Ecclesiis immediatè sequitur Completorium, & nulli fortè alii sint Sacerdotes præter celebrantem, dicto, *Fidelium anima*, debet statim deponere Pluviale, quod alter Acolythorum desert in Sacristiam, & ipse celebrans reliqua profequitur; non enim decet celebrantem inchoare Completorium cum Pluviali, & illud finire sine eo.

## ARTICULUS III.

### *De Vesperis in Dominicis & Festis Semiduplicibus, in prædictis minoribus Ecclesiis.*

I. **Q**uia diebus Dominicis, & festis Semiduplicibus aliquando dicuntur Vesperæ solennes, ut quando expo-

fitum est SS. Sacramentum, convenit, ut aliquis Cantor cotta indutus præintonet Antiphonas clericis, non tamen dignioribus, & tunc duo alii cantores qui supra inchoabunt Psalmos, vel si id præstent Assistentes, unus ex iis præintonabit Antiphonas respectivè à parte sua, & alter Psalmos. Idem etiam, si fieri aliter non potest, præstabunt duo prædicti Cantores, ita ut unus præintonet Antiphonas, alter verò Psalmos etiam in medio chori.

## ARTICULUS IV.

*De Vesperis solemnibus, præsentè Episcopo, in Ecclesiis Collegiatis.*

I. **S**I Episcopo placeat, parabitur ei sedes ampla à latere Evangelii prope Altare, ita ut respiciat partem meridionalem, dum sedet super eam. Pro celebrante verò parabitur scamnum oblongum à parte Epistolæ, sed paulò infra sedem Episcopi, ne Celebrans sit omninò è regione, ita ut Celebrans sit quasi è regione dexteræ Episcopi, vel Capellanus, qui erit à dextris ejus, directè respiciat alium Assistentem, qui erit à dextris Episcopi ex alia parte, si utatur Capellano.

II. At cum Celebrans accedit ad altare cum Ministris, ut supra, & Assistentibus suis, salutat priùs Episcopum nudo capite, & profunda inclinatione, deinde altare, Thuriferario, Ceroferariis, & Cæremoniarario genuflectentibus. Tum ad altare parumper orant, & postea facta iterum altari debita reverentia, & Episcopo, recedunt ad locum prædictum, ubi Celebrans stat in medio suorum Assistentium, si sit consuetudo, ex Cær. Ep. l. 2. cap. 2. vel illi accedunt in chorum postquam Celebrantem comitati fuerint ad sedem, & ei primam Antiphonam præintonaverit primus Assistens, saltem si situs loci ubi celebrans sedet, ad id cogat.

III. Deinde dicitur secretò *Pater noster*, &c. & *Ave Maria*, quo dicto Celebrans facit Episcopo profundam reverentiam, quasi licentiam ab eo petens incipiendi, cui Episcopus nutu quodam capitis licentiam concedit, aliaque peragit. Præintonat pri-

mam Antiphonam celebranti primus Assistens, qua præintonata recedunt omnes assistentes in Chorum, præsertim si Psalmos, & Antiphonas præintonare debent, vel ibi remanent, ut supra.

IV. Capitulum non per Celebrantem cantatur, sed per aliquem non paratum ex cantoribus in loco ubi cantatur Epistola, cui nulli assistunt, præter Cæremoniarium, ex more.

V. Hymnus præintonatur illi, & ipse eum repetit, sicut & Antiphonam ad *Magnificat*, cui etiam ea præintonatur, & dum ea cantatur in choro, Cæremoniararius ducit Thuriferarium, & (deficiente Presbytero assistente Episcopi,) primum assistentem celebrantis, ad Episcopum cum debitis reverentiis, cui ministrat profundè inclinatus naviculam, porrigit ei cochlear vacuum cum solitis osculis dicens ei, *Benedicite Pater Reverendissimo*, vel si sit Cardinalis, *Eminentissime*, & Thuriferarius ministrat genuflexus thuribulum.

VI. Benedictio incenso, & accepta etiam benedictione ab Episcopo, redeunt ad celebrantem, qui, factis debitis reverentiis Episcopo, & Altari, incensat ipsum altare de more. Quo incensato redit ad sedem, ubi duplici tantum ductu incensatur; tum Episcopus thurificatur triplici, & duplici ductu ejus assistentes, si habeat, deinde alii secundum consuetudinem, & reliqua peragit usque ad *Benedicamus Domino* inclusivè.

VII. Responso à choro *Deo gratias*, immediate, & non præmissò *Fidelium anima*, Episcopus dat solemnem benedictionem, sive sit paratus (& tunc tenet manu sinistra baculum) sive non.

VIII. Advertant autem Assistentes, & alii ministri, ut semper salutent cum inclinatione profunda, vel genuflexione Episcopum, dum transeunt ante eum; & dum præintonant celebranti Antiphonam, renes ei non vertant, sicut neque Ceroferarii, dum tenent candelabra ante eum ad Orationem, & tunc decet ut tam Assistentes, quàm Ceroferarii stent facie sibi conversa.

## CAPUT XII.

## De Completorio.

I. **C**elebrans stans, dicto *Jube domne benedicere* à Lectore profundè inclinato in medio chori, benedicit sine ullo signo Crucis dicens *Noctem quietam*. Deinde dicto à Choro *Deo gratias post Tu autem, &c.* ad quod Lector genuflectit, subdit idem celebrans *Adjutorium nostrum*, se signans. Tum profundè inclinatus dicit *Confiteor*, & dicens *Vobis fratres*, & *vos fratres*, convertit se ad Collegiales suos, & sic manet inclinatus donec chorus totus dixerit *Misereatur tui* conversus ad ipsum celebrantem, & tunc surgit; chorus repetit *Confiteor*, ad quod sunt inclinati omnes profundè, & se convertunt ad celebrantem dicentes *Tibi Pater*, & *te Pater*, & dum celebrans dicit *Misereatur vestri* convertit se ad chorum, & ad *Indulgentiam* se signat.

II. Deinde factò sibi signo Crucis superpectus pollice dextro, dicit *Converte nos*, & *Deus in adjutorium*, &c. se signando à fronte ad pectus, ut aliàs. Tum inchoat Antiphonam, si sit consuetudo, Hymnum, & cantat Capitulum, initium Antiphonæ ad Canticum *Nunc dimittis*, scilicet *Salva nos*, *Preces*, *Versus*, *Orationem*, *Benedicat nos*, Antiphonam B. Mariæ, *Versum*, & *Orationem*: nulla fit altaris incensatio ad prædictum Canticum. In quibusdam locis Benedicatio scilicet *Benedicat nos* datur à Superiore, ut supra diximus, & favet Sacra Rit. Congregatio. Si sit Organum, pulsari potest ad Hymnum, Canticum *Nunc dimittis*, & ad Antiphonam B. Mariæ, si talis est consuetudo.

III. Quod ad Completorium præsentè Episcopo spectat, Hebdomadarius, seu celebrans dicit *Noctem quietam*, *Adjutorium nostrum* se signando, *Confiteor*, *Misereatur vestri*: antequam dicat *Indulgentiam*, & versiculum *Benedicat vos*, inclinabit se profundè versùs Episcopum. Reliqua fient ac si Episcopus præsens non esset. In his, & similibus consulendi sunt Capellani Episcopi, ut omnia fiant cum eorum consensu, & consilio, ne in celebratione Officii divini oriatur confusio.

## CAPUT XIII.

## De Matutinis, &amp; Laudibus solemnibus.

I. **P**arantur hora competenti omnia necessaria, ut supra ad Vesperas, per Sacristam, aut alium, non tamen tot pluvialia, sufficiunt enim tantum tria pro Laudibus, nisi alia sit consuetudo. Ad altare paulo ante initium accendantur cerei altaris, & pulsentur campanæ solemniori ritu. In medio chori super pulpitem nudum ponitur liber Antiphonarum, & Breviarium grandioris formæ. In parte suprema chori etiam in medio ponitur aliud pulpitem nudum, super illud ponitur etiam aliud Breviarium grandioris formæ signaculis suis aptatum, ut in eo legantur Lectiones. Item paratur sedes pro celebrante, & alia ante eum, ut ad Vesperas.

II. Hora competenti congregantur in Sacristia omnes clerici, sive Canonici, sive alii, sui suo habitu consueto, & choralis induuntur, sicut & celebrans, sive Pluviali, qui sic congregati, & induti incipiunt progredi hoc ordine. Præcedunt Magistri cæremoniarum, si duo sint, aliàs tantum unus. Deinde duo clerici cantores, qui ad Vesperas officio Assistentium, vel cantorum fungi solent, tum Celebrans. Sequuntur alii Collegiales, seu Canonici, seniores scilicet, & digniores, deinde juniores, & minùs digni. Et post eos, si adsint Beneficiati, quia nõ est processio sacra.

III. Cum pervenerint ante altare, omnes genuflexi aliquantulum orant, celebrans super infimum gradum, & ejus Assistentes in plano presbyterii ante altare. Alii hinc inde in eodem plano ab utraque parte chori.

IV. Tum surgit celebrans post Orationem, & omnes pariter surgunt, & facta altari debita reverentia, salutariſque Clericis à Celebrante ab utraque parte chori, qui eum pariter consalutant, ascendit, sequentibus eum cantoribus, ad sedem, ubi Vesperas celebravit, ibique sedet dum alii propria loca ascendunt ibique etiam sedent. Cæremoniarus sistit se, & stat propè eum, & sub eo in plano Chori duo Cantores supra dicti. Sedet autem Celebrans in pulvinari, supra sedem suam posito, habens ante se tapetem super scabello cum pulvinari, super quo positus sit liber apertus continens Antiphonas, Hymnum, & Orationem, quæ legenda sunt, vel

super Legili, ut dictum est in Vesperis.

IV. Postquam omnes venerint ad loca sua, Cæremoniario faciente signum, surgit celebrans, dicit secretò *Pater, Ave & Credo*, versùs altare. Deinde signans labia sua pollice dextræ manus, cantat in tono competenti, *Domine, labia mea aperies, & responso à choro, Et os meum annuntiabit laudem tuam*, eadem manu dextera signat se, dicens, *Deus in adjutorium*, ut ad Vesperas. Ad versum *Gloria Patri*, &c. omnes se inclinant, annuente Cæremoniario, ad altare.

V. Dum dicitur *Sicut erat*, &c. duo cantores prædicti accedunt ad medium chori, ubi facta genuflexione, cantant, ex libro ibi posito, Invitorium integrè, quod à choro resumitur etiam integrè, & Psalmum *Venite exultemus* stantibus omnibus usque ad primum versiculum primi Psalmi.

VI. Cùm cantatur, *Et proci damus ante Deum*, omnes, etiam cantores, genuflectunt, postea surgunt, & prosequuntur, *Ploremus coram Domino*. In fine Psalmi, post *Gloria Patri*, &c. repetita à choro ultima parte Invitatorii repetunt principium Invitatorii usque ad medium illius, quod chorus prosequitur: & interim duo illi Cantores facta altari genuflexione accedunt ad celebrantem, & stantes ante eum in plano, & facta profunda reverentia, dignior ex iis à dextris præintonat hymnum, quo per eum inchoato, chorus prosequitur ab eadè parte ubi est celebrans, deinde vicissim ex altera parte, donec hymnus expleatur, & in fine cum nominatur SS. Trinitas, omnes profundè se inclinant.

VII. Expleto hymno idem cantor cum socio stans ante celebrantem, facta illi profunda reverentia, præintonat ei primam Antiphonam primi Nocturni, quam ille intonat ex libro ante se posito. Qua intonata, duo illi cantores, facta ei reverentia accedunt ad altare, ibique facta prius genuflexione versùs altare, & expleta Antiphona, incipiunt Psalmum in tono Antiphonarii assignato. Quo primo versu intonato, Celebrans, & omnes alii sedent, & cantores facta iterum genuflexione altari, redeunt ad suum locum in plano chori, ante Celebrantem, & ibi in scabello parùm oblongo panno viridi tecto, sedent *faciebùs* ad altare versis, vel, si ferat loci situs, ad alteram chori partem.

VIII. In multis tamen Ecclesiis Cantores

prædicti locum habent in medio chori ante Legile ad Matutinas, sicut ad Vesperas, ibique remanent semper tempore Matutinarum, & Laudum, nisi præintonent Antiphonas, ut supra: & hæc consuetudo satis commoda retineri potest ex communi usu, ideòque si talis est, ibi scamnum prædictum parari debet, non ante Celebrantem; in hoc etiam consideranda est situs, & loci commoditas.

IX. Circa finem cujusque Psalmi cum dicitur versus *Sicut erat*, surgunt cantores prædicti, & ambo accedunt ad medium Chori genuflectentes altari, & ibi decantant Antiphonam, & circa finem illius facta genuflexione Sacerdotem, aut Canonicum digniorem in primo stallo sedentem adeunt & repetita tota prima Antiphona, & facta debita reverentia, alter ex eis ut supra, illi intonat secundam Antiphonam, & sic vicissim semper faciunt successivè singuli Antiphonas præintonantes, & semper post inchoatum Psalmum ad suum scabellum redeunt, ubi sedent dum Psalmus perficitur, vel ibi sedent, si parata sit ibidem sedes in medio chori, ut supra.

X. Circa finem tertii Psalmi cujusque Nocturni, surgunt, & facta celebranti reverentia, accedunt ad medium chori, ubi versiculum cantant, (nisi ut ad Vesperas à duobus Acolythis decantetur) facta prius genuflexione, quo dicto facta genuflexione redeunt ad sedem suam; eo vero inchoato, omnes surgunt, & responso à choro, celebrans stans intonat *Pater noster*, quod prosequitur secretò, & omnes alii, tum alta voce dicit, *Et ne nos inducas &c.* & absolutionem.

XI. Interim dum cantatur versiculus, Cæremoniarius accedit ad Canonicum, aut alium juniore qui lecturus est lectione, & manibus decenter apposisis pectori, ducit eum ad Legile, ubi lectiones legi solent, quò cum pervenerit cum Cærem. versùs altare debitam facit reverentiam, deinde facit profundam reverentiam Canonicis, seu aliis ab utraq; parte, incipiens ab ea in qua est celebrans, & mox propius accedit ad Legile, ibique aspicit Lectionem, & absolutione perfecta inclinatus profundè versùs celebrantem, advertens ut non vertat terga altari, ab eo petit benedictionem dicens, *Jube domne benedicere*, non *Domine*, cui ille stans, & sine signo Crucis benedicit, quod & in aliis benedictionibus servat, hoc est, ut stans semper detecto capite, bene-

benedicat sine Crucis signo. Excipiuntur tamen Episcopi, aut etiam Abbates, qui tantum ad primam, quartam, & septimam benedictiones, stantes benedicunt; ad alias enim, sedentes. Sic autem Lector manet inclinatus, donec benedictio expleta sit. Tum erigit se, & postquam omnes sederint, incipit, & non prius, suam lectionem, in cuius fine dicens, *Tu autem*, genuflectit quisquis ille sit, Cær. Ep. l. 2. c. 5. quod semper debet observari in pari casu, dummodo lector recedat: quod si ab eodem lectore leguntur plures lectiones, tunc, & eo casu profunde se inclinat, & in fine discessurus genuflectit. Castald. l. 1. sect. 6. c. 3 n. 2. excipitur tamen Episcopus, & celebrans paratus postea, qui non genuflectunt, sed tantum se profunde inclinant altari. Cær. Ep. l. 2. c. 5.

XII. Lectiones leguntur in festis solemnioribus à Canonicis, vel aliis dignioribus, incipiendo semper à junioribus: at quando non sunt tot Canonici, priores leguntur à clericis dignioribus de choro, reliquæ à Canonicis. Legant autem eas singuli voce, & tono convenienti, devotè, & modestè, ita ut quæ leguntur, ab omnibus audiri, & percipi possint, manusque super librum positas habeant usque ad finem, semper genuflectentes in fine lectionum dum dicunt *Tu autem*, & factis debitis reverentiis, iis, qui sunt in choro, discedunt. Semper autem Cæremoniararius ducit, & reducit lectores de sede ad Legile, & de Legili ad sedem.

XIII. Post lectiones cantantur Responsoria, quæ à duobus cantoribus inchoantur in medio chori, & ab iisdem versus eorum integri, stando, vel ab aliis secundum locorum consuetudinem: ut plurimum tamen versus prædicti debent à duobus cantoribus cantari in medio chori. Ad versum *Gloria Patri*, omnes nudo capite se inclinant; ubi verò Psalmi à stantibus cantantur, ipsi surgunt ad versum prædictum.

XIV. Alii Nocturni dicuntur eodem modo quo primus, sicut & reliquæ Lectiones eodem modo, & ordine leguntur. Convenit autem, ut qui sequenti Missa cantaturus est Evangelium, dicat septimam lectionem, quæ est de Evangelio cum ejus Homilia.

XV. Cum verò lector textum Evangelii legit, omnes stant nudo capite versus Lectorem, donec dicat *Et reliqua*, & tunc om-

Man. Sacr. Cærem.

nes sedent; & Lector non debet signare librum, nec se ipsum, nec debet manus junctas tenere, sed extensas super libro, ut in aliis Lectionibus.

XVI. Quòd si lectiones noctu cantantur, Cæremoniararius, aut alius, adhibet parvam candelam, aut plures in choro, si necesse sit, nec à pulpito longius discedat, donec lectiones cujusque Nocturni fuerint decantatæ, nisi quando Lectores ad legile conducit.

XVII. Dum cantantur primæ Lectiones tertii nocturni, Acolythi accendunt cereos, qui sunt pro Laudibus accendendi, & eos quos in candelabris suis deferre debent, & dum cantatur octava Lectio, celebrans pluviali delato à Sacrista, aut alio induitur ut ad Vesperas, sed in loco suo, adjuvantibus cantoribus, & Cæremoniarario, ibique etiam duo cantores, aut plures, si sit consuetudo induunt etiam Pluvialia sua ibidem. Si tamen Sacristia non multum à choro distet convenientius est, ut assistentes ea assumant dum dicitur eadem lectio octava, vel Responsorium.

XVIII. Interim etiam duo Acolythi cum cereis accensis accedunt ad celebrantem paratum cum debitis reverentiis, ubi sic remanent stantes dum cantat ultimam Lectionem.

XIX. Finito octavo Responsorio, accedunt duo assistentes prædicti ante celebrantem facta ei debita reverentia, & ipse inclinatus versus digniorem petit benedictionem ab eo, licet ipse celebrans sit Superior; qua data, stans cantat ultimam Lectionem ex libro ante se posito, ad quam omnes de choro stant pro ejus reverentia, & nudo capite. Ipse verò in fine dicens, *Tu autem Domine miserere nobis*, profunde se inclinat Altari tantum, sine genuflectione. Castald. l. 2. sect. 5. c. 11. n. 11.

XX. Responso à choro *Deo gratias*, primus cantor præintonat illi Hymnum *Te Deum*, facta inclinatione ante, & post, quem statim ipse repetit, & chorus eum prosequitur in cantu plano, vel musicali, adhibito etiã organo, dummodo versus *Te ergo quæsumus*, &c. à choro semper cantetur, ad quem omnes de choro genuflectunt. Inchoato autem hymno assistentes ibidem remanent, vel si sedes eorum sit in medio parata, facta celebranti reverentia accedunt ad medium chori, ubi facta tunc tantum profunda reverentia, quia sunt parati, & ibi non est Taber-



baculum SS. Sacramenti, stant ad totum Hymnum.

XXI. Hymno completo celebrans incipit Laudes, in quibus omnia respectivè fervantur circa intonationem Antiphonarum, Psalmorum, Hymni, Cantici *Benedictus*, eorumque decantationem, thurificationem, & alia hujusmodi, sicut ad Vesperas. Adfunt tamen duo Assistentes tantùm parati, & non plures. Dicto autem versu *Fidelium anima*, si Hora prima continetur, discedit cum illis, sin minùs, dicit priùs Antiphonam B. Mariæ cum suo versu, & Oratione, & in fine versum *Divinum auxilium*.

XXII. Sacrista, aut Cæremoniarius diligenter provideant, ut sint semper candelæ paratæ, & ut lumen numquam deficiat in choro, si opus sit lumine.

XXIII. Solent in quibusdam Ecclesiis majoribus solemnius Horæ Matutinæ celebrari: Celebrans enim assistit ad has paratus pluviali ab initio. Assistentes etiam paramenta capiunt, & sic procedunt eo modo, præcedentibus Ceroferariis & aliis, ut ad Vesperas solemnes. Cantant etiam Psalmum *Venite* in medio Chori duo, vel quatuor, vel sex, præintonant Antiphonas, incipiunt Psalmos, cantant Versus, & Responsoria, & alia fiunt secundum consuetudinem eorum laudabilem. In aliis etiam Ecclesiis fit alio modo.

XXIV. Reliquæ Horæ non solent solemniter celebrari, nisi fortè Prima in Vigilia Nativitatis Domini, & sæpè Tertia in quibusdam locis, ad quam assistit Celebrans, alba & stola indutus, & circa finem parant se Ministri sacri in Sacristia, ut ea finita assistant statim Celebranti. Aliquando etiam assistunt Ministri parati, & etiam Assistentes sicut ad Vesperas, qui præintonant Hymnum, & Antiphonam digniori à celebrante, incipiunt Psalmos, Resp. breve cum versu sequenti in medio Chori decantant.

## C A P U T XIV.

### De Processionibus.

I. **A**Ntiquissima Processionum institutio ab antiquis Patribus confirmata, populum Israeliticum ab Ægyptiaca servitute liberatum in terram promissionis re-

deuntem; Sacerdotes muros civitatis Jericho circumdantes; Davidem coram arca Domini saltantem; Salomonem eandem in templum conducentem; vel potiùs Christum Dominum de cœlo in sacratissimum Virginis Mariæ uterum descendantem, sive è Bethlehem in Jerusalem quadragesimo à nativitatis suæ die, sive ejus egressum, & Processionem è civitate Jerusalem ad mortem, & alia multa sacrosancta mysteria nobis repræsentat.

II. Cùm extra Ecclesiam fit Processio solemnis, priùs viæ per quas transeundum est, decenter debent ornari, & transeunte Processione, Ecclesiæ campanæ pulsari debent, præsertim si sit Processio Ecclesiæ matricis.

III. In omnibus Processionibus præcipuum & generale est, ut Crux Processionalis cum hasta præferatur, ad cujus summitatem appendatur velum longum coloris convenientis paramentis Processionis inter duos Ceroferarios candelabra deferentes. Ante prædictam Crucem solet etiam gestari velum, seu vexillum expansum formæ quadratæ, in quo Sancti Patroni, seu Titularis imago sit eleganter depicta, & sericeis, aureisque laciniis ornatum, coloris Festo Sancti, cujus imago repræsentatur, convenientis: gestari solet ab aliquo Clerico cotta induto in signum sacre Militiæ Christianæ. Illud autem in majoribus Ecclesiis, majoris amplitudinis esse debet, quàm in minoribus.

IV. Crux Processionalis regulariter ante Processionem præparari debet in aliquo loco congruo prope Altare, & regulariter à parte Epistolæ, ita ut Crux ipsa proxima sit loco creditæ, si è Choro procedendum sit, aliàs (quando præsertim notatur) parari solet in Sacristia, si inde ferenda est, & tunc deferitur cum Ceroferariis hinc inde.

V. In Processionibus generalibus, & quoties plures Ordines Ecclesiasticorum, tam sæcularium, quàm Regularium procedunt, ante quemlibet Ordinem propria Crux deferri debet cum proprio item vexillo prope summitatem hastæ appenso secundum consuetudinem locorum, ipsa Cruce, quæ mediocris formæ esse debet, superposita; illudque velum coloris sit Ordinis proprii, seu Sodalitatis, aut Familiæ religiosæ, cum Imaginè Sancti, aut mysterii, sub quo-

quisque Ordo, aut Congregatio militat.

VI. Quod ad præcedentiam servandam in Processionibus spectat, adhuc sub iudice lis est. Ideò standum videtur consuetudini locorum, ut sæpissimè indicatum est. Attamen ex Cær. Episc. l. 2. c. 33. præcedunt, seu præeunt Confraternitates laicorum, tum sequuntur secundùm ordinem antiquitatis, vel dignitatis, Religiosi, si privilegio speciali, aut jure suo non gaudent, ut solent in multis civitatibus, & aliis locis Regulares Benedictini, & Canonici Regulares, & alii habentes circa ea multa jura honorifica, & privilegia insignia, ut Remis Benedictini solent procedere cum Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, &c. Idem servatur in multis Ecclesiis hujus regni, & inter Regulares, Ordines Mendicantium præcedunt, quos Monachi sequuntur. Tum Clerici sæculares, inter quos etiam possunt incedere Regulares jam habentes ita procedendi, secundùm consuetudinem locorum, & eorum jura. Si fiat Processio SS. Sacramenti cum SS. Sacramento, post Regulares procedunt Curiales, & Officiales, si sit consuetudo, portantes faces, inter quos ultimo loco Nobiliores, & Magistratus, qui alias, scilicet quando non deferuntur luminaria, sequuntur celebrantem, ut suo loco p. 5. dicemus.

VII. A lateribus Crucis Cæroserarii hinc inde candelabra accensa deferre debent, ex antiquissima traditione. In solemnioribus Processionibus, quæ fiunt in festivitibus & pro gratiarum actione, aut similibus cum populi concursu, & iis quæ in Rituali assignantur, Thuriferarius cum thuribulo fumigante, & navicula cum thure boni odoris præcedit Crucem.

VIII. Subdiaconus Crucem deferre debet omnes præcedens, indutus Amictu, Alba, Cingulo, & Tunicella, sine Manipulo, quando scilicet Processio fit ante, aut immediatè post Missam, & ipse debet inservire Missæ solemnè: aliquando etiam induitur tantùm cotta, & Tunicella (cum amictu si est Canonicus) si Processio fit extra Missam, vel quando Subdiaconus iste est alius ab eo qui cantaturus est, vel cantavit Epistolam. Aliquando induitur Alba, & Planeta applicata, ut in Processionibus Festi Purificationis, & Dominicæ Palmarum, Feria sexta Parasceves, & Dominicis Adventus

& Quadragesimæ si quæ fiant immediatè ante Missam, aliquando etiam cum eadem Planeta & Cotta tantùm, & non Alba, ut supra dictum est, si sit alius à Subdiacono ordinario, aliquando cum sola Alba, ut in Processionibus supradicti Festi Purificationis, & aliis in minoribus Ecclesiis, ex Rub. Miss. Aliquando etiam accidit, ut qui Crucem defert, sit tantùm cotta, aut alio habitu Choralis indutus, videlicet in frequentioribus, & quotidianis Processionibus, quæ fiunt in multis Ecclesiis ex consuetudine, præsertim quando Crucem ferens non est Ordine Subdiaconatus insignitus, vel quando propter exiguum Clericorum numerum aliter fieri non potest. Subdiaconus verò qui Missæ inservit, regulariter defert Crucem, sed in Processionibus, & Festis solemnioribus debet esse alius ab eo qui etiam deferat secundùm consuetudinem, sitque paratus, ut supra, cotta, & Tunicella.

IX. Imago autem crucifixi in Cruce pendens terga vertere debet clero subsequenti, quasi Christus præire videatur, ut egregiè more suo probat Gav. p. 2. tit. 13. n. 4. & alibi. Idque clarè, & apertè docet Cær. Papæ multis in locis, & præcipuè l. 3. sect. 2. c. 20. Excipitur tamen Crux Papalis, & Archiepiscopalis, cujus imago converti debet ad Papam, vel Archiepiscopum, ex eodem Cæremoniario Papæ loco supra citato, & aliis multis locis, quasi ex illius aspectu, in summa cura animarum, ipsi Summi Pastoris imagine recreentur. Initio Processionis Clerici de choro priùs Altari, deinde Episcopo, si adsit, aut alteri Prælato, ac demum Celebranti reverentiam exhibere debent. Si verò Episcopus sit in Choro, priùs eum salutare debent debita cum reverentia, & facta debita Canonicis reverentia se ipsos etiam confulant capitis inclinatione.

X. Post Crucem regulariter procedit cæremoniarius, qui diligenter omnibus providere debet, cavens, ne aliquid indecenter fiat, idèdque in medio Clericorum solus potest aliquando tardiùs incedere, aut aliquando citiùs progredi, dum opus est, modestiam tamen, & gravitatem in omnibus servando, ideoque propriè locum stabilem & regularem habere non potest.

XI. Deinde omnes de Clero sequuntur bini præcedentibus junioribus, pari passu, &

æquali inter se servata distantia, trium circiter v. g. aut quatuor passuum ab invicem, si opus fuerit, quod omnes diligenter observare debent, ne forte disgregentur, aut alii nimis ab aliis recedant. Et quantum fieri potest, qui incedunt ex una parte, attendant diligenter, & modestè ad socios suos ex altera procedentes, ne etiam unus alium præcedat, aut alter quasi sequatur, aut ne etiam nimis sint vicini, aut nimis remoti à se invicem, duas rectas lineas in longum efficiant. Si ultimo loco superfit aliquis non habens socium, medius eat inter duos postremos, quos ultimo loco sequitur celebrans sive Superior, aliquando habens à sinistris Diaconum tantum si sit paratus, aliquando etiam medius inter Diaconum, & Subdiaconum paratos, ut in Processionibus solemnioribus.

XII. Omnes rectè compositi, demissis oculis, corpore recto, graviter, modestè, & sine strepitu incedant à dextera parte ad sinistram, hoc est à latere Evangelii egredientes ad latus Epistolæ, cum redeunt se convertentes, hoc enim in omnibus ferè conversionibus, quæ fiunt in Ecclesia, solet observari, tam circa Ecclesiam, quam circa ipsius atrium, nisi situs loci, aut contraria consuetudo id impediunt. Et hoc patet in Processionibus ordinatis in Pontificali, in consecratione Ecclesiæ, & in absolutione ad tumulum, & aliis multis locis hujusmodi.

XIII. Si clerici deferant candelas accensas, aut ramos cum libris Processionalibus, qui procedunt à dextris ramos dextera deferant, aut candelas, sinistra libros, qui à sinistris contrario modo; si verò tantum ramos, aut candelas, alteram manum non impeditam decenter infra pectus ponant, vel etiam decenter demissam teneant, prout fert locorum consuetudo, sed ita ut omnes ejusdem gestum, & actum observent.

XIV. Non videtur conveniens, ut Celebrans, secundum usum quarundam Ecclesiarum, præ manibus deferat aliquam Crucem, cum jam deferatur à Subdiacono, aut alio ante omnes, & sit in conspectu ipsius celebrantis: videtur item incommodum ipsi celebranti, ut Imaginem, aut Reliquiam etiam deferat, præsertim quando Processio longè procedit, & eò quod ipsa non fiat in honorem ipsius Reliquiæ; hoc tamen saniorijudicio libenter submitto. Quando Sub-

diaconus Missæ defert Crucem, Diaconus procedit à sinistris Celebrantis, ut in Missali, neque tunc elevat Pluviale illius; quando verò defert Crucem, procedit ad sinistram & ille ad dexteram.

XV. Transeuntes ante altare in quo est SS. Sacramentum, omnes genuflectunt, & si hostia sacra elevatur, manent genuflexi usque ad depositionem Calicis inclusivè. Excipiuntur tamen, ille qui Crucem defert, & Ceroferarii, qui numquam prorsus genuflectunt; excipitur etiam, ut videtur, Celebrans, si deferat Crucem de qua supra, cui etiam ob reverentiam Crucis quam defert non videtur genuflectendum.

XVI. Quando contingit transeundum esse per angustiore locum, junior præcedit, statimque in loco ampliori, & magis spatioso eodem modo quo prius se jungunt. Et ubi numerus Clericorum dispar est, duo ultimi, ut supra, medium habent seniores, qui tamen solus potest incedere, si sit superior, vel in dignitate constitutus. Et quia digniores semper quantum fieri potest à dextris procedere debent, & minus digni à sinistris, prudentis Cæremoniarum est, aut superioris, assignare diligenter loca quædam, vel spatia, si opus sit, in quibus procedentes, loca, & ordinem permutare possint, ut semper durante Processione sint in eodem statu, & ordine debito, & semper digniores sint à dextris juniorum.

XVII. Cantores in medio regulariter procedere debent, ut ab omnibus audiantur, præsertim si non sint Canonici, & si sint Canonici ante eos omnes, & sæpè immediatè post Crucem; & in his servanda videtur consuetudo locorum. In Ecclesiis autem Cathedralibus cantores etiam præcedunt Crucem, & Thuriferarium, ut supra diximus Cær. Ep. l. 2. c. 16. Ab his verò inchoantur Hymni, Antiphonæ, Psalmi, Responsorii, Cantica, Litanix, & alia hujusmodi, quæ, cum inchoata fuerint, ab aliis continuantur, vel saltem (exceptis Antiphonis, & Responsoriiis) alternatim, videlicet à medio, & infra, seniores primum versum, à medio verò, & supra, juniores secundum, & sic deinceps alternatim æquali disciplina prosequuntur.

XVIII. Si tamen cantantur Litanix, cantores in medio Processionis eas inchoabunt, reliqui verò omnes simul, vel respon-

respondebunt: vel si solemniter cantantur, eadem repetendo pariter cantabunt, si Processio sit longior. Litanix in Rogationibus alio modo cantantur ut infra. Interim qui non cantant, attendant ad ea, quæ cantantur, & non tunc confabulentur invicem. Responsorio etiam inchoantur à Cantoribus, eaque totus Clerus prosequitur usque ad versum, qui regulariter etiam à Cantoribus cantatur cum versu *Gloria Patri*. Cum autem aliquid inchoant, aut soli aliquid decantant, ut versus Responsoriorum caput regulariter detegunt, nisi aliquid obstet. Debent autem regulariter cantari in Processionibus pro necessitate Litanix, aut Psalmi luctuosi, fini Processionis convenientes. In Processionibus solemnibus, & lætitiæ, Cantica, Psalmi, & Hymni etiam convenientes, ut in Rituali Romano.

XIX. Omnes extra Ecclesiam caput tegunt, & etiam Ceroferarii si inclementia aeris ad id cogat, nisi fortè SS. Sacramentum deferatur, aut insignis Reliquia ex processu. Intra Ecclesiam sunt etiam tecto capite, nisi aliter notetur, sed cum propius accedunt ad cancellos altaris vel transeunt ante altaria, vel sacras Imagines Sanctorum, in quorum honorem fit Processio, etiam caput detegunt. Si tamen Processio fit tantum intra Ecclesiam, & non extra, convenit, ut omnes, si non sunt Canonici, sint nudo capite, excepto Celebrante.

XX. Si dum fit Processio, ad aliquam Ecclesiam divertendum sit, illius loci Clerus cum habitu choralis extra Ecclesiam portam obviam ire debet, si talis est consuetudo, ex Cærem. Episc. lib. 2. c. 32. & præsertim si fit Processio Ecclesiam matricis, tuncque omnino cessat cantus; & campanæ, vel organa pulsantur; si tamen non sint organa, cantus continetur, donec celebrans ad Altare pervenerit. Et tunc factis debitæ reverentiis ab omnibus, Cantores tono solemniori intonant Sancti Titularis Antiphonam, aut aliquid aliud simile, deinde subdunt versum, & celebrans *Dominus vobiscum*, & Orationem, quæ in Suffragiis dici solet, Ministris stantibus, aut aliis librum tenentibus ante eum, tum resumuntur quæ fuerant interrupta, & Processio continuatur.

XXI. Cum autem Processio pervenerit ad Ecclesiam destinatam, ejus Ecclesiam cle-

rus, si sit consuetudo, ut supra, procedit obviam extra Ecclesiam, ibique eam excipiet, & tunc Superior, seu Dignior stans nudo capite à dextris Cleri ingredientibus singulos asperget, & si adsit Episcopus, ei ingredientibus porriget Asperforium cum osculis solitis. Idem fieri potest à Sacrista, aut alio, dum aliqua Congregatio, aut Confraternitas accedit. Tum cantatur aliqua Antiphona Sancti Titularis, ut supra.

XXII. Si Processio sit solemnitas, & in Altari sit exposita insignis Reliquia, vel aliqua celebris Imago, propter quam fit Processio, decet ut prius à celebrante stante dum cantatur Antiphona triplici ductu incensetur cum solitis reverentiis, ante, & post, sed prius imponitur, & benedicitur incensum in thuribulo de more.

XXIII. Hoc item fieri potest, quando fiunt Processiones ad altare, in quo expositum est SS. Sacramentum, ut in Oratione Quadraginta horarum, & aliis hujusmodi; sed hæc incensatio fit tunc à Celebrante genuflexo. Et eo casu celebrans debet esse Pluviali paratus, vel saltem stolum habere debet.

XXIV. Quod ad colorem paramentorum spectat, erit regulariter coloris convenientis Processioni, mysterio, aut festo, aut necessitatibus. Si fiat Processio SS. Sacramenti color albus adhibetur (excepta feria sexta Parasceves) in qua color est niger; baldachinum tamen, & velum celebrantis erunt alba. Si item fiat pro gratiarum actione, regulariter albus, nisi deferatur insignis Reliquia ad id facta, quæ alium colorem requirit: si ad invocandam gratiam Spiritus Sancti, in qua dicitur Missa de Spiritu Sancto, & in honorem alicujus sancti Martyris, aut Apostoli, erit rubeus: & si deferatur insignis Reliquia, color erit talis qualem requirit Officium illius Reliquiæ. Si pro necessitatibus fiat ut tempore jubilæi, famis, pestis, &c. extra Missam, vel immediatè ante, aut post eam paramenta violacea adhibeantur. Idem adhibetur in Litanis majoribus, & minoribus.

XXV. Si tamen Processio sit indicta à Prælatis habentibus potestatem, in qua Litanix pro imminentibus Ecclesiam necessitatibus dicendæ sint singulis Dominicis post Tertiam ad Missam solemnem, Celebrans tunc, & Ministri induuntur paramen-

mentis coloris Missæ sequenti ex praxi urbis. Paramenta ergo quæ in processionibus deferuntur, debent esse regulariter coloris quem Officium, aut Missa, aut Festum requirunt, nisi aliquid aliud obster.

XXVII. Episcopus, vel alius Prælatus immediatè sequitur celebrantem, Magistratus postea, inter quos dignior præcedit, tum alii cum Funalibus accensis, si deferatur SS. Sacramentum, aut insignis Reliquia, aut celebris Imago, aut si sit talis consuetudo, ut deferantur in Processionibus solemnibus.

XXVIII. Diaconus, & Subdiaconus ante, & post Missam debent esse parati in Processionibus Dalmatica & Tunicella, & procedere debent à lateribus Celebrantis elevando Pluviale ejus, ut aliàs dictum est. Quando verò fit Processio alio tempore, veluti ante, & post Vesperas, Celebrans, & Assistentes ejus Pluvialibus solent esse parati in quibusdam Ecclesiis, quorum duo postremi elevant etiam Pluviale ejus quo tempore decet; at qui Crucem defert, Tunicella sit paratus. Exciipiuntur tamen Processiones SS. Sacramenti, & quando insignes Reliquiæ deferuntur; in his enim quocumque tempore, Ministri sacri utuntur Dalmatica cum Stola, & Tunicella sine Manipulis.

XXIX. Sed certè ex Rubricis Missalis 1. p. tit. 19. n. 3. convenientius est, ut Ministri sacri in omnibus Processionibus solemnibus deferant Dalmaticam, & Tunicellam, quidquid dicatur in contrarium. Ita peritiores quos de industria consului, & patet ex Rubrica supraddicta. Numquam autem deferuntur manipuli, nisi feria in Cœna Domini, quando proceditur ad *Mandarum*, & tunc soli Ministri sacri manipulos deferunt, quia Diaconus cantaturus est Evangelium.

XXX. Post reditum Processionis, si statim Celebrans, post Orationem, si dicatur, recedere velit in Sacristiam, Subdiaconus ferens Crucem, & Ceroferarii sine ulla reverentia, stant in loco congruo ante medium Altaris paululum remoti ab eo in plano, & Celebrans facta Altari debita reverentia in plano, habens Diaconum ante se, quasi tamen à sinistris ejus, tenentem librum, finita Antiphona, vel Responsorio, & cantato versu, si unicus cantandus est, à Cantoribus, vel à se ipso, si plures sint, ac præmissis *Domine exaudi*, &c. & *Domine*

*vobiscum*, cantat Orationem, seu plures cum brevi conclusione. Deinde, facta reverentia, redit in Sacristiam præcedente Cruce cum Ministris. Quòd si statio quæ fit à choro fortè sit longior ante Altare, statim ac ad illud pervenerit Processio, Subdiaconus deposita Cruce accedit ad sinistram Celebrantis, ut teneat librum ibidem, & tunc Ceroferarii eo casu deponunt candelabra sua super credentiam, ea resumpturi quando cum Celebrante, & aliis erit recedendum.

XXXI. At si Diaconus, & Subdiaconus procedant à lateribus Celebrantis, Subdiaconus stat semper à sinistris tenens librum à parte sua, & alius Subdiaconus ferens Crucem, vel eam deponit, vel retinet, si statim recedendum sit in Sacristiam post finem.

XXXII. At verò si statim sit dicenda Missa, ut in die Purificationis, & Dominica Palmarum, & similibus, statim ac ad altare perventum fuerit, Ceroferarii deponunt candelabra, & Subdiaconus Crucem in aliquo loco congruo, & postea illi genuflectunt ad Confessionem de more. Subdiaconus assistit à sinistris celebrantis, & in aliis ministrat, nisi fortè redeant in Sacristiam sumpturi paramenta pro Missa sequenti.

XXXIII. Dicuntur regulariter Orationes, aut unica in fine Processionis, quando non sequitur Missa, aut aliquod Officium. Si verò sequatur Missa, aut Officium, non videtur dicenda; idque colligitur ex Missali in Processionibus Candelarum, & Ramorum, post quas immediatè dicitur Missa: & ratio favet, quia in Missa sequenti, aut Officio Canonico dicitur Oratio quæ dici deberet ad stationem, & quia Missa tenet locum stationis.

XXXIV. Paulò ante initium Missæ Celebrans deponit pluviale, accipit Manipulum & Planetam, quæ tempestivè afferuntur ab aliquibus designatis à Cæremoniario; similiter Ministri Sacri manipulos suos accipiunt. At si Missa requirat alia paramenta, ut in Processione candelarum, decet ut celebrans & Ministri omnes accedant ad locum convenientem, si Sacristia nimis distat, ut ibi paramenta capiant convenientia. Ita in pari casu Cærem. Episc. lib. 2. cap. 28.

## CAPUT XV.

De Processione faciendâ in translatione Reliquiarum, atque Sanctorum Imaginum.

I. DE iis multa B. Carolus Borromæus, & Cardinalis Palæotus copiosè egerunt; nos verò sequentia post eos non inutile erit sigillatim describere, & quis ordo servandus in hujusmodi actione, & Processione tam solemnè.

II. Quando ergo Sanctorum Corpora, aut eorum Sacræ Reliquiæ ex aliquo loco non ita decenti ad alium honestiorem transferenda sunt, ante omnia debent ab Episcopo recognosci, ad instantiam eorum quorum interest, servato ordine juris. Ut autem ordine debito disponantur omnia, peritissimorum virorum in Sacra Theologia, vel in utroque jure Doctorum, ac in Ecclesiasticis rebus optimè versatorum, congregatio semel, atque iterum fieri debet; requiritur etiam consilium, & experientia Medicorum, qui explicent, quæ partes corporis inclusæ sint, aut quale corpus, si integrum, aut quid desideretur, & quid intra Arcam ubi sunt Reliquiæ prædictæ inventum sit, inspectis inscriptionibus quæ tam exterius, quam interius apponuntur, si quæ ibi appositæ fuerint, & omnia per Notarium publicum inscribantur, quique de his instrumentum conficiat. Dum præsentès Reliquiæ in eodem loco ubi antea erant reponantur, vel si in alia Arca, seu Tabernaculo sint recludendæ, prius ab Episcopo benedicatur, deindè distinctæ suis locis apponantur, & Notarius omnia, ac singula annotet, interposito Episcopi decreto, qui earum veritatem, & identitatem approbabit, & omnibus Christi fidelibus publicè venerandas decernet. Deindè fides clavibus in Arcula claudantur.

III. Approbatis ergo ab Episcopo ipsis Reliquiis, antequam earum translatio fiat, decet ut Summus Pontifex de illis notitiam habeat, Indulgentiasque largiatur iis qui committantur sunt processionem, vel Sanctorum Reliquias visitaturi.

IV. Et quia ad hujusmodi solemnitatem ritè peragendam multum confert populi concursus, convenit ut ad Episcopi mandatum Dominicis præcedentibus, aut alio

tempore opportuno, Parochi in suis parochialibus, & Concionatores in suis Concionibus, futuram solemnitatem die signato annuntient, monendo omnes, ut pietatis operibus sese disponant, scilicet jejuniis, orationibus, & aliis, & præsertim Sacramentali confessione, ad hujusmodi translationem ea qua par est devotione peragendam.

V. Ecclesia solemnissimo apparatu debet ornari, sicut & atrium ejus, & janua, apposita Sanctorum Imagine super ostium; viæ per quas transire convenit, mundari debent, & similiter altaria per loca maximè ante Ecclesias erigenda, & magnifico apparatu paranda sunt.

VI. Accepto Brevis Apostolico, de quo supra, ultima Reliquiarum recognitio fieri debet cum omnibus ritè dispositis juxta tempus peragendæ hujus piæ, sacræque actionis.

VII. Itaque pridie diei præscriptæ, Episcopus, si adest, cum Canonicis Ecclesiæ cathedralis, si hæc fiant in civitate, & cum Clero illius Ecclesiæ in qua ipsæ Reliquiæ asservantur, easdem mane super altare reponit: & si non adsit Episcopus, Superior loci, vel alius in dignitate Ecclesiastica constitutus, si fieri potest, ad id deputatus, id peragere debet.

VIII. Hora competenti illo die dicuntur Vesperæ solemnissimè, nisi sit festum ex majoribus, quod transferri propterea non debet, de festo Translationis duplici ritu, ad quas Reliquiæ ipsæ incensantur dum dicitur canticum *Magnificat*, ut supra diximus. Quibus dictis exponuntur Sacræ Reliquiæ hoc modo.

IX. Celebrans indutus paramentis, id est pluviali cum stola coloris Festo convenientis, & cum Ministris sacris, scilicet Diacono, & Subdiacono paratis, & alio item Subdiacono cum Cruce, &c. si inde ad alium locum in dicta Ecclesia debent transferri, aliàs non aderit, & Cerofera-riis, procedit Collegialiter ad locum in quo sunt sacræ Reliquiæ, ubi genuflexus ante eas paulum orat, deindè stans imponit cum benedictione de more thus in thuribulum ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum, & stans incensat ter Reliquias, facta ante, & post profunda inclinatione; deindè cum Hymnis, & Psalmis ad locum præparatum cum cereis, & facibus

accensi circa eas à populo, illas desert ad locum designatum, cantata prius Antiphona convenienti cum versu, & Oratione. Ibi autem Clerus per vices orationi vacans, diu, noctuque excubias ante ipsas aget, donec solemni ritu translatae sint.

X. Sequenti die mane dicitur Missa solemnitas de Sancto, intra quam immediatè post Evangelium, vel post Missam, si aliter fieri non potest, fit sermo de meritis illius, ut ideo populus excitetur ad eum venerandum.

XI. Absoluta Missa, fit Processio, ut infra, nisi rationabili de causa post Vesperas remittatur, qua peracta exponuntur super altare Reliquiae per totum diem adorandae, & circa solis occasum fidis clavibus recluduntur, atque de iis instrumentum publicum per notarium etiam publicum conficitur, & praesertim per Secretarium Episcopi.

XII. Ante Vesperas, vel ante Missam, si fiat processio immediatè post eam, parantur Crux processionalis, candelabra duo pro Ceroferariis, duo vel tria thuribula cum totidem naviculis, paramenta celebrantis, Ministrorum, aliorumque Sacerdotum, & Baldachinum, omnia coloris convenientis, Labarum seu vexillum benedictum, in quo fit Imago Sancti depicta, vel Sanctorum, funalia, & cerei in numero sufficienti pro clericis, Pluvialia convenientia pro Sacrarum Reliquiarum portitoribus, deputenturque ad singula expediti, & idonei Ministri à Cereoniario, qui ea quae sui muneris fuerint, juxta eis praescripta, & ordinata exequi diligentissimè curent, & ante dies aliquot ea diligenter praevideant simul cum eodem Cereoniario, & de his tabella componatur danda iis quorum interest.

XIII. Hora convenienti dicuntur Missa, vel Vesperae, secundum tempus assignatum. Vesperae solemniter, ut heri, & post ipsas non datur benedictio ab Episcopo si adsit, sed statim ordinatur processio hoc modo.

XIV. Finitis omnino Vesperis celebrans accedit in Sacrariam, & inde cum Ministris sacris elevantibus hinc inde pluviale ejus, & altero Subdiacono cum Cruce, & Ceroferariis, & etiam Thuriferariis, redit ad Altare, in quo sunt sacrae Reliquiae, ubi genuflectit, & orat in infimo gradu aliquantulum, tum ascendit ad secundum gradum, si tot sint gradus, ibique ponit incensum in

duobus, aut tribus thuribulis cum benedictione de more, quorum unus Thuriferarius ante Crucem, & duo alii ante Reliquias; Interim alter Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferariis stant in medio. Et Baldachinum accipiunt deputati in eodem plano, inter Altare, & Subdiaconum de Cruce, vel alibi pro loci structura.

XV. Posito incenso in tribus thuribulis, duo Thuriferarii recedunt hinc inde, facta genuflexione altari, in planum propè Baldachinum, & ibi remanet primus Thuriferarius. Tum celebrans profundè se inclinans, & non genuflectens, stando incensat Reliquias triplici ductu (solum enim SS. Sacramentum à genuflexo thurificatur) quo facta primus Thuriferarius recipit à Diacono thuribulum, & facta genuflexione vadit retrò post Subdiaconum de Cruce. Interim cantatur in choro Antiphona convenientis, & paulò ante distribuuntur etiam in choro cerei, qui statim accendantur, & deputati ad id post finem processionis eos recipiant.

XVI. Postea incipit processio hoc modo: Praecedunt ante Crucem duo Mazzerii dirigentes processionem vestibus talaribus induti, virgas, aut baculos coloris Sancto congruentis, auro ornatos, manibus gestantes, qui cum necesse erit, loca per quae transire oportet, discurrant, & ut ordinatè procedatur, diligenter advertant.

XVII. Cereoniarius ordinem praescriptum servari jubeat, singulis suum locum assignando. Campanarum Minister dum processio fit advertat, ne earum sonus cesset, sed moneat campanarios, ut eas continuè pulsent.

XVIII. Ordo autem processionis talis esse debet. Praecedunt omnes tibicines si qui sint, tum sodalitates quaelibet suo ordine sub proprio vexillo, cum cereis accensis, tum labarum, seu vexillum, cum Imagine Sancti, vel Sanctorum, delatum à viris laicis honestè indutis, hastis coloratis atque auro illitis benè suffultum, qui tamquam vexilliferi onus sustinebunt, & hi mutari poterunt per vices, si pondus ipsius id requirat. Deinde duo ex Nobilioribus hinc inde ejus extremitatibus floccos manibus tenebunt. Ante quod erit canentium Musicorum chorus. Deinde Nobilium adolescentum turma, qui splendide ornati nudo capite incedunt.

Post

Post labarum verò viri nobiles cum facibus accensis, deinde Religioſorum Ordines ſuo ordine & loco deputati.

XIX. Ante Clerum matricis Eccleſiæ, & nobiliores, quæ Proceſſionem ordinat, præcedit Thuriferarius, quem ſequitur Subdiaconus cum Cruce medius inter duos Ceroferrarios. Poſteà ſequitur Clerus, ſeu Canonici, ſeu alii; omnes nudo capite, quantum fieri poteſt.

XX. Maximè convenit, ut SS. Corpora ab Episcopis, ſi adſint, vel Abbatibus paratis deferantur, vel etiam ab Eminentiffimis Cardinalibus, quod piè & ſanctè factum eſſe legitur à S. Cardinali Carolo Borromæo in Translatione Reliquiarum S. Simpliciani Episcopi Mediolanenſis ejus quondam prædeceſſoris. Si verò non adſint, ſaltem deferantur à Sacerdotibus paratis pluvialibus, etiam ſi plura ſint in diverſis loculis, ſub uno Baldachino, aut pluribus, ſi opus ſit. Si parvæ ſint arcule, umbraculum, ſeu Baldachinum ipſis inſigatur, præter illud quod à Nobilibus deferitur, ſi majores Baldachini haſtæ à deputatis deferantur.

XXI. Si verò tantum eſt inſignis Reliquia in aliquo vaſculo præparata, v. g. particula veræ Crucis, aut caput, aut brachium, aut aliqua, à Superiore parato ferenda eſt, ſi commodè fieri poteſt.

XXII. Ante Sacras Reliquias procedant Muſici cottis ſemper induti, cantantes Litanias cum invocatione Sanctorum, quorum Reliquiæ deferuntur, Pſalmos, Hymnos, Reſponſoria, & Cantica actioni congrua, & Antiphonas ex Pontificali Romano deſumptas, & Breviario, aut Rituali, ac *Te Deum laudamus, ſed præcipue* Pſalmum *Laudate Dominum de cœlis, &c.* At verò inter Muſicos, & Reliquias procedunt duo Thuriferarii continuè eas thurificantes.

XXIII. Si Reliquiæ non deferantur ab Episcopo, aut aliis Prælatiſ, Episcopus ſequitur ſacra pignora, poſteà alii Prælati. Et ſemper Princeps, Magiſtratus, & Nobiles Laici Proceſſionem ſequuntur cum accensis candelis, aut facibus.

XXIV. Si in via parata ſunt quædam altaria ornata cum cereis accensis prope Eccleſias, vel in angulis viarum, circa ea adſunt Clerici prædictarum Eccleſiarum cottis induti, ex quibus cum per eas Sanctorum Re-

liquiæ tranſire debent, Sacerdos Pluviali indutus impoſito, & benedicto incenſo in thuribulo ſibi ab Acolyto miniſtrato Sanctorum Reliquias triplici ductu thurificabit ſtando, & non genuſcctendo; facta tamen ante, & poſt profunda reverentia. Interim portitores ſiſtunt, & ſi plures ſint loculi, ſinguli debent incenſari, primò qui nobiliori loco deferuntur, deinde alii ſuo ordine.

XXV. Attamen deficientibus iſtis Clericis, Celebrans qui deferat Reliquias, ipſemet eas incenſabit, benedicto prius incenſo, poſitas ſuper menſam, & aliqua interim Antiphona cantabitur; qua dicta, & verſu à Cantoribus, Celebrans ſubdet Orationem, & continuabitur Proceſſio.

XXVI. Cum Reliquiæ ingrediuntur in Eccleſiam, inchoatur Hymnus, *Te Deum laudamus*, & ſuper altare deponuntur Sacre Reliquiæ, ſtantibus ſuis locis Clericis, & aliis; finito Hymno prædicto, ac inchoata Antiphona de Sancto, vel Reſponſorio, incenſatur à Celebrante ſtando, & poſt incenſationem dicitur Verſus, & Oratio, Miniſtris ſacris librum tenentibus, ut ſuprà.

XXVII. Si recludendæ ſint, id ſtatim fiat, & mox ſi adſit Episcopus ſolemnem dat benedictionem.

XXVIII. In loco in quo recluduntur, inſcribantur nomina Sanctorum, & in actibus ipſius Eccleſiæ diligenter annotentur, indexque Reliquiarum ſit deſcriptus à latere illius loci cum precibus, & Orationibus convenientibus in honorem prædictorum Sanctorum, & Lampas etiam, ſi fieri poteſt, ante ipſas Reliquias ſemper ardeat, ipſumque Altare decenter ornentur in poſterum.

XXIX. Decet item ut quotannis anniversaria dies ſolemniter celebretur hujusmodi Translationis, vel eodem die, vel alio, ſub ritu duplici juxta locorū conſuetudinem. Petenda tamen videtur licentia à Summo Pontifice, celebrandi hujusmodi feſtum Translationis. Si jam ſit de feſto Sancti, vel Sanctorum, quorum translata ſunt Reliquiæ, vel fiat ſemel tantum in anno feſtum duplex die obitus ſancti, vel SS. ſub Officio duplici, ſi Reliquiæ ſint inſignes, vel ſemiduplici, ſi Reliquiæ non ſint multum notabiles, prout Episcopo videbitur.

XXX. Hæc omnia ferè ſervata ſunt Romæ in Translatione Reliquiarum S. Bibianæ virginis, & martyris à Baſilica S. Mariæ Majo-



Majoris, ad Ecclesiam eidem S. Bibianæ dicatam, à SS. Domino nostro Urbano Papa VIII. magnificè restauratam, vel potiùs quasi de novo ædificatam, 11. Novemb. ann. Domini 1626. die festo S. Martini ante meridiem, & iisdem die & anno ad Vesperas in Translatione Corporis S. Caroli Borromæi ab Ecclesia S. Ambrosii in via lata de Urbe, ad Ecclesiam eidem B. Carolo dedicatam, quibus Translationibus præsentibus adfuimus.

XXXI. Eadem respectivè observari possunt in Translatione solemnium sacrarum Imaginum, ut observavit sanctæ memoriæ Paulus V. Pontifex Maximus in translatione sacræ Imaginis B. M. V. à B. Luca depictæ in illud facellum toto orbe celeberrimum, sumptibus ejusdem Pontificis in Basilica S. Mariæ Majoris supradicta constructum, anno Domini 1612. die 27. Januarii. Videantur libri de his supradictis compositi, & præcipuè ea quæ duo memorati Cardinales Eminentiissimi S. Carolus, & Gabriel Palæotus Archiepiscopus Bononiensis in eum finem scripserunt.

## C A P U T XVI.

*De Solemni Processione pro gratiarum actione, vel lætitiæ causa faciendâ.*

I. **Q**uia sæpè hujusmodi Processiones fiunt diebus festivis, idè ad Vesperas diei præcedentis pulsentur campanæ sono solemniori, in signum lætitiæ, addito si fieri potest tubarum clangore, viæ etiam Processionis mundentur.

II. Sequenti die hora congrua, populo congregato, Missa solemniter cantatur de SS. Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de S. Maria, (nisi sit festum primæ, vel secundæ classis, quia tunc de festo dici debet) addita primæ Orationi alia pro Gratiarum actione sub una conclusione, in paramentis rubris, vel albis respectivè, cum *Gloria in excelsis, &c. & Credo.*

III. Possunt tamen dici duæ Missæ, si casus id requiratur, scilicet in majoribus festivitatibus, ita ut illa pro Gratiarum actione dicatur post Nonam. Sæpè tamen hujusmodi Processiones fieri solent ad Vesperas, secundum ordinem à Superioribus præscriptum, aut rationem temporis.

IV. Finita Missa ordinatur Processio, ut suprà, Celebrante induto paramentis convenientibus, in qua Musicorum chori cum citharis, fistulis, & aliis instrumentis musicis lætitiæ signa ubique demonstrant, præsertim si causa id requiratur.

V. Ante omnia cantatur Hymnus *Te Deum*, deinde ea quæ notantur in Rit. Romano. Episcopus Cappa sua violacea indutus, si adfit, procedit immediatè post Celebrantem, & in fine dat solemnem benedictionem.

VI. Si etiam sit Cardinalis, procedit immediatè post Celebrantem, sed cum Cappa rubea, nisi velit paratus, sicut etiam Episcopus, Officium facere in ipsa Processione. Decet enim illum Officium ita celebrare paratum mitra, & baculo cum Pluviali, maxime cum Processio sit pro gravissima Ecclesiæ causa, & tunc habebit hinc inde duos Diaconos assistentes paratos Dalmaticis, & alios Ministros de mitra, & baculo, quem portabit ipse Minister ante eum, si ipse illum velit Episcopus ambabus manibus elevatum. Alii Prælati exteri sequuntur Episcopum Rochettis induti cum vestibus, & mantellecto violaceis. Post Prælatos erit locus Principum, Magistratum ac Nobilium. Poterit tamen Episcopus si velit ferre ipsemet prædictum baculum.

VII. Si Processio generalis sit ab Episcopo indicta, omnes Confraternitates, Sodalitates, ac Religiosorum, si non obstant impedimenta, & Clericorum Ordines assistere debent; tum Ministri parati cum Celebrante, qui nihil habere debet præ manibus nisi fortè Reliquiam aliquam, circa quam intersint aliqui cum facibus accensis: si sit valdè insignis Reliquia, & deferatur sub Baldachino, incedant nudo capite; sed rarò id fieri debet.

VIII. Eadem fiunt in aliis Processionibus ad eum finem ordinatis in diversis anni festivitatibus, si in iis Imagines, vel etiam Reliquiæ Sanctorum deferantur, in quibus ob earum reverentiam Celebrans induitur paramentis convenientibus festo, & in his Hymni, Antiphonæ, & Responsorialia, ex Pontificali, vel ex Proprio, vel ex Communi Officio sumpta, decantantur, & tunc regulariter debent procedere tecto capite.

IX. Idem pariter fit in Processione Rosarii, in qua Imago Sacratissimæ Virginis deferri

ferri solet in paramentis albis, adhibitis etiam instrumentis musicalibus, si fieri potest, saltem in prima Dominica Octobris.

## CAPUT XVII.

De Processionibus in die Sancti Marci pro Litanis Majoribus, & Minoribus diebus Rogationum, & similibus.

I. IN die sancti Marci fiunt solemnes processionibus, in quibus cantantur Litanias, quas Majores vocamus, etiam si de festo non fiat Officium.

II. Hora congrua Clerus, & populus, scilicet manè, congregati in Ecclesia, & Clerici cottis induti procedunt ad Presbyterium ante Altare, præcedente Cruce, & Ceroferariis cereos accensos in suis candelabris gestantibus, ultimus omnium sequitur Celebrans stola, & pluviali violaceis paratus, vel saltem stola tantum sine Pluviali, eo deficiente. At in majoribus Ecclesiis, præsertim quando dicenda est Missa solemnis post Processionem, non tantum Celebrans est paratus, ut supra, sed Ministri sacri paramentis ejusdem coloris. In his tamen servanda est laudabilis locorum consuetudo. Tunc per Cantores designatos in Choro intonatur Antiphona *Exurge Domine*, omnibus stantibus nudo capite, & Chorus prosequitur, ut in Rituali Romano.

III. Completa Antiphona, genuflectunt omnes, & duo Cantores genuflexi incipiunt Litanias, cæteris etiam genuflexis, eadem voce respondentibus. Post cantatum *Sancta Maria, ora pro nobis*, & non prius omnes surgunt, & procedunt ex ordine jam dicto, prosequentes Litanias, præcedente Cruce, & sequente Clero; ultimo loco Celebrans sequitur, ut supra, cum Ministris sacris, si adsint, prout res, vel locus postulat, paratus, & ministri cum eo.

IV. Si Processio sit longior, vel repetantur Litanias, & omnia eadem verba, quæ Cantores, vel Litanis absolutis usque ad preces exclusivè, dicantur aliqui Psalmi ex Pœnitentialibus, seu Gradualibus; Hymni verò, seu Cantica lætitiæ, in iis, vel Rogationibus, vel aliis causa pœnitentiæ institutis Processio-

nibus, non dicantur omnino. Si verò non sit longior Processio, sufficit si Chorus repetat *Ora pro nobis*, vel *Orate*, &c. & similia.

V. Si ad aliquam Ecclesiam divertendum sit, fiant quæ supra, & dicatur Oratio, quæ in Suffragiis pro commemoratione per annum ad Vesperas dicitur, & non de ipso met die festi, nisi sit conformis commemorationi. Deinde regredientes, resumtis precibus, procedunt usque ad Ecclesiam designatam, ubi cum Precibus, & Orationibus, omnibus genuflexis, excepto solo Celebrante, qui tantum ad Orationes surgit, Processio terminatur, ut in sine Breviarii Romani post Psalmos Pœnitentiales; ibique Litanis absolutis, cantabitur Missa, quæ feria secunda in Rogationibus notatur sine commemoratione festi, &c.

VI. Si consuetum sit in hujusmodi Processionibus portari aliquas Sanctorum Reliquias, & sacras Imagines, servabitur consuetudo: removendi tamen erunt à Processionibus ludicri actus, & indecori. Cærem. Episc. lib. 2. cap. 32.

VII. Quia autem in multis locis solent Clerici procedere ex Ecclesia ad aliam, & ibi celebrare Missam, & inde ab ea redire ad primam processionaliter unde discesserant, ideo convenit, ut incipiant in hac Ecclesia Litanias, ut supra, & eas prosequantur usque ad aliam Ecclesiam ubi celebrari debet Missa, ut supra, & ea finita, easdem Litanias, quæ ante eam fuerant interruptæ, prosequantur, additis Psalmis Gradualibus, aut Pœnitentialibus, si necesse sit; non enim videtur conveniens, ut incipiant Processionem per Responsoria, aut Hymnos, sicut multi non congruenter, nec ut incipiant tantum Litanias post finem Missæ; hoc enim est expressè contra Rituale Romanum, & Cæremonialem Episc. quæ tantum Litanias præcipiunt, & ideo Processiones istæ vocantur Litanias.

VIII. Unde debent omnia ita ordinari, ut nihil aliud dicatur tam eundo ad Ecclesiam designatam, quam redeundo ad priorem præter prædictas Litanias, & prædictos Psalmos; & sic in omnibus satisfiet Rituali Romano.

IX. Ad imitationem harum Processionum, poterunt aliæ ordinari, quæ sunt per annum, vel ad placandam iram Dei, vel ad pestem, famem, bellum, & alia

tollenda, in paramentis violaceis.

X. Nota obiter; quod quando dicuntur Litanix pro peste vitanda, vel alia simili de causa, ante versum *Per mysterium sancta Incarnationis tuae*, dici debet *A peste, fame*, & ille alius versus, *Ut à pestilentia flagello*, &c. post versum, *Ut omnibus fidelibus defunctis*. Idem etiam fiat de similibus versibus, qui dici possunt in Litanis extraordinariis.

XI. Ex Sacra Cong. Rit. 22. Martii 1631. præter nomina Sanctorum quæ sunt in Breviario Romano, non licet alia superaddere, licet Sancti sint Ecclesiæ Patroni, aut Titulares.

## C A P U T XVIII.

*De Processionibus, quæ fiunt tempore Jubilæi.*

I. **Q**UANDO ad divinum auxilium implorandum universale Jubilæum indicitur à Summo Pontifice, & ipsius notitia per Litteras habetur, debent Episcopi, & alii locorum Superiores ordinare, ut ipsarum literarum exemplaria Latino, vel vulgari idiomate edantur, cum assignatione Ecclesiarum visitandarum, tam in civitate, quam in aliis locis suarum Dioecesium, monendo omnes paternè, ut accuratè se præparent ad talem gratiam consequendam.

II. Die Dominica præcedente, vel citius, si opus sit, per Parochos, & Concionatores non tantum Jubilæum publicetur, sed etiam explicetur, doceanturque fideles, quam adhibere debeant præparationem, ut fructum illius feliciter colligere mereantur.

III. Libellus Litaniarum, & Orationum imprimatur, continens quæ agenda sunt, prout rei, & temporis ratio postulaverit, juxta ritum, & formam in Alma Urbe traditam.

IV. Processiones fiant feria 4. 6. & Sabbato regulariter, si plures indicantur, eodem modo, & ordine, quo in Litanis Majoribus, cum paramentis violaceis, ad quas omnes Confraternitates, Religiosorum ordines, & alii Ecclesiastici, nec non viri Nobiles, & Magistratus invitentur, universusque populus, qui omnes ordine supradicto conveniant, atque diebus jejuniarum populus

Orationi, piisque operibus vacans, vestibus luctuosis induatur, si talis est consuetudo, ut in multis locis, ut deposita omni pompa, & fastu, divinam gratiam, & alia beneficia citius, & abundantius consequatur.

V. Initio Processionis cantatur Antiphona *Exurge*, &c. & proceditur ab Ecclesia majori ad Ecclesias designatas, quæ ornari debent decenter, atque etiam, si videbitur, ibidem poterit exponi SS. Sacramentum, ut in Oratione Quadraginta horarum, ubi preces assignatæ debent recitari.

VI. In Processione videntur servanda quæ in Litanis Majoribus sancti Marci, & Rogationibus, in quibus cantantur Litanix eo modo quo diximus, & in Ecclesia designata poterit celebrari Missa solemniter, ut certè convenit.

VII. Die Dominica sequenti, completis supplicationibus, & jejuniis, fiat generalis Communio pro Indulgentiis, ideoque Ecclesiæ sint solemniori apparatu ornata, depositis luctuosis paramentis, & personarum induant vestimenta lætitiæ, si talis sit consuetudo.

VIII. Si Jubilæum prorogetur ad plures hebdomadas, in prima tantum fiant jejunia, & Processiones præscriptæ; Ecclesiæ verò designatæ semper remaneant ornata, cum cereis accensis, & in die omnibus aperta.

IX. Toto Jubilæi tempore, Confessarii sint semper parati ad audiendas Confessiones, moneanturque fideles de agendis; nam ex ipsorum monitione salus populi quodammodo dependet.

X. Hic agendum esset de Celebratione Orationis Quadraginta horarum, cum sit Oratio publica, & ex præcipuis, quibus Ecclesia utitur ad impetrandam divinam gratiam. Sed convenientius videtur, ejusmodi materiam remittere ad Octavam Corporis Christi, ut infra.

## C A P U T XIX.

*De Modo recipiendi Processionaliter insignes personas.*

**U**T nihil eorum quæ ad Ecclesiæ Cærimonias pertinent, intactum relin-

linquamus, visum est hic nonnulla, de modo recipiendi processionaliter insignes personas, adjungere, quæ ex ipso Pontificali Romano desumpta sunt.

*Ordo ad recipiendum processionaliter Prælatum, vel Legatum.*

I. **C**um Prælatus, vel Legatus civitatem aliquam, vel oppidum insigne est ingressurus, processio Cleri ex more loci ordinata cum Cruce, procedit illi obviam extra portam urbis, & cum Legatus, sive Prælatus advenerit, Prælatus loci indutus amictu, stola, Pluviali, & Mitra pretiosis, sive primam dignitatem habens, indutus superpelliceo, & Pluviali, offert venienti Crucem osculandam, quam Legatus, seu Prælatus, ex equo, vel si maluerit, descendens, in terra super tapetem stratum genuflexus devotè osculatur. Tum si intrans est Episcopus, vel major, aut Presbyter, vel Episcopus Cardinalis, Cantores incipiunt, & prosequuntur Antiphonam.

*Antiphona. Sacerdos & Pontifex, & virtutum opifex, Pastor bone in populo, sic placuisti Domino.*

Vel dicatur *R.* Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. *Ps.* Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmavit super caput ejus. *Ps.* Ideo.

*Ps.* Gloria Patri. *Ps.* Ideo.

II. Si verò Legatus recipiendus sit Diaconus Cardinalis, cantatur *R.* Fidelis namque & prudens dispensator in magni patris familias domo constitutus erat. Ut conservis suis mensuram tritici erogaret.

*Ps.* Pro salute & augmento gregis sibi commisse, cura pervigili sollicitus eras. Ut conservis suis, &c.

III. Si autem duo, vel plures recipiantur Legati, etiam si non essent Episcopi, vel Presbyteri Cardinales, cantatur Antiphona: Vos estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superadificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.

IV. In porta autem urbis, consueverunt Magistratus illius obviare Legato, vel Prælato primò intranti, ac illum benignè suscipere, & associare, ac Baldachinum super eum deferre.

*Man. Sac. Cærem.*

V. Incepta Antiphona, processio quæ locum habere debet immediatè ante Crucem Prælati, nisi intersint Canonici Cathedralis Ecclesiæ, ordine suo progreditur; & cantantur post dicta Antiphonas, seu Responsoria, alia Cantica, vel Hymni, prout magis placebit, usque ad Ecclesiam majorem, seu principalem loci. Si verò processioni intersint Canonici Ecclesiæ Cathedralis, illi soli possunt ire post Crucem Legati, immediatè ante eum. Equitantes verò equitare omnes debent ante processionem; togati verò debent Legatum, seu Prælatum sequi.

VI. Cum Prælatus, seu Legatus descendit, & intraverit portam majoris, seu principalis Ecclesiæ; Prælatus Ecclesiæ, seu majorem dignitatem habens, indutus ut supra, detecto capite offert illi asperforium cum aqua benedicta: (*Quod osculatur, & manuum Celebrantis*) quod Prælatus, seu Legatus accipiens, aspergit primò seipsum, deinde alios. Tum idem Prælatus Ecclesiæ, seu primam dignitatem habens offert ei naviculam, aliquo alio Sacerdote superpelliceo induto, thuribulum porrigente; & Legatus, seu Prælatus imponit incensum, & statim Prælatus Ecclesiæ, seu dignitatem habens, incensat ipsum Legatum, seu Prælatum, stantem cooperto capite, more consueto. Deinde procedunt ad Altare majus Ecclesiæ, & ibi super faldistorio ante infimum gradum Altaris parato procumbit, & orat Prælatus, seu Legatus. Interim verò Prælatus Ecclesiæ, seu dignitatem majorem habens, stans in cornu Epistolæ (eo loco scilicet, ubi dicuntur Orationes ad Missam ante Epistolam) versus ad orantem detecto capite dicit:

*Ps.* Protektor noster aspice Deus.

*R.* Et respice in faciem Christi tui

cum omnibus sequentibus, si receptus sit Prælatus, aut Legatus, Episcopus, vel Presbyter Cardinalis. Si verò sit Diaconus Cardinalis, omisso versus præcedente, dicit sequentes tantum:

*Ps.* Salvum fac servum tuum.

*R.* Deus meus sperantem in te.

*Ps.* Mitte ei Domine auxilium de sancto.

*R.* Et de Sion tuere eum.

*Ps.* Nihil proficiat inimicus in eo.

*R.* Et filius iniquitatis non nocebit ei.

Ps. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Ps. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, præstende super hunc famulum tuum, & cunctas Congregationes illi commissas, Spiritum gratia salutaris: & ut in veritate tibi complacere, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Dominum nostrum, &c.

R. Amen.

VII. His dictis, Cantores cantant aliquam Antiphonam eis magis placentem de Sancto Patrono Ecclesiæ cum versiculo de eodem Sancto. Et cum dicitur versiculus, surgens Prælatus, vel Legatus ascendit ad Altare, osculaturque illud in medio, deinde procedit ad cornu Epistolæ, ubi stans ad ipsum altare versus, cantat orationem de dicto Sancto. Deinde ad medium altaris revertitur, ubi stans dat benedictionem solemnem populo dicens:

*Sit nomen Domini Benedictum, &c.*

VIII. Quo dicto facit promulgari per unum ex suis, sive ex beneficiatis Ecclesiæ, Indulgentias, quas ipse interessentibus concedit. Deinde discedit Prælatus Ecclesiæ, & alii dimissis paramentis associant illum usque ad diversorium suum.

IX. Cum verò novus Prælatus primò ad Ecclesiam suam veniens recipitur, loco orationis prædictæ, *Omnipotens sempiterne Deus, &c.* dicitur Oratio.

Oremus.

**D**eus omnium fidelium Pastor, & Rector, famulum tuum N. quem Ecclesia tua præesse voluisti, propitius respice, da ei quæsumus verbo, & exemplo, quibus præest, proficere, ut ad vitam, unâ cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

X. Si verò Legatus, aut Cardinalis non sint Presbyteri, dignior de Clero imponit, & benedicit thus in thuribulo, & Prælatum post asperionem incensat triplici ductu.

Ordo ad recipiendum processionaliter Imperatorem.

**Q**uando Imperator venit ad aliquam urbem, vel oppidum insigne, Clerus urbis venit ei obviam processionaliter, ut dictum est superius de susceptione Prælati, vel Legati: tamen extra portam aliquantum magis remotè, quàm Prælato, vel Legato fieri solet, Imperator ex equo; vel, quod magis convenit, descendens, in terra super tapete stratum genuflexus osculatur ibidem Crucem, & sub Baldachino ducitur usque ad Ecclesiam; processio immediatè præcedit Imperatorem, & is qui gladium Imperatori præfert, equitat immediatè post Prælatum processionis.

II. Si verò Legatus Apostolicus Imperatorem reciperet, aut cum eo urbem intraret, vel aliàs secum iret, aut equitaret ille qui gladium Imperatori præfert, & alius Crucem Legati portans, simul ire debent. Crux Legati, quia debetur ei latria, erit à dextris, & gladius Imperatoris à sinistris (*idem videtur dicendum de Cruce Archiepiscopali*) Interim dum procedunt ad Ecclesiam, cantatur, hæc Antiphona. *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam.*

III. Et post Antiphonam prædictam cantantur Hymni, vel alia Cantica devota, prout magis placebit. Cum Imperator descenderit, & intrat Ecclesiam, Prælatus Ecclesiæ, accepto asperforio, aspergit eum, deinde alios in genere, & procedunt usque ad Altare majus, coram quo Imperator genuflectit super faldistorio ibidem parato. Prælatus verò Ecclesiæ ascendit ad cornu Epistolæ altaris, ubi stans, ut supra, versus ad Orantem, delecto capite, dicit:

Ps. Deus judicium tuum Regi da.

R. Et justitiam tuam filio Regis.

Ps. Salvum fac N. Imperatorem nostrum Domine.

R. Deus meus sperantem in te.

Ps. Mitte ei auxilium de sancto.

R. Et de Sion tuere eum.

Ps. Nihil proficiat inimicus in eo.

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Ps. Fiat

*Ps.* Fiat pax in virtute tua.  
*R.* Et abundantia in turribus tuis.  
*Ps.* Domine exaudi orationem meam.  
*R.* Et clamor meus ad te veniat.  
*Ps.* Dominus vobiscum.  
*R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**D**eus in cuius manu sunt corda Regum,  
 inclina ad preces humilitatis nostrae  
 aures misericordiae tuae, & Imperatori nostro  
 famulo tuo N. regimen tuae sapientiae appone,  
 ut haustus de tuo fonte consilii, & tibi placeat,  
 & super omnia regna praecellat.

Pratende Domine, quæsumus, famulo tuo  
 N. Imperatori nostro dexteram caelestis  
 auxilii; ut te toto corde perquirat, & quæ  
 dignè postulat, assequi mereatur. Per Christum  
 Dominum nostrum.

*R.* Amen.

IV. Deinde si Prælatus sit Episcopus, vel  
 major, stans ante Altare, benedicit solem-  
 niter populo, dicens: *Sit nomen Domini*  
*benedictum, &c.* Intellige, si non sit præ-  
 fens Legatus, quia benedicit Legatus, si  
 sit præfens ibi. Qua benedictione data, de-  
 positus ibi vestibus sacris, associat Impera-  
 torem usque ad ejus hospitium. Si autem  
 Prælatus non sit Episcopus, vel major,  
 finitis orationibus prædictis, depositis  
 vestibus sacris, associat, ut supra.

Ordo ad recipiendum processionaliter  
Regem.

**Q**uando Rex ad aliquam urbem, aut  
 oppidum venit, Clerus processionaliter  
 obviam vadit ei extra portam, ubi  
 Rex ex equo, vel quod magis convenit in  
 terra super tapete stratum genuflexus, of-  
 culatur Crucem, quæ per Prælatum ei  
 porrigitur. Deinde sub baldachino ducit-  
 ur usque ad Ecclesiam ordine supradic-  
 to. Interim cantatur:

*R.* Elegit eum Dominus, & excelsum fecit illum præ Regibus terra.

*Ps.* Glorificavit eum in conspectu Regum, & non confundetur, &c. Et excelsum.

*Ps.* Gloria Patri, &c. Et excelsum.

II. Deinde cantantur Hymni, vel Can-  
 tica magis placentia. Cum Rex Ecclesiam  
 intrat, Prælatus accepto aspersorio, asper-  
 git eum, deinde alios in genere, & proce-

dunt usque ad Altare majus, coram quo  
 Rex genuflectit super faldistorio parato,  
 & orat. Prælatus verò ascendit ad cornu  
 Altaris, ubi stans ad Orantem, detecto  
 capite dicit:

*Ps.* Deus iudicium tuum Regi da.

*R.* Et iustitiam tuam filio Regis.

*Ps.* Salvum fac Regem nostrum Domine.

*R.* Deus meus superantem in te.

*Ps.* Mitte ei Domine auxilium de sancto.

*R.* Et de Sion tuere eum.

*Ps.* Nihil proficiat inimicus in eo.

*R.* Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

*Ps.* Fiat pax in virtute tua.

*R.* Et abundantia in turribus tuis.

*Ps.* Domine exaudi orationem meam.

*R.* Et clamor meus ad te veniat.

*Ps.* Dominus vobiscum.

*R.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**D**eus cui omnis potestas, & dignitas fa-  
 mulatur; da huic famulo tuo Regi no-  
 stro N. prosperum suae dignitatis effectum, in  
 qua te semper timeat, tibi que iugiter placere  
 contendat. Per Christum Dominum nostrum.  
*R.* Amen.

III. Deinde Prælatus, si sit Episcopus,  
 vel major, accedit ad medium Altaris, &  
 ibi populo solemniter benedicit. Tum sa-  
 cris demissis vestibus, Regem usque ad  
 hospitium comitatur.

Ordo ad recipiendum processionaliter  
Principem magnæ potestatis.

**Q**uando Princeps magnæ potentiae  
 ad aliquam urbem, vel oppidum ve-  
 nit, Clerus processionaliter ei obviam ve-  
 nit extra portam. Ubi Princeps, vel ex  
 equo, vel quod magis convenit, descen-  
 dens in terra super tapete stratum genu-  
 flexus, osculatur Crucem, quæ per Præla-  
 tum sibi porrigitur. Deinde sub baldachi-  
 no ducitur usque ad Ecclesiam ordine su-  
 pradicto. Interim cantatur:

*R.* Posui adiutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea. Manus enim mea auxiliabitur ei.

*Ps.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

*Ps.* Gloria Patri, &c. Manus enim mea.

II. Deinde cantantur Hymni, vel alia

» Cantica magis placentia. Cum Princeps  
» Ecclesiam intrat, Prælatus accepto asper-  
» forio aspergit eum, deinde alios in gene-  
» re, & procedunt usque ad Altare majus,  
» coram quo Princeps genuflectit super fal-  
» distorio ibidem sibi parato, & orat. Præ-  
» latus verò ascendit ad cornu Epistolæ altaris,  
» ubi stans versus ad Orantem, detecto  
» cto capite dicit:

℣. *Salvum fac Principem nostrum Domine.*

℞. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Mitte ei Domine auxilium de sancto.*

℞. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℞. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Fiat pax in virtute tua.*

℞. *Et abundantia in turribus tuis.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℞. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℞. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

**D**eus cui omnis potestas, & dignitas famulatur; da huic famulo tuo Principi nostro N. prosperum suæ dignitatis effectum, in qua te semper timeat, tibi que jugiter placere contendat. Per Christum Dominum nostrum.

» II. Deinde Prælatus, si sit Episcopus, vel  
» major, accedit ad medium Altaris, & ibi  
» populo solemniter benedicit. Tum sacris  
» dimissis vestibus, Principem usque ad  
» hospitium comitatur.

Ordo ad recipiendum processionaliter Imperatricem, vel Reginam.

» **Q**uando Imperatrix, vel Regina, ad  
» aliquam urbem, aut insigne oppidum venit,  
» Clerus processionaliter ei obviam venit usque ad portam: Imperatrix,  
» vel Regina, ex equo, vel quod magis convenit,  
» descendens in terra super tapetem fratrum  
» genuflexa, osculatur Crucem, quæ per Prælatum sibi porrigitur. Deinde  
» sub baldachino ducitur usque ad Ecclesiam ordine consueto. Interim cantatur:

℞. *Ista est speciosa inter filias Jerusalem. Sicut vidisti eam plenam charitate, & dilectione, in cubilibus, & in horris aromatatum.*

℣. *Ista est speciosa, qua ascendit de deserto, deliciis affluens. Sicut.*

℣. *Gloria Patri, &c. Sicut.*

Deinde cantantur Hymni, vel alia Cantica magis placentia.

» II. Cum Imperatrix, vel Regina Ecclesiam intrat, Prælatus accepto asperforio aspergit eam, deinde alios in genere, & procedunt usque ad Altare majus, coram quo Imperatrix, vel Regina genuflectit super faldistorio ibidem sibi parato, & orat. Prælatus verò ascendit ad cornu Altaris, ubi stans ad Orantem, detecto capite dicit:

℣. *Salvum fac ancillam tuam.*

℞. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Mitte ei Domine auxilium de sancto.*

℞. *Et de Sion tuere eam.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in ea.*

℞. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Fiat pax in virtute tua.*

℞. *Et abundantia in turribus tuis.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℞. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℞. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

**D**eus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut Esther Reginam Israelitica plebis causa salutis, ad Regis Assueri thalamum, regni que sui consorrium transire fecisti; ita hanc famulam Christiana plebis salutis gratia, ad gratiam tuam transire facias, ut tibi super omnia jugiter placere desideret, & te inspirante, que tibi placita sunt, toto corde perficiat, & dextera tua potentia illam semper, hic & ubique, circumdet. Per Christum Dominum nostrum.

℞. *Amen.*  
» III. Deinde Prælatus, si sit Episcopus, vel eo major, accedit ad medium Altaris, & ibi solemniter populo benedicit. Tum sacris dimissis vestibus, Imperatricem, vel Reginam, usque ad hospitium comitatur.

Ordo ad recipiendum processionaliter Principissam magna potentia.

» I. **P**rincipissa magnæ potentia recipitur processionaliter eo modo, & ordine, prout supra de Imperatrice, vel Regina dictum est, hoc solo excepto, quod loco Orationis, Deus cujus providentia, &c. dicitur hæc sequens.

Ore-

Oremus.

**Q**uæsumus omnipotens Deus, ut hanc famulam tuam ubique sapientia tua doceat, & confortet, atque eam Ecclesia tua fidelem semper agnoscat. Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Cum autem magnus Princeps, aut Principissa, loci Domini Superiore non habentes, in locis suæ ditionis ad Ecclesiam accedunt, Missam, aut Officium divinum audituri, Superior illius Ecclesiæ, sive Rector, Præpositus, aut Parochus Cotta indutus cum aliquo sic induto vas aquæ benedictæ, stantibus quoque aliis de Clero, cum excipiet, & ostium Ecclesiæ ingredientem, factis opportunis inclinationibus asperget, & egredientem usque ad Ecclesiæ januam comitabitur, eique profunde se inclinabit. Ad Vesperas incensabitur, ut suo loco diximus, & ad Missam, & præterea pax ei deferetur, ut etiam suo loco diximus.

## C A P U T XX.

De Benedictionibus Sacerdotalibus.

**I.** Hic sumitur Benedictio pro prece, qua rebus ipsis benedicendis tribuitur aliqua sanctitas per Ecclesiasticos, ita ut postea in usus profanos converti non possint.

**II.** Aliæ sunt constitutivæ benedictiones, aliæ invocativæ, ex Cajet. 2. 2. q. 88. art. 11. Illæ dicuntur per quas res, seu personæ Deo consecrantur, & ejus cultui. Hæ per quas à Deo, vel rebus, vel personis imploramus divinum auxilium. Primi generis sunt benedictiones aquæ, vestium Sacerdotalium, vasorum, & aliæ quæ sunt in Missali, ut communes tam simplici Sacerdoti, quam privilegiato, seu delegato.

**III.** Secundi generis sunt benedictiones Ovorum, panis, &c. de quibus etiam in Missali, citra præjudicium aliarum quæ sunt in Rit. Romano, & à quocumque fieri possunt.

**IV.** Sacerdos benedicturus, semper cotta indui debet, cum stola regulariter alba, aliquando tamen violacea; nam color albus denotat puritatem rebus istis tri-

Man. Sacr. Carem.

buendam, violaceus vero adhibetur pro rebus conjunctis cum exorcismo, v. gr. ad abigendos Dæmones. Potest tamen adhiberi stola coloris Officio convenientis, ut in benedictione Aquæ diebus Dominicis à celebrante.

**V.** Minister etiam cotta indutus, vasculum aquæ benedictæ teneat, cum aspersorio, & Rituali, aut Missali.

**VI.** Regulariter hujusmodi benedictiones fiunt apud Altare, vel in Sacristia, sive in Oratorio cum cereis accensis, nisi aliquid obstat, aut locorum ratio.

**VII.** Benedicens sit semper nudo capite stans, manibus junctis, nisi teneat librum, aut aliquid aliud, & ante quamlibet benedictionem præmittat semper versum *Adjutorium nostrum se signans signo Crucis, tum Dominus vobiscum*, & Orationes ex libro clara voce, formetque signum crucis ubi est hæc nota † dextera man' extensa, sinistra vel super altare, vel super mensam, vel infra pectus posita.

**VIII.** Si Crux benedicitur, genua flectat celebrans statim post benedictionem, & omnes alii cum eo, ut in Rituali Romano. In fine benedictionis res aspergitur aqua benedicta, & sæpè in medio à dextris, & à sinistris earum, & aliquando in modum Crucis, prout notatur.

**IX.** Super Altare quædam res poni possunt, nullo modo tamen esculenta, quæ super aliam mensam, vel alibi poni debent.

## C A P U T XXI.

De Benedictione Mensæ.

**I.** Benedictio mensæ variatur pro qualitate temporis, ut habetur in Brevario nuper recognito, sicut, & gratiarum actio. Utramque facit regulariter Major, seu Superior, omnibus stantibus nudo capite, qui sunt in cœnaculo.

**II.** Major ergo benedicturus mensam dicit *Benedicite*, & alii repetunt *Benedicite*; tum dicit, *Oculi omnium*, vel alium versum pro qualitate temporis, quem alii omnes prosequuntur simul cum *Gloria Patri*, & *Kyrie eleison*. Tum Superior dicit *Pater noster*. Et ne nos. Oremus. Benedic



*Domine nos, &c.* & omnes se signant, dum dicit, *Domine nos*; sed Superior solus benedicit cibos dicens, *Et hæc tua dona.*

III. Si aliquando datur signum Salutationis Angelicæ dum accumbunt mensæ, omnes surgere oportet, & aperto capite recitare preces consuetas; seruetur tamen consuetudo laudabilis.

IV. Finita refectio, datur signum à Superiore cessandi, & tunc Lector stans, & caput Crucifixo inclinans, vel si commode potest, genuflectens dicit, *Te autem*, & respondent omnes adhuc sedentes, *Deo gratias*, tum surgunt, & post eos Major: & stantibus omnibus ante mensas, ut prius, Superior dicit initium versus pro ratione temporis, quem omnes simul prosequuntur, cum *Gloria Patri*, & *Sicut erat*, quibus Superior addit sine *Oremus*, *Agimus*, vel aliud; quo dicto Cantor, aut Hebdomadarius incipit Psalmum, qui dicitur alternatim incipiendo à parte illius qui gratiarum actionem facit, vel à parte Hebdomadarii secundum consuetudinem.

V. In fine Psalmi omnes simul addunt *Kyrie eleison*, & Superior, aut Hebdomadarius dicit, *Pater noster*, *Et ne nos cum verbis sequentibus*, & *Retribuere*, non præmittens *Oremus*, & in fine addit Superior, vel Hebdomadarius *Benedicamus Domino*, *Fidelium anima, &c.* dicitur *Pater noster* totum secretò, quo dicto addit, *Deus* (non autem *Dominus*) *det nobis suam pacem*. Resp. *Amen*. In quibusdam locis gratiarum

actio fit in Ecclesia, & in his standum videtur consuetudini.

VI. Regulariter mutationes versus, & Psalmorum debent fieri manè in Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato Sancto, & Vigilia Pentecostes, quia Vesperis fit tantum jentaculum, seu collatio, quam sic vocamus. Si tamen Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, mutatio tantum fit post Vesperas. Idem de Epiphania dicendum, si in Vigilia sit jejuniu, ut apud multas Congregationes. Idem etiam videtur dicendum Feria 5. in Coena Domini. Idèò Feria quarta præcedenti à Superiore dicitur Versus, *Christus factus est pro nobis*, & *Pater noster* ad benedictionem, tum benedicit cibos nihil dicens. Non dicitur *Jube domne*, nec *Tu autem*. In fine mensæ repetitur *Christus factus est, &c.* & statim post *Pater noster* secretò dicitur Psalmus *Miserere mei Deus*, quo dicto sine *Gloria Patri* Celebrans dicit genibus flexis cum omnibus absolute Orationem *Respice quasumus*, eo modo quo in Breviario. Si agantur gratiæ in Coenaculo, convenit tunc, ut hoc triduo omnes genuflectant etiam ad Psalmum *Miserere*.

VII. Pro jentaculo diebus jejuniorum seruetur locorum consuetudo, quia nihil de eo præscribitur in Breviario.

VIII. Convenit, ut Lector legat aperto capite textum Evangelii ante Homilias, si legendus sit. Item quatuor Evangelia. Et regulariter quando non dicitur, *Jube Domne*, dici non debet, *Tu autem Domine*.





# MANUALIS

## SACRARUM CÆREMONIARUM

Juxta Ritus Romanum


P A R S T E R T I A .

### DE CELEBRATIONE MISSÆ.

**P**eractis iis, quæ ad Officia solemniora, & preces Horarias, in Congregatione fidelium, id est in Ecclesia decantandas pertinent, peropportunitate est consequenter agere nunc de Sacrosancto Missæ Sacrificio à Christo Domino, primum in illa novissima Cæna instituto, pridie quàm pro nostra, omniumque salute pateretur, in signum amoris sui erga nos infiniti, & in pignus futurae gloriæ: necnon à Summis Pontificibus, & decursu temporum, & nuper à Sanctissimæ memoriæ Clemente VIII. post emendationem Missalis, editi jussu Pii Quinti, & insuper ab Urbano VIII. feliciter nunc sedente, novissimè recogniti, sanctissimis Cæremoniis illustrato, ut sciat unusquisque, quibus sacris Ritibus in tota Ecclesia, tam grande, tamque prorsus admirandum Sacrificium debeat celebrari.

#### C A P U T I.

*De Augustissimo Missæ Sacrificio.*

**I.**  Taque Sacrorum Rituum studiosi præcipuè debent animo perpendere, quomodo, & quando ad celebrationem tanti Sacrificii, interius, exteriusque seipfos, quemadmodum convenit Ecclesiasticis viris, ut Deo pla-

ceant, disponere, & præparare debeant.

II. Ante ergo meditentur apud se, omnia, quæ in Rubricis Missalis continentur, Romanorum Pontificum esse decreta, & sanctiones Ecclesiasticas, quæ omnia ad id spectant, ut dignè, & qua par est reverentia, mysterium istud, vel potius infinita mysteria ibi contenta tractentur, quæ si voluntariè prætermittantur, vel permutentur, vel negligantur, in gravioribus quidem, gravis peccati reatum, in minoribus verò, vel cum non advertendo variantur, levioris offensæ,

vitandæ tamen quantum fieri potest, culpam inducunt.

III. Nihil ergo in re tam gravi, & si leve quibuscumque videatur, contemnendum, sed omnia, & singula minutatim, ut ita dicam, summa cum diligentia, & prudentia pertractari debent.

IV. Cùm non semper eodem modo, & ritu Missæ celebrentur, sed diverso, æquum est Missarum, non quoad rem, sed quoad modum eas celebrandi, varia genera distinguere.

V. Igitur, aliæ Missæ sunt solemnnes, aliæ privatæ; illæ sunt quæ cum Ministris deputatis, & paratis, & cum solemnitate dicuntur; hæ verò quæ sine Ministris, & solemnitate, sive cantentur, sive non. Aliæ sunt de die, aliæ votivæ, aliæ pro defunctis, aliæ Conventuales, quæ in Collegiatis Ecclesiis, sive sæcularibus, sive Regularibus, celebrantur solemniter, sive non: aliæ principales.

VI. Conventualis illa præcipuè dicitur quæ hora assignata post diurnas horas immediate dicitur ad majus Altare, aut aliud pro Congregatione. Principalis verò dicitur quæ principaliter eo die dici debet, sive pro vivis, sive pro defunctis, sive sint etiam votivæ, aut de die, cum non debeant esse necessariò conformes Officio diurno, ut patet in Sabbatis tempore Adventus, quibus Missa principalis est de B. V. M. licet Officium non sit de ea; & sic de aliis.

## C A P U T II.

*De modo legendi Missam, & de iis, quæ memoriter, aut ex libro dicenda sunt.*

I. **C**Um in Missali plures toni innuantur, quibus Celebrans uti debet in legenda Missa, & plura diversimodè, clara, alta, intelligibili, mediocri, vel submissa voce sint proferenda; monendum existimo, ex peritorum judicio, quænam sit differentia inter ea, quæ clara, ut supra, voce dicuntur, ut Celebrans ad ea attendat, quæ his modis proferenda sunt.

II. Notandum ergo est, idem esse claræ, convenienti, & intelligibili voce, videlicet tali voce, ut commodè à circumstantibus

audiri possit. Alta voce utitur Cærem. Ep. pro iis quæ in Officio cantantur; mediocri verò, submissa, & aliquantulum elevata, pro aliis quæ non tacitè, nec prorsus altè, sed taliter dicuntur, ut à ministris, & aliquibus tantum circumstantibus possint percipi; cum aliquali tamen differentia, ut explicabimus. Quod verò secretò dicendum est, ita à Sacerdote intra se distinctè, ac labiorum motu proferatur, ut tamen non à circumstantibus audiat.

III. Clara voce dicuntur omnia in Missis privatis ab initio Missæ usque ad *Aufer à nobis*, exclusivè. Item ab Introitu usque ad *Munda cor meum*, &c. exclusivè; ab Evangelio usque ad Offertorium inclusivè: dicitur tamen *Per Evangelica dicta*, &c. secretò. Item Præfatio usque ad *Sanctus* exclusivè. Item à *Per omnia* &c. ante Orationem Dominicam usque, *Et ne nos inducas in tentationem* inclusivè. Item *Per omnia* &c. *Pax Domini* &c. *Agnus Dei* &c. Antiphona quæ dicitur Communioni; Orationes post Communionem, *Benedicamus Domino*, vel, *Itæ Missa est*, & *Requiescant in pace: Benedicat vos*, & Evangelium.

IV. Notandum verò in istis, quæ clara voce dicuntur, ut cum plures in minoribus Ecclesiis, vel proximo loco Sacerdotes simul celebrant, vocem ita temperent, ut non se invicem perturbent; decet tamen, ut digniori Celebranti cedat inferior, & humiliori voce proferat: at quando sunt æquales, cedat qui in minori altari, Sacerdoti, qui in majori. Cùm item Sacerdos legit clara voce, legat distinctè, expeditè tamen, ad puncta, & comata brevem aliquam moram interponendo juxta sensum rei, quam legit, ac mediocritatem fervet, affectationem, ac levitatem fugiat, & regulas Missalis sequatur diligenter, quæ præcipiunt, ut circumstantibus legendo devotionem pariat Sacerdos.

V. Sed elevata aliquantulum, & mediocri voce dicuntur sequentia: *Orate fratres: Sanctus: Nobis quoque peccatoribus: denique Domine non sum dignus*, tantum hæc quatuor verba. Secretò verò dicuntur reliqua in Missa, quæ submissa voce dicenda sunt.

VI. Memoriter dicenda sunt omnia à Celebrante ab Initio Missæ usque ad Introitum Missæ exclusivè; *Munda cor meum*, &c. *Per Evangelica dicta* &c. *Deus qui hu-*

mana substantia (nisi illud legat in tabella ad id destinata) infundendo aquam: Psalmum *Lavabo inter innocentes: Corpus Domini nostri, &c.* Quod ore sumpsimus: *Corpus tuum Domine, &c.* Benedicat vos omnipotens Deus, &c. & Gratiarum actio post Missam. Certè valdè convenit, ut quilibet Sacerdos sciat memoriter ea omnia, quæ ordinariè dicuntur in Missa (præter ea, quæ suprà diximus) scilicet *Gloria in excelsis: Credo: Suscipe sancte Pater: Offerimus: In spiritu humilitatis: Veni sanctificator: Suscipe sancta Trinitas: Canonem & alia; ut meliùs, & decentiùs celebret, & legat ea omnia supradicta, præsertim Sacerdotes, quorum visus, & oculi sunt debiles; legere tamen debet semper omnia ad Altare quantum fieri potest, ne aliquid ei ex memoria decidat.*

VII. Cum autem Clerici cantant in choro, In Missa solemni, vel etiam privata, quæ cantatur, celebrans proferre debet ea omnia voce humiliori, ne ipsi impediuntur, vel perturbentur. Ideò illa, quæ in Missa privata, clara, & intelligibili voce dicuntur à celebrante, in Missa solemni dicantur submissa. Ita Rubricæ Missalis.

## CAPUT III.

Quomodo, & quando formandum signum Crucis, & pectus percutiendum in Missa.

I. PRÆter ea quæ suprà part. 2. diximus de signo Crucis in Officiis divinis: quædam hic notanda videntur de eo in Missa.

II. Format sibi celebrans signum Crucis, manu dextra extensa, digitis simul junctis, & extensis, non verò plicatis, ita, ut vola manu respiciat frontem ipsius celebrantis, manu sinistra infra pectus usque ad finem Symboli posita. Cum autem elevat manum dexteram ad caput, non illud inclinare prorsus debet, quod multi tamen faciunt.

III. Signat verò se primò initio Missæ, & cum dicit *In nomine Patris*, tangit frontem, dicens, & *Filii*, pectus, dicens, & *Spiritus*, humerum sinistrum, dicens *Sancti* humerum dextrum, dicens *Amen* jungit manus. 2. Dum dicit *Adjuvorum*, portat dexteram ad frontem, nostrum, ad pectus, in nomine ad utrum-

que humerum, dicens *Domini* jungit manus. 3. Dum incipit Introitum. 4. Dum in fine hymni *Gloria in excelsis*, dicit *Cum sancto Spiritu*, dicens *Amen* jungit manus. 5. In fine Symboli dicens, *Et vitam venturi sæculi*, jungens manus dum dicit *Amen*. 6. In fine Præfationis dicens *Benedictus qui venit*, jungens manus in fine. 7. In Canone ad illa verba, *Omni benedictione celesti*, jungens manus dum dicit *Per eundem Christum*, &c. 8. Signans se cum Patena ad Orationem *Libera nos*, dum dicit *Cum Beatis Apostolis*, & non jungit manus postea, sed Patenam osculatur dum dicit, *Da propitius pacem*. 9. Antequam se communicet cum Sacra Hostia, dum dicit *Corpus Domini nostri, &c.* 10. dicens *Sanguis Domini nostri, &c.*

IV. Celebrans format signum Crucis pollice dextro, reliqua manu molliter extensa digitis simul junctis super initium textus Evangelii, initio ipsius Evangelii, dum dicit *Sequentia*, vel *Initium Sancti Evangelii*, sinistra super librum posita, & extensa: Postea se ipsum in fronte, ore, & pectore, sinistra infra pectus posita, dum dicit *Sancti N. &c.* Idem facit in fine ultimi Evangelii regulariter, sed sæpè deficiente libro, vel tabella in qua est Evangelium S. Joannis, signat altare dicens *Initium Sancti, &c.* nisi addit SS. Sacramentum expositum, quia tunc non signat altare, ut alio loco dicemus.

V. Quoties Celebrans se signat, regulariter post signum Crucis jungit manus, nisi aliquid obstet, aut nisi teneat Patenam, Hostiam, aut Calicem. Benedicens oblata, aut aliud ad Altare, manum sinistram super illud ponit extensam, quasi jacentem extra Corporale ante consecrationem, post consecrationem verò super Corporale; dextera verò semper benedicit, digitis simul junctis, vertendo parvum digitum versus rem quam benedicit. Benedicens alia quæ non sunt super altare, sed extra, exceptis iis, quæ ad cornu Epistolæ benedicit, manum sinistram ponit infra pectus, vertendo pariter parvum digitum versus id quod benedicit.

VI. Dum aliquid benedicit, ne quasi per quatuor puncta Crucem designet, neque digitos inflectat, sed manum semper extensam, omnesque digitos simul cum pollice teneat, præterquam post Consecrationem, quia tunc pollices ab indicibus non disjungit,

git, & duas æquales lineas formet, alteram rectam, & alteram transversam, quæ per medium illam rectam lineam prius formatam intersecet; advertens ne nimis celeriter in iis, sed composito, ac uniformi motu procedat, item ut pars transversa Crucis fiat manu quoque transversa, & penitus extensa, tam super Hostiam, quam supra Calicem, Acta Mediæ Ecclesiæ, & super utrumque simul, hoc modo † non verò. In hoc autem ultimo casu pingi debet inter Hostiam, & Calicem, itaut æqualiter alta fiat Crux à Calice ad Hostiam, non deprimendo manum, & transversè super oram anteriorem pallæ, quæ Calicem tegit, quæ media esse solet inter Calicem, & Hostiam.

VII. Non excedat autem longitudo Crucis mensuram palmi communis manus, nec linea similiter transversa. Gav. p. 2. tit. 7. n. 5. De cruce cum Hostia super Calicem infra agemus suis locis in Rubricis generalibus.

VIII. Quod ad pectoris percussione[m] spectat. Extra altare celebrans ponit sinistram infra pectus, & dexteræ digitis simul junctis, & sese simul quasi tangentibus, & clausis in extremitatibus, percutit pectus. Ad altare verò sinistram ponit super illud, aut super Corporale post consecrationem; & quia post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur, tribus tantum aliis digitis pectus percutit, neque aliis Planetam tangere debet.

IX. Ad *Domine non sum dignus* tenet Pate[n]nam, & Hostiam sinistra manu, pectus dextera percutiens.

X. Percutit autem pectus ter ad Confessionem, dicens *Mea culpa*, sicut & circumstantes quando illam faciunt. Deinde dum dicit *Nobis quoque peccatoribus*, sicut & alii etiam circumstantes. Item ad *Agnus Dei* (excepta Missa pro Defunctis) ter ad hæc verba, *miserere nobis*, & *dona nobis pacem*, etiam cum dicuntur in Litanis à pari; & omnes alii cum eo. Item ad *Domine non sum dignus*, & etiam omnes ter; non verò cum dicit *sanctus*, quod multi faciunt.

XI. Quando celebrans alios communicat, non ipse, nec communionem accepturi, sed solus minister percutit pectus ad *Domine non sum dignus*. Ad utramque Sanctissimi Sacramenti elevationem circumstan-

tes ex consuetudine laudabili in multis locis percutiunt pectus. Caveat Celebrans à percussione vehementi, & leviori.

#### CAPUT IV.

*De manuum conjunctione, extensione, elevatione, & conversione ad populum, & de tenendis manibus junctis super altare.*

I. **C**Um celebrans jungit manus, ita junctas tenet, ut non illis tangat Planetam, quantum fieri commodè potest; digiti verò semper sint extensi, & erecti in altum, & juncti, pollice dextro super sinistrum posito, quod semper servari debet; nisi post consecrationem usque ad Communionem inclusivè, quia pollices non disjungit ab indicibus, nisi Hostiam sacram contrectet.

II. Manus verò ita disjunctas teneat ante pectus, ut palma unius respiciat alteram, & digiti omnes ita inter se sint juncti, & ordinati, ut nullum sit inter eos spatium, & inter pollices; & aded elevati, ut eorum extremitates sursum recta linea ferantur, & sic eleventur, vel extendantur, ut nec summitatem, nec latitudinem humerorum excedant.

III. Celebrans extra Missam, vel Pluviali indutus, vel tantum Alba, numquam extensas manus tenet ad Orationes, neque etiam dum dicit *Oremus*.

IV. In Missa ergo celebrans junctas manus tenet ante pectus ab initio usque ad Introitum, nisi se signet, aut percutiat pectus, aut extendat eas dicens *Oremus*, aut ponat easdem super altare dicens *Oramus te Domine*. Ad Introitum eas sic tenet usque ad *Gloria in excelsis*, nisi se signet initio tantum. Item dum dicit *Gloria in excelsis*, eas disjungit, & elevat, & iterum jungit dicens *Deo*, inclinans caput, sed non elevans oculos, & eas sic tenet junctas usque ad *Cum sancto Spiritu*, exclusivè.

V. Quoties versus populum dicit *Domine vobiscum*, extendit, elevat, & jungit manus, Car. Ep. l. 2. c. 8. licet Missale nihil dicat de elevatione manuum, & dum dicit *Oremus* eas disjungit, extendit, iterumque jungit, caput versus Crucem inclinans.

Incipiens Orationem extendit eas iterum, in fine verò eas jungit dicens *Per Dominum*, vel *Per eundem* usque ad finem, & ad nomen *Jesum* versùs Crucem caput inclinat. Si verò conclusio fiat per illa verba, *Qui vivis*, vel *Qui tecum vivit*, eas jungit tantum ad illa verba *In unitate*, & junctas tenet usque ad finem.

VI. Ad Evangelium eas junctas tenet, nisi se signet, aut genuflectat. Item ad Symbolum dicens *Credo* manus disjungit, dicens *in unum* elevat, & iterum jungit, easque junctas sic tenet ante pectus, nisi genuflectat, & in fine se signat. Item dicens *Veni sanctificator* manus expandit, easque in altum porrectas jungit, & elevatis oculis ad coelum, ac statim demissis, dicit *Omnipotens aeternae Deus*. Dicit *Orate fratres*, versùs populum, sicut *Dominus vobiscum*, extendens, elevans, & iterum jungens manus. Item dum dicit *Gratias agamus*, elevat, & jungit manus. Cær. Papæ I. 2. c. 2. Item dum incipit *Te igitur*, statim & non priùs disjungit manus, eas elevat atque oculos, & iterum jungit, super altare ponit, & profundè se inclinat. Gav. p. 2. tit. 7. n. 1.

VII. Benedicturus populo dicens *Benedicant vos*, elevat extensas manus, quas statim jungit, Cruci caput inclinando. De his infra suis locis, nam non omnia hic recensemus.

VIII. Celebrans junctos tenet pollices, & indices post consecrationem usque ad abluitionem, nisi quando Hostiam tangit. At verò in Missa pro Sponso, & Sponsa, si cogatur propriis manibus pro benedictione Sponsæ sibi tenere Rituale, aut Missale ante Sponfos, statim post Orationem Dominicam, debet priùs abluere parùm digitos in aliquo vase mundo, quod postea à Ministro tegitur, ipsaque ablutio sumitur ab ipso Celebrante post ejus purificationem; atque hoc fit eadem ratione, qua Episcopus lavat manus feria 5. in Coena Domini ante consecrationem Oleorum. Hæc tamen meliori judicio submitto.

IX. Si celebranti tenenti pollices, & indices junctos opus sit contrectare Calicem post consecrationem, vel clavem, ut Tabernaculum aperiat, aut alias hujusmodi, aliis digitis ea contrectet, & folia libri medio digito vertat.

X. Manus super altare hinc inde apertas ponit celebrans, vel super altare, ita ut palmæ librum tangant, vel ut placuerit, librum tenens ad Epistolam, donec procedat ad medium altaris dicturus *Munda cor meum*, nisi genuflectat. Item ad Præfationem eas tenet extensas super altare, usque ad *Sursum corda* exclusivè. Item ad idem *Per omnia* (sed tamen tunc super Corporale) antequam dicat, *Oremus Præceptis*, &c.

XI. Item ad omnes genuflexiones ante, & post consecrationem, ut se sustineat; sed ad priores scilicet ante consecrationem super altare, sed post consecrationem super Corporale.

XII. Et quoties celebrans dextera aliquid agit, sinistram vel infra pectus admotam, vel super altare, aut Corporale retinere debet. Idem dicendum est quando sinistra aliquid agit: ita ut numquam unam manum in aere suspensam teneat, dum altera est in aliqua actione occupata.

XIII. Convertit se celebrans, dum est in medio altaris, ad populum semper à sinistro latere altaris, id est vertens faciem ad cornu Epistolæ, quod est latus sinistrum ipsius, etiam dum ab eo descendere debet; nec perficit circumulum, nisi quando dicit *Orate fratres*, & in fine Missæ, cum benedicturus est populo, dicens *Pater & Filius*, &c.

XIV. Si altare respiciat Orientem realem, vel imaginarium, numquam se vertit celebrans dicturus, *Dominus vobiscum*, *Orate fratres*, *Ite Missa est*, vel benedicturus populo. Intelligitur autem Altare esse versùs Orientem, quando celebrans habet ante se Crucem, & populum, licet chorus, & clerus sint post eum, ut in multis Ecclesiis Italiæ, & aliarum provinciarum.

XV. Si SS. Sacramentum sit expositum in Missa, serventur, quæ infra suis locis dicentur.

XVI. Cum Celebrans osculatur Altare manus semper extensas tenet super illud, illudque osculatur primò dicens *Oramus te Domine* ad ea verba *Quorum reliquia hic sunt*. Quoties se convertere debet ad populum. Ad ea verba Canonis initio, *Uti accepta habeas*. Item in Oratione *Supplices te rogamus*, dum dicit *ex hac altaris participatione*. Item quando daturus est pacem ministro dicta Oratione, *Domine Jesu Christe qui dixisti*, qui eam postea det assistentibus, & non.

non. Item in fine Missæ ante benedictionem, vel ante Evangelium in Missa pro defunctis. Item extra Missam, quoties ascendit ad illud incensandum.

XVII. Numquam tamen producit signum Crucis super id quod debet osculari, ita Rubricæ Missalis.

XVIII. Celebrans junctas tenet manus super altare ante, & post consecrationem uno, & eodem modo, ac primò dum dicit *Oramus te Domine: In spiritu humilitatis: Suscipe sancta Trinitas: Te igitur: Supplices te rogamus*. Item dum dicit Orationes ante Communionem. Item dicens *Placeat tibi sancta Trinitas*. Ita autem junctas tenet, ut parvi digiti tantum frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu mensæ tangant, residuo manuum inter altare, & se retento, pollice dextro in modum Crucis super finistrum posito, ita tamen ut parvi digiti qui extremitatibus suis altare tangunt, sint semper aliis juncti, quod à paucis observatur; nisi post consecrationem, quia tunc pollices ab indicibus disjungere non debet, ex Rub. Missalis tit.4. n. 1. ut jam diximus. Ineptè ergo multi qui post consecrationem manus junctas, & integras ponunt super Corporale, contra prædictam Rubricam.

## C A P U T V.

### De Inclinationibus, & genuflexionibus.

I. **N**on semper uno, & eodem modo inclinandum esse patet ex Rubricis Missalis, quia aliquando tantum caput, aliquando caput & humeros aliquantulum, aliquando etiam caput & humeros profundè inclinandum est. Quare diligenter notanda sunt verba Rubricarum, & etiam mysteria quorum facimus memoriam, & aliqua alia: ita ut quando inveniuntur hæc verba *caput inclinat*, intelligantur sæpè de prima tantum inclinatione, & aliquando etiam de secunda, ut infra dicemus.

II. Inclinat ergo Celebrans caput semper dum profert versus *Gloria Patri, Oremus*, nomina *Jesu, Maria, & Sanctorum*, de quibus fit Officium, aut Commemoratio specialis ad Vesperas, & Laudes. Non tamen intelligas suffragia Sanctorum in Oratione A

*cunctis*, Gav. p. 2. tit. 4. n. 3. ad ea enim non inclinandum caput nisi ad nomen *Maria*. Item ad nomen *Papæ* viventis. Profundius tamen inclinandum est ad nomen *Jesu*, quàm ad alia nomina, Cærem. Episcop. l.2. c.8. sicut etiam ad nomen *Maria*. Et quando Celebrans stat in cornu Epistolæ, inclinat se versus Crucem (quando tamen profert illud in Epistola ad Missam de Cruce prima vice, scilicet *Ut in nomine Jesu omne genu, &c.* tunc non vertit se ad Crucem, sed genuflexit ad cornu Epistolæ versus ipsum cornu) dum verò est in cornu Evangelii versus librum, ut in medio altaris versus Crucem. Ad alia nomina Sanctorum non inclinatur caput Cruci, nisi sit in ipso medio altaris.

III. Item ad Hymnum Angelicum dum celebrans, dicto *Gloria in excelsis*, dicit *Deo, Adoramus te, Gratias agimus tibi, Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram, Te Jesu Christe*. Ad Epistolam non videtur inclinandum ad ea nomina de quibus fit officium, aut commemoratio, quando præsertim profertur per modum historiarum, aut narrationis. Idem dicendum ad Evangelium. Id tamen meliori judicio submitto.

IV. Item ad Symbolum, dum Celebrans dicit *In unum Deum, & simul adoratur*. Ad Præfationem dum dicit *Deo nostro*. In Canone, faciendo commemorationem vivorum, & mortuorum. Item dum dicit bis *Tibi gratias agens*, & dum dicit *Per eundem Dominum nostrum* ante *Nobis quoque peccatoribus* tantum, & semel tantum in tota Missa notatur. Item dicens *Benedicat vos omnipotens*.

V. Quia autem sæpè in Rubricis Missalis præcipitur ut fiat inclinatio capitis profunda & in Cæremionali Episcoporum, Papæ, & apud Gavantium præcipitur ut fiat profunda reverentia ad eadem verba & res (ut v. g. in Missali præcipitur ut ante Missam celebrans profundè inclinet caput, in Cæremionali verò ut Episcopus se inclinet profundè. Item in Missali ut celebrans inclinet caput ad nomen *Jesu*, in Cæremionali verò ut se inclinet profundè, & sic de aliis multis.) Ideo istæ capitis inclinationes, quæ in Missali, & aliis præcipiuntur, non semper sunt rigidè intelligendæ de sola capitis inclinatione, & non corporis. Hoc enim nimis metaphysicum est. Considerandum ergo Mysterium, ut supra dixi, & verba ad quæ inclinatio facienda est.

est. Sanctus verò Carolus in Actis Mediolanensis Ecclesiæ inclinationes hujusmodi capitis explicat, ut fiant cum inclinatione humerorum, & corporis, si præcipiatur *profunda capitis inclinatio*. Itaque ad quædam videtur tantum caput inclinandum, ad alia verò caput cum humeris, ut ad nomen *Jesu* ex Cæremoniariorum Episcoporum, nisi sæpius repetatur in Epistola, & Evangelio; & ad utramque consecrationem, dum Celebrans profert verba utriusque consecrationis; Celebrans enim non potest tantum caput inclinare ad verba consecrationis, ut patet, & tamen præcipitur in Missali, ut ea Celebrans proferat capite inclinato. Præcipuè autem fit hujusmodi inclinatio humerorum, quando plura verba proferuntur, ut *Gloria Patri*, &c. *Gratias agimus tibi*, &c. & alia hujusmodi, vel quando interponitur aliqua mora, ut in commemoratione vivorum, & mortuorum. Quando etiam in Rubricis generalibus præcipitur, ut ad *Agnus Dei* Celebrans inclinet caput, & dicendo *Placeat tibi Sancta Trinitas* in Canone præcipitur inclinatio corporis, & regulæ Canonis præferri debent aliis.

*Mediocris inclinatio.*

VII. Celebrans caput, & humeros inclinat, idest aliquantulum, quando in Rubricis ponitur *aliquantulum se inclinat*, aut *stat inclinatus*, & inclinat se; hoc autem fit, dum dicit *Deus tu conversus*, usque ad *Aufer à nobis* exclusivè, *Oramus te Domine*, *In spiritu humilitatis*, *Suscipe Sancta Trinitas*, *Sanctus* usque ad *Benedictus qui venit*, exclusivè. Item ad utramque consecrationem, dum cubitis super Altare positus profert verba consecrationis. Ad *Agnus Dei*, & tres sequentes Orationes ante Communionem. Ad *Domine non sum dignus*, & dum se cum Hostia communicat. Denique dicens, *Placeat tibi Sancta Trinitas*.

*Profunda inclinatio.*

VIII. Celebrans profundè se inclinat imaginì principali, quæ est in Sacristia, initio, dum de ea exit, & in fine Missæ, dum ad eam redit tecto capite, si desert calicem, aliàs nudo. Item in plano ante Altare, nudo capite, Cruci desuper positæ, modò sit Crux tantum, & non SS. Sacramentum in Tabernaculo. Item quando calice aptato in medio Altaris vadit ad cornu Epistolæ, ut ada-

ptet Missale. Gav. p. 2. tit. 2. num. 4. Item antequam descendat de medio Altaris in planum capellæ, ut Missam incipiat. Item in plano antequam incipiat, & antequam se fignet. Item dum dicit *Confiteor Deo*, &c. donec responderit *Amen* ministro. Cum dicit *Munda cor meum*, *Jube domne benedicere*, *Dominus sit*, &c. *Te igitur*, *Supplices te rogamus*, ex Rubricis Canonis Missæ. Denique Celebrans, sive privatim, sive solemniter celebret, accedens ad medium altaris, sive recedens à medio, facit reverentiam Cruci, non tamen ita omninò profundam, etiamsi non sit specialiter adnotatum in Rubricis Missalis, ex Cærem. Episc. lib. 1. cap. 18. in pari casu, & Castaldo; & Gavantus id probat part. 2. tit. 2. num. 4. & favet ratio, & convenientia. Id etiam docet Alcozer in Rubricis Missalis, & Acta Mediolan. Ecclesiæ. Item cum ad tumulum Celebrans transit ante Crucem in fine Missæ, in aspersione, & incensatione tumuli. Item quando vadit de altari ad sedem, & de sede redit ad Altare, semper Cruci in medio positæ se inclinat (nisi genuflectere debeat) non tamen omnino profundè.

*Genuflexio.*

IX. Celebrans genuflectit accedens ad Altare, in quo est Tabernaculum SS. Sacramenti, & antequam incipiat Missam. Item cum aspergit altare, & seipsum. Item cum incensando Altare transit ante Tabernaculum SS. Sacramenti. Item ad Evangelium S. Joannis dicens, *Et Verbum caro factum est*. In Epiphania Domini ad Evangelium, dicens, *Et procidentes adoraverunt eum*. Item in Evang. ser. 4. Quadrages. dicens, *Et procidens adoravit eum*. Item in Passionibus in morte Christi, dicens, *Expiravit*, *Emisit spiritum*; *Tradidit spiritum*, &c. per spatium unius *Pater noster*, ex Cærem. Papæ. Item quando ipse sibi cineres imponit. Item quando privatim Celebrans, non verò solemniter, dicit *Flectamus genua*. Item ad multa genuflectit, quando SS. Sacramentum est expositum, ut infra. Item in Epistola de Cruce, & Dominica Palmarum ad ea verba, *Ut in nomine Jesu*, &c. usque ad *infernorum* inclusivè, ex Cærem. Episc. hac in die. In versu Tractus, qui dicitur in Quadragesima, scilicet *Adjuva nos Deus*, &c. Et quando idem versus dicitur in hu-



jusmodi Tractu ad alias Missas notatas versus finem Missalis; non tamen ad Graduale. In Missa de Spiritu Sancto ad verbum, *Veni sancte Spiritus*. Item quando dicit, *Et incarnatus est de Spiritu sancto, &c.* Ad hos tamen duos versus postremos, scilicet, *Adjuva nos, &c.* & *Veni sancte, &c.* genuflectit tantum initio, & statim surgit in Missis privatis.

X. In Missa solemni genuflectit ad prædicta, præterquam ad *Flectamus genua*, sed ad versus *Adjuva nos*, & *Veni sancte Spiritus* descendit ad secundum gradum cum Ministris, ibique genuflectit in medio usque ad finem. Idem cum Ministris facit in medio, quando Subdiaconus in prædicta Epistola genuflectit; non tamen in Dominica Palmarum, quia jam non absolvit Tractum. Item etiam quando cantores in Passionibus dicunt, *Emisit spiritum*, & similia: & ad verbum, *Et incarnatus est*, si stet ad altare, aliàs non genuflectit. Idem etiam facit quando ad Evangelium Diaconus dicit: *Et Verbum caro factum est*, & alia, quæ supra. Et in casibus supradictis Ministri cum eo genuflexi adaptant partem posteriorem Planæ circa pedes ejus, eumque adjuvant quando genuflectit, & surgit, brachia ejus sustentando.

XI. Celebrans quando legit Evangelium genuflectit versus librum, & quando SS. Sacramentum est expositum, genuflectit aliquantulum versus illud, dicens: *Et Verbum caro factum est*, & alia, ut in festo Epiphaniæ.

XII. Advertat autem celebrans, ut quando statim post utramque consecrationem adorat SS. Sacramentum, & ante utramque communionem antequam capiat Hostiam, ante hæc verba, *Panem coelestem accipiam*, & dicturus ea Verba, *Quid retribuam*, cum majori reverentia genuflectat. Ita periti, & rectè, ex Castaldo lib. 2. sect. 7. c. 6. n. 10.

XIII. In tribus Missis Nativitatis Domini, & in festo Annunciationis B. Mariæ semper celebrans genuflectit ad verba Symboli, *Et incarnatus est, &c.* & præterea adhuc genuflexus semper caput inclinat dicens, *Et Homo factus est*. Aliis diebus si sedeat, tantum capite nudo se inclinat sedens.

XIV. Genuflectit celebrans unico genu in Missa privata juxta communem usum, quando illi genuflectendum est, ut facilius, & commodius surgat. In Missa etiam solemni ad ea omnia, quæ sunt communia Missæ privatæ.

XV. Ambo verò genua flectit in Missa solemni ad prædicta, quæ à Choro cantantur, & regulariter quando cum aliqua mola in prædictis est genuflectendum, & quasi orandum ut supra in supremo gradu Altaris: idem faciunt Ministri, qui præterea genu flectunt utrumque ad *Flectamus genua*, non verò celebrans.

## C A P U T VI.

### *De Elevatione oculorum in Missa.*

I. **Q**UANDO Celebrans sursum elevat oculos, non est necesse ut elevet caput, nec ut quasi cælum respiciat, sed tantum faciem Christi in Cruce pendentis super altare positi; elevat autem oculos sursum dum incipit *Munda cor meum, Suscipe sancte Pater*, offerens Hostiam, *Offerimus tibi Domine: dum offert Calicem, Veni sanctificator, Suscipe sancta Trinitas*. Item ad Præfationem dicens *Deo nostro*. Incipiens Canonem Missæ dicens *Te igitur*, & ad ea verba, *Et elevatis oculis, &c.* usque, *Tibi gratias agens exclusivè*, & in fine Missæ dicens, *Benedicat vos omnipotens, &c.*

II. Ex supra dictis patet, quòd celebrans debeat osculari altare decies, modò det pacem, aliàs novies tantum; jungere manus super altare septies; elevare sursum oculos novies.

III. Hic agendum esset de ritibus servandis in Missa solemni, sed commodius erit infra quando de ea Deo dante acturi sumus. Notanda verò videntur quædam circa Missalis Rubricas initio Missalis positas, quæ quadam indigent explicatione.

## CAPUT VII.

De Quibusdam notandis circa Rubricas generales positas initio Missalis ante Ritum celebrandi Missam super Titulis quibusdam.

## TITULUS III.

De Feria, & Vigilia.

I. **T**itulo 3. num. 2. Missa dicitur de Vigilia, de Feria Quatuor Temporum, & Rogationum, quando occurrunt infra Octavam, & in hoc casu Missa discordat ab Officio, quod fit de Octava; idque fit ut populus ad jejunium excitetur per auditionem Missæ de jejunio.

II. Si verò Vigiliæ Nativitatis S. Joannis Baptistæ, aut SS. Apostolorum Petri, & Pauli occurrant infra Octavas Corporis Christi, Missa dicitur de Octava, & non de Vigilia, cum commem. Vigiliæ, & in fine dicitur Evangelium de eadem Vigilia. In Ecclesiis tamen Collegiatis dicentur duæ Missæ, prima de Octava post Tertiam, 2. de Vigilia post Nonam. Ita in Missali recognito.

III. In die Commem. omnium fidelium Defunctorum, dicentur duæ Missæ in Ecclesiis Collegiatis, una de die infra Octavam, altera principalis de Defunctis, & hoc quia in Missa pro defunctis non potest fieri commemoratio de Octava, sicut in aliis; & est casus particularis.

## TITULUS IV.

De Missis votivis.

I. **N**on debet dici Missa votiva die Dominica ex Rub. quia ibi dicitur *Aliis diebus infra hebdomadam*, hoc est à Dominica in Dominicam, quando non est duplex. Non debet item dici diebus, quibus prohibetur fieri de festo duplici, nisi pro re gravi, & cum concursu populi, & unica Oratione, idque in aliquibus tantum eorum, cantata prius Missa de die. Non autem Rubrica tantum loquitur de Missis Conventualibus, sed de privatis, quia il-

læ semper concordant cum Officio, & hæ etiam quantum fieri potest.

II. Quando verò præcipitur in Pontificali Romano, ut novi Sacerdotes post primam Missam dicant tres Missas votivas, de Spiritu Sancto, de B. Maria, & pro Defunctis, id intelligendum est modò eo die non occurrat festum quod id impediatur, aut dies privilegiatus, quia per Missam de die privilegiato satisfit præcepto Episcopi.

## TITULUS V.

De Missis Defunctorum.

I. **R**atio cur duæ Missæ dicuntur, id est defunctorum, & de Feria, in feriis privilegiatis, & Festis simplicibus, est, quia his diebus non potest fieri commemoratio de feria in Missa defunctorum, nec de festo, de quibus Officium factum est. Neque omitti debet saltem semel in mense Missa principalis pro defunctis in Collegiatis Ecclesiis, neque omitti feria prædicta, vel festum simplex.

II. Non dicitur Missa pro defunctis in Quadragesima feria secunda, quia Oratio *Omnipotens* communis est vivis, & defunctis, licet factum sit Officium defunctorum. Dicitur tamen, vel potest dici in Adventu, quia feriæ secundæ non habent propriam Missam.

III. Potest dici Missa pro defunctis quocumque die præsentem corpore, excepta feria 6. Parasceves; Sabbato verò sancto post completum diei Officium, si sit consuetudo potest dici Missa pro defuncto, modò corpus sit præsens. Et si corpus moriatur ipso die sancto Paschæ, insepultum reservetur usque in diem sequentem, & non dicatur etiam Missa de *Requiem*.

IV. Dominicis, & festis Missam concedit Sacra Rit Cong. insepulto corpore 23. Maji 1603. Quod intelligendum de festis, quæ non sunt magnæ celebritatis, putà primæ classis ex Rituali Romano; & esse debet præsens corpus in Ecclesia: at verò Rubrica loquitur de Missa solemnibus, non de privatis, quæ etiam præsentem corpore dici non debent die Dominica, nec die obitus, si sit de præcepto.

V. Si contingat anniversaria dies in festo solemnibus, debet mutari in diem præcedentem si sic-

si fieri potest, sed sæpè Cong. Rit. transfert in sequentem: consulendi majores. Idem dicendum de tertio, & septimo.

VI. Ipsa etiam S. Cong. Rit. tolerari posse censuit Missam de *Requiem* in festo duplici non de præcepto, ut testatorum voluntas impleatur, 20. Junii 1626. non tamen ad arbitrium vivorum. Dicitur est, quod non est de præcepto, quia etiam in festo de præcepto, si cadat illud in diem assignatum pro altari Privilegiato, putà fer. 2. extra quam Privilegium altaris est nullum, non potest adhuc Missa dici de *Requiem*, ex eadem sacra Congr. Rituum 24. Aprilis 1627. nec ideo pereunt Indulgentiæ. At diebus profestis dici possunt de *Requiem*, nec ideo Indulgentiæ pereunt.

VII. Præterea si incidat dies obitus in feriam, & festa, in quibus non dicuntur Missæ votivæ, tunc una Missa solemnior tantum celebratur de *Requiem*, aliæ verò privatae de die.

VIII. Sequentia pro defunctis cantatur, aut dicitur, quando pro illis solemnior celebratur, & quando dicitur unica Oratio. Quæ unica tantum Oratio dicitur etiam in Missa privata pro defunctis cum concursu populi, aut exequiis.

IX. Abrogetur quantum potest fieri Trencharium illud superstitiosum, quod falso attribuitur sancto Gregorio, eo modo quo notatur in fine aliquorum Missalium Romanorum, & ineptè dicitur in quibusdam Ecclesiis, ubi per triginta dies continuos celebrantur triginta Missæ tam de festis mobilibus, & solemnioribus, quàm de Dominicis privilegiatis, & aliis cum *Gloria in Excelsis*, *Alleluja*, *Credo*, *Præfatione*, & *Communicantes*, *Hanc igitur oblationem*, &c. de ipsis festis, putà de die Paschæ, & Pentecostes etiam si hæc Missæ cantantur in Quadragesima, & tempore Passionis, quod ipse præfens vidi, & audivi, non sine mærore. Quis in his non videt abusum manifestum, & minime tolerandum, cum sit expressè contra mentem Ecclesiæ, quæ talia damnat? Et certè majores non debent prorsus permittere, ut in fine Missalis talis ordo, & Missarum modus præscribatur, qui etiam à S. Gregorio damnatus est, quia ipsemet prohibuit *Alleluja* à Septuagesima usque ad Pascha. Nec valet in his contraria consuetudo, cum sit potius abusus, & corruptela.

## TITULUS VI.

## De Translatione Festorum.

I. **D**ominica 1. Adventus, feria 4. Cinc. Dom. 1. Quadragesimæ, Dominica Palmarum cum tota hebdomada majori, Dominica Resurrectionis, & Dominica Pentecostes, cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, & festo Corporis Christi, non possunt dici, nec cantari Missæ votivæ, licet pro re gravi, & etiam si festum Patroni occurrat his diebus, etiam cum concursu populi ad festum celebrandum, ex Missali recognito; in aliis diebus possunt cantari duæ Missæ, & in Missa de festo transferendo, si admittit Symbolum, etiam illud dicitur, & in fine Evangelium S. Joannis; & hoc intelligitur de Missis solemnioribus, quæ dicuntur diebus privilegiatis. At in Missis privatis poterit commemoratio fieri de festo. Si tale festum occurrat in quatuor Temporibus Pentecostes, dicantur duæ post Nonam, & ea de festo dicatur ultimo loco.

## TITULUS VII.

## De Commemorationibus.

I. **O**ccurrente festo duplici in Dominica, non dicuntur duæ Missæ, ut in feriis privilegiatis, quia in illis Missa de festo dicitur post Tertiam, & Missa de feria post Nonam; at in Dominicis ambæ deberent dici post Tertiam, quod non licet; alia verò est ratio, scilicet, quia Missa Dominicæ potest resumere in sequenti hebdomada.

II. Orationes votivæ postremum occupant locum in commemorationibus, quæcumque sint, quia non concordant cum Officio; quod nemini durum videri debet.

III. Nec dicuntur Orationes pro vivis in Missa defunctorum.

IV. Quando pro gratiarum actione dicitur Missa votiva solemniter de SS. Trinitate, vel alia Oratio pro gratiarum actione dicitur cum prima sub una conclusione. Ita in Missali recognito.

V. Quando mutandæ sunt Orationes, sive Secretæ, sive aliæ, ut in Dominica Septuagesimæ occurrente ante festum Purificationis

nis Beatæ Mariæ, si ad Secretas secunda sit similis primæ, illa mutetur in aliam, & congruentem, & non prima, ut alibi dicemus.

VI. Si aliquando occurrat v. g. festum quadraginta Martyrum cum feria s. Cinerum, quæ habeant eandem Orationem secretam, in hoc casu sumatur Oratio secretæ ferie sequentis, vel alia conformis. Gav. p. 1. tit. 7. n. 8.

## T I T. VIII.

De Introitu, Kyrie, & Gloria in excelsis.

I. **G**loria in excelsis dicitur in omnibus Missis votivis B. Mariæ in Sabbato, quocumque tempore, non verò aliis diebus, nisi in Ecclesia Lauretana, ex privilegio, etiamsi dicatur in altari, vel Ecclesia ipsi dicata.

II. Idem dicitur in Missa de Sancto eo die quo in Calendario, aut Martyrologio notatur, etiamsi non fiat Officium, nec commemoratio de eo. Non dicitur in Missa in qua utimur colore violaceo, etiamsi sit pro re gravi, & solemniter, ex sacra Congr. Rit. 19. Maji 1607. Res autem gravis censetur pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo, in civitate videlicet, vel in alio loco, ubi populus convenit cum universo Clero, solemniter, pro publica causa, vel re gravi.

III. Non etiam dicitur in Missis Vigiliarum quæ veniunt infra Octavas, licet in Officio dictum sit *Te Deum laudamus*, quia non concordant cum Officio.

## T I T. IX.

De Orationibus.

I. **L**itera N. in Oratione *A cunctis* exigit nomen Patroni, seu Titularis Ecclesiæ. Aliquando additur cognomen familiæ, vel etiam nomen ab aliquo casu, aut alio modo, v. g. Petri Cœlestini, Joannis Chrysothomi; numquam verò additur nomen ratione loci, ut Joannis Damasceni, aut Nazianzeni, quod in Officio, & Missa servari debet. Et licet sit expressum in Calendario, ut Borromæi, non tamen dici debet, nisi sit etiam expressum.

II. Tertia Oratio additur in Missa festi

*Man. Sacr. Carem.*

Semiduplicis, quia Deus impari numero gaudet. Coram Prælate, aut Principe Celebrans non dicat Orationem pro seipso.

III. Dicitur sæpè Oratio *A cunctis*, quia ibi fit memoria de Sanctis, quorum sæpè fit commemoratio in Officio; non tamen commemoratio de Cruce, quia tota Missa est de Cruce. Si fiat Octava de festo Purificationis B. M. infra Octavam, in Missa Votiva, vel de Sancto celebrata, Orationes dicuntur ut in tempore Nativitatis Domini.

IV. In festis semiduplicibus à Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum occurrentibus, dicuntur tantum duæ Orationes in Ecclesiis ubi duæ Missæ cantantur videlicet una de festo, alia *Ecclesiæ suæ*, vel pro Papa: ubi verò dicitur tantum unica, scilicet Missa de festo, dicuntur tres Orationes, quarum secunda est de feria, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa, sicuti etiam in Missis privatis de festo; & etiam dicuntur in Missis votivis tres.

V. In Dominicis privilegiatis, fit tantum commemoratio de Octava, quæ non transfertur, neque tertia Oratio dicitur, quia dies Octava est nobilior, quàm dies Dominica infra Octavam, in qua duæ tantum dicuntur.

VI. In Missa Quatuor Temporum ubi plures dicuntur Lectiones, plures etiam Orationes dicuntur ante Epistolam, quia Epistola magis attinet ad Sacrificium Missæ.

VII. Si Missa dicatur de Patrono, celebrans taceat in Oratione *A cunctis* nomen ipsius Patroni, & aliud nominet ad libitum.

VIII. Si cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri commemorationem alicujus Sancti, ponitur ea secundo loco, intellige eam commemorationem, quæ in Officio facta est, ut in Sabbato, quando factum est Officium B. M. cum commemoratione festi simplicis, in quo tertia Oratio est de Spiritu Sancto. Atque hic ritus non multum placet dicendi quatuor Orationes in Dominicis, & feriis Quadragesimæ, primam de feria, extra Dominicam, secundam de Vigilia, tertiam *A cunctis*, & quartam *Omnipotens*; vel adde quintam, vel deme quartam. Gav. p. 1. tit. 9. n. 16.

IX. Accidit autem à Superioribus decerni, ut pro publica Ecclesiæ causâ quotidie

dicatur Oratio *Deus refugium nostrum*, aut alia, & tunc hæc Oratio dicitur loco tertiæ ad libitum, vel additur tanquam commemoratio in Duplicibus, Semiduplicibus, & Dominicis. Omittitur tamen in festis primæ classis, sicut & alia quævis commemoratio, nisi aliud expressè statuatur à Majoribus, hoc est à Papa, seu Sacra Congr. Rit. aut etiam Episcopo si opus sit quoad certum tempus tantum. In festis verò secundæ classis communior usus est, ut etiam omittantur in Missis privatis, & à fortiori in solemnibus: Ita ergo addatur, ut nulla ex assignatis in Missali omittatur.

X. Pro privatis necessitatibus possunt dici Orationes, ut pro infirmis, & aliis, non tamen in festis primæ, & secundæ classis: melius tamen est sequi Rubricas Missalis, & abstinere à similibus.

XI. Similiter in habitu, & professione Monialium festis diebus, non dicitur Missa votiva de Spiritu Sancto, sed in Missa additur Oratio de Spiritu Sancto, ita tamen ut nulla omittatur ex assignatis illa die, & in Missis in quibus tertia est ad libitum, potest dici ea de Spiritu Sancto.

XII. Similiter in aliis Missis, in quibus tertia est ad libitum, potest dici oratio prædicta *Deus refugium*, vel alia præscripta, ea tamen ratione ut servet ordinem debitum tantum, videlicet quatuor in Dominicis, & Semiduplicibus, quinque verò in simplicibus, ferialibus, & votivis. Gav. p. 1. tit. 9. n. 16.

## T I T U L U S X.

*De Epistola, & aliis.*

I. **N**on dicitur *Deo gratias* in fine Lectionis quintæ Quatuor Temporum, ne interrumpatur textus; & sensus, neque in fine Lectionum feriæ sextæ Parasceves, & Sabbato Paschæ, & ea ratione videtur etiam omittendum in Lectionibus, seu Prophetiis Sabbati Pentecostes, post quas dicitur Tractus saltem post secundam & tertiam, ne videlicet etiam interrumpatur textus; & sensus, sed ad hoc ultimum meliori judicio submitto, cum nihil præscribat de eo in Rubricis.

II. *Alleluja*, dicitur in festo SS. Innocentium in Ecclesia ubi sunt Patroni, aut Titulares. Infra Octavas Paschæ, si dicitur Missa

solemnis votiva, duplex *Alleluja* dicitur, licet dicitur Graduale in Missa de Octava.

III. Sequentiæ *Veni sancte Spiritus*, & *Lauda Sion Salvatorem*, non dicuntur in Missis votivis de Spiritu Sancto, aut de corpore Christi, etiam si dicantur tempore Paschali, & solemniter. In quibusdam Ecclesiis conceditur facultas dicendi quasdam Sequentias in festo Patroni, aut aliorum festorum. Hæc autem dici debent etiam in Quadragesima post Tractum, sicut dicitur in Officio solemnium defunctorum.

IV. Ante textum Evangelii præmittitur *In illo tempore*, nisi sit principium Evangelii, aut nisi tempus narrationis illius ibidem exprimat, ut, *Cum natus esset Jesus*, aut *Anno quintodecimo*, & alia.

## T I T U L U S XI.

*De Symbolo post Evangelium,  
& Secretis.*

I. **D**icitur Symbolum in Ecclesia ubi habetur Corpus, vel insignis Reliquia Sancti, de quo Missa dicitur. In festo verò Translationis Sanctorum non dicitur, nisi sit Officium duplex, quod Translationi Principalis tantum concedere solet Sac. Congreg. Rit. Gav. p. 1. tit. 11. litera H. si tamen sit festum Translationis alicujus Sancti qui requirat Symbolum in festo proprio, v. g. si sit Doctor Ecclesiæ, vel Apostolus, aut Sancta Maria Magdalena, videtur dicendum etiam Symbolum, licet festum sit tantum semidup. ideo videtur dicendum etiam qualibet feria quinta in Missa de SS. Sacramento in Ecclesiis, in quibus sit Officium de Corpore Christi sub ritu semiduplici. Idem dicendum videtur in Sabbato ad Missam de B. M. quando etiam sit Officium de ea sub ritu semiduplici sicut dicitur in Dominicis quæ sunt tantum semiduplicia festa. Hoc tamen meliori judicio submitto.

II. Est autem insignis Reliquia, scilicet caput, brachium, crus, vel pars corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra, nec nimis parva, & de ea sit Officium duplex. Sed prædicta de approbatis intelliguntur, & de Sanctis quorum nomina saltem in Martyrologio legantur, ut eadem Congregatio declaravit 3. Junii 1617.

III. Quan-

III. Quando Rubrica assignat Symbolum in favorem concursus populi, nota concursum populi solum non facere ut dicatur, alioquin in Ecclesiis ruralibus in omnibus festis diceretur. Gav. p. 1. tit. 11.

IV. In Missis votivis dicitur *Credo*, quæ solemniter pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa celebrantur, nisi dicantur in paramentis violaceis; si tamen dicantur in Dominica cum paramentis prædictis, dicitur etiam *Credo*, sed non *Gloria in excelsis*. Ita in Missali recognito: & eadem ratione videtur etiam dicendum si dicatur etiam Missa solemniter cum iisdem paramentis in festis quæ illud requirunt, v.g. Apostolorum, aut Doctorum, &c. numquam tamen dicitur in Missis votivis privatis.

V. Ad Orationes Secretas semper omititur *Oremus*, quia Orationes dicendæ sunt secreto, ergo non potest dici *Oremus*, quia nullus est qui audiat. Orationes verò prædictæ dicuntur eodem modo quo ante Epistolam, excepto *Oremus*, & *Dominus vobiscum*.

## TITULUS XII.

De Præfatione, & aliis.

I. IN Missa solemniter de feria privilegiata, Præfatio communis dicitur, non de festo occurrente. In Missa de Litanis majoribus, in festo sancti Marci, dicitur Præfatio de tempore Paschali, etiam infra Octavas Paschæ, & non de Octava Paschæ, quia hæc est solemniter. Idem dicendum de Litanis minoribus, ita ut dicatur Præfatio de tempore Paschali, licet in aliis Missis dicatur Præfatio de festo. Similiter in Missa feriæ quartæ Quatuor Temporum, occurrentium in die Octava Nativitatis B. M. & etiam in festo sancti Thomæ, quando occurrit in Quatuor Temporibus Adventus, Præfatio communis, non de festo dicitur. Ita Sacra Congr. Rit. 12. Decemb. 1626.

II. Missa quæcumque votiva habet semper Præfationem de Nativitate Domini quando dicitur infra octavam Nativitatis ejusdem, quamvis propriam habeat aliunde.

III. Quando dicitur *infra actionem* in Canone, id est *infra Canonem*, quia aliquando Canon sumitur pro actione.

## TITULUS XIII.

De Communione, &c. & Evangelio Sancti Joannis.

I. COMMUNIO debet cantari immediate post *Agnus Dei*, Cæremon. Episc. lib. 2. c. 9. nisi fiat communio populi, quia tunc ad eam cantatur. Gav. par. 1. tit. 13. n. 1.

II. *Requiescant in pace* semper dicitur in plurali, licet pro uno tantum dicatur Missa. *Benedicamus Domino* dicitur semper quando non dicitur *Gloria in excelsis*, nisi Missa dicitur pro defunctis.

III. Evangelium S. Joannis dicitur in fine Missæ solemniter de festo, in qua non fit commemoratio de feria privilegiata, licet habeat Evangelium proprium, quando scilicet dicuntur duæ Missæ, de feria scilicet & de Sancto, sine utrorumque commemoratione.

IV. Dicitur etiam illud Evangelium feria 3. & 4. majoris hebdomadæ, si dicatur iis diebus Missa de aliquo Sancto Patrono, quia habet proprium Evangelium; hoc tamen non fit amplius, quia ex Missali recognito non dicuntur amplius Missæ nisi de feria.

V. Si occurrat Vigilia infra Octavam Corporis Christi, quia Missæ privatæ sunt de Octava, in his debet dici Evangelium de vigilia in fine Missæ, quia dictum est Evangelium ad Matutinas.

## TITULUS XIV.

De hora celebrandi Missam.

I. MISSA non debet celebrari nisi debitis horis, ex Conc. Trident. sess. 22. sublatis quibuscumque privilegiis, ut declaravit Sac. Congr. super Concilium.

II. Missæ votivæ dicuntur solemniter post Nonam, tum quia ab Officio discordant, tum etiam quia major est sæpe populi frequentia. Titul. 16. de iis quæ clara voce dicuntur in Missa, de quo supra egimus.

## T I T. XV.

De Preparatione Altaris, & Ornamentorum ejus,

I. Altare in quo Missa celebratur debet esse lapideum, ex institutione S. Silvestri, & ab Episcopo consecratum, ad indicandam gratiæ pinguedinem, vel saltem debet esse ara lapidea ab Episcopo etiam consecrata, quæ aliquantulum supereminere debet, ut ejus limites à Sacerdote dignosci possint, & tam ampla etiam debet esse, ut hostiam, & majorem partem Calicis capere possit.

II. Mappis tribus altare tegatur lineis, vel saltem ex cannabo, ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem benedictis, superiori oblonga, quæ usque ad terram pertingat ab utraque parte, & duabus aliis brevioribus, vel una duplicata.

III. Pallio quoque ornari debet coloris, quoad fieri potest, Officio convenientis, quod decet habere in medio Crucem, vel piam imaginem, nec indiget benedictione, & certè imago sacra est convenientior, quia Crux est super Altare.

IV. Crux super Altare etiam apponatur in medio tamquam signum Regis in Regia, etiam si sit super idem altare Tabernaculum SS. Sacramenti, vel imago Christi in Cruce pendentis in pariete, aut tabula depicta, ex Gavanto, eleveturque ad tantam altitudinem, ut pes ipsius æquet altitudinem candelabrorum, ac ipsa tota candelabris supereminet; si tamen SS. Sacramentum sit expositum, in eo Crux ipsa non debet apponi, ex eodem Gav. p. 2. tit. 14. n. 6. & si Crux non sit satis alta, videtur supponendum ei aliquod scabellum, aut aliquid, ut semper candelabris supereminet: & ad pedem ejus apponatur tabella Secretarum.

V. Candelabra item duo debent esse à lateribus hinc inde altaris saltem cum duabus candelis accensis, quia lumen unum non sufficit, nisi ex necessitate, Azor. l. 10. c. 28. qu. 5. & ex cera debent esse, nisi necessitas cogat habendi sebaceas, sed saltem una debet esse ex cera. Nullus autem præter Episcopum, aut alios Prælatos habere debet plusquam duas candelas, hinc inde ex utroque latere, ex Sac. Cong. Rit. 7. Aug. 1627.

nisi aliud exigat ratio festi, aut solemnitatis.

VI. Tabella ad Crucis pedem poni debet, quam Secretarum vocant, ad majorem Celebrantis commoditatem.

VII. Cusinus unus in cornu Epistolæ, Missali supponendus, & non duo, quod colligitur ex Cær. Ep. l. 2. c. 8. & convenit unicus.

VIII. Cereus ab eadem parte paretur in candelabro parato, ad elevationem SS. Sacramenti accendendus. Attamen ratione festi solemnioris, poterunt tunc etiam accendi duo ab utraque parte in plano Presbyterii.

IX. Campanula etiam adhiberi debet, pro elevatione SS. Sacramenti.

X. Ampullæ vitreæ etiam pro vino, & aqua, ut faciliè in eis vinum ab aqua discerni possit.

XI. Pelvicula in qua sint ampullæ, & Manutergium.

XII. Quæ omnia, scilicet campanula, ampullæ, pelvicula, & manutergium, collocari debent super mensam parvam, capacem tamen, propè altare in cornu Epistolæ, linteomundo contactam, usque ad terram pendente, si potest fieri, quæ dicitur Credentia, vel in fenestella aliqua etiam propè ipsum Altare, sed primum est decentius.

XIII. Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertineat. Non ergo super illud apponendum biretum Sacerdotis, neque prorsus sudariolum ad emungendas nares, sed potiùs à cingulo Albæ ipsius pendere debet ad dexteram sub planeta: non etiam, quantum fieri potest, apponi debent perspicilla super illud, maximè super Corporale.

XIV. Advertant Sacerdotes, ut non celebrent in altari in quo eo die celebravit Episcopus in sua Diocesi, nisi de ejus licentia, quæ tacita sufficit, quando necessitas urget, videlicet ne perdant aliqui Missam, vel quando sunt Hostiæ consecrandæ pro infirmis, aut alia ratione.

XV. Cum autem multa sint adnotanda circa Rubricas Missalis, ut ritè, & ut par est compleatur illud tam admirandum Sacrificium, non erit inutile hinc easdem Rubricas Missalis, circa ritus, & cæremonias, quas diligentissimè omnes Sacerdotes observare debent, describere, quibus annotationes speciales

les subjungemus, circa eas, quæ aliqua videntur indigere explicatione, ex quibus plures collegimus ex doctissimis Commentariis R. P. Gavanti, & aliis, qui hac de re diligenter egerunt.

XVI. Rubricas verò, quæ ad Missam solemnem, & etiam pro defunctis pertinent, ex industria relinquemus, quia fusè de iisdem acturi sumus postea infra, sicut de Missa coram Prælatis, tam solemni, quam privata. Rubricas ergo quæ ad Missam privatam attinent, tantùm attingemus.

*Ritus servandus in Celebratione Missæ.*

TITULUS I.

*De Preparatione Sacerdotis celebraturi.*

RUBRICA NUM. I.

I. Sacerdos celebraturus Missam, prævia confessione Sacramentali, quando opus est, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, & 1. Orationes inferiùs positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde 2. accedit ad locum in Sacristia, vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaque necessaria ad celebrationem habentur: accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, & signacula ordinat, ad ea quæ dicturus est. Postea lavat manus, dicens Orationem inferiùs positam. Deinde præparat calicem (qui debet esse vel aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam intus inauratam, & simul cum patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus) super ejus os ponit purificatorium 3. mundum, & super illud Patenam cum Hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, à fragmentis, & eam tegit parva palla lineæ, tum velo sericeo: super velo ponit burfam 4. coloris paramentorum, intus habentem Corporale plicatum, quod ex lino tantùm esse debet, nec serico, vel auro in medio intextum, sed totum album, & ab Episcopo, vel alio habente facultatem simul cum palla benedictum.

N O T Æ.

I. Orationes hæ sunt, Antiphona *Ne re-*  
*Man. Sacr. Carem.*

*miniscaris*, quæ in duplicibus duplicatur, & pariter ante eas Missas quæ ritu duplici celebrantur cum unica Oratione, sive sint votivæ, sive pro re gravi, & Psalmi *Quàm dilecta*, & alii, ut in Missali, cum precibus, & orationibus: possunt tamen ex omitti in Missa pro defunctis, ut patet ex Cæremoniali Papæ I. 2. sect. 2. c. 26. & tempore Paschali additur *Alleluja*; non est autem peccatum eas omittere, ex multis auctoribus. Tempore Passionis, excepto triduo ante Pascha, debet dici versus *Gloria Patri*, post Psalmos, etiam si dicatur Missa pro defunctis; & tempore Paschali etiam additur in hac Missa pro defunctis *Alleluja*, quia hæc sequuntur Officium, non Missam.

II. Quatuor Sacerdos hic agit circa Missale, 1. capit illud, 2. perquirit Missam, 3. legit, ut si mutandæ sint aliqua orationes, aut aliud, opportunè mutationi provideat, & ne accidat error in prolatione verborum, 4. ponit librum extra paramenta, ne Minister alium ad altare deferat.

III. Ut Purificatorium ab aliis lineis pannis discernatur, decet, ut in medio Crux pingatur, ut in Conc. Mediol. 3. fuit decretum. Palla lineæ, nihil est aliud, quam Corporale exiguum.

IV. Convenit ut bursa Crucem in medio habeat, cujus pars aperta celebrantem respiciat, velo anteriori super eam revolutò ut calix commodiùs deferri queat à Sacerdote intra quam burfam omnino recludatur corporale, non verò superponatur.

V. Quod ad plicaturam Corporalis spectat, ita disponi debet, ut nec finis, nec initium appareat.

R U B. N. II.

I. Quibus ita dispositis, accedit ad paramenta, quæ non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, decenter munda, ac pulchra, & ab Episcopo item, vel alio facultatem habente benedicta: ubi calceatus pedibus, & indutus vestibus convenientibus, quarum exterior saltem 2. tala pedis attingat, induit se, si sit Prælatus sæcularis, super rochetum; si sit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos, superpelliceum, si commodè haberi possit, alioquin sine eo, supra vestes 3. communes, dicens ad singula, singulas Orationes inferiùs positas.



N O T Æ.

I. Deponit celebrans biretum in aliquo loco congruo, ut accipiat paramenta, non super altare, quod fortè est in Sacrificia, sed alibi, si fortè ibidem paramenta accipiat, nec etiam super Missale. Possunt paramenta poni super altare in cornu Evangelii deficiente Sacrificia, non tamen in medio, cum hoc pertineat ad dignitatem Episcopalem. Scopis purgare se debet celebrans à pulvere.

II. Clerici rustici, & peregrini possunt uti brevioribus vestibus, modò medium crus attingant. Homobonus Tract. 4. q. 155. Laudantur Ecclesiæ in quibus aservantur honestæ crepidæ ad usum Sacerdotum, ut majori cum decore ad altare accedant, & non cum calceis lutulentis.

III. Orationes dicendæ ad singula paramenta non possunt omitti sine peccato lethali, ex Navarro. Suarez tamen excusat disput. 83. p. 3. & veriùs; dicuntur autem omnino submissa voce.

R U B. N. III.

» Primùm accipiens 1. Amictum circa extremitates, & chordulas, osculatur illud in medio, 2. ubi est Crux, & ponit super caput, & mox declinat ad collum, & eo vestium collaria circumtegens, ducit chordulas sub brachiis, & circumducens per dorsum, ante pectus reducit & ligat. Tum Alba induitur caput submittens, deinde 3. manicam dexteram brachio dextero, & sinistram sinistro imponens, Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante, & à lateribus hinc inde, & cingulo per ministerium à tergo sibi porrecto se cingit. Minister elevat Albam super cingulum circumcirca, ut honestè dependeat, & tegat vestes, ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti, vel circiter super terram æqualiter fluat. Sacerdos accipit 4. Manipulum, osculatur Crucem in medio, & imponit brachio sinistro. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, 5. simili modo osculatur, & imponit medium ejus collo, ac transverso eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem à sinistro humero pendentem ad dexteram, & partem à dextero humero pendentem, ad sinistram. Sicque utramque partem 6. Stolæ extremitatibus Cinguli hinc inde ipsi Cingulo conjungit.

N O T Æ.

I. Amictus super humerale ab Alcuino dicitur capite *Quid significant paramenta?* non verò fanon, quia est vestis propria Papæ.

II. Omittendum hoc loco signum Crucis, quod præter rubricam sibi faciunt quidam manu, & cingulo amictus simul à fronte ad pectus, vel signent se antequam accipiant amictum, si velint.

III. Celebrans primò imponit manicam dexteram brachio dextro, quia priùs dextera Christi fuit affixa.

IV. Manipulus debet ligari chordulis, aut aciculis, infra cubitum non longè à manu, ut ex usu constat. Gav. p. 2. tit. 1. n. 3.

V. Celebrans stolam imponit non longè è collo, ac si torquem imponeret sibi, quasi premendo cervicem, & utrumque humerum, & hoc contra quosdam recentiores.

VI. Vides quòd non debeant addi duo vincula, seu vittæ extremitatibus stolæ Sacerdotis simplicis, & non Prælati, quibus conjungat utramque partem illius: debet enim conjungi extremitatibus cinguli ex Rubr. Vides item quòd pars dextera stolæ formans Crucem in pectore debet poni super sinistram.

R U B. N. IV.

» I. Si Celebrans sit Episcopus, non ducit stolam ante pectus in modum Crucis, sed finit hinc inde utraque extremitates pendere, & antequam accipiat stolam, accipit parvam Crucem pectoralem, quam osculatur, & collo impositam finit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante stolam, nisi in *Missis Defunctorum*, sed accipit ad Altare dum in Confessione dicit *Indulgentiam*, illumque priùs osculatur.

N O T Æ.

I. Episcopus non gestat stolam in modum Crucis, quia habet Crucem ante pectus, quam accipit ante stolam.

R U B.

» I. Postremò accipit planetam.

N O T Æ.

I. Planetam accipiens Sacerdos non illam osculatur ex communi usu Urbis. Duo vincula, quæ sunt in anteriori, & superiori parte Planetæ, Sacerdos ante alli-

te alliget, ne à tergo indecenter dependeat.

R U B.

Si fit Episcopus, & solemniter celebret, accipit paramenta, & alia, ut in Cæremoniali.

## T I T U L U S II.

De ingressu Sacerdotis ad Altare.

N U M. I.

I. Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistra Calicem, ut suprâ præparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextra super calice tenens, & facta reverentia 1. Cruci, vel imagini illi, quæ in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad altare, ministro cum Missali, & aliis ad celebrandum 2. necessariis (nisi ante fuerint præparata) præcedente superpelliceo induto. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore: si vero contigerit eum transire ante Altare 3. majus, capite cooperto faciat ad illud reverentiam; si ante locum Sacramenti, genuflectat; si ante altare ubi celebratur Missa, in qua elevatur, vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, & detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quàm celebrans deposuerit Calicem super Corporale.

N O T Æ.

Celebrans nihil ponat super Calicem, præter ea quæ explicantur, neque sudarium, neque conspiciilla quantum fieri potest, sed ea tradat ministro deferenda.

I. Hæc reverentia facienda imagini capite tecto, & profundè cum corpore inclinato & cum bireto. Si Sacerdos non deferat calicem (quia fortè rationabili de causa est jam ad altare præparatus) procedit junctis manibus, & caput detegit imagini, quæ est in Sacristia, & altari, quando transiens ante illud genuflectit, vel profundè se inclinat quia manus non habet occupatas. Nota etiam quod vox *Reverentia* est nomen genericum, habens sub se species, inclinationem videlicet, & genuflexionem, poniturque in sequentibus Rubricis juxta specifi- eam significationem, quæ rei congruit, cui sit reverentia. Et quando in sequentibus

præcipitur inclinatio capitis, sæpè per inclinationem intelligitur etiam corporis inclinatio, ut satis patet: quod valdè notandum est, ut suprâ diximus.

II. Si minister portat tantùm Missale, illud tenet ambabus manibus per angulos infimos ante pectus erectum, & eodem modo procedit quo celebrans, modestè, & cum debitis reverentiis, vel genuflexionibus à sinistro latere ejusdem, paulò tamen post eum, quando genuflectit, aut se inclinat Sacerdos. De hoc Ministro suprâ egimus.

III. Sacerdos tecto capite genuflectit ante Tabernaculum SS. Sacramenti; dum autem patet expositum, cautè segerat, dum amovet manum dexteram ad detegendum caput; neque idcirco incedat longius nudo capite contra quosdam, nec caput detegat, nisi priùs genuflexus, ne aliquid decidat, & illud tegat priùsqvam surgat. Semper item genuflectat eodem modo, quando advertit SS. Sacramentum esse super altare expositum, & hæc genuflexio fiat unico genu; quando verò elevatur, usque ad depositionem Calicis, genuflexio fiat utroque genu, quia tunc mora intercedit: neminem salutet aperto capite, sed tantùm Prælati se inclinet, aut magnatibus. Si verò nihil deserat dum transit ante Episcopum, convenit, ut capite detecto illum salutet. Dum transit ante Reliquiam insignem solemniter expositam, de qua tunc fit festum, aut quia est in magno honore apud populum, ei se pariter inclinet, non verò ante alias; habenda enim est tantùm ratio Altaris. Item quando Sacerdos transit per medium chori, in quo est Clerus, vel transit ante illum, salutare debet Clericos qui sunt in eo, cum Episcopus paratus salutet Canonicos in eo existentes. Cæ. Ep. l. 2. c. 8. Si adsit Princeps, aut vir aliquis insignis, illi reverentiam facit tecto capite, si habeat Calicem.

IV. Si Sacerdos faciat pausam in genuflexione, videlicet in elevatione SS. Sacramenti, decet ut tradat per id tempus biretum ministro, ut illud servet eo tempore quo genuflectit, recepturus illud antequam surgat.

R U B. N. II.

Cum pervenerit ad Altare, stans ante infimum gradum, caput detegit, i. biretum ministro porrigit, & Altari, seu imagini

» Crucifixi desuper positæ profundè se in-  
 » clinat. Si autem in eo sit Tabernacu-  
 » lum SS. Sacramenti, genuflectens debitam  
 » facit reverentiam, tunc ascendit ad me-  
 » dium altaris, ibi ad cornu 2. Evangelii si-  
 » sit Calicem; extrahit Corporale de bursa,  
 » manu dextera, quod extendit 3. in medio  
 » altaris & super illud Calicem velo coo-  
 » pertum collocat, burfam autem ad cornu  
 » Evangelii. Si in altari paramenta 4. acce-  
 » pit, hoc idem facit antequam descendat  
 » ab altari, ut Missam inchoet.

## N O T Æ.

I. Sacerdos numquam celebret tecto ca-  
 pite, idest cum suo bireto, seu calota, quam  
 nos Galli sic vocamus, sine dispensatione  
 Apostolica, quæ huic soli Sedi reservatur, ex  
 Sac. Congr. Rit. super negotiis Episcoporum  
 2. Junii 1590. & 31. Januarii 1626. Ita in  
 Missali recognito. Non potest ergo secum  
 Episcopus dispensare, nec cum aliis. Hæc au-  
 tem, quæ hic assignatur profunda capitis in-  
 clinatio, intelligitur de capitis, & humero-  
 rum inclinatione, ut patet ex Cær. Ep. l. 2.  
 c. 8. Stat autem Sacerdos in plano, & genua  
 flectit super infimum gradum, quod semper  
 facit in pari casu, nisi aliud expressè notetur.

II. Calix ponitur à latere Evangelii, non  
 ad mysterium aliquod, sed ad commodita-  
 tem, quia liber est à parte Epistolæ.

III. Si sit Crux acu picta in ora Corpora-  
 lis, ponatur ad partem anteriorem altaris ut  
 Sacerdos illam osculetur, & ora ipsius Cor-  
 poralis oram altaris tangat, ut Sacerdos fa-  
 cta consecratione, manus intra Corporale  
 commodius teneat. Ex his colligitur errare  
 eos, qui non explicant corporale, sed disse-  
 runt usque ad oblationem. Errant item illi,  
 qui altaribus coronides adhibent, contra  
 Cær. Ep. l. 1. c. 12. & favet ratio. Calix un-  
 dequaque velo contegi debet, aut saltem  
 pars anterior, si velum sit nimis breve.

IV. Toleratur ut paramenta sumantur  
 ad altare in cornu Evangelii, non in medio,  
 quando non est Sacristia: genuflectit Sa-  
 cerdos unico genu ante Tabernaculum.  
 Totus lateat Calix, quousque revelentur  
 propria Passionis Christi mysteria.

## R U B. N. III.

» Si est consecraturus plures 1. Hostias  
 » pro Communione facienda, quæ ob quan-  
 » titatem super patenam manere non pos-

» sint, locat eas super Corporale ante Ca-  
 » licem, aut in aliquo 2. Calice consecra-  
 » to, vel vase mundo benedicto, ponit eas  
 » retrò post Calicem, quod alia Patena,  
 » seu palla 3. cooperit.

## N O T Æ.

I. Per Hostias intelliguntur particule  
 pro Communione fidelium.

II. In vase, seu Pyxide, seu Calice non  
 includatur linteum in modum corporalis,  
 sed sufficit, & melius est vas illud auro li-  
 nire, ut fragmenta clariùs appareant.

III. Si Pyxis operculum habeat, eo tegi  
 debet, & sufficit si sit tantum benedicta,  
 non verò consecrata, & ab eo qui potest  
 Corporale benedicere.

## R U B. N. IV.

» Collocato calice in altari, accedit ad  
 » cornu Epistolæ: Missale super cussino aperi-  
 » rit, reperit Missam, & signacula suis lu-  
 » cis accommodat. Deinde rediens ad me-  
 » dium Altaris, facta 1. priùs Cruci reve-  
 » rentia, vertens se ad cornu Epistolæ, 2.  
 » descendit post infimum gradum Altaris,  
 » 3. ut ibidem faciat Confessionem.

## N O T Æ.

1. Reverentia Cruci sit mediocriter pro-  
 funda, quod notandum est, & eam faciat  
 semper Celebrans, quoties accedit ad Cru-  
 cem, vel recedit ab ea, & à fortiori dum  
 transit ante eam, nisi paulò ante recessum,  
 vel paulò post accessum reverentiam facien-  
 dam præscribat Rubrica. Unde multi docent,  
 & piè, faciendam esse profundam reveren-  
 tiam, collocato calice super Corporale an-  
 tequam Sacerdos accedat ad cornu Epistolæ  
 ad librum aperiendum. Gavan. hic & suprà.  
 Sacerdos reversus ad medium altaris non de-  
 bet immorari orationis causa, sed statim de-  
 scendat in planum, ut Missam incipiat.

2. Celebrans vertit se eodem modo quo  
 infrà ad *Dominus vobiscum*, sed aliquantulum  
 retrahit se ad cornu Evangelii, ne dire-  
 ctè descendendo terga vertat Cruci, vel  
 Tabernaculo.

3. Sacerdos non stat super gradus, sed in  
 plano Capellæ, & genuflectens ponit genua  
 super infimum gradum. Si tamen in Altari  
 sint plures gradus, quàm tres, tunc non ad  
 omnes, sed tantum ad primum ordinem  
 graduum descendit, si per ordinem distincti  
 sint, vel super secundum, aut tertium se  
 sistit.

sistit. Quòd si nullus sit gradus, ut in quibusdam Oratoriis, tunc convertens se à cornu Epistolæ per aliquot passus ab altari remotus, faciat confessionem, ut inter ipsum, & altare congrua sit distantia.

Numeri 5. & 6. sunt de Missa solemni, de qua infra.

## T I T. III.

De principio Missæ, & confessione faciendâ.

## N U M. I.

„ **S**acerdos cum primùm descenderit ad  
 „ infimum gradum Altaris, 1. convertit  
 „ se ad ipsum altare, ubi stans in medio jun-  
 „ ctis manibus ante pectus, extensis, & jun-  
 „ ctis pariter digitis, & pollice dextro super  
 „ sinistrum posito in modum Crucis  
 „ (quod semper servatur quodcumque  
 „ junguntur manus, præterquam post con-  
 „ secrationem) detecto capite, facta prius  
 „ Cruci, vel altari profunda reverentia,  
 „ vel si in eo sit Tabernaculum SS. Sacra-  
 „ menti, facta genuflexione, erectus inci-  
 „ pit Missam.

## N O T Æ.

1. Celebrans incipit Missam stans in plano ante gradum infimum altaris. Aliqui genuflectunt SS. Sacramento, & postea erecti Cruci se inclinant, sed hoc superfluum est, cum sufficiat sola genuflexio. Quando SS. Sacramentum est in cornu Evangelii, ut est adhuc in multis locis inclusum, extra altare, non debet illi fieri genuflexio. Num. 2. & 3. sunt de Missa privata coram Prælati, & de Missa solemni coram eis.

## R U B. N. III.

„ Stans igitur Celebrans ante infimum  
 „ gradum altaris, ut supra, producens manu  
 „ dextera à fronte ad pectus signum  
 „ Crucis, dicit intelligibili voce, *In nomine*  
 „ *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen,*  
 „ & postquam id dixerit non debet adver-  
 „ tere quemcumque in alio 1. altari cele-  
 „ brantem, etiam si sit Sacramentum, sed  
 „ continuatè prosequi Missam suam usque  
 „ ad finem. Quod idem observatur in Mis-  
 „ sa solemni, & simul à Ministris.

## N O T Æ.

1. Hoc item observari debet quando mi-

nistratur SS. Sacramentum. In his casibus præstat non pulsare campanulam, si præsertim Missa celebratur propè majus altare. Si tamen facta genuflexione, sed nondum inchoato *In nomine Patris*, elevetur SS. Sacramentum in altari vicino, tunc genibus flexis, nudo capite, illud adoret, nec furgat nisi post depositum Calicem super altare.

## R U B. N. IV.

„ Cum seipsum signat, semper sinistram  
 „ ponit infra pectus. In aliis benedictioni-  
 „ bus cum est ad altare, & benedicit oblata,  
 „ vel aliud, ponit eam super altare, nisi aliter  
 „ notetur: seipsum benedicens vertit ad se  
 „ palmam manus dextræ 1. & omnibus illius  
 „ digitis junctis, & extensis, à fronte ad  
 „ pectus, & ab humero sinistro ad dextrum  
 „ signum Crucis format. Si verò alios vel  
 „ rem aliquam benedicit, digitum parvum  
 „ vertit ei, cui benedicit, ac benedicens to-  
 „ tam manum dexteram extendit, omnibus  
 „ illius digitis pariter junctis, & extensis,  
 „ quod in omni benedictione servatur.

## N O T Æ.

1 Celebrans nec ministri caput inclinent dum se signat, quod multi faciunt, sed erectum habeant; manus sinistra sit extra Crucis terminum, idest quasi super Cingulum. Gav. p. 2. tit. 3. n. 9.

## R U B. N. V.

„ Postquam dixerit *In nomine Patris, &c.*  
 „ ut supra, jungens iterum manus ante pec-  
 „ ctus, pronunciat clara voce Antiphona-  
 „ nam *Introibo ad Altare Dei*. Minister verò  
 „ retrò post eum ad sinistram genuflexus, &  
 „ in Missa solemni Ministri hinc inde stantes  
 „ prosequuntur, *Ad Deum qui latificat juven-  
 „ tutem meam*. Deinde Sacerdos eodem mo-  
 „ do stans incipit, & prosequitur cum Mini-  
 „ stro, vel Ministris alternatim Psalmum  
 „ *Judica 1. me Deus* usque ad finem cum *Glo-  
 „ ria Patri*. Quo finito repetit Antiphonam  
 „ *Introibo* cum Ministris, ut supra. Qui Psal-  
 „ mus numquam prætermittitur nisi in Missis  
 „ defunctorum, & in Missis de Tempore, à  
 „ Dominicis Passionis inclusivè, usque ad  
 „ Sabbatum Sanctum exclusivè: in quibus  
 „ dicta semel tantum Antiphona *Introibo* cum  
 „ Ministris, ut supra, Sacerdos statim subjun-  
 „ git versum *adjutorium nostrum, &c.* ut in-  
 „ fra. Cum in fine Psalmi dicit *Gloria Patri*,  
 „ caput Cruci inclinat.

## N O T Æ.

1. Psalmus *Judica me* dicitur in Missis votivis de Cruce, & de Passione Domini, etiam tempore Passionis, quia Missa de Cruce discordat in colore paramentorum, vel quia ambæ sunt votivæ, & non concordant cum Officio. Quantum fieri potest celebrans ita jungat manus, ut Planetam minimè tangant.

## RUB. N. VII.

» Repetita Antiphona *Introibo*, dextera  
» manu producens signum Crucis à fronte ad  
» pectus, dicit verbum *Adjutorium nostrum*  
» *in nomine Domini*. Resp. *Qui fecit cælum, &*  
» *terram*. Deinde altari profundè se inclinans,  
» junctis manibus, dicit *Confiteor* 1. ut in or-  
» dine Missæ, & prosequitur eodem modo  
» stans inclinatus, donec à Ministris dictum  
» sit *Misereatur*. Cum incipitur à Ministris  
» *Confiteor*, se erigit: cum dicit *Mea culpa*,  
» ter pectus dextera manu percutit, sinistra  
» infra pectus posita.

## N O T Æ.

1. Non addendum est ad *Confiteor* nomen Patroni, aut alterius Sancti, quia id prohibetur à Pio V. Cum celebrans, & alii dicunt *Mea culpa*, dextera digitis simul junctis, pectus percutiunt.

N. 8. est de Missa coram Prælatis.

## RUB. N. VIII.

» Cum minister, & qui interfunt (etiam si  
» ibi fuerit Summus Pontifex) respondent  
» *Confiteor*, dicunt, *Tibi Pater, & Te Pater*  
» aliquantum 1. conversi ad Celebrantem.

## N O T Æ.

1. Convertunt se aliquantulum Ministri, inclinati semper. In Missa privata celebrans non se vertit ad Ministrum dicens *Vobis fratres, & Misereatur vestri*.

## RUB. N. IX.

» Facta à circumstantibus confessione,  
» Celebrans stans respondet *Misereatur* 1.  
» *vestri, &c.* Deinde producens manu dex-  
» tera à fronte ad pectus signum Crucis, di-  
» cit *Indulgentiam, &c.* Et si est Episcopus,  
» accipit manipulum, osculando illum in me-  
» dio, & stans 2. inclinatus junctis manibus  
» prosequitur *Deus tu conversus, & quæ se-*  
» quantur in Ordine Missæ, clara voce us-  
» que ad Orationem *Aufer à nobis, &*  
» cum dicit 3. *Oremus* extendit, & jungit  
» manus.

## N O T Æ.

1. Celebrans dicens *Misereatur vestri, &c.* non dicat *omnibus*; & ad *Indulgentiam* non dicat etiam *omnium*.

2. Dicens *Deus tu conversus* inclinat caput, & humeros.

3. Dicit clara voce *Oremus*, & adhuc inclinatus, & surgit incipiens *Aufer à nobis*. Numerus secundus est de Missa coram Prælatis.

## T I T. IV.

De Introitu, Kyrie, & Gloria  
in Excelsis.

## N U M. I.

» **D**Um dicit, *Aufer à nobis*, Celebrans  
» junctis 1. manibus ascendit ad me-  
» dium altaris, & ibi inclinatus manibus 2.  
» item junctis super eo positus, & ita ut digiti  
» parvi dumtaxat frontem, seu medium  
» anterioris partis tabulæ, seu mensæ altaris  
» tangant, residuo manuum inter altare, &  
» se retento, pollice dextro super sinistram  
» in modum Crucis posito, (quæ omnia  
» semper observantur cum manus junctæ  
» super Altare ponuntur) secretò dicit *Ora-*  
» *mus te Domine &c.* Et cum dicit *Quorum re-*  
» *liquia hinc sunt*, osculatur Altare in medio  
» manibus extensis, æqualiter hinc inde  
» super eo positus, quod semper servatur  
» quando osculatur altare: sed post conse-  
» crationem pollices ab indicibus non dis-  
» junguntur. In omni etiam deosculatione  
» sive Altaris, sive libri, sive alterius rei  
» non producit signum Crucis pollice,  
» vel manu super id quod osculandum est.

## N O T Æ.

1. Ut celebrans aptè se inclinet, genuflectat, aut manus super altare ponat, paululum retrocedat ab altari, & osculetur semper altare non ad latera ipsius, aut corporalis, sed in medio, ubi sunt Reliquiæ SS. Quòd si ex dispensatione Apostolica nullæ sint in Altari Reliquiæ, omitti debent illa verba *Quorum reliquia*, eoque casu osculum debet fieri ad ea verba, *Ut indulgere digneris omnia peccata mea*. Ita Gav.p. 2. tit. 4. nu. 1. ex Cantono in ordinario divini Officii. Manus autem sic ponat super altare, ut sex digiti

maiores simul juncti mensæ altaris innitantur, minorum verò extremitates frontem mensæ tangant, pollice dextro super finistrum in modum Crucis posito.

RUB. N. II.

» Osculato Altari accedit ad ejus cornu  
» sinistrum, idest 1. Epistolæ ubi stans ver-  
» sùs Altare, & producens à fronte ad pe-  
» ctus signum Crucis, incipit intelligibili  
» voce *introitum Missæ*, & prosequitur jun-  
» ctis manibus: cum dicit *Gloria Patri*, te-  
» nens junctas manus, caput 2. inclinat ver-  
» sus Crucem. Cum repetit *introitum* non  
» signat se, ut priùs: & eo repetito, junctis  
» manibus ad pectus accedit ad 3. medium  
» Altaris, ubi stans versus ad illud, similiter  
» manibus junctis, dicit eadem voce ter  
» *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, & iterum  
» ter *Kyrie eleison* alternatim cum Ministro.  
» Si Minister, vel qui interfunt celebranti  
» non respondeant, ipse solus novies dicit.

N O T Æ.

1. Aliqui se inclinant iterum Cruci post osculum Altaris, antequam accedant ad cornu Epistolæ, sed hoc est superfluum. Epistolæ latus est propriè latus sinistrum Altaris: sicut latus Evangelii est latus dextrum.

2. Celebrans dicens *Gloria Patri*, convertit tantillum corpus cum capite versus crucem, quod servare debet in pari casu.

3. Errant qui incipiunt *Kyrie* dum procedunt ad medium Altaris, & eò magis quando dicunt *introitum*, & *Kyrie* in medio ipsius nimis festinanter.

4. Si Celebrans cantat non solemniter, dicit etiam *Kyrie* ad cornu Epistolæ, voce aliquantulum demissiori, & eo casu Minister genuflexus propè cornu Epistolæ ei respondet.

RUB. N. III.

» Dicto ultimo *Kyrie eleison* Sacerdos  
» stans in medio Altaris, & manum exten-  
» dens, elevansque usque ad 1. humeros  
» (quod in omni manuum elevatione ob-  
» servatur) voce prædicta incipit si dicen-  
» dum sit *Gloria in excelsis*. Cum dicit *Deo*,  
» jungens manus, caput Cruci inclinat, quo  
» erecto, stans manibus junctis ante pectus  
» prosequitur usque ad finem. Cum dicit  
» *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, *Jesu*  
» *Christe*, *Suscipe deprecationem nostram*, &  
» iterum *Jesu Christe*, caput Cruci inclinat.

» Cum dicit in fine *Cum sancto Spiritu* se  
» ipsum à fronte 2. ad pectus signat, interim  
» absolvens in *gloria Dei Patri. Amen.*

N O T Æ.

1. Celebrans manus extendit, ut suprà, ad decorum, & elevat usque ad humeros, non ad mysterium, neque elevat oculos, quod multi tamen faciunt, præter Rubricam.

2. In fine dum Celebrans dicit *Amen* jungit manus. Si indigeat conspicillis ea benè firmet ne cadant, & iis non utatur, si fieri potest, à consecratione usque ad Communionem, & si cogatur iis uti, & ea retinere, interdum ea capiat, & teneat inter indicem & medium digitos.

Numeri 4. 5. 6. & 7. sunt de Missa solemnè.

T I T. V.

De Oratione.

N U M. I.

» Dicto Hymno *Gloria in excelsis*, vel,  
» si non sit dicendus, eo omisso, Ce-  
» lebrans osculatur altare in medio, mani-  
» bus hinc inde 1. in eo ut suprà extensis,  
» tum illis ante pectus junctis, & demissis  
» ad terram oculis, vertit se à sinistro late-  
» re ad dexterum versus 2. populum, hoc est  
» per eam partem, quæ respicit cornu Epi-  
» stolæ, extendens, ac jungens manus ante  
» pectus, ut priùs, dicit voce prædicta *Do-*  
» *minus vobiscum*, vel, si sit Episcopus, *Pax*  
» *vobis*, quod dicitur tantum hoc loco,  
» quando dictus est Hymnus *Gloria in*  
» *excelsis*. Resp. *Et cum spiritu tuo*, & jun-  
» ctis, ut priùs, manibus revertitur per  
» eandem viam ad librum, ubi eas ex-  
» tendens, ac jungens ante pectus, caput-  
» que Cruci inclinans, dicit *Oremus*, 3.  
» tum extendit manus ante pectus, ita ut  
» palma unius respiciat alteram, & digitis  
» simul junctis, quorum summitas altitudi-  
» nem humerorum non excedat, quod in  
» omni manuum extensione ante pectus  
» observatur. Stans autem, ut suprà, ex-  
» tensis manibus, dicit orationem. Cum di-  
» cit *Per Dominum nostrum*, jungit manus  
» easque junctas tenet usque ad finem. Si ali-  
» ter concluditur Oratio *Qui tecum*, vel *Qui*  
» *vivis*, cum dicit *In unitate*, jungit manus.

NO-

## N O T Æ.

1 Celebrans extendit manus super altare, quia est ante consecrationem, vertit se incipiendo per latus suum dextrum, ita ut sinistra sequi videatur dexteram; caput non inclinet versus populum, nec innitatur altari, quod est à tergo ejus, dum se convertit ad populum, & ita manus junctas habeat, ut nullum sit inter digitos spatium. Præter extensionem manuum, congruè apponitur in Cæremoniali lib. 2. cap. 8. elevatio earundem.

2 Celebrans vertit se ad populum totaliter, disjungendo manus ad latitudinem corporis, & statim conjungendo easdem.

3 Errant qui dicunt *Oremus* in medio altaris. Cùm celebrans concludit Orationem *Qui vivis*, aut, *Qui tecum vivit*, jungit tantum manus, dicit *In unitate*, & nullo modo inclinat caput, nec se convertit ad Crucem ut multi.

## RUB. N. II.

Cùm nominatur nomen *Jesu* 1. caput versus Crucem inclinat, quod etiam facit cùm in Epistola nominatur, & similiter ubi, cumque nominatur nomen Beatæ Mariæ, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio. Item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem. 2. Si plures Orationes sunt dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum, & capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

## N O T Æ.

1 Profundiùs inclinat se Celebrans ad nomen *Jesu*, quàm alia nomina, ergo etiam corpus aliquantulum debet inclinare, ex Cærem. Episc. lib. 2. cap. 8. ut supra diximus.

2 Celebrans non inclinat se ad nomina Sanctorum, de quibus fit commemoratio in suffragiis communibus in Oratione *A cunctis*, sed ad commemorationem de festo simplici, sive de Octava, aut de aliis, ad quorum nomina etiam in Canone caput inclinat. Gavantus ibidem, sicut ad nomen Papæ. Porro ad solum nomen *Jesu* fit inclinatio versus Crucem, non verò ad alia.

## RUB. N. III.

Si altare sit ad Orientem versus populum, Celebrans 1. versa facie ad popu-

lum, non vertit humeros ad altare, cùm dicturus est *Dominus vobiscum*, *Orate fratres*, *Ite Missa est*, vel daturus est benedictionem, sed osculato altari in medio, ibi expansis, & junctis manibus ut supra, salutatur populum, & dat benedictionem.

## N O T Æ.

1 Non intelligitur Rubrica de omni altari ad Orientem, sed de eo in quo Celebrans habet Crucem, & populum ante faciem suam, ac proinde non intelligitur tantum de Oriente reali, sed imaginario, quia multi sunt altaria, in quibus hæc non fiunt, videlicet illa quæ sunt in extremitatibus multarum Ecclesiarum, quæ faciem habent versus Orientem realem, & etiam imaginarium. Gavantus hic.

## RUB. N. IV.

1 In Quatuor Temporibus, vel aliis quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto *Kyrie eleison* in medio altaris, revertitur ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum, extensis & junctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans, dicit *Oremus, flectamus genua*: & illicò manibus super altare 1. extensis, ut seipsum ad altare sustineat, genuflectit, & sine mora surgens, eadem voce Ministro respondente *Levate*, manibus extensis dicit Orationem, ut supra & in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum, vel altare positas, ut mox dicitur de Epistola 2.

## N O T Æ.

1. Celebrans semper tenet manus extensas super altare, quando genuflectit, digitis simul junctis. Satis est autem si unicum flectat genu Celebrans.

2 Populus debet saltem esse acclinis, licet sit genuflexus, ad hanc Orationem, usque ad finem.

Numerus 5. est de Missa solemnè.

## T I T. VI.

*De Epistola, Graduali, & aliis usque ad Offertorium.*

## RUB. N. I.

1 DICTIS Orationibus, Celebrans positus super librum, vel super altare manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel, ut placuerit, librum tenens, legit Epistolam, intel-

intelligibili voce, & respondetur à Ministro *Deo gratias*; & similiter stans eodem modo prosequitur Graduale, *Alleluja*, & Tractum, ac Sequentia, si dicenda sint. Quibus dictis, celebrans, si privatim celebret, ipsemet, seu Minister portat librum Missalis ad alteram partem altaris, caput Cruci inclinat, & Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris, & non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam.

## R U B. N. II.

Locato Missali in altari, Celebrans redit ad medium altaris, ibique stans junctis manibus ante pectus, elevatisque ad Deum oculis, & statim demissis, tum profunde inclinatus dicit secretò *Munda cor meum* 1. & *Jube domne benedicere, Dominus sit in corde meo*, &c. ut in Ordinario. Quibus dictis, vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum junctis manibus ante pectus dicit intelligibili voce, *Dominus vobiscum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*. 2. Deinde pollice dextræ manus signo Crucis signat primò librum super principio Evangelii, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore, & pectore, dicens, *Sequentia*, vel *Initium sancti Evangelii*, &c. Resp. *Gloria tibi Domine*. Tum junctis iterum manibus ante pectus stans, ut supra, prosequitur Evangelium usque ad finem. Quo finito, Minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum altaris respondet *Laus tibi Christe*, & Sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Evangelii, dicens, *Per Evangelica dicta*, &c. Præterquam in Missis Defunctorum, 4. & nisi celebretur coram Summo Pontifice, Cardinali, vel Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum residentiis, quo casu defertur cuilibet prædictorum osculandus liber, & celebrans tum non osculatur librum, nec dicit *Per Evangelica dicta*. Cum nominatur *Jesus*, caput versus librum inclinat, & eodem modo versus librum genuflectit, cum in Evangelio est genuflectendum.

## N O T. Æ.

1 Celebrans dicit *Domine*, non *Domne*, quia Deum alloquitur, nec tenet manus junctas super altare, sed ante pectus, nec se signat, nec dicit *In nomine Patris*.

2 Nec se vertit ad Crucem, nec inclinat

caput dum Minister dicit *Gloria tibi Domine*. Cum verò signat librum, sinistram manum ponit super eum; cum verò seipsum, eandem ponit infra pectus. Signat autem librum non ungue pollicis, sed pulpa, si fieri potest, manu ad librum conversa, & postea, dum se signat, ad se conversa.

3 Celebrans aliquantulum se inclinans osculatur librum. Si Prælati sint plures inæquales in eorum residentiis, librum osculatur tunc dignior; si æquales, ut Cardinales, nullus, nec etiam Celebrans. Defertur ad Prælatum etiam Symbolum, non verò ad Offertorium. Marcel. l. 2. cap. 17. Minister nulli se inclinatur ante osculum libri, sed post osculum, debitam facit reverentiam, clauso prius libro. Non defertur Vicario Apostolico, nec Commendatario, seu ejusdem Procuratori, ex Congr. Card. super negotiis Epif. 28. Augusti 1589. & ex Sacra Congreg. Rit. 17. Septembris 1611. neque aliis in hac Rubrica non nominatis. Gav. hic. Conceditur enim tantum habentibus jura Episcopalia, idest usum Mitræ, & baculi. In Missis Defunctorum tale libri osculum omittit Celebrans, & ideo celebrans non dicit tunc *Per Evangelica dicta*, quia hic versus semper omittitur, omisso osculo.

4 Celebrans, dicto Evangelio, defert librum prius osculatum propè Corporale, ut facilius legat quæ in medio dicenda sunt.

## R U B. N. III.

Dicto Evangelio, stans in medio altaris, versus Crucem, elevans, & extendens manus, incipit, si dicendum sit, *Credo*, cum dicit *In unum* 1. *Deum*, jungit manus, & caput Cruci inclinat, quo erecto, stans ibidem junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit, *Jesum Christum*, caput Cruci inclinat. Cum dicit, *Et incarnatus est*, usque ad *Et homo factus est*, inclusivè, genuflectit. Cum dicit, *Simul adoratur*, caput Cruci inclinat. Cum dicit, *Et vitam venturi sæculi Amen*, producit sibi manu dextra signò Crucis à fròte ad pectus.

## N O T. Æ.

1 Celebrans caput inclinat tantum ad nomen, *Deum*, non elevans oculos.

2 In Missa privata celebrans unicum genuflectit ad, *Et incarnatus est*; & dum dicit *Et homo factus est*, caput etiam inclinat.

3 Inclinat tantum caput ad illud verbum



bum Adoratur, non ad illud sequens, Conglorificatur.

4 Ad verbum Amen jungit manus.  
Num. 4. & 5. sunt de Missa solemnii.

R U B. N. VI.

» Si autem sit prædicandum, 1. Concio-  
» nator finito Evangelio prædicet, & Ser-  
» mone, sive Concione expleta dicatur  
» Credo, vel si non sit dicendum, cante-  
» tur Offertorium.

N O T Æ.

1 Vide quæ suprà de Concionatore dicta  
sunt. Olim astantes ad concionem stabant,  
aliquando sedebant.

Num. 7. est de Missa solemnii.

R U B. N. VIII.

» Si quandoque Celebrans cantat Mis-  
» sam sine Diacono, & Subdiacono, Epi-  
» stolam cantat in loco consueto aliquis  
» Lector superpelliceo indutus, qui in fine  
» non osculatur manum Celebrantis. Evan-  
» gelium autem cantat Celebrans ad cor-  
» nu Evangelii, qui & in fine cantat *Ite*  
» *Missæ est*, vel *Benedicamus Domino*,  
» vel *Requiescant in pace*, pro temporis di-  
» versitate.

## TITULUS VII.

De Offertorio, & aliis usque ad  
Canonem.

» **D**ICTO Symbolo, vel si non sit dicen-  
» dum, post Evangelium osculatur Al-  
» tare in medio, & junctis manibus ante 1.  
» pectus, ibidem à manu sinistra ad dexteram,  
» ut dictum est suprà, vertit se ad populum,  
» extendens, ac jungens manus dicit *Domine*  
» *vobiscum*, & junctis manibus revertitur per  
» eandem viam ad medium altaris, ubi ex-  
» tendens, ac jungens manus, caputque Cru-  
» ci inclinans, dicit *Oremus*; tum junctis ut  
» prius manibus, dicit Offertorium, &  
» omnia, quæ usque ad finem Missæ in medio  
» altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans ver-  
» sus ad altare, nisi ubi aliter ordinatur.

N O T Æ. II.

Dicto Offertorio 1. discooperit Calicem,  
& ad cornu Epistolæ sifit, & manu dextera  
amovet parvam Pallam desuper Hostiam,  
accipit Patenam cum Hostia 2. & ambabus  
manibus ad pectus elevatam tenens, oculis

ad Deum elevatis, ac statim demissis, dicit  
*Suscipe Sancte Pater.*

N O T Æ.

1 Finito Offertorio fit oblatio à populo,  
si fit facienda. Acta Mediolan. Ecclesiæ, Jaco-  
bus, Gavantus, & Missale Bellovacense, &  
alia. Celebrans detegit Calicem dum est ad-  
huc super Corporale, velo tantum remoto, &  
eo detecto ponit eundem Calicem ad cornu  
Epistolæ dextera, velum autem à ministro, &  
non à se ipso plicatur, si commodè fieri po-  
test, & ab ipso propè tabellam Secretarum in  
cornu Epistolæ deponitur, non super Corpo-  
rale, & est ritus laudabilior, quia non conve-  
nit plicari à Celebrante. Idem Minister expli-  
cat manutergium, quod in eodem cornu su-  
per Altare ponit cum pellicula, & anpullis  
desuper. Gavantus ibidem. Hostia sit munda-  
tissima, formæ rotundæ, in modica quanti-  
tate, figuram, quantum fieri poterit, Christi  
Crucifixi in una tantum facie habens. Hæc  
est enim convenientior ejus forma.

2 Celebrans Patenam sola manu dextera  
de Calice aufert, sed postea ambabus mani-  
bus eam elevatam tenet ante pectus, non  
verò ante faciem.

R U B. N. III.

» Si fuerint aliæ Hostiæ, non super Pate-  
» nam, sed super Corporale, vel alio Calice,  
» seu alio vase, pro Communionem populi  
» consecrandæ, Calicem illum, seu vas dexte-  
» ra discooperit, & intentionem suam, etiam  
» ad illas offerendas, & cõsecrandas dirigens,  
» dicit ut suprà, *Suscipe, &c.* ut in Ordine Mis-  
» sæ. Quo dicto, Patenam utraque manu te-  
» nens, cù ea facit signum Crucis super Cor-  
» porale, & deponit Hostiam circa medium  
» anterioris partis Corporalis, ante se, &  
» Patenam ad manum dexteram aliquantu-  
» lum subtus Corporale, quam, exterso Ca-  
» lice, ut diceret, cooperit Purificatorio. Si  
» autem adsit 1. vas, seu Calix cum aliis Ho-  
» stiis, ipsum cooperit alia Patena, vel Palla.

N O T Æ.

1 Celebrans detegit Pyxidem, seu aliud  
vas dextera, eamque ponit post medium cor-  
poralis inter locum Calicis, & tabellam Se-  
cretarum, sed antequam capiat Patenam  
cum Hostia prius detegit eandem Pyxidem,  
nec est necesse, ut eam celebrans eleve, quia  
esset ei incommodum. Ad eam ergo dirigat  
tantum suam intentionem. Facta autem ob-  
latio-

latione Hostiæ, antequam accipiat Calicem eandem ponit prope tabellam Secretarum in medio super Corporale. Si tamen non sint Hostiæ in magno numero, scilicet quinque, aut sex &c. poterunt poni super Corporale à parte Evangelii, è regione majoris Hostiæ, ab ea aliquantulum distantes.

## R U B. N. IV.

Deinde in cornu Epistolæ 1. accipit Calicem, Purificatorio extergit, & sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu ministri ( qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum celebrantis ) & ponit vinum in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis super ampullam aquæ, & dicit, *Deus qui humans substantia, & infundens parum 2. aquæ in Calice profertur, Da nobis per hujus aquæ, & vini mysterium, &c.* Si vero celebrat pro defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed imponit absque benedictione, dicens Orationem, ut supra.

## N O T Æ.

1. Celebrans faciat Cruci reverentiam antequam procedat ad cornu Epistolæ, ut accipiat vinum. Hic non jungit manus antequam benedicat aquam, quia nondum est data regula jungendi manus. Parum aquæ infundat in Calicem, eoque minùs quo vinum est debilius. Dum autem infundit vinum ( quod album debet esse, quantum fieri potest ) & aquam, teneat Calicem super Altare, & Purificatorium in sinistra manu.

2. Minister osculetur utramque ampullam, Gav. hic, teneatque easdem in parte inferiori, ita ut Sacerdos eas possit per manubrium capere, offeratque eas dextera, sed recipiat ampullam vini sinistra, & ampullam aquæ dextera. Si tamen possit commodè recipere ampullam dextera, eo melius, ponendo ampullam aquæ in pellicula, cum oculis earum, non manus celebrantis, & cum inclinatione ante, & post, nisi Sacerdos ex majoribus exigat genuflexionem, ut sunt Episcopi. Sacerdos ipse admoveat Calicem prope ampullas, ita ut guttæ non cadant super mappam altaris dum infunduntur in Calicem, & inclinet Calicem, dum vinum in eum infundit. Si guttæ vini, & aquæ dispersæ appareant intra Calicem circumactò vino uniantur, vel Purificatorio abstergantur,

quod est decentius, ne post consecrationem oriatur dubium, an sint consecratæ, & post absterfionem prædictam Patenana cooperiat purificatorio, & sic intelligenda videtur Rubrica Missalis supra.

## R U B. N. V.

Imposita aqua in Calice, & finita Oratione prædicta, 1. accipit dextera Calicem coopertum, & stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus elevatum tenens videlicet sinistra pedem, dextera autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis offert dicens, *Offerimus tibi Domine, qua Oratione dicta, facit signum Crucis cum Calice super corporale, 2. & ipsum in medio paulò post Hostiam collocat, & Pala cooperit. Deinde junctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinat, dicit secreto, In spiritu humilitatis, &c.* Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, & statim jungens ante pectus ( quod 3. semper facit quando est aliquid benedicturus ) dicit, *Veni sanctificator, &c.* cum dicit, *Et benedic*, signat 4. manu dextera communiter super Hostiam, & Calicem, sinistra posita super Altare.

## N O T Æ.

1. Imposita aqua in Calice, statim celebrans post extersionem illius, si necesse sit, ut supra, eum relinquit ibidem, & illum tantum accipit, cum pervenerit ad medium altaris, de cornu Epistolæ, tunc enim illum offert utraque manu, ut in Rubrica.

2. Celebrans ita teneat Calicem elevatum, ut ipsius cuppa non excedat oculos, neque infra os, ad differentiam consecrati calicis elevati: teneat ergo illum elevatum ante pectus.

3. Signum Crucis cum Calice fit ambabus manibus.

4. Ad formandas Cruces observa ea, quæ de modo formadi signum Crucis diximus supra.

Illa elevatio intelligitur de manibus tantum, non de oculis, qui post consecrationem sunt potius designandi in Hostiam consecratam: & item illa junctio manuum intelligitur, quando utraque manus est libera, nec altera earum est occupata, cum eam tenet, seu Calicem, quod accidit paulò ante eorum consecrationem; neque enim debet deponi Hostia, vel Calix in eo casu, ut manus jungantur ad benedictionem faciendam.

R U B. N. VI.

„ Tum junctis ante pectus manibus, acce-  
 „ dit ad cornu Epistolæ, ubi stans, ministro i  
 „ aquam fundente, lavat manus, idest extre-  
 „ mitates digitorum pollicis, & indicis, di-  
 „ cens Psalmum *Lavabo inter innocentes*  
 „ &c. cum *Gloria Patri*, 2. qui versus  
 „ *Gloria Patri*, prætermittitur in Missis 3.  
 „ Defunctorum, & in Missis de tempore à  
 „ Dominica de Passione, usque ad Sabba-  
 „ tum Sanctum exclusivè.

N O T Æ.

1 Celebrans faciat reverentiam Crucis in re-  
 cessu. Vide quæ de Ministro supra diximus.

2 Cùm Celebrans dicit versum *Gloria*  
*Patri*, caput inclinat ad Crucem, licèt sit in  
 cornu Epistolæ, vel in medio altaris. Ita  
 autem lentè prosequatur versus Psalmi *La-*  
*vabo*, ut eos cum absterfione finiat. Non  
 dicat autem prædictum versum *Gloria*, nisi  
 in cornu Epistolæ, aut in medio altaris, &  
 non in via.

3 In Missis Defunctorum non dicitur  
 versus *Requiem æternam*, quem tamen ali-  
 qui dicunt loco versus *Gloria Patri*.

R U B. N. VII.

„ Celebrans, lotis manibus, eas tergit, &  
 „ illis ante pectus junctis revertitur ad me-  
 „ dium Altaris, ubi stans, oculoque ad Deum  
 „ elevans, ac statim demittens, manibus jun-  
 „ ctis super altare, aliquantulum inclinatus,  
 „ dicit secretò Orationem *Suscipe Sancta*  
 „ *Trinitas*, &c. Qua dicta, manibus hinc in-  
 „ de extensis, & super altare positus, osculatur  
 „ illud in medio. Tum junctis ante pectus  
 „ manibus, demissisq; oculis ad terram, à  
 „ sinistra manu ad dexteram se vertit ad po-  
 „ pulum, & versus eum extendens, & jun-  
 „ gens manus, dicit voce aliquantulum ele-  
 „ vata *Orate fratres*, & secretò prosequens,  
 „ *ut meum, ac vestrum sacrificium*, &c. perfic-  
 „ cit circulum, revertens junctis manibus  
 „ ante pectus à manu dextera ad medium  
 „ altaris. Et responso à Ministro, vel circum-  
 „ stantibus 1. *Suscipiat Dominus sacrificium*,  
 „ *de manibus*, &c. alioquin per se ipsum, di-  
 „ cens, *de manibus meis*, &c. ipse Celebrans  
 „ submissa voce, dicit *Amen*, & manibus an-  
 „ te pectus extensis, ut fit ad Orationem,  
 „ stans in medio altaris versus librum, dicit  
 „ absolutè sine *Oremus*, & sine ulla interpo-  
 „ sitione Orationem, seu Orationes secre-

„ tas. Cùm dicit *Per Dominum* jungit ma-  
 „ nus. Cùm dicit *Jesum Christum* caput in-  
 „ clinat, quod facit in prima Oratione, &  
 „ in ultima, si plures sint dicendæ.

N O T Æ.

Dum Celebrans dicit *Orate fratres*, moru-  
 lam ante populum faciat. Paris Crassus lib. 2.  
 1 Minister non priùs incipiat *Suscipiat*,  
 quàm Sacerdos dixerit integrè *Orate fra-*  
*tres*, usque ad finem; neque Celebrans, di-  
 cat *Amen*, nisi postquam Minister finierit  
 totam Orationem *Suscipiat*, &c.

Celebrans dicat Orationes omnino in  
 medio Altaris, sed aliquantulum conver-  
 sus ad librum.

Conclusio primæ Orationis dicitur à Ce-  
 lebrante integrè, sicut in prima ante Epi-  
 stolam, & sibi respondet *Amen*, nec subjun-  
 git *Oremus*, sed absolutè alias Orationes  
 prosequitur, si dicendæ sint.

R U B. N. VIII.

Pervento autem in fine conclusionis Se-  
 „ cretæ ad verba illa *Per omnia sacula saculo-*  
 „ *rum*, exclusivè, Sacerdos stans in medio  
 „ altaris, depositisque super eo manibus hinc  
 „ inde extensis, dicit convenienti, & intelli-  
 „ gibili voce *Præfationem*. Cùm dicit *Sursum*  
 „ *corda*, elevat manus hinc inde extensas us-  
 „ que ad pectus, ita ut palma unius manus  
 „ respiciat alteram. Cùm dicit *Gratias aga-*  
 „ *mus Domino*, jungit manus. Cùm dicit *Deo*  
 „ *nostro*, oculos elevat, & statim caput incli-  
 „ nat. Responso *Dignum & justum est*, ele-  
 „ vatis, & extensis, ut priùs manibus, profe-  
 „ quitur *Præfationem* propriam, vel com-  
 „ munem, ut tempus requirit. Cùm dicit  
 „ *Sanctus*, junctis ante pectus manibus, &  
 „ inclinatus, 1. voce mediocri prosequitur  
 „ Ministro interim parvam campanulam  
 „ pulsante. Cùm dicit *Benedictus qui venit*,  
 „ erigit se, & signum Crucis sibi producit  
 „ à fronte ad pectus.

N O T Æ.

1 Minister Campanulam pulsat ter cum  
 aliqua distinctione, tum in laudem Dei ter  
 sancti, tum ad excitandos adstantium affe-  
 ctus ad proxima mysteria. Dum Celebrans  
 dicit *Sanctus*, nec pectus percutit, nec ma-  
 nus super altare ponit, sed jungit ante pe-  
 ctus. In fine *Benedictus*, Celebrans post si-  
 gnum Crucis jungit manus, sicut ad finem  
 Hymni Angelici.

Num. 10. & 11. sunt de Missa solemn.

## T I T. VIII.

De Canone Missæ usque ad Consecrationem.

R U B. N. I.

**F**inita Præfatione, ut supra, celebrans stans ante medium altaris, versus ad illud aliquantulum, elevat manus, oculisque elevatis ad Deum, & sine mora devotè demissis, ac manibus junctis, & super altare positis, profundè inclinatus, incipit Canonem 1. secretò dicens *Te igitur*, ut in ordine Missæ. Cùm dicit *Uti accpta habeas, & benedicas*: prius osculatur Altare in medio, deinde erigit se, & stat junctis manibus ante pectus. Cùm dicit *Hæc dona, † hæc munera † hæc sancta sacrificia*, † dextera manu signat ter super Hostiam, & Calicem. Deinde de extensis manibus ante pectus, profertur *In primis quæ tibi offerimus*.

N O T Æ.

I. Prima verba Canonis, scilicet *Te igitur* &c. debent proferri à celebrante statim ac elevat manus & oculos, non enim debet dari gestus sine voce, qui alioquin est inconcinnus, & indecens. Gav. hic. Celebrans jungat semper manus antequam signet impostherum Oblata, nisi manus sinistra sit occupata, ut supra.

R U B. N. II.

Ubi dicit *Unà cum famulo tuo Papa nostro* N. 1. exprimit nomen Papæ, Sede autem vacante prædicta verba omittuntur: ubi dicit, *Et Antistite nostro* 2. N. specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi Ordinarii in propria Diocesi, & non alterius Superioris, etiam si celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione. Si verò Episcopus ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, prædicta verba omittuntur, quæ etiam omittuntur ab iis, qui Romæ celebrant. Si celebrans est Episc. Archiepisc. vel Patriarcha, omisis prædictis verbis, eorum loco dicit, *Et me indigno servo tuo*. Summus autem Pontifex cum celebrat omisis verbis *Unà cum famulo tuo Papa nostro* N. & *antistite nostro* N. dicit *Unà Man. Sac. Carem,*

*cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti, & continuant omnes ut sequitur, Et omnibus orthodoxis, &c.*

N O T Æ.

1 Celebrans caput etiam suum inclinat ad nomen Papæ, quia in Rubrica superiori de Oratione, non est addita limitationis particula *Tantum*.

2 Episcopus est nominandus illius loci, quo Missa celebratur, non Ordinarius celebrantis, nisi in sua diocesi. Neque sunt tunc nominandi Generales Ordinum. Pro Rege etiam orandum, & est nominandus Rex vivens, ex consuetudine ubique recepta in toto regno.

In locis autem quæ nullius sunt diocesis, ut verbi gratia in Monasterio Cluniacensi, aut similibus, nullus nominatur Antistes, & ibidem omittuntur hæc verba, *Et Antistite nostro* N. Ita periti.

R U B. N. III.

Cùm dicit *Memento Domine famulorum,* 1. elevans, & jungens manus usque ad faciem, vel pectus, sic junctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum Christi fidelium, ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secretò commemoret, non tamen eorum memoriam habere. Potest etiam celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam proponere in animo omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in hac Missa orare intendit, & hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit.

N O T Æ.

1 Celebrans dum dicit *Memento*, non teneat manus junctas usque ad oculos, sed ante pectus, vel usque ad faciem capite inclinato, nō oculis elevatis ad Crucem, nec iisdem clavis, sed ad Hostiam defixis. De dirigenda intentione in commemorationem fidelium tam vivorum, quam mortuorum, vide Gav. p. 2. tit. 8. n. 3. & alios, qui piè de ea scripserunt.

R U B. N. IV.

Commemoratione vivorum facta, demissis, & extensis manibus, ut prius, continet, *Et omnium circumstantium, &c.*

K Simi-

„ Similiter stans prosequitur *Communica-*  
 „ *tes*. Cùm dicit *Jesu Christi* caput Cru-  
 „ ci inclinat. In conclusione quando dicit  
 „ *Per eundem* jungit manus. Cùm dicit  
 „ *Hanc igitur*, expandit manus simul super  
 „ Oblata, ita ut palmæ sint apertæ versus,  
 „ ac suprâ calicem, & Hostiam, quas sic  
 „ tenet usque ad illa verba *Per Christum*  
 „ *Dominum nostrum*, tunc enim jungit ma-  
 „ nus, & sic prosequitur *Quam i. oblatio-*  
 „ *nem tu Deus in omnibus quesumus*. Et cùm  
 „ dicit bene † dictam, ascri † ptam, ra † tam,  
 „ communiter signat ter 2. super Hostiam,  
 „ & calicem simul: deinde cùm dicit *Ut no-*  
 „ *bis Corpus*, separatim signat semel super  
 „ Hostiam tantum: & cùm dicit *Et sanguis*  
 „ semel super calicem tantum: deinde ele-  
 „ vans, ac jungens manus prosequitur *Fiat*  
 „ *dilectissimi filii tui Domini nostri Jesu*  
 „ *Christi*, & inclinans caput Cruci, extergit,  
 „ si opus fuerit, pollices, & indices super  
 „ corporale, & dicit secretò ut priùs, 3. *Qui*  
 „ *pridie quàm pateretur*, & accipiens pollice,  
 „ ac indice dextræ manus Hostiam, & eam  
 „ cum illis, ac pollice, & indice sinistra ma-  
 „ nus tenens, stans erectus ante medium  
 „ Altaris dicit *Accipit panem in sanctas*,  
 „ *ac venerabiles manus suas*, elevansque ad  
 „ Deum oculos, ac statim demittens, dicit  
 „ *Et elevatis oculis ad te Deum Patrem*  
 „ *suum omnipotentem*, caputque aliquantu-  
 „ lum inclinans dicit *Tibi gratias agens*, &  
 „ tenens Hostiam inter pollicem, & indi-  
 „ cem sinistra manus, dextera producit si-  
 „ gnatum Crucis super eam dicens *Bene † di-*  
 „ *xit, fregit, deditque discipulis suis, dicens*  
 „ *Accipite, & manducate ex hoc omnes, &c.*

## N O T Æ.

1 Celebrans teneat manus apertas, & ex-  
 pandas super Oblata, pollice dextro adhuc  
 super sinistram in modum Crucis posito, ut  
 notat Alcozer in suo Caremoniali, ita tamen  
 ut pollices sint super alios digitos, ut ante.  
 Gavantus hic in ultima editione Romana.

2. Illæ quinque Cruces fiunt continuatè,  
 non interruptè tres, & post brevem moru-  
 lam aliæ duæ, neque interrumpuntur junctio-  
 nem manuum, aut alia ratione ad ea verba *Ac-*  
*ceptabitemque, &c.* dispensando verba appositè.

3. Caremonix externæ in hac actione  
 rectè appositæ sunt, & consentiunt cum sin-  
 gulis verbis, *Qui pridie, &c.* Tenens Ho-

stiam consecrandam manu, seu calicem  
 etiam consecrandum, caveat celebrans ne  
 pectus percuciat, neque Hostiam consecran-  
 dam elever, sed eam teneat ante consecra-  
 tionem, ambabus scilicet manibus inter in-  
 dices, & pollices, non quasi jacentem, sed  
 erectam super corporale, neque à Populo  
 videatur. Dum Celebrans dicit *Accipit pa-*  
*nem*, Hostiam capiat dextera, itaut prius  
 indice sinistra manus oram ipsius ali-  
 quantulum premat super corporale, ut fa-  
 cilè eam ipsam Hostiam dextera capere  
 valeat, & dum dicit *In sanctas, ac venerabi-*  
*les, &c.* eam accipit etiam sinistra, eamque  
 paululum elevatam à corporali, erectam  
 non quasi jacentem teneat.

## R U B. N. P.

„ Si adsit vas cum Hostiis consecrandis,  
 „ antequam accipiat Hostiam, discoope-  
 „ rit dextera calicem, seu vas aliarum  
 „ Hostiarum. Cùm autem 1. finierit su-  
 „ prædicta verba, cubitis super altare po-  
 „ sitis, stans capite inclinato, distinctè  
 „ reverenter, 2. & secretò profert verba  
 „ consecrationis super Hostiam, & simul  
 „ super omnes, si plures sint, consecran-  
 „ dæ, & Hostiam suam pollicibus, & indi-  
 „ cibus tantum tenens, dicit *Hoc est enim*  
 „ *corpus meum*. Quibus prolatis celebrans  
 „ tenens Hostiam inter pollices, & indi-  
 „ ces prædictos super altare, reliquis digi-  
 „ tis manuum extensis, & simul junctis  
 „ (& Hostiis, si plures sint consecratæ, in  
 „ loco in quo à principio positæ sunt, super  
 „ corporale, aut in alio vase, aut calice  
 „ demissis) 3. genuflexus eam adorat. Tunc  
 „ se erigens, quantum commodè potest ele-  
 „ vat 4. in altum Hostiam, & intentis in  
 „ eam oculis 5. (quod & in elevatione Ca-  
 „ liciis facit) 6. populo reverenter ostendit  
 „ adorandam, & mox sola manu dextera  
 „ reverenter ipsam reponit super corporale  
 „ in eodem loco unde eam levavit, & dein-  
 „ cept pollices, & indices non disjungit,  
 „ nisi quando Hostiam consecratam tangere,  
 „ aut tractare debet, usque ad ablationem  
 „ digitorum post Communionem.

## N O T Æ.

1 Si Celebrans Pyxidem collocaverit re-  
 trò post Calicem, retrahat eam, antequam  
 capiat Hostiam ante consecrationem, ad  
 latus ipsius Calicis, versùs partem Episto-  
 læ,

læ, ut super ipsas Hostias propius verba consecrationis proferat.

2 In utraque consecratione semper inclinet se, & non tantum caput, ut supra diximus, licet ibi præcipiatur inclinatio sola capitis.

3 Proferens verba consecrationis, caveat ne afflet, nec barba, vel ore contingat Hostiam, vel Calicem, neque in eundem barbam immittat, neque moveat caput ad singula verba consecrationis, ut faciunt multi, nec signet cum eo Hostiam, neque eam, aut Calicem post utriusque consecrationem osculetur: neque verba consecrationis proferat magno conatu, & aspiratione, sed unico contextu, & nulla interposita mora inter singula verba, eaque ita secreto proferat, ut à nemine audiatur, pares retineat pedes in consecratione super suppedaneum altaris, dextro ultra sinistrum reverentiæ causa nullatenus remoto, aut reflexo.

4 Celebrans adorat Hostiam unico genu, cubitis extra altare positis, & manibus tenentibus Hostiam super corporale positis, ut commodè genuflectat usque ad terram. Unde potest eam parum appropinquare ad oram altaris super corporale, ut commodius genuflectat. Videat etiam, ut Hostia dum elevatur, videri, & ab omnibus adorari possit.

5 Celebrans non diu elevatam Hostiam teneat, & in elevatione digitos extensos jungat, sicut & imas partes manuum, ut solidius, & decentius eam elevet, neque eas dividat, nisi quando reponit Hostiam. Elevata Hostia, Celebrans eam adoret antequam detegat Calicem, & in elevatione ejusdem, caveat ne manipulos eam tangat. Nicolaus de Plove hoc loco monet, ne in consecratione ita elevetur Hostia, ut videatur, ne tunc nondum consecrata, adoretur.

6 Celebrans Hostiam perpendiculariter elevat, id est recta linea, non super calicem, aut caput, sursum de suo loco. Idem dicendum de Calice, ita ut celebrans non illum transferat de loco suo ante Hostiam, non elevet nimis lentè, aut nimis propteranter.

## R U B. N. VI.

Reposita Hostia consecrata super corporale, genuflexus ipsam veneratur. Si adfit vas aliarum Hostiarum, Patena, vel palla cooperit ut supra. Interim dum celebrans elevat Hostiam, accenso prius intorticio,

(quod non exlinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa) minister manu sinistra elevat fimbrias 1. posteriores Planetæ, ne ipsum Celebrantem impediatur in elevatione brachiorum, quod & facit in elevatione Calicis: & 2. manu dextera pulsat campanulam ter ad unamquamque elevationem, vel continuitatè, quousque Sacerdos deponat Hostiam super corporale, & similiter postmodum ad elevationem calicis.

## N O T Æ.

1. Minister elevat partem inferiorem Planetæ tantillum, & tenet eam per medium infimæ oræ, quam deponendo non osculatur.

2. Pulsat ter campanulam potius quam continuitatè, scilicet primò quando celebrans adorat, secundò quando elevat, tertio quando deponit Hostiam, vel Calicem; & hic ritus est laudabilior, quia prior est in Rubrica.

## R U B. N. VII.

Celebrans adorato Sacramento surgit, & discooperit Calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos, quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat: & stans erectus, dicit *Simili modo postquam cœnatum est*, & ambabus manibus accipiens calicem juxta nodum infra cuppam, aliquantulum elevans, ac statim deponens dicit *Accipiens & hunc præclarum Calicem, &c.* cum dicit *Item tibi gratias agens*, caput inclinat: cum dicit *Benedixit*, sinistra Calicem infra cuppam tenens, dextera signat super eum, & prosequens, *Deditque discipulis suis, &c.* ambabus manibus tenet Calicem, videlicet sinistra pedem, dextera nodum infra cuppam, cubitis super altare positis, & capite inclinato, profert attentè, continuè, & secreto, ut supra, verba consecrationis Sanguinis, *Hic est enim &c.* Quibus dictis, reponit Calicem super corporale, 2. & dicens secreto, *Hæc quotiescumque feceritis &c.* genuflexus Sanguinem reverenter adorat. Tum se erigit, & accipiens calicem discooperit cum Sanguine, ambabus manibus, ut prius, elevat eum, & erectum quantum commodè potest ostendit populo adorandum: mox ipsum reverenter

148 Tit. IX. De Canone post Consecrationem, &c.

ter reponit super corporale in locum pri-  
stinum, & manu dextera Palla cooperit,  
ac genuflexus Sacramentum veneratur.

N O T Æ.

1 Celebrans erectus à genuflexione post adoratam Hostiam statim Calicem discooperit, & extergit digitos si opus sit, interim nihil dicens, & iis extensis dicit *simili modo* &c. eodem tempore quo Calicem capit, dextera benedicit Calicem, sinistra tenens nodum ipsius.

2 Antequam celebrans elevet Calicem proferat hæc verba, *Hæc quotiescumque* &c. ex Missali recognito, genuflectendo, contra eos qui ea proferunt verba dum Calicem elevat.

T I T. IX.

De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam.

R U B. N. I.

**R**eposito Calice, & adorato Sacramento, Sacerdos stans ante altare 1. extensis manibus ante pectus, dicit secretò, *Unde & memores* &c. Cum dicit *De tuis donis, ac datis*, jungit manus ante pectus, & cum dicit *Hostiam* † puram, *Hostiam* † sanctam, *Hostiam* † immaculatam, manu 2. sinistra posita intra corporale, dextera signat ter communiter super Hostiam, & Calicem, & semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem tantum, dicens *Panem* † sanctum *vita æterna*, & *Calicem* † salutis perpetua. Deinde stans ut prius extensis manibus prosequitur, *Supra qua* propitio. Cum dicit *Supplices te rogamus*, inclinat se ante medium altaris, manibus junctis super illo positis. Cum dicit *Ex hac altaris participatione*, osculatur altare manibus hinc inde super corporale positis. Cum dicit *Sacrosanctum Filii tui* &c. jungit manus, & dextera signans semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem, sinistra super corporale posita, dicit *Corpus* † & *Sanguinem* † *sumpsimus*, & cum dicit *Omni benedictione cœlesti*, seipsum signat à fronte ad pectus, sinistra infra pectus posita, & prosequitur, *Et gratia repleamur*. Et certè convenit ut semper celebrans extergat digitos in Calicem,

postquam Hostiam sacram tetigit. Cum dicit *Per Christum*, jungit manus.

N O T Æ.

1 Extensio manuum celebrantis dicitur, *Unde & memores* &c. non fit in modum Crucis more multorum, sed modo ordinario, ut supra.

2 Celebrans deinceps manum sinistram super corporale ponit quando est aliquid benedicturus, & ambas manus quando genuflectere debet.

3 Manuum junctio etiam deinceps non fit pollice dextro super sinistrum posito, sed junctis pollicibus, & indicibus inter se, & parvis digitis frontem altaris tangentibus, quando se inclinat, quod in sequentibus observandum, itaut celebrans non teneat manus totaliter super corporale.

R U B. N. II.

Cum dicit, *Memento etiam Domine famularum famularumque* 1. *ruarum*, &c. extensis, & junctis manibus ante pectus, & ut que ad faciem elevatis, & intentis oculis ad Sacramentum super altare, facit commemorationem fidelium defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo, ut dictum est de commemoratione vivorum. Qua commemoratione facta, stans ut prius extensis manibus prosequitur, *Ipsis Domine*, & *omnibus in Christo* &c. & in fine 2. ad *Per eundem* jungit manus, & caput inclinat.

N O T Æ.

Bis hoc loco junguntur manus, primò dum dicitur *Per eundem*, & iterum ad *Memento* post illa verba, *somno pacis*, post quæ pausa fit, & non antè.

2 Celebrans caput inclinat, dicens, *Per eundem Christum*, & non alibi in tota Missa ad eadem verba, fortè quia celebrans statim est dicturus, *Nobis quoque peccatoribus*, quæ sunt verba humiliantis se.

R U B. N. III.

Cum dicit *Nobis quoque peccatoribus*, vocem aliquantulum elevat, & dextera manu pectus sibi percutit, sinistra posita super corporale, & prosequitur secretò *Famulis tuis*, &c. stans manibus extensis, ut prius. Cum dicit *Per Christum Dominum nostrum*, per quem hæc omnia Domine semper bona creas, &c. jungit manus ante pectus. Deinde manu dextera ter signans communiter super Hostiam, & Cali-

Calicem dicit, *Sancti ✠ ficas, vivi ✠ ficas,*  
*bene ✠ dicis, & præstas nobis:* postea discoo-  
 perit manu dextera Calicem, & genuflexus  
 Sacramentum adorat. Tum se erigit,  
 & reverenter accipit Hostiam inter pol-  
 licem, & indicem dextræ manus, & cum  
 ea super Calicem, quem manu sinistra tenet  
 circa nodum infra cuppam, signat ter à  
 labio ad labium dicens, *Per ✠ ipsum, &*  
*cum ✠ ipso, & in ✠ ipso,* & similiter cum  
 Hostia signat bis inter Calicem, & pectus  
 incipiens à labio Calicis, & dicit, *Est tibi*  
*Deo Patri ✠ omnipotenti, in unitate Spiritus*  
*✠ Sancti.* Deinde tenens manu dextra Ho-  
 stiam super Calicem, sinistra Calicem, ele-  
 vat eum aliquantulum simul cum Hostia  
 dicens, *Omnis honor, & gloria,* & statim  
 utramque deponens, Hostiam collocat su-  
 per corporale, & si opus est, digitos ex-  
 vergit, ut supra, & pollices, & indices,  
 ut prius, jungens, Calicem palla coope-  
 rit, & genuflexus Sacramentum adorat.

## N O T Æ.

1 Percussio pectoris fit tantum tribus  
 digitis superioribus, nec pollex, & index  
 tangant Planetam: ita ad *Agnus Dei,* &  
*Domine non sum dignus.*

2 Celebrans ter signat communiter à la-  
 bio ad labium Calicis æqualiter, & duæ se-  
 quentes Cruces quæ fiunt inter calicem, &  
 pectus, sunt æquales, ita ut superior pars  
 Hostiæ in utraque Cruce non excedat Ca-  
 licis altitudinem, neque tangat prorsus in  
 aliis tribus labia calicis, scilicet dum dicit  
*Per ipsum, & cum ipso &c.*

3 In formatione Crucis cum Hostia id in-  
 super notetur, primò, ut non omnino à parte  
 inferiori Hostia sumatur, sed aliquantulum  
 infra medium oræ ipsius, ut recta linea sine  
 ulla prorsus ejusdem inclinatione à labio ad  
 labium super calicem, prius signum Crucis  
 cum ea efformari possit. 2. Ut dum fiunt Cru-  
 ces inter calicem, & pectus, celebrans parum  
 brachium sinistrum incurvet, ne formando  
 prædictas Cruces Hostiam super brachium  
 ipsum pertransire faciat. 3. Ut Hostia super  
 Calicem retenta, non ultra quatuor digitos  
 idem Calix elevetur à corporali. Denique,  
 ut nulla genuflexio, vel aliud reverentiæ si-  
 gnum fiat, dictæque Hostia populo adoranda  
 non monstretur, nec inclinata, sed recta etiam  
 teneatur dum fiunt duæ ultimæ Cruces,

*Man. Sac. Carem.*

neve in gyrum ducatur, dum ea Cruces  
 formantur.

## T I T U L U S X.

*De Oratione Dominica, & aliis usque*  
*ad Communionem.*

## R U B. N. I.

CElebrans, cooperto calice, adorato-  
 que Sacramento, erigit se, & ma-  
 nus extensis hinc inde super Altare, intrâ  
 corporale positus, dicit intelligibili voce  
*Per omnia secula seculorum.* Et cum dicit  
*Oremus,* jungit manus, Sacramento incli-  
 nans. Cum incipit *Pater noster,* extendit  
 manus, & stans, oculis ad Sacramentum  
 intentis, prosequitur usque ad finem.  
 Responso à Ministro *Sed libera nos à malo,*  
 & à celebrante submissa voce *Amen,* ma-  
 nu dextera, pollice, & indice non disjun-  
 ctis, Patenam aliquantulum purificatorio  
 extergens, eam accipit inter indicem, &  
 medium digitos, quam tenens super alta-  
 re erectam, sinistra super corporale po-  
 sita, dicit secretò *Libera nos quaesumus.*

## N O T Æ.

1 Dum celebrans dicit *Oremus* caput in-  
 clinat, sed statim, cum dicit *Præceptis salu-  
 taribus,* illud erigit, manibus junctis ante  
 pectus, quas deinde extendit ad *Pater no-  
 ster,* usque ad finem.

2 Celebrans non dicit secretò *Sed libera  
 nos à malo,* sed minister, nec Celebrans au-  
 ferat Patenam, quæ est subtus corporale  
 quin prius dixerit *Amen.*

## R U B. N. II.

Antequam Celebrans dicat *Da propitius*  
*pacem,* elevat manu dextera Patenam de  
 altari r. & seipsum cum ea signat à fronte  
 ad pectus, dicens *Da propitius pacem in die-  
 bus nostris.* Cum signat se, manum sini-  
 stram ponit infra pectus, deinde Patenam  
 ipsam osculatur, & prosequens, *ut ope mi-  
 sericordia tua &c.* submittit Patenam Ho-  
 stiæ, quam indice sinistro accommodat  
 super Patenam, discooperit calicem, &  
 genuflexus Sacramentum adorat: tunc se  
 erigens accipit Hostiam inter indicem,  
 & pollicem dextræ manus, & cum illis, ac  
 pollice, & indice sinistræ manus, eam su-  
 per calicem tenens reverenter frangit per



„ medium dicens, *Per 2. eundem Dominum*  
 „ *nostrum Jesum Christum Filium tuum*, &  
 „ mediam partem, quam inter pollicem, &  
 „ medium digitum dextræ manus tenet  
 „ ponit super Patenam; de alia media, quam  
 „ sinistra manu tenet, frangit cum pollice,  
 „ & indice dextræ manus particulam, pro-  
 „ sequens 3. *Qui tecum vivit, & regnat*, &  
 „ eam inter ipsos dextræ manus pollicem, &  
 „ indicem retinens, partem majorem quam  
 „ sinistra tenet, adjungit mediæ super Pa-  
 „ tenam positæ, & interim dicens *In unitate*  
 „ *Spiritus sancti Deus*, & particulam Hostiæ  
 „ quam in dextera manu retinuit tenens su-  
 „ per Calicem, quem in sinistra per nodum  
 „ infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit  
 „ *Per omnia secula seculorum*, Resp. *Amen*, &  
 „ cum ipsa particula signans ter à labio ad  
 „ labium Calicis 4. dicit *Pax Domini sit sem-*  
 „ *per vobiscum*. Responso per ministrum *Et*  
 „ *cum spiritu tuo*, particulam, quam dextra  
 „ manu tenet, immittit in Calicem, dicens  
 „ secretò *Hæc commixtio, & Consecratio Corpor-*  
 „ *is, &c.* Deinde pollices, & indices super  
 „ Calicem aliquantulum tergit, & jungit,  
 „ Calicem cooperit, & genuflexus Sacra-  
 „ mentum adorat, surgit, & stans junctis ma-  
 „ nibus ante pectus, capite inclinato dicit  
 „ intelligibili voce *Agnus Dei qui tollit pecca-*  
 „ *ta mundi*, & dextera percussit sibi pectus,  
 „ sinistra super corporale posita, dicit *Mise-*  
 „ *rerere nobis*, & deinde non jungit manus, sed  
 „ iterum percutit sibi pectus, cum dicit se-  
 „ cundò *Miserere nobis*, quod & tertio facit  
 „ cum dicit *Dona nobis pacem*.

## N O T Æ.

1. Celebrans Patenam elevatam tenet, itaut  
 tamen tangat mappam altaris extra corpo-  
 rale, & manus dextera illius non adhæreat  
 mappæ, sed sit elevata desuper patenam. Si-  
 nistra non est adhibenda ad abstergendam  
 patenam, nec abstergenda antequam Cele-  
 brans dicat *Amen*, sed post; nec eam debet  
 iterum extergere Celebrans postquam eam  
 osculatus fuerit; accipiat autem idem cele-  
 brans purificatorium per extremitatem illius,  
 quæ est versus candelabra altaris. Se signare  
 debet cum ea dum dicit, *Cum beatis Apostolis*  
*tuis, &c.* itaut dicens, *Da propitius pacem*, il-  
 lam osculetur in parte superiori, & interiori.  
 Hostiæ pars superior ponenda videtur paulu-  
 lum extra orbem concavum Patenæ versus

oram superiorem, ita ut accipi possit postea à  
 celebrante commodè.

2. Celebrans frangit Hostiam incipiens  
 à superiori parte illius, sicut signum Crucis  
 incipit fieri ab eadem parte superiori.

3. Particula Hostiæ quæ immittitur in  
 Calicem præcidenda est à parte inferiori  
 ipsius, Gav. p. 2. tit. 10. nu. 2. Videtur decen-  
 tius, ut celebrans non excutiat digitos super  
 Calicem, nisi priùs dixerit totam Oratio-  
 nem, *Hæc commixtio*, quibus excussis, Cali-  
 cem tegit, & genuflexit.

4. Cruces super Calicem cum particula  
 Hostiæ fiunt à labio ad labium Calicis sine  
 tactu illius.

5. In Ecclesia Lateranensi non dicitur,  
*Dona nobis pacem*, sed tantum *Miserere nobis*.

## R U B. N. III.

„ Tunc manibus junctis super altare posi-  
 „ tis, oculisque ad Sacramentum intentis,  
 „ inclinatus dicit secretò *Domine Jesu Chri-*  
 „ *ste*. Qua Oratione finita, si daturus est pa-  
 „ cem, osculatur altare in medio, & instru-  
 „ mentum pacis ei porrectum 1. à Ministro  
 „ juxta eum ad dexteram, hoc est in cornu  
 „ Epistolæ genuflexo, & dicit *Pax tecum*,  
 „ minister respondet, *Et cum spiritu tuo*. Si  
 „ non adsit qui hujusmodi instrumento pa-  
 „ cem recipiat à celebrante, pax non datur  
 „ etiam si illius datio Missæ 2. conveniat.  
 „ nec osculatur altare, sed dicta præmissa  
 „ Oratione, statim subjungit alias Oratio-  
 „ nes, ut in Ordinario Missæ.

## N O T Æ.

1. Minister daturus pacem servet quæ di-  
 ximus cap. de modo ministrandi Missæ.

2. Non datur pax regulariter, nisi Præla-  
 tis, aut Magnatibus in Missis privatis.

## R U B. N. IV.

„ Si verò celebret pro defunctis, non per-  
 „ cutit pectus ad *Agnus Dei*, quia dicit *Do-*  
 „ *na eis requiem*, nec dicit primam Oratio-  
 „ nem, *Domine Jesu Christe qui dixisti Apo-*  
 „ *stolis tuis, &c.* non dat pacem, sed dicit  
 „ duas alias sequentes Orationes, *Domine*  
 „ *Jesu Christe fili Dei vivi*, & *Perceptio cor-*  
 „ *poris tui, &c.* quibus orationibus dictis 1.  
 „ genuflexus Sacramentum adorat, & se  
 „ erigens dicit secretò *Panem cælestem acci-*  
 „ *piam*, quo dicto dextera manu accipit re-  
 „ verenter ambas partes Hostiæ & collocat  
 „ inter pollicem & indicem sinistræ manus,  
 „ qui-

quibus patenam inter indicem, & medium  
 digitos supponit, & eadem manu sinistra  
 tenens partes hujusmodi super patenam  
 inter pectus, & Calicem, parum inclina-  
 tus, dextera tribus vicibus percutit pectus  
 suum, interim etiam tribus vicibus dicens  
 voce aliquantulum elevata 2. *Domine non  
 sum dignus*, & secretò prosequitur, *ut in-  
 tres, &c.* Quibus tertio dictis, ex sinistra  
 accipit ambas partes prædictas Hostiæ in-  
 ter pollicem, & indicem dextræ manus, &  
 cum illa supra Patenam signat seipsum si-  
 gno Crucis, ita tamen, ut Hostia non egre-  
 diatur limites Patenæ dicens, *Corpus Domi-  
 ni nostri Jesu Christi custodiat animam meam  
 in vitam æternam, Amen*, & se inclinans  
 cubitis super altare positus, reverenter eaf-  
 dem ambas partes sumit, quibus sumptis,  
 deponit patenam super corporale, & eri-  
 gens se, junctis pollicibus, & indicibus,  
 ambas quoque manus ante faciem jungit,  
 & aliquantulum quiescit in meditatione  
 SS. Sacramenti: deinde depositis manibus  
 dicit secretò, *Quid retribuam Domino pro  
 omnibus quæ retribuit mihi? & interim dis-  
 cooperit Calicem, genuflectit, surgit, acci-  
 pit Patenam, inspicit Corporale, colligit  
 fragmenta cum Patena, si quæ sint in eo,  
 Patenam quoque cum pollice, & indice  
 dextræ manus super Calicem extergit,  
 & ipsos digitos, ne quid fragmentorum  
 in eis remaneat.*

## N O T Æ.

1 Orationibus dictis celebrans genuflectit  
 tunc cum maxima humilitate, & reverentia.  
 Sacerdos advertat, ut non jungat ambas par-  
 tes Hostiæ, ita ut una tota sit super aliam:  
 quantum fieri potest, illa, quæ est à parte fini-  
 fra celebrantis, sit tantillum super aliam,  
 adè ut semper ambæ efficiant figuram ro-  
 tundam.

2 Celebrans dicens *Domine non sum dignus*,  
 nullatenus genuflectat, nec pedem incurvet,  
 neque brachium, aut cubitum super altare  
 sustineat, neque teneat Hostiam elevatam ad  
 latus, ut à populo videatur & adoretur, ne-  
 que corpus intorqueat, sed parum inclinatus  
 maneat, tenens Patenam cum Hostia desuper  
 tribus, aut quatuor digitis elevatam à Cor-  
 porali, ita ut celebrans non tangat Corpora-  
 le: tum cubitis super altare positus, tribus  
 posterioribus digitis sinistra manus disposi-

tis sub patena in medio altaris communicet.

3. Si fragmentum aliquod minus adhæreat  
 digito, ita ut difficile amoveri possit, digito  
 alio firmiter abstergat digitum illum in Cali-  
 cem, diligenterque inspicat oram Patenæ,  
 ne minimum fragmentum ipsi adhæreat. Cele-  
 brans se signans cum Hostia, non moveat  
 Patenam, sed Hostiam tantum. Si item cele-  
 brans cogatur remove Calicem, ut inspi-  
 ciat, an sint aliqua fragmenta super Corpora-  
 le, illum removeat, statim ac illum discoope-  
 ruit, & postea genuflectat, & cætera peragat  
 quæ in Rubrica, ne bis cogatur genuflecte-  
 re, quod certè illi faciendum esset.

## R U B. N. V.

Si verò adsint Hostiæ consecratæ super  
 Corporale positæ, pro alio tempore con-  
 servandæ, facta prius genuflexione, re-  
 ponit eas in vase ad hoc ordinato, 1. &  
 diligenter advertit, ne aliquod fragmen-  
 tum quantumcumque minimum rema-  
 neat super Corporale; quod si fuerit, ac-  
 curatè reponit in Calicem. Post extersio-  
 nem Patenæ, junctis pollicibus, & indi-  
 cibus, Calicem dextera manu infra no-  
 dum cuppæ 2. accipit, & sinistra Pate-  
 nam, dicens *Calicem salutaris, &c.* & si-  
 gnat se signo Crucis cum Calice dicens  
*Sanguis Domini nostri Jesu Christi, &c.* &  
 manu sinistra supponens patenam Calici,  
 stans reverenter sumit totum Sanguinem  
 cum particula in Calice posita. Quibus  
 sumptis, dicit secretò *Quod ore sumpsimus,*  
*&c.* & super altare porrigit Calicem 3.  
 Ministro in cornu Epistolæ, quo vinum  
 fundente se purificat: deinde vino & aqua  
 abluit pollices & indices 5. super Cali-  
 cem, quos abstergit purificatorio, interim  
 dicens, *Corpus tuum Domine quod sumpsisti,*  
*&c.* 6. ablutionem sumit, & extergit os,  
 & Calicem purificatorio, quo factò puri-  
 ficatorium extendit super Calicem, &  
 desuper Patenam, ac super Patenam par-  
 vam Pallam, & plicato Corporali, quod  
 reponit in bursam, cooperit Calicem ve-  
 lo, & bursam desuper ponit, & 7. collocat  
 in medio altaris, ut in principio Missæ.

## N O T Æ.

1 Infuso vino in Calice pro Purificatio-  
 ne, celebrans circumvolvendo Calicem eas  
 partes vino abluat, quas sacrosanctus Sanguis  
 attingit, nec alias orationes dicat præ-

ter eas quæ in Missali præcipiuntur . Hostiæ quæ in Pyxide asservantur , mutandæ sunt de septimo in septimum diem ex Synodo Turon. 4. c. 4. vel saltem singulis quindeniiis .

2 Celebrans dextera tantum movere debet Calicem , sinistra Patenam tenens , quam non supponit Calici , sed eam tenet super altare , ante pectus tamen , dum se signat cum eo . Reverenter autem sumit totum sanguinem , Calicem ter ori admovens , ut ait Durandus , quia est modus usitator , nec labia Calicis , nec sua , nec ipsos digitos lambat , ut ineptè quidam . Teneat celebrans Calicem super altare ad cornu Epistolæ , dum ei porrigitur vinum ad purificationem , & ablutio- nem , non autem extra ipsum , nisi fortè mi- nister sit nimis exiguæ staturæ .

3 Vide quæ de ministro circa hæc di- cuntur .

4 Pro purificatione tantum infundatur vini in calicem , quantum pro consecratione fuit infusum , aliòquin sacerdos illud circumagat intra calicem , ut absumentur omnes species . Dum celebrans se purificat adhuc tenet Patenam sub calice , sicut dum sanguinem sumit : sumpta purificatione ce- lebrans : facta Cruci reverentia , aliquantulum procedit versùs cornu Epistolæ , & super altare , non extra , quantum fieri potest , super calicem pollices , & indices tenens , vino , & aqua abluit , cavens ne labia cali- cis , & os digitis expurget ; sed in medium revertis , facta iterum reverentia , purifi- catorius digitos abstergens dicit *Corpus tuum Domine , &c.* supponens calici purificato- rium , ablutio- nem sumit .

5 Sumantur autem purificatio , & ablu- tio per eandem partem calicis , per quam Sanguis Christi haustus est . Pius V. in Epi- stola ad Archiepiscopum Tarrac. 8. Jan. 1571 Pro purificatione verò calix bis tan- tum admoveatur ori , non ultra . Gavantus . Abstemius non se purificet sine vino inconsulto Papa .

6 Celebrans curet , ne dum manus tergit , corporale , aut mappam altaris maculet ca- dente gutta . Idè deponat calicem statim post ablutio- nem digitorum extra corporale propè purificatorium , & tunc illud acci- piat , eoque digitos extergat : Ablutione au- tem sumpta calicem collocet versùs cornu Epistolæ , ut commodius bursam accipiat ,

quæ est in cornu Evangelii , si modo liber Mis- salis nondum delatus sit ad cornu Epistolæ .

7 Calix post ablutio- nem tegatur omnino in parte anteriori , ut initio Missæ . Gavantus , & alii : & pars aperta bursæ respiciat cele- brantem . At si velum sit brevius debet saltem operire partem anteriorem , & pars pretiosior veli , si quæ sit , versùs celebrantem ponatur .

R U B. N. VI.

„ Si qui sint 1. communicandi in Missa ,  
 „ Sacerdos post sumptionem Sanguinis , an-  
 „ tequam se purificet , facta genuflexione ,  
 „ ponat particulas consecratas in Pyxide ,  
 „ vel si pauci sint communicandi , super Pa-  
 „ tenam nisi à principio positæ fuerint in  
 „ Pyxide , seu alio calice . Interim Mini-  
 „ ster ante eos extendit linteum , seu velum  
 „ album , & pro eis facit Confessionem di-  
 „ cens *Confiteor Deo , &c.* Tunc Sacerdos  
 „ iterum genuflectit , & manibus junctis  
 „ vertens se ad populum dicit , *Miserereatur*  
 „ *vestri , 2. & Indulgentiam , absolutionem , &*  
 „ *remissionem peccatorum vestrorum , &c.* &  
 „ manu dextra facit signum Crucis super  
 „ eos . Postea genuflectens accipit manu si-  
 „ nistra Pyxidem , seu Patenam cum Sa-  
 „ cramento ; dextera verò sumit unam par-  
 „ ticulam , quam inter pollicem , & indi-  
 „ cem tenet , aliquantum elevatam super  
 „ Pyxidem , 3. seu Patenam , & conversus  
 „ ad communicandos in medio altaris , di-  
 „ cit : *Ecce Agnus Dei , ecco qui tollit peccata*  
 „ *mundi .* Deinde dicit : *Domine non sum di-*  
 „ *gnus ut intres sub tectum meum , sed tan-*  
 „ *tum dic verbo , & sanabitur anima mea .*  
 „ Quibus verbis tertio repetitis , accedit ad  
 „ eorum dexteram , hoc est ad latus Epi-  
 „ stolæ , & unicuique porrigit Sacramen-  
 „ tum , faciens cum eo signum Crucis su-  
 „ per Pyxidem , vel Patenam , & simul  
 „ dicens , *Corpus Domini nostri Jesu Christi ,*  
 „ *custodiat animam tuam in vitam æternam .*  
 „ *Amen .* Omnibus communicatis re-  
 „ vertitur ad altare , nihil dicens , & non  
 „ dat illis benedictionem , 4. quia illam  
 „ daturus est in fine Missæ . Si particule po-  
 „ sitæ erant super corporale , extergit illud  
 „ cum patena ; & si qua fuerint in eo frag-  
 „ menta , in calicem immittit . Deinde  
 „ dicit secretò , *Quod ore sumpsimus , Domi-*  
 „ *ne &c.* & se purificat dicens , *Corpus tuum*  
 „ *Domine quod sumpsisti , & alia facit ut su-*  
 „ *prà .*

præ. Minister dextera manu tenens vas  
cum vino, & aqua, sinistra verò mappu-  
lam, aliquantò post Sacerdotem eis por-  
rigit purificationem, & mappulam ad os  
abstergendum. 5

## N O T Æ.

1. Hoc loco regulariter facienda est Communionio, sed nunc differtur ad finem Missæ, quod tolerandum videtur si multi communicent, non verò si pauci. Celebrans autem statim Calicem palla tegit, antequam alios communicet, & antequam vinum infundatur in Calice pro purificatione, cum genuflexione ante, & post, servans in his ea, quæ in Rub. præscribuntur. De hac Communionio habetur infra caput particulare. Minister extendit linteum ante communicandos antequam faciat confessionem, & illud postea recipit, & plicatum reponit loco suo, reportato prius Missali ad cornu Epistolæ, ne nimis expectet Celebrans, nec incipiat confessionem nisi post sumptionem Sanguinis à Celebrante.

2. Quilibet Sacerdos potest præbere communionem in Missa, nisi ipso die Paschatis. Nav.c. 21. n. 5. 2. & Gav. ex Conc. Trid. Celebrans dicit *Misereatur vestri*, etiam si unicus sit tantum communicandus, tenetque particulam duobus digitis aliquantulum elevatam super Patenam, vel Pyxidem, ita tamen, ut dextera manus adhæreat Patenæ, seu Pyxidi, dicitque *Domine non sum dignus* totum integrè, & clara voce inclinatus, & semper in genere masculino. Particulæ sint integræ, & rotundæ. Qui verò communicant manus in formam crucis componant. Gav. p. 2. tit. 10. n. 6. ex Synodo 6. in Trullo can. 101. servanda tamen consuetudo. Solus minister dicat confessionem, non verò communicandi, qui nihil dicere debent.

3. Celebrans facit signum crucis cum Hostia super Pyxidem, eo modo quo supra seipsum signando. Qui communionem acceperunt, non statim debent spuerè, nec statim libros legere, sed attentè quiescere in meditatione SS. Sacramenti. Minister non statim debet eis præbere purificationem, sed postquam secundus, aut tertius communionem sumperit. Nemo recedat nisi post datam benedictionem in fine Missæ.

4. Celebrans non dat benedictionem in

Missis Defunctorum communicatis, neque post communionem, neque in fine Missæ. Sed neque in his Missis distribuenda esset Eucharistia. Gav. ex Albasina de vet. Rit. l. 1. observ. 14. Omnibus communicatis celebrans in medio altaris sumit vinum pro purificatione in calice ministrante ministro, & reliqua peragit ut suprâ.

5. Si in fundo calicis unitæ vini species adhuc post communionem fidelium reperiantur, sumi poterunt ante infusionem vini in calicem, & est usus congruentior. Peracta communionem fidelium Sacerdos sacras reliquias quantumvis minimas diligenter, ac reverenter colligat, ac sumat,

## R U B. N. VII.

1. Si in altari remaneant particulæ in calice, seu alio vase usque ad finem Missæ, ferventur ea, quæ in feria 5. Cœnæ Domini præscribuntur circa finem Missæ.

## N O T Æ.

Si particulæ non integræ etiam post ablu-tionem celebrantis super corporale deprehendantur, eas sumere debet celebrans, sive sint magnæ, sive parvæ, quia ad idem pertinent sacrificium. Gav. p. 3. tit. 7. n. 2.

1. Fusè agemus capite particulari de hac Rubrica, & feria 5. in Cœna Domini. Nota tamen quòd in hoc casu calix Missæ non debet collocari in medio altaris, sed à latere Evangelii, neque plicari debet corporale, donec SS. Sacramentum in alio loco ponatur.

Aliquando accidit ut purificanda sit Pyxis intra Missam, & eo casu purificabitur ante Calicis purificationem, infuso tamen prius vino in calice, collectis nimirum diligentissimè omnibus fragmentis in fundo ipsius cum indice dexteræ manus, atque cum eodem linguæ, vel ad labium Pyxidis adductis, & ore eidem admoto, ita ut nullum remaneat fragmentum. Deinde infundi potest paululum vini, quo circumacto infra Pyxidem, tota illius pars interior indice abstergetur, mox hausto vino exsiccabitur Pyxis interior undequaque purificatorio. Non debet deinde vacua Pyxis tegi velo, sed panno lineo. Deinde fiant reliqua de more pro purificatione calicis. Gav. hic.

## TITULUS XI.

De Communione, & Orationibus post Communionem dicendis.

RUB. N. I.

Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Missalis deferretur per ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur, ut in Introitu. Ipse autem minister genuflectit juxta cornu Evangelii, ut in principio Missæ. Deinde celebrans stans junctis manibus, legit Antiphonam, quæ dicitur Communio: qua lecta, junctis item manibus ante pectus, vadit ad medium altaris, & eo osculato, vertit se ad populum à manu sinistra ad dexteram, & dicit *Dominus vobiscum*, & per eandem viam redit ad librum, & dicit Orationes post Communionem, eisdem modo, numero, & ordine, ut suprâ dictæ sunt Collectæ. Quibus finitis claudit i. librum, & jungens manus ante pectus revertitur ad medium altaris, ubi, eo osculato, vertit se ad populum, & dicit, ut suprâ, *Dominus vobiscum*. Quo dicto, stans junctis manibus versus populum dicit, si dicendum est, *Ite Missa est*, & per eandem viam revertitur ad altare. Si verò non sit dicendum, dicto *Dominus vobiscum*, revertitur eodem modo per eandem viam ad medium altaris, ubi stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus, dicit *Benedicamus Domino*. In Missis defunctorum eodem modo stans versus Altare dicit *Requiescant in pace*.

N O T Æ.

I Celebrans claudit librum tantum post conclusionem Orationis completam, quia non convenit complere verba orationis alibi quàm in cornu Epistolæ. Si tamen aliud Evangelium sit legendum, librum apertum relinquit. Claudit item dextera librum, ita ut pars illius clausa calicem respiciat. Semper finiat conclusionem orationis antequam recedat ad medium altaris, & ad illud accedat dum minister respondet *Amen*.

RUB. N. II.

In Quadragesima autem à feria 4. cinerum, usque ad feriam quartam majoris

hebdomada, in feriali officio, postquam celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat *Dominus vobiscum*, stans in eodem loco ante librum, dicit *Oremus*. *Humiliate capita vestra Deo*, caput inclinans, & extensis manibus subjungit eadem voce orationem super populum ibidem positam, qua finita, osculatur altare, & vertens se ad populum, dicit *Dominus vobiscum*, & alia ut suprâ. Num. 3. est de Missa solemnè.

## TITULUS XII.

De Benedictione in fine Missæ, & Evangelio Sancti Joannis.

RUB. N. I.

Dicto *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, ut suprâ, Celebrans ante medium altaris, manibus junctis super eo, & capite inclinato, dicit secretò *Placeat tibi sancta Trinitas, &c.* Quo dicto extensis manibus hinc inde super altare positus, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad cœlum oculos, & manus, quas extendit, & jungit caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili *Benedicat vos omnipotens Deus*, ac junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum à sinistro latere ad dextrum extensa manu dextra, junctisque digitis, & manu sinistra infra pectus posita semel benedicit i. populo dicens, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus Resp. Amen* 2. & circulum perficiens, accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto *Dominus vobiscum*, Resp. *Et cum spiritu tuo*, pollice dextro signans primùm signo crucis Altare, seu librum in principio Evangelii, deinde frontem, os, & pectus, dicit *Inirium sancti Evangelii secundum Joannem*, vel, *Sequentia sancti Evangelii*, ut dictum est in Rubricis generalibus 3. & Resp. *Gloria tibi Domine*, junctis manibus legit Evangelium *In principio*, vel aliud ut convenit. Cùm dicit *Et Verbum caro factum est*, genuflectit versus cornu Evangelii, & surgens prosequitur ut prius, quo finito, minister stans à parte Epistolæ respondet *Deo gratias*.

N O T Æ.

1. Laici solent ad hanc ultimam benedictionem se signare, ut initio Missæ, & benè.

2. Si Celebrans habeat ante se, & à tergo circumstantes, videlicet Clerum in choro, & Moniales, & populum ante Altare, tantum semel benedicat, videlicet eos qui sunt ante altare, intentione ad omnes directa. Idem facit celebrans quando Prælatus proprius est in plano in medio capellæ, ita ut stantes à latere Evangelii tantum actu benedicat Celebrans.

3. Evangelium legitur eodem modo, & ritu quo primum. Celebrans signat cartulam, vel librum si habeat, at si nihil horum habeat, Altare; si libro utitur, Minister illum defert cum cussino ad cornu Evangelii, dum celebrans dicit *Placeat*, sed ita tempestive, ut in medio altaris sit genuflexus ad benedictionem si possit. Finito Evangelio claudit librum dextera, ita ut pars libri aperta cornu Evangelii, non parietem respiciat; sed in his nullum est mysterium, sed tantum decentior gestus claudentis dexteræ.

R U B. N. II.

Si Celebrans in Altari vertit faciem ad populum, non vertit se, sed stans, ut erat benedicit populo ut supra, in medio altaris. Deinde accedit ad cornu Evangelii, & dicit Evangelium S. Joannis.

R U B. N. III.

Si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinali, & Legato sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in Provincia, civitate, vel Diocesi sua existente, celebrans dicto *Placeat tibi sancta Trinitas, &c.* dicit *Benedicat vos omnipotens Deus*, & convertens se ad Summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem verò, & Legatum, & alium ex supradictis Prælati, capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens prosequitur *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, benedicens 2. adstantes à parte ubi non est Summus Pontifex, Cardinalis, aut Prælatus prædicti. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo extra eorum provinciam, civitatem, vel diocesim constitutis, eis absque alio respectu, ut cæteris qui interfunt, more consueto benedicit.

N O T Æ.

1. Particula & in hac Rubrica sumitur pro *vel*, idest, *vel Legato*.

2. Regula generalis est, ut confessio, osculum Evangelii, & benedictio se invicem subsequantur respectu Prælatorum.

R U B. N. IV.

Si autem celebravit pro defunctis, dicto *Placeat tibi sancta Trinitas*, ut supra, & osculato altari accedit ad cornu Evangelii, & dicit Evangelium sancti Joannis, prætermissa benedictione, quæ in Missis Defunctorum non datur.

R U B. N. V.

Finito Evangelio in fine Missæ, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, & Legato sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo, convertit se ad illum coram quo ex prædictis celebravit, & facit 1. reverentiam convenientem. Si non celebravit coram aliquo prædictorum, hujusmodi reverentiam prætermittit.

N O T Æ.

1. Minister quæque debitam facit reverentiam, idest genuflexionem summo Pontifici.

R U B. N. VI.

Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per ministrum candelæ. 1. Interim sacerdos accipit sinistra Calicem, dexteram ponens super burfam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum altaris, & ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat, vel si in eo est Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit, & facta reverentia, accipit biretum à ministro, caput cooperit, & præcedente eodem ministro eodem modo quo venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens Antiphonam *Trium puerorum*, & Canticum *Benedicite*. Si verò dimissurus sit paramenta apud altare ubi celebravit, finito Evangelio prædicto, ibidem illis se exiit, & dicit Antiphonam, *Trium puerorum*, cum Cantico, & aliis Orationibus, ut suo loco ponuntur.

N O T Æ.

1. Hæc Rubrica habetur in Missali recognito, quæ retineri debet ex Sacra Congreg. Rit. anno 1627. Minister extinguit prius illam candelam quæ est in parte Evangelii, ut statim capiat Missale, & biretum celebrantis:

tis: nulla tamen debet extingui ante finitum Evangelium. Anterior pars veli debet revolvi decenter à celebrante antequam accipiat calicem, & discedat ab Altari. Celebrans debet inclinare se antequam descendat de altari, & stans adhuc in suppedaneo ipsius, ut facit initio Missæ, & capere biretum in plano ante infimum gradum, ubi priùs ante Missam illud deposuit; nec tunc facit duplicem reverentiam altari, sed unicam, aut inclinationem, aut genuflexionem. Gavantus. Si redeundo in Sacristiam obvium habeat alium Sacerdotem, sequatur viam suam à latere suo dextro, & ille alius similiter; sed se ipsos consalutent capitis inclinatione. In Sacristia facit profundam reverentiam Cruci, vel Imagini, & exiit se ordine retrogrado, & Cruces osculatur ad singula paramenta. Lavat postea manus. Laudatur usus illarum Ecclesiarum apud quas duo sunt manutergia distincta, unum ad tergendas manus celebrantis ante, & aliud post Missam.

Num. 7. & 8. sunt de Missa solemnè, & Episcopali.

### T I T U L U S XIII.

*De iis qua omittuntur in Missis Defunctorum.*

R U B.

**I**N Missa pro Defunctis ante Confessionem non dicitur Psalmus *Judica me Deus*, sed pronunciata Antiphona *Intraibo ad altare Dei*, & responso à ministro *Ad Deum, qui lavificat juventutem meam*, dicitur versus *Adjutorium nostrum*, & confessio cum reliquis, ut supra. Cùm celebrans ad altare incipit Introitum, non signat se, sed manu dextra extensa facit signum crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur *Gloria Patri*, sed post Psalmum repetitur *Requiem æternam*, nec dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Alleluja*, nec *Jube Domine benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo*, nec osculatur librum in fine: non dicitur *Credo*, nec benedicitur aqua in calicem fundenda: dicitur tamen Oratio, *Deus, qui humana substantia dignitatem*, &c. Cùm lavat manus, in fine Psalmi

*Lavabo inter innocentes*, non dicitur *Gloria Patri*. Ad *Agnus Dei* non dicitur *Miserere nobis*, sed ejus loco dicitur *Dona eis requiem*, nec tertio *Dona nobis pacem*, sed ejus loco *Dona eis requiem sempiternam*. Nec percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante communionem, scilicet, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis*, &c. nec datur Pax. In fine non dicitur *Ita Missa est*, nec *Benedicamus Domino*, sed *Requiescant in pace*, & non datur benedictio, sed dicto *Placeat*, & osculato altari, dicitur, ut supra, *In principio erat Verbum*, &c. Alia omnia, ut in aliis Missis.

N O T Æ.

Psalmi qui dicuntur pro præparatione Missæ omitti possunt in Missa pro Defunctis, ut supra diximus; non tamen omittuntur oscula amictus, manipuli, & stolæ, dum celebrans iis induitur, & exiit, nec Orationes paramentorum.

Cùm celebrans benedicat librum ad Introitum, sinistram super illum ponit. In fine Evangelii non dicit *Per Evangelica dicta*, & minister non osculatur ampullas, nec quidquam aliud celebranti porrigendum.

Numeri 2. 3. & 4. sunt de Missa solemnè, distributione candelarum, & absolutione in fine Missæ, de quibus fusè infra in Missa solemnè pro Defunctis.

Nota obiter, quòd dum fit absolutio, si elevetur SS. Sacramentum in aliquo altari, neque celebrans, neque ministri genuflectant, ne sacra interrumpatur actio, & rectius fieret, si in ea elevatione non pulsaretur campanula à ministro.

### C A P U T VIII.

*De Communione extra Missam tam in festis diebus, quàm profestis.*

**I**N Communione particulari extra Missam hæc servanda sunt. Paratur in altari, ubi facienda est communio, per facristam bursa coloris convenientis festo, cum corporali intus, & purificatorium propè medium altaris, juxta corporale ad latus Epistolæ, unà cum clave tabernaculi, mappa lineæ extendendæ super cancellos, si necesse sit, ante communicandos, aut alio modo tenendæ à quibusdam Clericis, vel si opus sit, ipsemet

met Sacrifista tunc eas extendit, alia si opus sit mappa pro communione ministri, aut Clericorum, quæ diversa sit omnino à manutergio, quo celebrans utitur ad extergendas manus. Item paratur unum vas, aut plura cum vino, & aqua pro purificatione communicantium, cum mappula una, aut altera, & aliud vas pro purificatione digitorum celebrantis, cum mappulis aquæ, aut unica cum manutergio. Item, si opus sit, parat scabellum, de quo infra ad cornu Epistolæ in plano Altaris.

II. Ministratur autem prædicta communio hoc modo quando opus est. Sacrifista accendit duas candelas in altari, vel in duobus majoribus candelabris, quæ sunt ante ipsum altare, diebus festivis, si sit consuetudo. Tum Sacerdos, lotis manibus, cotta, & stola paratus convenienti, præcedente ministro cotta induto, procedit ad altare tecto capite manibus junctis, & incessu gravi, quod cum pervenerit, dato bireto ministro, genuflectit in plano usque ad terram, & minister cum eo, & surgit, & rursus flexis genibus super infimum gradum altaris parumper orat, si velit, dicens Orationem, *Aures tua pietatis*, aut aliam convenientem. Tunc ascendit ad altare, extrahit corporale de bursa, qua deposita in cornu Evangelii, illud de more extendit, purificatorium sibi propius parat, & accepta clave aperit Tabernaculum, genuflectit, surgit statim, & trahit Pyxidem velo convenienti tectam, vel potius semper albo, ponit eam in medio corporalis, amovet velum, & operculum, rursus genuflectit, & ibidem stat versus altare, donec facta fuerit confessio à ministro.

III. Minister, deposito bireto Sacerdotis in loco consueto, ministrat parvum scabellum, si opus sit, ut super illud celebrans ascendens, commodè, & faciliè extrahat Pyxidem è Tabernaculo, quod statim removet post ejusdem Pyxidis extractionem. Tunc extendit velum, seu plura secundum numerum communicandorum, ut supra, vel ad cancellos, si pauci sint, extendit illud ad partem Epistolæ, non omnino in medio, nec ad latus Evangelii, quia alioquin Sacerdos conversus ad communicandos terga verteret SS. Sacramento. Tunc confessionem facit in cornu Epistolæ versus celebrantem dicens *Confiteor*, & junctis manibus, &

prius sibi tacto signo crucis. Caput verò inclinatum, profundius inclinatum ad ea verba, *Misereatur tui, Et tibi Pater, Et te Pater, & Indulgentiam*, percutiens sibi ter pectus ad ea verba *Mea culpa*, sinistra infra pectus posita; & ibidem respondet *Amen* quando opus est. Interim celebrans discooperit Pyxidem cum debitis genuflexionibus, ut supra, si prius eam non discooperuerit.

IV. Sacerdos, facta confessione à ministro genuflectit, surgit, vertit se ad populum, advertens ne terga vertat Sacramento, & ad cornu Evangelii stans, manibus junctis dicit *Misereatur vestri, &c.* etiam si sit unus tantum communicandus, & profequitur *Indulgentiam, absolutionem*, producens manu dextera signum crucis super communicandos, sinistra infra pectus posita. Minister autem ita attendere debet tempori in dicenda confessione, ut ea finita, & à Sacerdote facta post extractam Pyxidem genuflexione, vertere se possit idem Sacerdos ad communicandos absque alia nova genuflexione, quæ tamen fieri debet, si diutius finem confessionis expectet. Dicit *Indulgentiam*, si Minister est communicandus, ipse genuflectit in medio super gradum altiorum altaris, deferens secum mappam ad id paratam, & non manutergium, ut diximus supra. Data verò benedictione, celebrans vertit se ad altare, & facta genuflexione, capit sinistra nodum Pyxidis firmiter, ne decidat, & duobus digitis, scilicet pollice, & indice dextræ manus, accipit sacram Hostiam, & eam elevat super Pyxidem, & conversus ad populum in medio Altaris, oculis ad Sacramentum intentis, dicit clara voce, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; mox subdit, *Domine non sum dignus, &c.* quod iterum, ac tertio reperit; qua formula utendum est cum foeminae etiam communio ministratur: & ad hæc verba solus minister pectus percutit.

V. Postea ad communicandos accedit, incipiens ab iis, qui sunt ad partem Epistolæ sed primò ministrum communicat, si sit paratus, vel Sacerdotes, vel alios de clero, si adsint ad id parati, genuflexos ad gradum altaris, quia quantum fieri potest, intra sepimentum altaris debent esse, & distincti à laicis. Sacerdotes verò cum stola communicent, & Clerici cum cortis suis.



VI. Tunc descendens ad cancellos, versus latus Epistolæ incipiens, unicuique laicorum porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis, eo modo quo se signat, ita ut limites patenæ non egrediatur, simul dicens *Corpus Domini nostri Jesu Christi, &c.* addens & ipse Amen.

VII. Porro celebrans dum tenet particulam pollice, & indice dextræ manus, alios tres digitos inflexos, & intra manum complicatos tenere debet. Cærem Clericorum Regularium Minorum p. 1. c. 27.

VIII. Si adsit Prælati non Episcopus communicandus, ipse ante omnes alios sumit Communionem suo habitu Prælati indutus, cum stola è collo pendente si sit Sacerdos. Interim ad ejus communionem, sicut & Clericorum, quidam ex illis tenent hinc inde pannum ante eum, vel eos, qui accepta communionem recedent. Interim etiam minister, seu alius designatus, dextra manu tenens vas cum vino, & aqua mixto, sinistra verò mappulam, aliquantò post celebrantem, eis porrigit purificationem, & prædictam mappulam, ad os abstergendum, nisi convenerint ipsi Clerici sibi sumere purificationem in loco remotiori ab altari; tunc enim minister genuflexus in cornu Epistolæ, prout quando fecit confessionem, expectat Celebrantem, donec Clericos communicaverit, & postea distribuet purificationem laicis, hoc modo.

IX. Sumpto vase de credentia cum vino, & aqua, ut supra, manu dextera, sinistra tenens mappulam, aliquantulum post celebrantem, purificationem porrigit communicatis, & mappulam prædictam ita explicatam tenet, ut singuli qui se purificaverint, parte una os sibi tergere, altera verò vasis labium ipse leviter extergere possit.

X. Omnibus communicatis, Sacerdos re- versus ad altare, digitos tenens junctos super Pyxidem, quibus Sacramentum tetigit, dicere poterit Antiphonam, *O sacrum convivium, &c.* Tum versus *Panem de caelo, &c.* cui tempore Paschali additur *Alleluja*, & minister respondet *Omne delectamentum, &c.* Tum Orationem subdit. *Deus qui nobis sub, &c.* vel tempore Paschali *Spiritum nobis*, ut in Rituali Romano; & antequam cooperiat Pyxidem, & lavet manus, advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhæreat, cautè

reponat in Pyxidem, & eisdem digitos quibus tetigit Sacramentum, abluat, & purificatorio extergat in cornu Epistolæ, & cooperiat Pyxidem non discedens extra altare; abluionem verò sumat, si celebraverit, vel communicatis eam sumendam tradat, vel in Sacrarium, si aliter fieri non potest, effundat.

XI. Tum post lotionem & extersionem prædictas Sacerdos genuflectit, Pyxidem reponit in Tabernaculum, ministro rursus ministrante prædictum scabellum si opus sit, genuflectit iterum, claudit Tabernaculum, illud clave obferat, Minister scabellum removet, & Sacerdos conversus ad eos, qui communicarunt, extenta manu dextera benedicit eis dicens: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, † & Spiritus Sancti, descendat super vos, & maneat semper. Resp. Amen.* Mox minister surgens extinguit cereos. Sacerdos plicat corporale, reponit in bursa, quam collocat ut prius (nisi fortè ob frequentiam communicandorum relinquendum sit corporale in medio altaris extensum) descendit in planum, ubi genuflectit, sicut minister, qui surgens biretum celebranti porrigit cum quasi osculo illius, & ambo revertuntur in Sacrificiam, prout venerant.

XII. Si facienda sit communio diebus profestis, & feriis, fit eodem modo, sed minister secum defert burfam cum corporali intus, & purificatorio, & clavem Tabernaculi, pannumque à Sacrificia delatum extendit ante communicandos priusquam fiat confessio, ab eodem accenditur ille cereus tantum, qui servit ad elevationem in cornu Epistolæ. Sacrificia verò cum panno supradicto pro communione, defert ea quæ necessaria sunt ad digitorum abluionem, & purificationem communicandorum.

XIII. Regulariter nemini datur communio ante Missam à Sacerdote mox celebraturo, sed si fortè rationabili causa danda est aliquibus ad altare ubi est Tabernaculum, servari debent ea supra dicta respectivè; & facta communionem, Sacerdos antequam incipiat Missam, debet benedictionem dare ut supra, quia est extra Missam, & quia fortè communicati non audituri sunt ipsam Missam sequentem.

XIV. Laici abluionem non sumant in Cali-

Calice, sed in vase vitreo, vel argenteo, illis simili, quibus utimur in mensa, non verò Calici.

XV. Abstemiis, aut infirmis aqua sola ministrari poterit, si velit. Nota obiter: quòd quando sacra Eucharistia deferatur ad infirmos degentes in pauperibus tuguriis, ubi vasa ad purificationem vix, aut non possunt haberi, deferendum sit aliquod vasculum à Clerico, argenteum aut aureum, vel ex alia materia, quæ rubiginem, & nauseam non pariat.

C A P U T IX.

De Missa privata coram Prælato in loco sua jurisdictionis.

I. **S**I Sacerdos celebraturus sit coram Cardinale ubique gentium, aut alio Prælato in loco suæ jurisdictionis, id est, Patriarcha, Archiepiscopo, Episcopo, item, & Abbate benedicto habente usum Mitræ, & baculi, in suo Monasterio, vel Ecclesia sua; si jam iste Prælatus sit in Ecclesia ante medium altaris, nisi aliud loci situs impediatur, aut cornu Epistolæ, accedit ad altare manibus junctis sine Calice, quia prius paratus debet esse in medio altaris super corporale simul cum Missali ad cornu Epistolæ; ibique factis altaribus, & Episcopo reverentiis, id est genuflexione Tabernaculo SS. Sacramenti, & inclinatione profunda Prælato, stans in infimo gradu ad cornu Evangelii, semper expectat signum incipiendi, aliquantulum ad Prælatum conversus; quo dato, iterum inclinat se Prælato profundè, & aliquantulum conversus ad altare, incipit Missam more solito. Cær. Ep. l. i. c. 30.

II. Si verò Calix non sit paratus ad altare, celebrans illum defert, & factis debitibus reverentiis omnia peragit, ut supra. Sed tamen omnia prædicta, quantum fieri potest, debent esse parata, ut statim ac Episcopus accesserit ad altare celebrans absolute incipiat; non enim convenit ut Prælatus expectet celebrantem, sed potius celebrans debet Prælatum expectare.

III. Imò præstat, ut celebrans prius accedat ad altare, quam Prælatus, si monitus sit antea de adventu Prælati, ut statim ac ipse accesserit, incipiat Missam, quod certè con-

venit. Et si Prælatus nondum advenierit, celebrans cum accesserit ad altare parat omnia, & in cornu Epistolæ stans versus altare ipsum Prælatum expectat, & eo adveniente à celebrante salutatur, qui celebrans descendit statim, & transiens post Prælatum accedit ad cornu Epistolæ, ubi facit Confessionem ut supra.

IV. In Confessione ubi dicitur *vobis fratres, & vos fratres, dicit tibi Pater, & te Pater*; quod dicens Prælato profundè se inclinat.

V. Dicto *Oremus* inclinat se profundè Prælato, accedit ad medium altaris, ante infimum gradum, & ibi incipiens *Aufer à nobis secretò*, ut moris est, ascendit ad altare, & alia peragit ut in aliis Missis.

VI. Finito Evangelio non osculatur librum, nec dicit *Per Evangelica dicta, &c.* sed solus Prælatus, ut diximus prima parte.

VII. Dicta prima Oratione post *Agnus Dei*, osculatur altare, & ambabus manibus tenens pacis instrumentum, quod ei porrigitur à Ministro, illud osculatur, & illud ad Prælatum deferatur osculandum, ut etiam supra diximus.

VIII. Antequam celebrans det Benedictionem, dicto *Benedicat vos*, conversus ad Prælatum, eique profundè se inclinans, & quasi petens ab eo licentiam benedicendi, prosequitur, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, benedicens tantum assistentes à parte ubi non est Prælatus.

IX. Post finem ultimi Evangelii, Celebrans ad Prælatum conversus, adhuc stans in cornu Evangelii, facit illi profundam reverentiam.

X. Et eo discedente, in Sacristiam redit.

XI. Si celebrat coram Papa, accedens ad altare ei genuflexit, & antequam incipiat Missam, genuflexus accipit ab eo benedictionem. Item genuflexit ad Confessionem dicens *Tibi Pater, & te Pater*. Item antequam accedat ad altare post confessionem. Item antequam populo benedicat in fine Missæ. Denique post ultimum Evangelium. Cætera peragit, ut in aliis Missis.

XII. Si autem Sacerdos celebret coram Prælatibus extraneis, Missam dicit, ac si nulli essent Prælati, imò ipsi Capellani Episcoporum extra eorum Diocesim, ab hujusmodi ritibus abstinere debent. Deferendum est tamen illis pacis instrumentum, & illis por-

rigi debet osculandum, & in fine Missæ sit eis à celebrante, & ministro reverentia. Id etiam fieri debet Principibus, non tamen liber Evangeliorum illis est deferendus, nisi fortè sint ex illustrissimis, & potentissimis, ex tolerantia, ut supra; numquam verò foeminis.

XIII. In fine Missæ celebrans non descendat ad Principem, ut eum aspergat aqua benedicta, nisi sit consuetudo; sed hoc relinquat agendum Capellano, à quo ipse Celebrans discat, si fortè nesciat, quid ei in his casibus sit agendum.

## C A P U T X.

### De Missa novi Sacerdotis.

I. **S**I celebretur solemniter, fiant omnia ut capitibus sequentibus, & Sacerdoti novo semper assistat aliquis Sacerdos Cotta indutus, & in ritibus sacris versatus, qui illum juvet; & si novus Sacerdos sit in aliqua dignitate constitutus, assistat ei Presbyter assistens cum Pluviali, & semper, si fieri potest, Cæremoniarius.

II. Si non celebret solemniter, altare parabitur solito festiviùs, & super eo sex candelæ possunt accendi, & paramenta erunt ex pulchrioribus, & Cæremoniarius, aut alius cum cotta semper assistet cum duobus saltem Clericis, quorum major librum gestabit, alter verò procedet manibus junctis à sinistris ejus, & eos sequetur Assistens, aut Cæremoniarius, & postea celebrans cum calice de more, nisi fortè calix iste, liber, & alia sint jam ad altare præparata, quod in eo casu convenit.

III. Ambo Clerici supradicti genuflectent hinc inde à lateribus altaris, modo in plano usque ad confessionem paratam, modo super infimum gradum, scilicet ab Introitu usque ad finem Missæ; ambo etiam celebranti respondebunt quando opus erit, ambo ministrabunt ad lotionem, & absterisionem manuum celebrantis, minor infundendo manutergium (vel ille tantum qui est in cornu Epistolæ utrumque faciet) ambo cereos accendent ante elevationem, & elevabunt Planetam ad utramque elevationem, ambo extendent pannum ante communicandos, si adsint, & ambo prout venerant redibunt in Sacristiam. Qui librum

ad altare detulit, illum deferet ad cornu Evangelii, & iterum ad cornu Epistolæ, & ab altari in Sacristiam; alter verò pulsabit campanulam, proindeque locus hujus erit in cornu Epistolæ, illius verò ad cornu Evangelii.

IV. Cæremoniarius autem genuflectit ad dexteram celebrantis dum facit confessionem, paulò post eum: deinde semper assistit ad librum, & se cum celebrante semper inclinatur, genuflectit, ac signat quando opus est, quasi eum præcedens in hujusmodi actibus, modestè tamen, & prudenter, non tamen quando extendit manus, benedicit populum, oblata, & alia facit familia; genuflectit etiam à verbis, *Qui pridie quàm pateretur*, usque ad depositionem Calicis inclusivè: item à verbis *Domine non sum dignus*, usque ad sumptionem Sanguinis inclusivè, & ad benedictionem in fine Missæ, nisi sit Canonicus, qui honoris causa novum Sacerdotem dirigat. In reliquis stat, ut dictum est.

V. Si Communio facienda sit, fiat ut moris est; sed ipse Cæremoniarius à sinistris continuè assistere debet, tenens Patenam, si opus sit, sub mento communicantium, nec patiatur eos qui communicant, manum celebrantis osculari; hoc enim ad dignitatem Episcopalem tantum pertinet.

VI. Sive dicatur Missa solemniter, sive non, poterit, si talis est consuetudo, paulò ante eam coram altari vel in choro cantari Hymnus *Veni Creator*, quo dicto, duo cantores subjungant versum, *Emitte Spiritum tuum*, &c. celebrans subdet versum *Domine vobiscum*, stans, & Orationem *Deus qui corda fidelium*, & in fine, *Per Christum Dominum nostrum* tantum, & interim ministri supradicti librum ante eum stantes sustinent, vel Ministri sacri si Missa sit sollemnis. Non probatur illa consuetudo quorundam locorum, in quibus novi Sacerdotes induunt se paramentis in domibus profanis, & inde procedunt sic parati processionaliter ad Ecclesiam, cantando Hymnos, & Cantica. Decentius enim est paramenta sacra accipere in Sacristia, quàm in loco profano; vitari enim debent omnino multæ actiones profanæ, in his nimis frequentes ad quas invigilare debent superiores, ne amplius fiant.

## CAPUT XI.

*De Missa Solemni.*

## ARTICULUS I.

*De tempore celebrandi Missam solemnem.*

I. **M**issa solemnī illa est, quæ cum Ministris sacris celebratur, & in qua nihil omittitur, quod ad solemnitatem pertineat; in majoribus quidem Ecclesiis singulis diebus, vel aliquando rariùs; in minoribus verò diebus festivis, si commodè fieri potest, vel secundum earundem Ecclesiarum consuetudinem, aut etiam debitum.

II. Tanta autem est antiquitas, atque dignitas Missæ solemnī, ut olim nulli Sacerdotilicite fuerit privatas Missas ante Tertiam celebrare, ne scilicet populus à publico, & solemnī sacro distraheretur, & ut omnes Sacerdotes, & universus populus ad publicam Missarum solemniam, & prædicationem verbi Dei convenirent. Burchardus l. 1. c. 59.

III. In festis duplicibus, & semiduplicibus dicitur statim post Tertiam. Unde fit ut hora Tertia dicatur sacra, quia sacris Missarum solemnibus consecrata, & ab Italis Aurea, ex Alphonso de Torres 3. p. c. 4. n. 14. Ideò si propter terræ frigiditatem, populus ad Ecclesiam veniat tardiùs pro Missa solemnī audienda, præstat differri tempus recitandi horam, quam cantare Missam de festo post Sextam. Ita Sac. Congr. Rit. & ex Alcocer. in suo Cærem.

IV. In festis verò simplicibus, & feriis per annum, etiam tempore Paschali, dicitur post Sextam.

V. In feriis tamen Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, etiam Pentecostes, & Vigiliarum, quæ jejunantur, etiam si sint dies solemnēs, post Nonam.

VI. Sicut & Votivæ, quæ dicuntur pro re gravi, & cum concursu populi. Item & Missæ solemnēs pro defunctis, quando dicuntur etiam cum concursu populi, præsertim in die obitus, diebus tertio, septimo, & trigesimo, & Anniversario, aut simili casu

*Man. Sac. Cærem.*

VII. Ab hac regula excipiuntur duæ primæ Missæ Nativitatis Domini, quia dicuntur, ut suis locis notatur.

## ARTICULUS II.

*De his quæ preparanda sunt ad Missam solemnem.*

I. **I**taque pro Missa solemnī celebranda, tempore convenienti, Sacrista in Sacristia super mensam oblongam præparat omnia paramenta necessaria pro celebrante, & ministris, scilicet tres Albas, & cingula totidem, tres manipulos, duas stolas, Dalmaticam, & Tunicellam pro Diacono, & Subdiacono, si eis utantur, alias duas Planetas plicatas, quando eis indui debent, ut jam supra diximus; item Planetam seu Casulam pro celebrante, ita ut illius paramenta sint in medio, illa Diaconi à dextris, & Subdiaconi à sinistris, & coloris convenientis; Pluviale pro Presbytero assistente, si ea sit consuetudo, ut supra diximus, & alia Pluvialia pro assistentibus, aut cantoribus in choro, ut supra notavimus. Item thuribulum cum navicula, & thus intus cum cochleari, & duobus candelabris cum candelis accendendis pro Cereferariis, & aliis hujusmodi.

II. Præparetur etiam credentia, idest mensa aliqua à latere Epistolæ in plano Presbyterii, ita ut sit inter cancellos ipsius, & sedem celebrantis, aliquantulum à pariete remota, cujus pars anterior, si fieri possit, semper respiciat Aquilonem, ejusque mensura talis sit, ut omnia necessaria, quæ infra, super eam apponi possint. Linteo mundo usque ad terram pendente undequaque tegatur; super eam, nec gradus, nec Crux, nec Imago, nec Reliquiæ apponantur, nisi fortè aliqua tabella, aut imago, quam populus osculetur ad oblationem, si facienda sit, secundum consuetudinem locorum, alias nulla prorsus apponi debet.

III. In medio posterioris partis ipsius, propius scilicet ad parietem, bacile cum buccali mediocri formæ pro lotionem manuum celebrantis, præsertim si est in aliqua dignitate constitutus, & mappula, aut manutergium pro absterfione manuum ejus. In dextro cornu, scilicet versus altare, pelvicula

L cum

cum ampullis omnino vitreis, quantum fieri potest, cum suis operculis, vino albo, si etiam fieri potest, & aqua plenis, & manutergio. Si forte tale buccale haberi non possit, prædicta pellicula poni potest in medio loco buccalis. In parte verò sinistra ponatur velum oblongum plicatum pro Subdiacono coloris paramentorum. In multis tamen Ecclesiis velum prædictum extenditur super Calicem, & super alia prædicta, & favet Cæremionale Episcoporum, & consuetudo. Item liber Epistolarum pro eodem Subdiacono, & liber Evangeliorum in eadem parte pro Diacono, si tot haberi possint, aliàs Missale tantum pro utroque. Item aliud Missale pro celebrante cum suo cussino, ita ut cussinus sit inter utrumque librum, & ambo cum prædicto cussino cooperiantur tegumentis honestis, coloris Missæ convenientis, habeantque prædicti libri signacula suis locis rectè disposita. Potest tamen si nihil aliud obstat poni Missale celebrantis cum suo cussino in cornu Epistolæ, ut infra, super altare.

IV. Item super eam in media parte anteriori, ante buccale, si sit, ponatur Calix, cum purificatorio mundo desuper, Patena cum hostia benè tersa etiam desuper, Palla lineæ munda, non colorata, nec alterius materiæ; velum parvum coloris paramentorum super ipsum calicem, cujus pars anterior aptè cadat super mensam, non ultra, & bursa desuper ejusdem coloris habens crucem in medio, & intus corporale, ejusque burse pars aperta respiciat parietem (si tamen extendatur velum oblongum Subdiaconi super calicem, fortè tali velo parvo non opus est, sed sufficit oblongum, & tunc bursa ponitur super istud velum oblongum; nisi fortè parvum istud velum inserviat pro calice tegendo infra post Communionem.) Item propè ampullas poni potest instrumentum pacis si opus sit, cum velo ad manubrium ejus appenso etiam coloris paramentorum, nisi super altare inter candelabra à latere Epistolæ apponatur. Super eam etiam à sinistris poni poterit thuribulum prædictum cum navicula tempore Missæ post incensationem altaris, modò tamen carbones, qui in eo sunt, prius ex eo extrahantur. Poterit etiam apponi si opus sit, Hostiaria propè Calicem à parte dextra, in

qua sint particule, seu Hostiæ parvæ consecrandæ; item post calicem prædictum, si opus sit, Pyxis, seu calix in quo reponantur illæ particule consecratae, si jam prius non fuerint in eo paratæ. Item campanula ad elevationem Sanctissimi Sacramenti pulsanda, si ea sit consuetudo. Et hæc omnia velo prædicto longo tegantur, excepta bursa, si eo utendum sit, licèt quidam id tribuant tantum Episcopo. Relinquantur autem spatium in duobus cornibus posterioribus ipsius credentiæ, ut in his Cæroferarii candelabra sua hinc inde collocent: commodius enim ponuntur in his quàm in anterioribus cornibus.

V. Item loco opportuno, & ab oculis populi, quantum fieri potest, remoto, vel in Sacristia, si non multum distet, vel propè altare, vas cum carbonibus ardentibus pareretur à Thuriferario tempestivè, ac forcipes pro iis imponendis in thuribulum: possunt etiam super eandem credentiam poni quædam candelulæ, si fortè eis opus sit, sicut etiam faces, seu intorticia quot sufficiant secundum numerum assignatum ad elevationem SS. Sacramenti, ut etiam duo extinctoria, vel unum pro extinguendis, & accendendis cereis.

VI. Præterea in latere Epistolæ in plano paretur sedes, vel scamnum oblongum panno decenti viridi opertum, super quo celebrans, & ministri sedeant, ut infra, modò SS. Sacramentum non sit expositum, tunc enim videtur superfluum, cum celebrans sedere non solet ad hujusmodi Missam, nisi urgente magna necessitate, & tunc posset parari.

VII. Si Evangelium legatur in pulpito, & Epistola in alio pulpito, aut ambone, parari etiam debent pannis pretiosis, sed præcipuè pulpitem Evangelii, coloris Missæ convenientis, ut infra.

VIII. Possent etiam paulò ante Missam à Diacono nondum parato Missale poni apertum cum cussino. Hæc autem omnia parata esse debent, si fieri potest, ante adventum celebrantis in Sacristiam, ita ut nihil prorsus desit eorum, quæ sunt necessaria, quando advenerit.

## ARTICULUS III.

*De præparatione Celebrantis, & Ministrorum.*

**I.** **H** Ora competenti, & assignata de more, omnes tam celebrans, quam Ministri in Sacristiam conveniunt, ibique, vel in Ecclesia aliquantulum orant. Acolythi, & Thuriferarius lavant, & tergant manus suas; induunt se cottis, (apud quosdam Regulares induunt se Albis) & dum celebrans Orationes præparatorias recitat, vel tempestiviùs, Diaconus, & Subdiaconus lotis priùs, ac terfis manibus, capiunt paramenta Ordini suo congrua, non verò adhuc manipulos, adjuvantibus ad id Acolythi, ut supra p. i. suis locis, capitibus de Diacono, & Subdiacono.

**II.** Postquam celebrans oraverit, lavat, ac tergit manus porrigente illi aquam primo Acolytho, & ministris sacris manutergium, si ea sit consuetudo, aut si celebrans sit in aliqua dignitate constitutus, aliàs ministri inferiores ministrant aquam, & manutergium, vel ipse vadit ad lavatorium, si sit; tum accedit ad paramenta, quibus indui debet, dicens ad singula Orationes in Missali assignatas.

**III.** Diaconus, & Subdiaconus capientes singula paramenta celebrantis, hinc inde adjuvant illum dum se induit, sed præcipuè Diaconus omnia ferè operatur, & Subdiaconus tantùm eum adjuvat, ac primò,

**IV.** Amictum offert ei osculandum in medio, ubi est designata parva Crux, quem priùs osculatur ipse propè prædictam Crucem; mox ambo illum diligenter aptant circa collum, ita ut collaria omnino contegat. Tum chordulas ex eo pendentes post tergum ductas, & ante pectus reductas, strictè colligunt.

**V.** Albam postea accipiunt, eamque circa collum, humeros, & brachia distendunt & aptant, & si manicæ sunt longiores, aut laxiores, eas aciculis contrahunt, & stringunt.

**VI.** Cingulum deinde capiunt, quo albam constringunt incipientes à tergo, & ante pectus illum religantes, ac postea Albæ extremitates circumcirca Acolythi elevant, & aptant, ita ut æqualiter defluat, & vestes contegat omnino.

**VII.** Manipulum postea Subdiaconus ca-

pit, illumque à latere Crucis osculatur, & mox offertur illum celebranti osculandum in Cruce, ejuque à se brachio sinistro leviter sustentato applicat, & strictè religat, infra, non supra cubitum, osculata priùs ejus manu.

**VIII.** Stolam deinde Diaconus accipiens ambabus manibus, eam deosculatur propè Crucem, & offert celebranti osculandam in eadem Cruce, moxque super humeros ejus applicat, illam transversando ante pectus in modum Crucis, ac ducendo priùs partem à sinistro humero dependentem ad dexteram, ita ut pars dextera transversetur super sinistram, & utramque postea cinguli extremitatibus hinc inde à lateribus, & sub brachiis connectendo. In his omnibus etiam celebrans ipse aliquo modo hæc adaptat, ne quasi immobilis videatur.

**IX.** Planeta post hæc induitur celebrans ab iisdem, quæ hinc inde super humeros ejus aptatur, & diligenter explicatur, ne illum impediatur, si opus sit, & forma Planetæ id requirat. Cær. Ep. l. 2. c. 8.

**X.** Possunt autem ministri appendere cingulo prædicto celebrantis à parte dextra sub ipsa Planeta sudariolum, si opus sit, vel Diaconus secum asportare, ut illud celebranti ministret, prout opus erit. Sicut & Diac. & Subdiac. possunt accipere sudariola pro se ipsis, si opus etiam sit. Diaconus, & Subdiacon. tunc accipiunt manipulos suos cum osculis in Cruce, dicentes, si velint Orationes convenientes; quod tamen non est necesse. Acolythi verò tunc, vel citiùs accedunt ad altare cum candelis accensis, ibique cum debitis reverentiis, ut suo loco diximus, candelas altaris accendunt, cum virgis ad id destinatis, quibus accensis in Sacristiam redeunt, ubi suas pariter candelas accendunt.

**XI.** Hæc omnia, paucis exceptis, præscribuntur in Cæremionali Ep. l. 2. c. 8. l. 1. c. 9. & 10. & ideò possent aliquis instare hos actus reverentiales Episcopo tantùm exhibendos esse; sed certè l. 1. c. 9. videtur etiam ex ipso titulo capituli docere ea omnia cuilibet celebranti solemniter esse adhibenda: hæc tamen saniori iudicio submitto.

**XII.** Si dicenda sit hora Tertia solemniter secundùm consuetudinem locorum, celebrans paratus cum alba, stola, & Pluviali procedit in Chorum: & dum dicuntur Psal-

mi, ministri sacri parant se in Sacristia, ut supra, & finita Tertia, illi ministrant, ut etiam supra, porrigendo illi manipulum, & Planetam, & hic modus fervatur in inferioribus Ecclesiis, & interim Ceroferarii accendunt cereos altaris, ut supra.

## ARTICULUS IV.

*De egressu Celebrantis à Sacristia, progressu, & accessu ad Altare pro Missa solemn.*

I. **C**elebrans omnibus paramentis indutus, omnesque ejus ministri cum eo, Ceroferarii scilicet cum candelabris accensis hinc inde omnium postremi, Diaconus à dextris, & Subdiaconus à sinistris celebrantis, & thuriferarius à dextris Diaconi, ita ut celebrans sit in medio, firmant se quasi rectam efficientes, si fieri potest, lineam ante imaginem, quæ est in Sacristia nudo capite, & tunc ministrant Diacono naviculam, & thuriferario thuribulum, imponit, & benedicit incensum in thuribulum, ut suis locis diximus, adhuc etiam nudo capite. Cær. Ep. l. 2. c. 8. & Gav. p. 2. tit. 2. n. 5. Si tamen locus Sacristiæ sit nimis angustus, Ceroferarii stabunt retrò post celebrantem. Ita ut primus Ceroferarius sit post Diaconum, & secundus post Subdiaconum.

II. Deinde celebrans, & omnes alii nudis adhuc capitibus ibidem imagini principali profundam faciunt reverentiam, & postea ministri salutant celebrantem, qui etiam eis aliquantulum se inclinabit tecto capite: & statim procedunt ad altare, in quo Missa debet celebrari, hoc ordine.

III. Primò procedit Thuriferarius nudo capite portans Thuribulum, ut suo loco diximus, & à sinistris ejus, si multitudo Clericorum id permittat, alius Acolythus pro ampullis manibus junctis, & nudo capite, qui etiam, deficiente Cæremoniario, supplere potest vices ipsius; aliàs solus Thuriferarius procedit. Tum Ceroferarii nudo capite, cum candelabris accensis, ut supra diximus. Postea Cæremoniarius etiam sine bireto, & manibus junctis. Deinde Subdiaconus solus, & post eum Diaconus, ultimò celebrans, & hi tres tecto capite, & manibus junctis. Si verò celebrans aliquando utitur Pluviali,

aut stola alba, ut in benedictione candelarum, & asperzione aquæ benedictæ, & aliis hujusmodi, hi tres procedunt quasi pares, elevantibus ministris Pluviale celebrantis. Si Sacristia sit post altare, omnes egrediuntur per portam, quæ est à latere Evangelii, & regrediuntur per portam Epistolæ, si duæ sint, post finem Missæ.

IV. Si procedendo transeunt ante altare majus, ad quod Missa non sit celebranda, modò ibi sit SS. Sacramentum in Tabernaculo, omnes nudo capite genuflectunt; si verò non adsit, omnes excepto celebrante etiam genuflectunt Cruci, si ibi sit expositum, vel super altare propter Missam, quæ fortè ibi celebratur, utrumque flectunt genu à lateribus celebrantis, & si elevatur, non surgunt donec repositum sit super altare, Ministri quidem sacri à lateribus celebrantis, alii in locis suis habentes Thuriferarium medium. Ante alia altaria nulla sit reverentia.

V. Si etiam contingat eos transire ante, vel per Chorum, salutant omnes nudo capite Clericos ibi assistentes, qui eos etiam nudo capite respectivè salutant cum profunda reverentia, exceptis Prælatiis, qui capita non detegunt, sed stando consalutant; at si sint parati, non surgunt. Cæremoniale tamen Episcoporum l. 2. c. 17. præcipit, ut celebrans salutet priùs altare, postea Canonicos hinc inde, sed hoc videtur intelligendum, quando scilicet altare, & chorus non distant à se invicem: quia quando distant non videtur congruum, ut salutet priùs altare, & postea se convertat ad chorum, ut ipsos salutet Canonicos.

VI. Quòd si altare ita situm sit, ut celebrans ad illius medium non possit accedere, quin priùs transeat per partem Evangelii, aut Epistolæ, v. g. quando Sacristia est retro post altare, aut alio modo, tunc ministri illius partis parùm retrocedere debent, ut celebranti transitum facilem præbeant, cui illi tunc se inclinant, videlicet Diaconus, & primus Ceroferarius si transeat per latus Epistolæ, & vice versa Subdiaconus, & secundus Ceroferarius per latus Evangelii.

VII. Si autem recta linea pergant ad altare, dum ad illud accedunt, Diaconus, Thuriferarius, & primus Ceroferarius recedunt ad partem Epistolæ, Subdiaconus verò,

verò, & secundus Ceroferarius ad partem Evangelii.

VIII. Cum autem pervenerint ante illius infimum gradum, stant in plano omnes in recta linea, ut supra in Sacristia, celebrans scilicet in medio, Diaconus à dextris ejus thuriferarius à dextris hujus, & primus Ceroferarius à dextris thuriferarii, Subdiaconus verò à sinistris celebrantis, & secundus ceroferarius à sinistris Subdiaconi: si autem sit alter Acolythus, ut supra à sinistris Subdiaconi, ita ut Ceroferarii sint semper omnium postremi, & omnes stent æquali distantia à se invicem unius pedis spatio, aut circiter; quod semper observare debent, ne unus sit proximior celebranti, quàm alius. At si locus sit angustior, thuriferarius, & iste Acolythus stant post celebrantem; Cæremoniarius verò stat in plano à latere Epistolæ.

IX. Tum celebrans caput detegens dat biretum Diacono, qui illud accipit cum quasi osculo illius, & Cæremoniario, seu alteri ministro, eo deficiente, & suum similiter, sicut Subdiaconus etiam suum ex altera parte porrigit, & omnes genuflectunt super infimum gradum altaris, si ibi sit Tabernaculum SS. Sacramenti, alioquin solus celebrans profundè se inclinat, aliis omnibus semper genuflectentibus: si tamen Diaconus, & Subdiaconus sint Canonici, profundè tantùm se inclinant Cruci super Altari positæ.

X. Facta autem genuflexione, surgunt adjutantibus ministris celebrantem, sustentando brachia ejus, quod faciunt semper honoris causa quando genuflectit, & surgit. Cæremoniarius erectus statim bireta deponit in aliquo loco decenti, vel super scamnum in quo celebrans, & Ministri sunt sursuri, non super Credentiam, nec ullo modo super altare. Ceroferarii verò erecti statim candelabra sua cum candelis accensis toto tempore Missæ deponunt super cornua credentiæ posteriora, ibique donec celebrans ascendit ad altare manent genuflexi usque ad finem confessionis à lateribus credentiæ, non ante eam, sed quasi collaterales candelabris, quantum fieri potest, primus scilicet ad dextrum latus versus altare, secundus ad sinistram manibus junctis, facie ad altare conversa, se signantes, & pectus cum aliis, dum dicunt *Mea culpa*, percutientes.

XI. Advertat autem secundus Cerofera-

rius qui est à parte Evangelii, ut non genuflectat ante medium altaris dum defert candelabrum ad credentiam; primus verò expectet eum in loco suo, ut ambo simul ad credentiam procedant. Si verò sit Clericorum exiguus numerus in choro, poterunt, post confessionem dum celebrans incensabit altare, illuc ire, genuflectentes prius ante medium Altaris, ut cum aliis cantent reversuri ad eandem Credentiam, dum dicetur Graduale; sed raro id fieri debet, nisi necessitas urgeat, & Clericorum exiguus numerus.

XII. Thuriferarius etiam, facta genuflexione cum aliis, recedit, & in plano prope cornu Epistolæ genuflexus manet, agitando aliquantulum thuribulum apertum. Cæremoniarius, si adsit, genuflectit in loco apto & commodo ad functionem suam, quia non potest ei assignari locus determinatus; ut plurimum verò stat, vel genuflectit ad partem Epistolæ & satis congruenter, nisi sit alibi occupatus.

XIII. Celebrans erectus cum ministris sacris stans manibus junctis, incipit Missam, ut in ordinario Missæ, & dicens *In nomine Patris, &c.* se signat, & ab hoc loco nec ipse, nec ministri advertere debent ad quemquam in alio altari celebrantem, manusque ita teneant junctas ante pectus, ut ipsis, si fieri potest, Planetam, aut Dalmaticam, aut Tunicellam non tangant, neque ei prorsus submittant.

XIV. Advertat etiam celebrans, ut ita moderatè se gerat in iis quæ sui sunt muneris, ut à ministris omnia modestè, & tempestivè fiant, ne nimia festinatione peragant quæ debent. Advertat item, ut recitet submissa voce, audientibus tamen ministris sacris, ea, quæ in Missis privatis dicuntur clara, & intelligibili voce, ne si attollat vocem confusionem inter cantores pariat. Excipiuntur tamen ea, quæ sonora voce cantare debet, scilicet *Gloria in excelsis Deo tantùm, Dominus vobiscum*, & Oratio, seu plures. *Credo in unum Deum tantùm, Dominus vobiscum, Oremus, Præfatio, Pater noster, Per omnia secula, Pax Domini*, & Orationes post Communionem.

XV. Cum autem celebrans se signat, & inclinat, omnes idem faciunt; præterquam ad ea quæ infrà dicuntur, & pari voce respondent ad Psalmum, & ad ea quæ sequuntur.



Cum dicit *vobis fratres*, & *vos fratres*, aliquantulum se inclinat ad ministros stantes, incipiens primò à parte Epistolæ versus Diaconum dum dicit *vobis*, & postea versus Subdiaconum dum dicit *Fratres*. Idem facit dicens *Misereatur vestri*, &c. Illi verò dum dicunt *Misereatur tui*, usque ad finem profundè se inclinat versus eum, dum dicunt *Confiteor inclinans se altari profundè, & dicentes Tibi Pater, & te Pater*, versus celebrantem.

XVI. Statim verò, ac celebrans incipit *In nomine Patris*, cantatur Introitus in Choro, deinde *Kyrie*. Ita Cær. Ep. l. 2. c. 8. Ideò celebrans non debet expectare in Sacristia donec dicatur *Kyrie*, ut procedat ad altare, sed semper inchoare debet Missam dum cantores incipiunt Introitum.

XVII. Finita à Ministris confessione, celebrans dicit, ut supra, *Misereatur vestri* versus ad illos adhuc inclinatos. Dum dicit *Indulgentiam*, erigunt, & signant se cum eo; dum dicit *Deus tu conversus*, iterum se inclinans, & profundius quam celebrans, qui solus disjungit manus dicens *Oremus* adhuc inclinatus. Tum dicens *Aufer à nobis* ascendit ad Altare manibus junctis ad medium altaris, Diacono sinistra manu, Subdiacono dextera albam, & vestem ipsius anteriore paulisper elevantibus, altera manu infra pectus admota; quod in similibus semper faciunt.

XVIII. Acolythy surgunt interim, & manibus modè pectori admotis, non junctis, stant in locis suis facie ad altare conversa, si fieri potest. Celebrans de more osculatur Altare, & manibus super eo expansis, ministri verò sacri interim genuflectunt manibus junctis ante pectus, & non super Altare positis, quod semper fervent genuflectentes, aut se inclinantes, ita ut numquam manus super Altare teneant; genuflectunt verò propter primum accessum ad altare.

XIX. Celebrans osculatur altari, & dicto *Oremus* &c. ponit, & benedicit thus in thuribulo, thurificat altare, ut suo loco diximus. Cæremoniarius amovet Missale de Altari ut etiam suo loco, vel Presbyter assistens, si adsit, aut alius, aut Thuriferarius. Incensato Altari celebrans incensatur à Diacono stante in plano ad cornu Epistolæ, & à ministris ejus Subdiacono manibus junctis, qui non se inclinat versus Celebr. licet Diaconus se inclinet ante, & post. Vide quæ c. de

Diacono & Subdiacono diximus. Cæremoniarius verò stat à tergo Subdiaconi, & Thuriferarius post Diaconum.

XX. Nota obiter, quòd ubi Rubr. Missalis præcipiunt tit. 4. n. 6. ut celebrans genuflectat dum transit ante tabernaculum SS. Sacramenti, id tantum intelligendum est de solo transitu in ipso thurificationis actu, non autem de quovis alio transitu tempore Missæ, in alio enim non debet genuflectere, nisi SS. Sacramentum sit expositum.

XXI. Celebrante incensato, thuriferarius accipit thuribulum à Diacono sine osculis, illudque in Sacristiam, vel super credentiam defert, ut suo loco diximus, advertens ne ignis deficiat. Tum redit ad credentiam ubi stat, nisi sit fortè alibi occupatus loco Cæremoniarii, & eo casu indicat, & docet quæ sunt agenda, scil. quando inclinandum, aut genuflectendum, & alia hujusmodi.

XXII. Si antequam celebrans incipiat Missam, videlicet ante *In nomine Patris*, elevetur SS. Sacramentum ad Altare ipsi propinquum, celebrans, & ministri debent omnes genuflectere; si post signum crucis advertant, non nisi fortè id accidat dum sedent, quia tunc debet genuflectere, sicut dum stant in via; sed in hoc casu Minister abstineat à pulsatione campanulæ: hoc tamen intelligendum est, quando altaria in quibus elevatur SS. Sacramentum, sunt valdè proxima, & in conspectu celebrantis. Non autem permitti debet celebratio Missæ privatæ tunc, quantum fieri potest. Neque supra dicta pugnant cum iis, quæ alibi diximus in absolute pro defunctis, ut non genuflectat celebrans supradicto casu, dum aliquid agit, quia tunc celebrans est impeditus.

## ARTICULUS V.

*De Introitu Missæ, & aliis usque ad Evangelium.*

I. Celebrans post incensationem altaris stans in cornu Epistolæ habens in secundo gradu Diaconum à dextris, & Subdiaconum in plano à dextris Diaconi in recta linea manibus junctis legit solus submissa voce Introitum in Missali, se signans cum Ministris, & ad versum *Gloria Patri*, inclinans se Cruci cum iis. Dicto Introitu, adhuc ibid.

*Ibid.* cum iis dicit alternatim *Kyrie eleison*: quo dicto ibidem etiam remanent; vel sedent eo modo quo infra dicitur, donec perficiatur Hymnus prædictus à choro, facta prius ibidem Cruci, quæ est in medio altaris, inclinatione, & non genuflexione, quia non recedunt à medio, & tunc sedent ut infra. Dum autem chorus cantat ultimum *Kyrie*, Diaconus se collocat in secundo gradu à tergo celebrantis, & Subdiaconus à tergo Diaconi in plano, & eodem modo, & ordine procedunt ad medium Altaris simul cum celebrante, ubi celebrans dum tempus est, stantibus, ut mox supra, post eum prædictis ministris, cantat Hymnum, *Gloria in excelsis Deo*, non alio modo, quàm in Missali, aut tabula describitur. Dum dicit *Gloria*, disjungit manus, quas ante pectus junctas habebat, non super altare expansas, ut quidam, dicens *In excelsis* eas disjunctas elevat usque ad humeros, dicens *Deo* eas iterum jungit ante pectus, non elevans oculos, sed tantum caput inclinans. Ministri verò caput inclinant ad verbum *Deo*.

II. Dum inchoatur à Choro *Et in terra pax*, Diaconus, & Subdiaconus in locis suis genuflectunt, non prius; tum Diaconus stans in secundo gradu aliquantulum recedit versus cornu Epistolæ expectans paulisper Subdiaconum, qui ascendit ad eundem gradum paulum versus cornu Evangelii, & sic ambo hinc inde simul ascendunt ad latera celebrantis (quod semper faciunt dum ascendunt ad altare) ubi non iterum genuflectunt, sed stantes manibus junctis, & submissa voce, totum Hymnum recitant simul, & non alternatim, non præveniendo, sed potiùs celebrantem subsequendo, ita ut ipse celebrans aliquantulum altiùs quàm illi recitet, quod semper facere debent in simili casu, cum eo se inclinantes, & se signantes in fine, & dum dicunt *Amen* jungunt manus.

III. Hymno dicto si sedendum erit, quod decet, facta debita à celebrante reverentia, & à ministris genuflexione, semper per breviorem viam, idest per latus Epistolæ, unus post alium, præcedente Subdiacono, procedunt ad sedem præparatam, seu scamnum oblongum, honestè panno decenti ornatum in plano, ut supra diximus, ubi celebrans sedet, elevantibus Ministris posteriorem Planetæ partem, & caput operit, porri-

gente ei Diacono biretum, cum quasi osculo illius. Diaconus quoque ad ejus dexteram, Subdiaconus ad sinistram sedent, facta tamen prius debita reverentia celebranti semper, & caput tegunt, elevantibus, si opus est, Acolythis posteriorem partem Dalmaticæ, & Tunicellæ, qui tamen non eis porrigunt bireta, sed ipsi accipiunt. Sic sedentes, manus super genua hinc inde expansas aliquantulum à se invicem distantes, digitis tamen junctis inter se teneant, talemque ordinem servant in sedendo, & surgendo, ut aliquantulum prius celebrans, quàm ministri sedeat, & caput tegat; ministri verò contra prius surgant, & caput detegant, quàm ille; quod ab omnibus aliis ministris observari debet, ut prius se inclinent celebranti, quàm sedeant. Procedant autem ita tempestivè ad sedem, ut non sint in via dum cantatur in Choro *Adoramus te*, aut quid aliud, ad quod inclinandum est, ne cogantur se sistere; vel si id eveniat, inclinent se ad altare.

IV. Acolythy regulariter stant ad credentiam dum celebrans sedet, sed tamen, præsertim si sit consuetudo, possunt sedere super gradum infimum altaris ad latus Epistolæ, versa facie ad celebrantem tamquam discipuli ante præceptorem, vel in humiliori sede juxta Credentiam nuda, inclinantes se prout celebrans, & surgunt paulò ante eum. Ad Epistolam non sedent, nec ad Graduale, & alia hujusmodi. Thuriferarius similiter, si non est impeditus, & si Officio Cæremoniarii non fungitur, sedet post secundum Acolythum, si fieri potest.

V. Dum celebrans sedet, & Chorus cantat verba, ad quæ fieri debet inclinatio, annuente Cæremoniario, ipse, & ministri caput nudum inclinent, & postea tegant sicut cæteri de choro, & idèd Cæremoniarius stet in loco ita commodo, ut ab omnibus qui sunt ad altare, & in choro videri facilè possit. Regulariter autem stet ante Credentiam semper capite nudo, dum celebrans sedet.

VI. Circa finem Hymni, dum scilicet dicitur *Cum Sancto Spiritu*, ad quod non se signant, vel citiùs, si opus sit, iterum invitati à Cæremoniario, celebrans adhuc sedens dat biretum suum Diacono, quod acceptum cum quasi osculo deponit in loco suo, sicut & suum; similiter Subdiaconus suum de-

ponit, apertoque capite, & facta postea inclinatione celebranti, unus post alium longiori via per gradus anteriores altaris, & per planum Capellæ ad altare procedunt. advertens Diaconus, ut prope angulum gradus infimi altaris, transeunti celebranti locum cedat, eique se inclinaret, factaque in infimo gradu debita reverentia ab iis, celebrans ascendit ad altare, prædictis Ministris interim elevantibus anteriores vestes illius usque ad gradum secundum; ad quem etiam Subdiaconus ascendit, & descendit in planum; Diaconus verò ibidem remanet, & ipsos in hoc actu præcedit Cæremoniarius, Thuriferarius verò non, nec Ceroferarii, sed surgentes, si sedebant, stant ut prius ad credentiam; caveant autem ne sint in via dum in choro cantatur *Jesu Christe*, sed vel anticipent, vel expectent prout longior, vel brevior via fuerit: si cum sedent elevetur SS. Sacramentum ante eos, aut deferatur, nudo capite, & flexis genibus illud adorent, non verò quando sunt in via. Celebrans reversus ad altare illud osculatur, quod semper facit quoties accedit de sede ad altare, nisi statim illud osculari debeat, ex Rub. sufficit enim illud semel osculari tunc tempore præscripto.

VII. Si celebrans non sedet ad Hymnum, quod maximè decet coram SS. Sacramento exposito, stant omnes ad altare quasi pares paulò tamen post celebrantem, ea scilicet distantia, qua ab altari distant. Ita Gav. p. 2. tit. 4. n. 7. & alii, & Rub. Missalis, in quibus non præscribitur hic quod Ministri post celebrantem stent, & tamen docent quando prædicti stare debeant post celebrantem videlicet initio Hymni Angelici, ad Orationes, & alia ibidem. Sic ergo remanent à principio Hymni stantes quasi pares celebranti nudo capite, donec fuerit integrè decantatus, inclinantes se quando opus est, & circa finem ipsius, facta ibidem genuflexione, ad loca sua descendunt unus post alium.

VIII. Hymno à choro decantato, Celebrans osculatur altare, & manibus junctis ad populum se convertens, dicit, extendens, elevans, & iterum jungens manus *Dominus vobiscum*, Ministris stantibus post eum, qui non se inclinant in hujusmodi conversionibus; quo dicto omnes procedunt unus post alium sine genuflexione ad

cornu Epistolæ, ubi celebrans dicit *Oremus* inclinans se Cruci, sicut & Ministri qui manus non extendunt, & dicit Orationem, seu plures sub uno, & eodem tono, & non pluribus, ut in Missali; ad quas Ministri stant junctis manibus sese inclinantes altari, aut cruci ut celebrans. Si aliquando dicit Orationem *Acumtibus*, nomina *S. Michaelis*, & *S. Joannis Baptistæ* præponere debet aliis Sanctis post nomen *B. Mariæ* v. g. in Ecclesia ubi sunt Patroni ex Congr. S. Rit.

IX. Quando Diaconus dicit *Flectamus genua*, statim ipse primus omnium genuflectit, & omnes alii cum eo ambobus genibus excepto celebrante, & statim Subdiacono dicente *Levate* omnes surgunt cum eo, & stante ad Orationem, quæ sequitur, ministris caput inclinantibus, & manibus junctis, ut convenit: si cantatur Missa privata, Acolythus post dictum à celebrante *Flectamus genua*, dicere debet *Levate* surgendo. Diaconus autem, nec alii Ministri respondere debent *Amen* in fine orationum, quia sufficit si chorus respondeat. Idem dicendum est de aliis, ad quæ chorus respondet.

X. Circa finem Orationis, seu plurium Cæremoniarius, seu alius, eo deficiente Acolythus, accipit ambabus manibus librum Epistolarum per ejus latera, & elevatum tradit Subdiacono stanti post Diaconum ubi prius, qui eum ambabus manibus accipit, versa sibi facie ad invicem, sine osculo, sed cum mutua mediocri inclinatione. Tum ipse Subdiaconus habens à sinistris suis Cæremoniarium, portans sibi librum elevatum ante pectus, eum tenens per partem inferiorem ambabus manibus ibi superpositis, ita ut pars quæ aperitur sit versus suam partem dexteram, procedit ad medium infimæ gradus per planum (se se inclinando choro si non multum distet ab altari ante eum transiens) ubi ambo genuflectunt unico genu, quod semper fit, nisi aliud præscribatur, ad ea verba *Jesum Christum* si proferantur à celebrante, ne cogantur in via se inclinare, mox surgentes eo modo quo supra ad locum ubi cantari solet Epistola accedunt, ibique Subdiaconus manibus sibi librum tenens, versus altare incipit alta, & sonora voce cantare, Ministro supradicto à sinistris ejus aliquantulum post eum stante, qui vertit folia, si opus est,

XI. Dum Subdiaconus incipit Epistolam Diaconus sine genuflexione accedit ad dexteram celebrantis legentis submissa voce Epistolam, & alia usque ad *Munda cor meum* exclusivè, & stat in secundo gradu pro situ loci manibus modestè pectori appositis; celebrans enim debet tenere librum, ut in Missali: vertit tamen folia, si opus sit, Diaconus, neque hinc discedit donec redierit Subdiaconus. In fine Epistolæ Diaconus Celebranti respondet *Deo gratias*, & genuflexit cum eo ad ea quæ certis locis præscribuntur, v. g. ad Epistolam de Cruce, & in Dominica Palmarum, ad versus *Veni sancte Spiritus*, & *Adjuva nos Deus*, &c.

• XII. Finita Epistola, Subdiaconus claudit librum, quem ut priùs portat, accedit cum foëio à sinistris suis ad medium altaris, ubi genuflexit, surgit, & mox ad celebrantem accedit in cornu Epistolæ, ubi genuflexit super altiorem gradum, vel alium commodiorem, & partem superiorem libri deflectens versus illos ambabus manibus, super impositam manum ejus dexteram in parte exteriori osculatur, & ab eo aliquantulum ad se converso, nihil dicente, dextera benedicitur signo Crucis, retenta manu sinistra super altare; Diaconus verò tunc retrocedit paululum super eundem gradum, ut Subdiacono & ejus socio genuflexitibus locum cedat.

XIII. Si fortè celebrans sedeat dum Subdiaconus cantat Epistolam, circa finem illius redit ad cornu Epistolæ, ut ibi Subdiaconum benedicat; sed convenientius est, ut numquam sedeat, nisi sedes sit altari proxima. Celebrans data benedictione Subdiacono procedit ad medium altaris, manibus junctis, ibique dicit *Munda cor meum*, & *Jube Domine*, &c. ut in ordinario, & interim Subdiaconus accepta benedictione, & reddito libro clauso Ministro, qui illum statim super credentiam deponit, capit Missale de altari, & solus illud desert clausum, ex Marcello lib. 2. cap. 3. cum cussino ante pectus ad cornu Evangelii, per planum, & non per gradus, facta in medio genuflexione, sicque illud locat, ut posterior pars libri respiciat cornu altaris, non verò parietem, ibique Celebranti ad ejus sinistram ministrat, sustentans sinistra sua librum, vertensque folium dextera, signans se pollice dextro in fronte, ore, & pecto-

re, genuflexitens cum illo, & respondens *Et cum spiritus tuo, Gloria tibi Domine*, & in fine *Laus tibi Christe*.

XIV. Celebrans legit submissa voce Evangelium, ut in Missali, in cujus fine non osculatur librum, nec dicit *Per Evangelica dicta*. Tum aliquantulum recedit à cornu Evangelii, & accedit ferè ad medium altaris, ita ut sit inter medium altaris, & cornu Evangelii ante librum; ubi semper stat donec Diacono dederit benedictionem, nisi fortè propter Sequentiam sedeat, circa cuius finem redit ad prædictum locum, ut ibi thus, & Diaconum benedicat.

XV. Evangelio finito à celebrante, Subdiaconus collocat librum statim propius ad medium altaris, ubi Offeritorium, & alia legenda sunt, & facta ibidem genuflexione, descendit in planum Capellæ inter cornu Evangelii, & medium altaris, post Diaconum.

XVI. Dum celebrans incipit Evangelium suum, Diaconus qui est adhuc in cornu Epistolæ, de manu Cæremoniarum capit ibidem, ex Cær. Cler. Reg. S. Pauli, librum Evangeliorum eo modo, quo Subdiaconus, ut supra, & solus illum desert ad altare per planum, & anteriores gradus ipsius, inclinans se choro, si ante illum transeat, & sit prope altare, & in medio infimi gradus sine mora genuflexit, dictumque librum super medium altaris quasi jacentem collocat, & statim facta iterum ibidem genuflexione, accedit ad sinistram celebrantis, ibique quasi medius inter ipsum, & Subdiaconum audit Evangelium manibus junctis.

XVII. Thuriferarius autem circa finem Epistolæ, vel, si ministrans Subdiacono assistit ipsam decantanti, statim ac deposuit librum Epistolarum super Credentiam, parat ignem in thuribulo, & tempestivè, scilicet circa finem *Alleluja*, aut Tractus, vel citius, si opus sit, accedit per gradus laterales Epistolæ ad altare, ibique facta priùs genuflexione, ministrat naviculam Diacono, & celebrans stans prope medium altaris, imponit, & benedicat incensum, ut initio Missæ, stante interim Subdiacono in loco suo in plano. Deinde Thuriferarius, recepta navicula à Diacono, descendit per gradus Epistolæ, facta priùs genuflexione, & redit ad Credentiam, ut inde conducat Ceroferarios ad altare.

XVIII. Diaconus verò reddita navicula Ministro , genuflexus super suppedaneum , junctis manibus , & capite inclinato , dicit *Munda cor meum* , quo dicto , surgit , & ambabus manibus capit reverenter librum Evangeliorum de altari , & iterum genuflexus in medio ipsius gradu versùs celebrantem , ex Gav. p. 2. tit. 6. n. 5. stantem adhuc ut supra propè medium altaris , petit ab eo benedictionem dicens , *Jube domne benedicere* , cui Celebrans manibus junctis subjungit *Dominus sit in corde tuo* , &c. & cum dicit *In nomine Patris* , &c. in fine ipse subdens *Amen* , benedicit eum dextera , sinistra infra pectus posita , eandemque manum dexteram postea positam super librum , quem Diaconus aliquantulum elevat , & deflectit versùs eum , tradit in parte exteriori ipsi osculandam .

XIX. Dum Celebrans benedicit Diaconum , vel paulò tardius , ceroferarii eo modo quo supra procedunt per planum ad altare thuriferario præcedente , & Diaconus accepta benedictione surgit , & statim descendit in planum , ubi cum Subdiacono à sinistris ejus , & Cæremoniario à sinistris Subdiac. Thuriferario verò à tergo Diaconi , medio inter ceroferarios , omnes genuflectunt . Cærem. Cleric. Reg. S. Pauli l. i. c. i. ita ut Ceroferarii unicam faciant genuflectionem simul cum Diacono , idest cum accedunt ante altare . Tum surgunt , & procedunt ad locum Evangelii eo ordine quo sequitur . Præcedit Cæremoniarius , sequitur thuriferarius tum ceroferarii , denique Diaconus portans ambabus manibus librum clausum ante pectus erectum , habens à sinistris Subdiaconum manibus junctis , nisi ob angustiam loci Subdiaconus præcedere cogatur , quod etiam præstare debent Ceroferarii , si opus sit .

XX. Si dicatur *Sequentia* , supra dicta sunt circa finem illius , ita tamen tempestivè , ut finito cantu in Choro , Diaconus sit paratus ad cantandum Evangelium sine mora . Idcirco Chorus ita cantum dimetiatur , ut Diaconus omnia prædicta suo tempore peragere possit , & non sileat , quin ipse Diaconus pervenerit ad locum Evangelii .

XXI. Tum librum tradit Subdiacono , quem ipse ambabus manibus sustinet elevatum ante pectus , & oculos suos , ita ut Diaconus in eo legere commodè possit , & oculi ipsius Subdiaconi à libro impediuntur

ne recta videant Diaconum . Ceroferarii stant hinc inde à lateribus Subdiaconi , primus à latere dextro , vertens sicut idem Subdiaconus renes ad eam partem quæ pro Aquilone figuratur , ex Cærem. Episc. lib. 2. cap. 8. thuriferarius stat post Diaconum à dextris si Thuribulū ei immediatè traditurus est , alioquin à sinistris , si Cæremoniarius illud tradat , qui respectivè stat à dextris , vel à sinistris .

XXII. Si tamen in Ecclesia sunt Legilia , seu Ambones non longè ab altari , poterit in illis cantari Evangelium , & tunc panno aureo , vel sericeo ornari debent coloris paramentorum , & Subdiaconus stat post ipsum manibus hinc inde librum tangens versa facie ad Diaconum , ita ut non eas superponat pulpito . Quòd si cantetur in ambone lapideo , & amplo , ad quem per gradus ascenditur , tunc Subdiaconus stat à latere dextro Diaconi , aliquantulum post eum , cui porrigit thuribulum , & folia vertit , quando opus est , & genuflectit etiam cum Diacono quando genuflectendum . Ceroferarii verò semper stant hinc inde à lateribus pulpiti tunc facie ad Diaconum versa ; isti tamen Ambones , seu pulpita vix sunt in usu . Ideò præstat decantare Evangelium , ut in Missali .

## ARTICULUS VI.

*De Evangelio , & aliis usque ad Offertorium .*

I. **H**Is ergo sic dispositis , & finito cantu in choro , Diaconus junctis manibus ante pectus , stans versùs Subdiaconum incipit Evangelium dicens , *Dominus vobiscum* . Dum dicit *Sequentia* , vel *Initium Sancti Evangelii* , signat textum principii Evangelii pollice dextro , reliqua manu extensa , & digitis simul junctis & extensis , sinistra supra librum posita , deinde seipsum etiam signat in fronte , ore , & pectore , sinistra infra pectus posita , advertens , ut non signet os suum ; dum verba profert ; celebrans autem , & omnes alii se signant eodem modo , & eodem tempore , exceptis ceroferariis , & thuriferario , cum sint occupati . Tum idem Thuriferarius , vel cæremoniarius stans post Diaconum accedit ad ejus dexteram , & ei thuribulum sine osculis tradit ad eum converso , ita ut nemo vertat terga cruci altaris , qui

qui librum incensat triplici ductu, primo in medio, tum in dextera ipsius libri, denique in sinistra, quæ est dextra Diaconi, facta prius, & post inclinatione ipsi libro propter reverentiam sacri textus in eo contenti. Ita verò moderatè incenset, ut statim post responsum à Choro, *Gloria tibi Domine*, prosequatur Evangelium, nullo interposito silentio, ex Paride Craffo; ad quod etiam Chorus attendere debet, ut tardius propterea prædicta verba decantet.

II. Incensato libro Diaconus reddit Thuribulum Ministro, qui post eum recedit, stans usque ad finem Evangelii ibidem agitando leviter Thuribulum, ut suo loco diximus; stat autem à sinistris Cæremoniarii, si hic daturus est Thuribulum, à dextris verò si ipsemet Thuriferarius illud porrigit Diacono, quod est convenientius.

III. Celebrans, data benedictione Diacono, statim facta Cruci, vel Tabernaculo debita inclinatione, retrahit se ad cornu Epistolæ, & dum Diaconus incipit *Dominus vobiscum*, vertit se ad eum se signans, aut inclinans cum eo versùs Diaconum, sicut omnes alii; ad nomen tamen *Jesu* versùs Crucem inclinat se profundius, quàm ad alia. Si genuflectendum sit, solus Diaconus versùs librum, alii versùs altare prout celebrans. Sed Subdiaconus, & Ceroferarii numquam genuflectunt, nec se signant, nec inclinant, nisi fortè Subdiaconus, si stat à latere dextro Diaconi, ut supra, quia tunc genuflectit cum aliis, & se inclinat.

IV. Evangelio completo, statim Subdiaconus, nulla facta prorsùs reverentia, etiam præsentè SS. Sacramento exposito, solus modestè librum elevatum ob oculos, & apertum in folio, ubi est principium Evangelii, quod idèo Diaconus prius ostendit illis, & vertit folium in quo est, si opus sit, portat ad Celebrantem, qui ambabus manibus hinc inde illum accipit, & parùm inclinatus osculatur principium Evangelii dicens *Per Evangelica dicta*. Deinde Subdiaconus statim claudit librum, & paululum retrahens se, celebranti se inclinat, tum descendit in planum per viam breviorè, ubi cum aliis genuflectit, & librum ministro dat, vel ipsimet illum desert ad Credentiam, si nullus alius sit, quia fortè alii sunt impediti.

V. Ceroferarii statim post finem Evange-

lii redeunt ad Credentiam per planum præcedentes Diaconum, facta genuflectione altari in medio, cum Diacono in plano, & reverentia celebranti, ibique deponunt candelabra sua, & remanent stantes, aut sedentes prout celebrans, cum quo genuflectunt, dum ipse dicit *Et incarnatus est*, &c. non revertuntur in Chorum, nisi magna necessitas urgeat, & etiam cum eodem Celebrante dicunt *Credo*. Thuriferarius verò eos præcedit usque ad medium altaris, & in medio eorum genuflectit, & ibidem expectat Diaconum.

VI. Diaconus, finito Evangelio, statim etiam retrahit se parum versùs cancellos altaris quasi versa facie ad altare, ut transeunti Subdiacono locum cedat, reditque ultimus ad medium altaris, ubi facta prius genuflectione, & accepto thuribulo, celebrantem triplici ductu thurificat, etiam fumo deficiente, cum inclinatione ante, & post. Deinde reddit Thuribulum ipsi Ministro, qui facta debita reverentia altari, illud loco congruo deponit, & ad Credentiam reversus conformat se suis comministris dum Symboli dicitur, quod etiam cum aliis potest dicere. Quod si non dicitur, celebrante incensato, collocat se loco congruo ab altari remoto, non ubi est celebrans, ubi agitat leviter thuribulum, ne ignis extinguatur, pro incensatione mox facienda.

VII. Celebrans, postquam incensatus fuerit, procedit ad medium altaris, ubi incipit Symbolum, si dicendum sit, ut in Missali. Dum dicit *Credo*, extendit, & elevat manus dicens *In unum*, jungit eas ante pectus, dicens denique *Deum*, caput Cruci inclinat, & omnes Ministri cum eo. Tum, & non prius Diaconus, & Subdiaconus, qui stant post eum, ut ad *Gloria in excelsis*, genuflectunt, & accedunt ad latera ipsius celebrantis, ubi cum eo prosequuntur Symbolum, manibus junctis, & genuflectunt, sicut omnes alii Ministri, dum dicunt, *Et incarnatus est*, &c.

VIII. Finito Symbolo ibi stant Ministri sacri quasi pares, ut ad Hymnum Angelicum, & dum dicitur *Descendit de caelis* in choro, descendunt cum celebrante ad secundum altaris gradum, ubi simul genuflectunt, & cum dicitur *Et homo factus est*, caput etiam inclinant profundè; aptant verò prius posteriorem partem planetæ super pedes celebrantis, eumque adjuvant dum surgit.

IX. Si autem sedent, tunc non genuflectunt,

Etunt, nisi in tribus Missis Festi Nativitatis Domini, & in Festo Annunciationis B. M. tunc enim semper genuflectunt.

X. Si celebrans non velit federe nisi post prædictum versum, decet, ut paulò antequam dicatur *Descendit de cælis*, descendat in planum, ibique genuflectat super infimum gradum, & cantato *Et incarnatus est*, procedat ad sedem.

XI. Si statim dicto Symbolo velit federe, eo absoluto, procedit ad sedem, ut ad Hymnum Angelicum, se inclinans tantum profundè nudo capite, cum aliis sedentibus, ad versum prædictum, *Et incarnatus est*; & si Ministri inferiores stant, semper ad prædictum genuflectunt.

XII. Cantato in Choro prædicto versu *Et incarnatus est*, si Diaconus sedet, surgit, & nudo capite inclinat se celebranti, qui illi non respondet, nisi cum aliqua honoris significatione, aliquantulum caput inclinando, ex Cærem. Cleric. Reg. S. Pauli lib. I. cap. I. tum vadit ad Credentiam, ubi bursam cum corporali intus à Cæremoniario, vel alio Ministro sibi porrectam, accipit, & ambabus manibus usque ad oculos elevatam, & quasi jacentem, parte aperta ad se conversa, solus per planum, gravi incessu, & modesto defert ad altare, Choro, si ante illum transeat, se inclinans ex more urbis, & genuflectens in medio infimi gradus ipsius altaris, & super illud extrahit corporale de bursa, illudque ita explicat, ut si sit Crux in eo acupicta, ad oram ejus, & ad anteriorem partem mensæ eam convertat, oraque ipsius corporalis, oram altaris attingat anteriorem, ut celebrans, quando opus erit, super eo manus hinc inde expanfas post consecrationem apponere, & etiam prædictam Crucem osculari possit; bursam verò dextera in parte Evangelii collocat elevatam intra candelabra, ita ut nullum postea celebranti præbeat impedimentum, nec cera effluenti ex candelis inficiatur; & statim genuflectens ibidem, redit per viam breviorē ad celebrantem, cui debitam facit reverentiam.

XIII. Interim Subdiaconus, & alii omnes Ministri, stant nudo capite statim ac Diaconus surrexit, qui dum redit de altari post inclinationem factam celebranti, aliquantulum se inclinat eidem Subdiacono, & hic vicissim, & omnes sedent. Ex Cær. Ep. I. c. 18. in pari casu, & ex Jacob. in suo Compendio.

XIV. Si celebrans stat ad altare dum Diaconus defert bursam, ipse, & Subdiaconus parum retrahunt se ad cornu Evangelii, medium altaris relinquentes Diacono, qui nullam facit celebranti reverentiam, ut explicet ibidem corporale, tum ad loca sua redeunt, & pariter ibi remanent cum Diacono à dextris celebrantis.

XV. Circa finem Symboli celebrans, & Ministri surgunt, si sedeant, & ad altare redeunt sicut ad Hymnum Angelicum. Quando verò non dicitur Symbolum, Subdiaconus defert bursam cum Calice, ut infra. Si verò Calix, & bursa sunt ad altare, quod non decet, statim dicto in choro versu *Et incarnatus est*, Diaconus, si ibidem stet cum celebrante, explicat corporale, si jam à principio non sit explicatum; si verò sedeat tunc, solus procedit ad altare genuflectens in medio infimi gradus, ibique explicat illud, & reposito super illud Calice velo tecto, facta iterum genuflexione redit ad Celebrantem.

XVI. Si habetur concio, fiat statim finito Evangelio, ut diximus.

## ARTICULUS VII.

### De Offertorio, & aliis usque ad Canonem.

I. Circa finem Symboli, scilicet dum cantatur in Choro, *Et vitam venturæ sæculi*, si celebrans stat ad altare, Ministri genuflectunt, & descendunt post eum, ubi stant unus post alium, dum celebrans dicit *Dominus vobiscum*, dicto *Oremus*, iterum in locis suis genuflectunt, & mox Diaconus ascendit ad dexteram celebrantis dicentis interim Offertorium junctis manibus, & submissa voce; Subdiaconus verò vadit ad credentiam, ubi velum oblongum, adjuvante secundo Acolyto, aut alio, circum humeros accipit, ita ut pars dextera longius pendeat, tum amovetur parvum velum à Calice per eundem, quod statim ab eodem plicatur, & relinquitur super credentiam: si tamen velum magnum sit super Calicem extensum, tale velum parvum non est necessarium. Tum accipit sinistra nuda Calicem per nodum, & tegit ipsum Calicem parte ipsius veli lon-

longiore, dexteramque super eodem velo extensum imponit, cautè advertens, ne aliquid decidat, & procedit per breviorè viam à dextris cæremoniarum ad cornu Epistolæ, & interim primus Acolythus, vel alius deputatus, ut suprà, accipit ambabus manibus in bacili ampullas vini albi, si fieri potest, & aquæ, easque elevatas usque ad pedus, sine operculis, sequens immediatè Subdiaconum, defert etiam ad cornu Epistolæ, ut ipse Subdiaconus sine genuflexione deponit super altare ipsum calicem.

II. Tum Diaconus in eodem cornu stans detegit calicem, remota priùs manu Subdiaconi, & parte longiori veli, patenam cum palla accipit, & conversus ad celebrantem, deposita palla prope corporale, patenam cum Hostia ambabus manibus, ita ut dextera ejus sit versùs superiorem partem, & sinistra versùs inferiorem, offert celebranti cum osculis ipsius Patenæ, & manus, ita ut celebrans eam capere valeat commodè ambabus manibus.

III. Quando non dicitur *Credo*, dicto à celebrante *Oremus*, Subdiaconus imposito sibi velo, ut suprà, defert cum Calice bursum corporali, & cum ad altare pervenerit cum Ministro supradicto, Diaconus ambabus manibus eam accipit, & ad medium altaris accedens, explicat Corporale priùs genuflectens, & bursum ponit in cornu Evangelii, & facta genuflexione, redit ad Subdiaconum, ubi cætera peragit, ut suprà.

IV. Si verò Calix sit ad altare, Diaconus facta genuflexione accedit ad dexteram celebrantis, ut suprà, ubi movens Calicem de medio altaris collocat illum versùs cornu Epistolæ, ubi Calice detecto offert Patenam celebranti, ut suprà. Interim Subdiaconus facta etiam genuflexione post *Oremus* vadit ad credentiam, ubi imponitur ei velum oblongum, & comite Cæremon. & sequente Acolytha cum ampullis, procedit ut suprà, ad cornu Epistolæ, & hoc casu Cæremoniarum capit, & plicat velum parvum statim post oblationem Calicis, & reportat plicatum cum Acolytha ad Credentiam; vel alius Acolythus focium comitatur, ut illud parvum velum plicatum referat, modò prædictum velum sit super Calicem, ut suprà num. I.

V. Celebrans, accepta patena, solus offert

Hostiam more solito, & finita Oratione *Sancte Pater*, eam deponit super altare prope corporale, & interim Subdiaconus Calicem purificatorio extergit, ampullamque vini statim ab Acolytha ei traditam, Diacono sine osculis porrigit dextera, qui sinistra Calicem acceptum tenens per nodum infundit in eum quantum sufficit vini ad beneplacitum celebrantis, qui propterea ad id attendere debet: at verò Subdiaconus acceptam ampullam aquæ etiam dextera parùm elevans, ostendensque celebranti, conversus ad eum, & inclinatus dicit ei *Benedicite Pater Reverende*, moxque celebrans junctis manibus incipit *Deus qui humana substantia*, & dum dicit *Da nobis per hujus aquæ, & vini mysterium*, facit signum Crucis versùs aquam, quam interim Subdiaconus infundit in Calicem, quo factò, idem reddit ampullam Acolytha, tradita ei priùs ampulla vini, & ibi remanet.

VI. Si adsint particulæ consecrandæ pro Communione fidelium, dum celebrans incipit Offertorium, vel citius, Pyxis in qua sunt, aut Calix, defertur à Subdiacono, vel Sacrista, aut Cæremoniarum ante Calicem Missæ, eamque Diaconus collocat prope Crucem altaris; & antequam Patenam tradat celebranti, aperit Pyxidem, eamque parùm elevatam sustinet dum celebrans offert Hostiam, & Patena deposita ut suprà, ipse Diaconus Pyxidem tegit, & reponit in loco suo, ita tamen ut semper sit super altare portatile post Calicem, si adsit tale altare.

VII. Post infusionem vini, & aquæ in Calicem, Diaconus tenens Calicem sinistra per nodum, & dextera per pedem, vel alio modo commodiori, si fieri potest, porrigit eundem celebranti cum osculis debitis Calicis, & manus celebrantis, Cærem. Episc. lib. 2. c. 8. quem ille ambabus capit manibus, & eum tenens dextera per nodum, & sinistra per pedem, elevans oculos, & statim dimittens, offert dicens *Offerimus tibi Domine*, cum eodem Diacono interim pedem ipsius Calicis tenente, seu brachium dexterum sustentante, & postea eundem Calicem positum super altare collocat.

VIII. Tum Diaconus Patenam, quam de altari sumpsit, ponit in dextera nuda Subdiaconi, adhuc in cornu Epistolæ stantis, cujus pars interior ipsum Subdiaconum, respici-



respicere debet, Cærem. Cler. Reg. Minorum par. 2. c. 8. eamque ipse Diaconus operit extremitate veli ab humeris Subdiaconi pendentis à parte dextera; & mox ipse, sine genuflexione, vadit post celebrantem ante medium altaris in planum, ubi tunc facta genuflexione, stat eandem Patenam elevatam tenens ob oculos usque ad finem Orationis Dominicæ, & brachio suo sinistra manu brachium dextrum sustentans, non tamen genuflectens, nisi ad elevationem SS. Sacramenti, ut infra, licet celebrans, & alii genuflectant, nisi aliter notetur.

IX. Interim celebrans prosequitur Orationes solitas, scilicet, *In spiritu humilitatis*, & *Veni sanctificator*, & Acolythus refert ampullas ad Credentiam, Thuriferarius verò cum thuribulo, & navicula accedit ad altare, ut initio Missæ.

X. Si facienda sit oblatio à populo, fiat statim post dictum à celebrante Offertorium, ex actis Mediol. Eccl. Jacob. cap. 10. & Gav. in ultima editione, & Missali Bellovacensi, & aliis; non verò post oblationem Hostiæ, & Calicis: & tunc celebrans aliquantulum retrahit se à medio altaris, & si opus sit, ad infimum gradum descendit, vel etiam si opus sit procedit ad cancellos, & medius inter Diaconum stat, & Subdiaconum, qui colligit oblationes in sindone si sit consuetudo, ex *Ordine Romano*. In fine non datur benedictio populo ullo modo; nec celebrans quicquam dicere debet; decet autem ut populus osculetur rem offerendam, & postea manum celebrantis, ex Pontificali Romano in multis locis; servetur tamen consuetudo locorum. Nihilominus tamen cessant oscula in Missis defunctorum, cum oscula omnino prohibeantur, ex Rubr. Missalis; minimè autem à S. Congr. Rit. probatur usus eorum, qui Patenam tradunt osculandam populo. Potest tamen Crux, aut aliqua imago sacra dari osculanda ex more multarum Ecclesiarum. Qui Missas novas celebrant, non possunt Ecclesias, ut oblationes recipiant, circuire, ex Decr. S. Congr. Trid. sess. 2. Gav. p. 2. tit. 7. nu. 5. Si oblatio sit longior, possunt aliqua cantari, ut Psalmi, & Hymni convenientes.

XI. Dicto à celebrante *Veni sanctificator*, Diaconus ministrat naviculam ministrante Thuriferario Thuribulum, ut initio Missæ, & Celeb. ter imponens thus in Thuribulum

dicit *Per intercessionem*, &c. ita ut ad verbum *Benedicere*, reddito prius cochleari Diacono cum osculis solitis, benedicat thus in Thuribulo. Tum eo sumpto de manu ejusdem Diaconi, ut supra, nullam faciens reverentiam prorsus (licet expositum sit SS. Sacramentum) absolute ipse celebrans ter incensat Hostiam, & Calicem, ducens ter thuribulum super Hostiam, & Calicem, simul in modum Crucis, in recta linea, non autem veluti quatuor puncta designando, & ter circum Calicem, & Hostiam, scilicet bis à dextera sua ad sinistram, transiens prius inter Crucem, & Calicem, & semel à sinistra ad dexteram, dispensans verba ad quamlibet incensationem, ut capite de Thurificatione art. 2. n. 13.

XII. Deinde celebrans facta debita reverentia incensat altare, ut dictum est, dicens interim *Dirigatur Domine oratio mea*, dum incensat Crucem altaris, & prosequitur reliqua ut in Missali, ita dispensans versiculos notatos, ut sufficiant ad totam incensationem. Diaconus in tota hac incensatione solus assistit celebranti, & amovet Calicem, quæ semper tenet ad partem Epistolæ dum Crux incensatur, non tamen extra Corporale, si fieri potest, ex Gav. p. 2. tit. 7. Cruce verò incensata eundem Calicem reponit in loco suo.

XIII. Thuriferarius recepta navicula, & dato thuribulo Diacono, vel Cæremoniario pro incensatione oblatorum, & altaris, factaque genuflexione recedit per gradus laterales Epistolæ in planum ad cornu ipsius, vel si non adsit alius, deposita navicula super credentiam, vadit ad cornu Evangelii per planum, genuflectens in medio, amovetque librum cum cussino de altari, & descendit in cornu Evangelii, ubi stat donec incensata sit pars anterior altaris à latere Evangelii, tenens prædictum librum cum cussino, qua incensata reponit ea propè Corporale, mox genuflexione facta, descendit per planum ad latus Epistolæ, iterum genuflectens in medio ibique stat post Diaconum dum incensat celebrantem, ut initio Missæ; si tamen sit Assistens, id circa librum præstat quod Thuriferarius, vel Cæremoniarius, librum amovet, & reponit, ibique remanet, ut folia libri vertat celebranti, si opus sit.

XIV. Completa incensatione altaris, celebrans in cornu Epistolæ reddit thuribulum Diacono, dicens *Ascendat in nobis* &c.

& incensatur ab eo, ut etiam initio Missæ.

XV. Interim duo Acolythi, quorum secundus accipit ampullam aquæ, seu buccale, cum bacili, seu lance, & alter mappulam plicatam ambabus manibus de Credentia, ille à dextris, hic à sinistris, accedunt ad latus Epistolæ, ubi ille stans, fundit aquam super indices, & pollices celebrantis, supposita pelvicula; tum alter Acolythus subministrat mappulam, quam extendit super manus celebrantis cum debitis reverentiis, & cum quasi osculis ampullæ, seu buccalis, & manutergii antè, & post, & etiam cum quasi genuflexionibus. Postea ambo simul redeunt ad Credentiam super quam reponunt ampullam cum lance, & manutergium, effusa prius aqua in loco honesto, & remoto, & non in pavimento contra multos, qui indecenter id faciunt.

XVI. Postquam Diaconus incensavit celebrantem in cornu Epistolæ, accedit ad chorum, facta prius genuflexione, quasi ante medium altaris, à dextris Subdiaconi, cum Thuriferario qui naviculam secum defert, ut ponat thus in thuribulo si fumus deficiat, Jac. cap. 20. quia Cæremoniarius remanet à sinistris celebrantis, ut ei vertat folia usque ad finem Præfationis: & cum accesserit ad Chorum, surgentibus Clericis, qui in eo sunt, facta ei reverentia ab utraque ejus parte, quem etiam consalutat, accedit ad Sacerdotes paratos Pluvialibus, si adsint, eosque duplici ductu thurificat, alios verò non paratos unico tantum, ceteros sine mora, cum multis inclinationibus ante, & post; ubi tamen est consuetudo, omnes Sacerdotes duplici ductu separatim incensat, maxime semper Canonicos ob eorum dignitatè, alios verò Clericos unico. At si Choristæ parati non sint Canonici incensantur quidem duplici ductu, sed post omnes Canonicos. In his servanda videtur consuetudo.

XVII. Thuriferarius post incensationem digniorum retrahit se ad locum commodiorem propè aditum Chori, expectans ibi finem incensationis.

XVIII. Advertant autem qui incensandi sunt, ut stent in choro versa sibi invicem facie, & Diaconus similiter incensans convertat se ad eos secundum praxim urbis: omnique, Prælati exceptis, inclinent se Diacono ante, & post. Si verò in Choro tanta sit Cle-

ricorum multitudo, ut incensatio finire non possit ante finem Præfationis, incensat eos, qui sunt in sedibus superioribus, & inferioribus sine mora, ita ut finita sit incensatio paulò antequam dicatur *Sanctus*. Quod ad Laicos, & Dominos sæculares spectat, vide, quæ diximus capite de Thurificatione.

XIX. Finita incensatione, & salutato choro, ut initio, Diaconus cum comite suo præcedente, redit ad altare, ubi, facta genuflexione, ut supra, à dextris Subdiaconi, stans in parte Epistolæ, vel in parte Evangelii, si chorus sit retrò post altare, Subdiaconum incensat duplici ductu (qui paulum demittit Patenam) cum inclinationibus mutuis ante, & post. Tum reddit thuribulum ministro stanti à dextris suis, & ascendit ad secundum gradum altaris, ubi genuflectit, & incensatur ab eodem Thuriferario, stans ibidem post celebrantem versa facie ad Thurificationem, caput etiam inclinans ante, & post, ibique remanet stans usque ad finem Præfationis, inclinans se cum celebrante. Si adsit Presbyter assistens, incensatur, ut supra dictum est.

XX. Deinde idem Thuriferarius incensat Acolythos stantes ad Credentiam sine mora, & sine ulla vel cum levi inclinatione, Dominos verò temporales locorum pro qualitate personarum, ut jam diximus. Tum procedit ad locum ubi est populus pro situ Ecclesiarum, & eum ter incensat, in medio videlicet, tum versùs latus Epistolæ, denique versùs latus Evangelii, cum honoris significatione ante, & post. Stat autem regulariter dum incensat populum, ad ingressum Presbyterii ubi est populus, aut alibi, vel ferè à latere Evangelii quando est expositum SS. Sacramentum, ne eidem terga vertat. Gav. hic. Denique incensato populo, idem Thuriferarius, facta altari genuflexione, redit in Sacristiam, vel ad locum ubi faces sunt, quas accendit pro Acolythis, nisi alius id efficiat, & parat thuribulum.

XXI. Postquam celebrans lavit ac tersit manus, sistit se ad medium altaris, ubi alia peragit, quæ in aliis Missis. Præfationem cantat, ad quam Ministri sacri stant post eum inclinantes se, dum dicit *Deo nostro*, & paulò antequam finiatur Præfatio, facta genuflexione, ascendunt hinc inde ad latera celebrantis; Diaconus scilicet à dextris, & Subdiaconus à sinistris ejus: ibique cum eo inclinati

nati manibus junctis, excepto Subdiacono, dicunt *Sanctus* ter. Ad *Benedictus* omnes se signant, excepto etiam Subdiacono, qui Patenam sustinet.

XXII. Postea, facta genuflexione ab iisdem Ministris, Subdiaconus redit ad locum suum in planum post celebrantem, ibique stat, & Diaconus accedit ad sinistram celebrantis, ubi iterum genuflectit, quod facit semper quoties de uno latere recedit ad aliud, ita ut semper genuflectat in recessu, & accessu, non autem in medio. Ibi autem celebranti ministrat, sinistra librum sustentans, dextra folia Missalis vertens, & indicans celebranti, quæ dicenda sunt.

XXIII. Circa medium Præfationis, Ceroferarii descendunt de Credentia, & accedunt ad medium altaris, ubi genuflectunt post Subdiaconum; tum unus accedit ad cornu Evangelii, alter ad cornu Epistolæ, ibique accendunt cereos si qui sunt in majoribus candelabris, infrumentis, seu virgis ad id destinatis, secundum morem locorum pro elevatione SS. Sacramenti, eo modo quo supra notavimus, facie semper ad altare conversa, & sumpto lumine de lampade, vel de cereis, qui sunt ad credentiam, & non de altari, nisi aliter fieri possit.

XXIV. Dum dicitur *Sanctus*, non pulsatur campanula regulariter, nisi sit consuetudo in contrarium. Ita in Capella Sanctissimi N. P. & in multis Ecclesiis. Debent tamen pulsari majores quæ sunt in campanili, ut moneatur populus; & potest ab Acolytha aliquo dari signum majores pulsandi, per signum minoris campanulæ.

## ARTICULUS VIII.

*De Canone Missæ, & aliis usque ad Communionem.*

I. **F**inita Præfatione, Ceroferarii genuflectunt, & Cæremoniario comite, procedunt in Sacrifiæ, de qua duo funalia vel intorticia (non verò candelabra, ut quidam non rectè,) priùs à Thuriferario accensa afferunt ad altare, præcedentibus eosdem prædictis Cæremoniario priùs, & Thuriferario cum thuribulo non fumigante & navicula.

II. Si verò Sacrifiæ sit post altare, sintque duæ portæ, intrant in Presbyterium per por-

tam Evangelii, & postea regrediuntur per portam Epistolæ, si fieri potest, & factis Clero debitis reverentiis, ex praxi Urbis, secundum situm locorum, (nullo modo tamen terga vertentes altari) accedunt ad altare, & cum pervenerint in planum Capellæ, expectant se invicem, si sint plures duobus, scilicet quatuor, sex, aut octo, & formantes rectam lineam, medio inter eos Thuriferario, & etiam Cæremoniario, omnes simul genuflectunt altari post Subdiaconum, & sibi ipsis mutuam faciunt capitis inclinationem & sic postea genuflexi manent, eandem tenentes formam cum æquali distantia inter se, & ab altari tribus, aut quatuor passibus, prout commoditas loci feret. Si tamen sit commodius, præcipue quando facienda est Communio, ipsi Acolythi genuflectunt ad latera ipsius altaris hinc inde facie conversi sibi invicem usque ad postremam elevationem, vel usque ad Communionem, si sit facienda, & in hoc casu digniores sunt Subdiacono proximiores; Cæremon. Cler. Reg. Sancti Pauli l. r. c. 1. Qui verò sunt in parte Epistolæ, tenent faces manu dextra, & qui in parte Evangelii, sinistra. Et quando multi sunt Clerici in choro, Ceroferarii non deferunt prædictas faces ordinarii, sed alii, & numquam unus intorticia duo defert. Thuriferarius verò accedit propius ad gradus post genuflexionem in cornu Epistolæ, & ibi genuflectit, ut infra.

III. Interim celebrans omnia facit, ut in Missa privata, & cum dicit *Quam oblationem tu*, Diaconus facta genuflexione in loco suo, accedit ad dexteram celebrantis, ubi iterum genuflectit, sicut & Subdiaconus, qui tunc super infimum gradum genuflectit, & non priùs; Cæremoniarius verò in cornu Epistolæ super gradum infimum à latere à dextris Thuriferarii, ita tamen ut ipsum Thuriferarium non impediatur ibidem genuflexum, qui paulò ante consecrationem posito incenso à seipso, vel Cæremoniario in thuribulo sine benedictione, Hostiam consecratam, & Calicem pariter consecratum, dum elevantur, triplici ductu thurificat, scilicet quando celebrans adorat Hostiam seu Calicem, quando elevat, & quando deponit cum inclinatione profunda capitis ante, & post. Diaconus etiam dum celebrans adorat Hostiam, non priùs post consecrationem;

nem, & Calicem; elevat aliquantulum posteriores fimbrias Planetæ manu sinistra tenens extremam, & mediam partem, atque eam deponit sine oculis cum Hostiam, aut Calicem ipse deponit.

IV. Adorata Hostia à celebrante post ejus elevationem, ipse Diaconus statim cum ipso celebrante se erigit, Calicem detegit, & iterum genuflectit, donec celebrans pretiosum Sanguinem elevaverit.

V. Si sit Pyxis cum particulis consecrandis, Diaconus, dum celebrans dicit *Qui pridie*, eam detegit, & collocat propè celebrantem, & deposita à celebrante Hostia post ejus consecrationem, & particulas tunc consecratas, statim surgit, eandem cooperit, & reponit in pristino loco, factaque postea genuflexione, antequam discooperiat Calicem consecrandum, adorat cum celebrante simul genuflectente Hostiam super altare repositam, deinde surgit, discooperit Calicem, & iterum genuflectit usque ad depositionem Calicis à celebrante, post ejus elevationem, ad quam ut supra elevat Planetam, & deposito Calice, surgit, cooperit Calicem, genuflectit iterum, & surgit, ut infra: si sit consuetudo, ad utramque elevationem, Cæremoniarius, aut alius pulsat parvam campanulam, ut supra.

VI. Acolythi ferentes intorticia ea elevat æqualiter ad utramque elevationem, calce, id est extrema parte eorumdem infra pectus admoto, qua facta reportant ea cum debitis genuflexionibus, postquam surrexerint, in Sacristiam cum Thuriferario, eaque, ut infra, extinguunt. At si facienda sit Communio, solus discedit Thuriferarius, & Clerici cum suis facibus manent genuflexi, sicut etiam in Missis vigiliarum, quæ jejunantur. & aliis notatis in Rubr. generalibus Missalis tit. 8. num. 8. Excipiuntur tamen vigilia Nativitatis Domini, feria 5. in Coena Domini, Sabbatum Sanctum, vigilia Pentecostes, & feriæ Quatuor Temporum ejusdem Pentecostes. Subdiaconus verò surgit, & stat in loco suo, & reversi Clerici depositis facibus cum genuflexione stant, ut prius, prout Chorus.

VII. In choro post finem cantus *Sanctus*, vel paulò antequam fiat consecratio, ex Jacob. cap. 15. & Missali p. 1. tit. 17. num. 5. omnes genuflectunt usque ad elevationem ca-

Man. Sac. Cærem.

licis inclusivè, qua facta surgunt, nisi in Missis Defunctorum, & aliis, ut infra, & prosequuntur, *Benedictus qui venit*, etiam in Missis Defunctorum. Cærem. Ep. l. 2. c. 8. Et dum fit elevatio SS. Sacramenti, Chorus silet usque ad depositionem calicis post ejus elevationem. Ibidem.

VIII. Diaconus autem facta cum Celebrante genuflexione, postquam cooperuerit Calicem, accedit ad librum, ubi, facta iterum genuflexione, assistit, & ministrat, ut prius, se signans tamen cum celebrante dicente *Omni benedictione*, & percutiens pectus dum dicit *Nobis quoque peccatoribus*.

IX. At dum celebrans dicit, *Per quem hæc omnia*, Diaconus accedit ad dexteram celebrantis, genuflectens in recessu, & accessu, ubi detegit Calicem, genuflectit, surgit, & stat, & dum celebrans signat ter Calicem cum Hostia, dicens *Per ipsum, & cum ipso, &c.* duobus digitis dextræ manus tenet pedem Calicis, Cærem. Episc. l. 1. c. 9. ac reposita Hostia super Corporale, iterum tegit Calicem, genuflectit, ac surgit.

X. Si cogatur Diaconus, postquam Calicem cooperuerit, accedere ad librum, ut ejus folia vertat, genuflectit de more. Jacob. c. 17. & Cærem. Cleric. Reg. Sancti Pauli lib. 1. c. 1. Videntur tamen isti accessus, & recessus importuni. Ideò decentius est, ut statim ac Diaconus accedit ad dexteram celebrantis, Cæremoniarius cum debitis genuflexionibus accedat ad librum, ut vertat folia Missalis, ibique maneat donec Subdiaconus dicturus *Agnus Dei*, accedat illuc, cui tunc locum cedere debet, ut aliàs diximus.

XI. Cum celebrans incipit *Pater noster*, non prius, Diaconus genuflectit, & accedit post eum, ibique stat ad Orationem Dominicam; & dum ipse celebrans dicit, *Et dimitte nobis debita nostra*, Diaconus, & Subdiaconus facta genuflexione in locis suis ascendunt ad cornu Epistolæ, ille ad dexteram celebrantis, hic verò à dextris ipsius Diaconi; & interim unus ex Acolythis, videlicet primus, aut Cæremoniarius, accedit ad cornu Epistolæ super infimum gradum, ubi genuflectit, & postea stat. Tum Diaconus remoto velo à se ipso, vel Cæremoniario ex patena, illam capit, purificatorio extergit, & dat celebranti, ponens eam inter indicem & medium digitum celebrantis, cum inci-

pit *Libera nos* cum osculis patenæ, & manus, & Calicem detegit quando opus est, & genuflectit, nec respondet *Sed libera nos à malo*. Interim Subdiaconus velum ponit inter manus Ministræ, qui facta genuflexione defert ambabus illud manibus ad Credentiam, quod super eam plicatum ponit, & Subdiaconus ibidem genuflectens redit ad locum suum post celebrantem. Cum autem celebrans submittit Patenam Hostiæ, Diaconus detegit Calicem, genuflectit, ac surgit, & deposita particula in Calicem, illum iterum tegit, genuflectit, & stat. Nec tunc ipse Diaconus tenet pedem Calicis, dum celebrans frangit Hostiam. Nec etiam celebrans respondet *Amen*, post *Sed libera nos à malo*, quin prius illud Chorus absolverit; quod etiam Diaconus non respondet, ut non rectè quidam, nec alia ad quæ Chorus.

XII. Dum celebrans dicit *Pax Domini*, Subdiaconus genuflectit, & accedit ad sinistram celebrantis, & cum eo, ac Diacono iterum ibi genuflectit, & surgit, & inclinatus junctis manibus ante pectus, dicit ter *Agnus Dei*, percutiens pectus suum dum dicit *Miserere nobis*, & *Dona nobis pacem*, manu sinistra infra pectus, non super altare posita. Idem facit Diaconus, sicut & celebrans, qui tamen percutiendo pectus suum, manum sinistram ponit super Corporale, Idem etiam faciunt alii Ministri inclinati circa altare.

XIII. Dicto *Agnus Dei*, Subdiaconus facta genuflexione descendit post celebrantem ubi stat, ut alii omnes in locis suis. Diaconus vero statim genuflectit à dextris Celebrantis expectans pacem, & circa finem primæ Orationis se erigit, & cum celebrans osculatur altare in medio, ipse quoque manibus junctis illud osculatur extra corporale, non ponens manus super illud. Tum sinistram genam sinistræ celebrantis appropinquans, ab eo dicente *Pax tecum*, mutuo cum amplexu, accipit Pacem ei respondens *Et cum spiritu tuo*, eique caput inclinat ante, & post; celebrans autem ita dat Pacem, ut manus suas quasi super humeros Diaconi deponat, quo facto prosequitur alias Orationes.

XIV. Diaconus autem, accepta Pace, & facta genuflexione, vertit se ad Subdiaconum per latus suum sinistrum, ne terga vertat Sacramento, & similiter dat ei pacem per mutuam amplexum, cui Subdiaconus

dicenti *Pax tecum*, respondet: *Et cum spiritu tuo*, quod item alii observant in danda, & accipienda pace, ita ut etiam Diaconus, & quicumque dignior, deponat manus, seu innitatur paululum super Subdiaconum, aut alium inferiorem.

XV. Subdiaconus post sumptam Pacem, genuflectit cum Cæremonario, vel alio comite à sinistris, & eam defert in Chorum, quem salutatur ab utraque parte, & ad digniorem de Choro accedit, cui tunc sine ulla reverentia propter reverentiam Pacis, dat osculum eo modo quo eam accipit à Diacono, qua data debitam ei facit reverentiam. Tum dignior ille dat eam sequenti sui ordinis à parte sui Chori, & hic alteri, & sic successivè usque ad ultimum sui Chori. Interim Subdiaconus transit ad alteram partem Chori genuflectens altari, & Pacem pari disciplina dat etiam digniori, ut supra, qui eam subsequenti tribuit.

XVI. Observet autem Subdiaconus, vel quicumque alius Pacem deferens, ut dum eundo, vel transeundo transit ante altare, vel Prælatum aliquem, debitas facit reverentias, & nulli nisi stanti Pacem det per osculum, nec se, nisi postquam ei dedit, inclinet, licet qui accepturus est debeat se semper inclinare danti ante, & post propter Pacem.

XVII. Si sint plures ordines Clericorum, datur semper à Subdiacono Pax ab utraque parte Chori primo, & digniori cujusque ordinis; v. g. si in Cathedrali, aut Collegiata Ecclesia Canonici sint distincti per ordines, datur primò Dignitatibus, tum Presbyteris, & postea Diaconis, & post, aliis per ordinem, & semper qui prius accipit, postea dat subsequenti.

XVIII. Si sit etiam aliqua notabilis distantia inter Clericos ejusdem ordinis, Subdiaconus eam etiam dabit primo, qui est remotus ab aliis sui ordinis, ne ipsi clerici cogantur discurrere ad dandam, aut recipiendam pacem. Si aessent Prælati, aut alii inter Canonicos etiam ejusdem ordinis, qui ante ipsos Canonicos Pacem haberent, ut æquum est; Subdiaconus dabit quidem eam primo ejusdem ordinis, & etiam postea ipsi qui immediatè sequitur Prælatum, aut plures: & tunc ille qui antecedit Prælatum, accipiet quidem à præcedenti se, sed eam nemini dabit. Si in Choro sint Cantores parati, accipiunt pacem à Sub-

diacono ante alios si sit consuetudo, & si sint Canonici, aliās post Canonicos, sicut de Thurificatione diximus; itaut tamen si sint tantum duo, unusquisque illam accipiat à parte sua à Subdiacono (quia sunt in diversa parte Chori) non verò à se ipsis. Si verò sint quatuor, aut sex, datur primo uniuscuiusque partis, & hic eam dabit subsequenti à sua parte, ut supra. Si adsit Episcopus qui non habeat Presbyterum assistentem, convenit, ut Diaconus Pacem ab ipso celebrante accipiat, qui eam postea dabit Subdiacono, & hic Clero, & aliis, ut supra.

XIX. Si danda sit Laicis, per instrumentum tantum datur, & non per Patenam vice Tabellæ, quia prohibetur à Pio Quinto, neque per osculum, & tunc dum dicitur *Agnus Dei*, Cæremoniarius, aut alter stat inclinatus in medio secundi gradus altaris, & cum aliis percutit pectus, & dum celebrans dicit primam Orationem, instrumentum Pacis aptat, & illud tradit Diacono osculandum, & eo recepto defert illud à sinistris Subdiacono, quod ei tradit cum opus est, & ipse, data Pace Clero, porrigit illud Laicis secundum ordinem quem Diaconus servavit in incensatione, ut supra. In multis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, si Subdiaconus sit Canonicus, dat tantum Pacem Canonicis, qua data ipse redit ad altare, ut infra, eamque dat socio, & hic eandem dat in Choro aliis non Canonicis, & postea aliis ministris pari disciplina; si tamen Chorus multum distet ab altari, Subdiaconus dabit pacem alicui beneficiato, puta digniori, qui eam postea aliis distribuet, & tunc Subdiaconus redibit ad Altare cum socio.

XX. Si adsit Presbyter assistens paratus, minister tradit ei etiam prædictum instrumentum osculandum, postquam celebrantem fuerit osculatus, & reliqua peragit quæ Subdiaconus.

XXI. Diaconus autem data pace Subdiacono, statim accedit ad librum, ubi facta genuflexione assistit celebranti, quo dicente *Domine non sum dignus*, profundè se inclinat percutiens pectus manu sinistra infra pectus posita. Et dum celebrans se communicat sub utraque specie, profundè etiam se inclinat versus altare, manibus junctis, non autem in tempore intermedio.

XXII. Subdiaconus data pace in Choro

redit ad altare, ubi facta genuflexione, dat eam Ministro comiti, qui eam distribuit primo Ministro, & hic aliis si opus sit, vel Acolythi sibi ipsis dant pacem ad invicem. Tum ascendit ad dexteram celebrantis, ubi facta genuflexione surgit, & inclinatur se ad *Domine non sum dignus*, & ad utramque communionem Celebrantis, ut Diaconus, discooperiens Calicem, & genuflectens cum Celebrante.

XXIII. Si verò non redierit Subdiaconus è Choro, post sumptam à celebrante Hostiam, dum videlicet quiescit in meditatione SS. Sacramenti, Diaconus, facta genuflexione, accedit ad dexteram ipsius, detegit Calicem, genuflectit, & surgit, & post sumptionem Sanguinis, infundit vinum in Calicem pro purificatione cum quasi osculo ampullæ, quam accepit ab Acolytho, deinde vinum, & aquam pro ablutione, ut infra. Jacob. c. 17. n. 14. Ad Subdiaconum tamen ista spectant, si præsens sit; Diaconus enim servare debet ad librum. Si cum hæc fiunt Subdiaconus redeat de Choro, Diaconus statim redit ad librum genuflectens in recessu, & accessu. Potest tamen celebrans, & valdè convenit, post sumptam Hostiam, eam adhibere moram sufficientem, qua dat tempus Subdiacono redeundi ad altare, ut reverfus ministrare possit ampullas.

XXIV. Post sumptionem pretiosi Sanguinis, vel paulò ante, Thuriferarius, si fortè Ceroferarii teneant funalia, aut eo absente Cæremoniarius defert ampullas cum pelvula ad altare, easque porrigit sine oculis Subdiacono, vel Diacono, ut supra qui vinum pro purificatione infundit in Calicem porrectum à celebrante super altare, & iterum vinum, & aquam super idem Altare, & non extra, ad cornu Epistolæ, pro ablutione, & infuso vino dextera, reddit ampullam Ministro, eademque manu ex alia ampulla infundit aquam in Calicem, non omittens reverentias debitas, & oscula ampullarum tantum.

XXV. Interim alter Acolythus portat velum parvum plicatum de Credentia ad altare in cornu Evangelii, genuflectens in medio, illudque porrigit Subdiacono sine oculis, ut eo Calicem tegat. Deinde cum socio simul hinc inde cereos, qui fuerant accensi pro elevatione, extinguit, eo modo quo diximus, & cum genuflexionibus debitis.

Tum ambo ad Credentiam redeunt, genuflectentes in medio, stantque ibi ad Orationes, vel genuflectunt, prout chorus, usque ad benedictionem celebrantis, ad quam semper genuflexi se signant, Gavantus. At si ipsi Ceroferarii non adhuc deposuerunt facies, quia fortè eas retinent pro communione fidelium, Thuriferarius, aut alius Minister supplere debet ministrando ampullas, & ipse desert velum parvum ad Subdiaconum, depositis prius ipsis ampullis.

## ARTICULUS IX.

De Postcommunione, & aliis usque ad finem Missæ.

I. **P**ost abluionem celebrantis, Diaconus stans à parte Evangelii, desert Missale clausum cum cussino ambabus manibus ad cornu Epistolæ, in medio genuflectens, librumque aperit in folio ubi est Antiphona, quæ dicitur *Communio*, quam præostendit celebranti, ibique manet dum celebrans eam legit. Tum vadit retrò post eum in cornu Epistolæ, & statim procedit cum eo ad medium altaris, ubi stat versus ipsum, dum celebrans versus populum dicit *Dominus vobiscum*: tum redit ad cornu Epistolæ, ubi etiam stat manibus junctis usque ad finem Orationis, seu Orationum.

II. Subdiaconus verò postquam reddidit ampullas Acolytho, accedit ad cornu Evangelii per planum, cedens Diacono gradum altiore (qui ambo eodem tempore genuflectunt transeuntes in medio) ipseque Subdiaconus, ibi mundat, & aptat Calicem, quem Purificatorio, Patena, & Pala tegit, plicat Corporale, quod statim reponit in bursam; tum parvum vellum allatum de Credentia à prædicto Ministro expandit super Calicem, & desuper bursam collocat, illudque velum statim in parte anteriori revolvit super bursam, & Calicem sic dispositum solus per gradus anteriores reportat ad Credentiam, tenens illum sinistra per nodum, dextera super bursam posita, genuflectens in medio super infimum gradum, eumque collocat super eandem Credentiam, partem anteriorem, quæ erat revoluta super bursam, explicans ante Cali-

cem, ita ut omnino tegatur in parte anteriori, ut initio Missæ. Tum redit post Diaconum ad cornu Epistolæ.

III. Interim celebrans legit communionem ex libro, vadit ad medium altaris, dicit *Dominus vobiscum*, & Orationes, ut initio Missæ: Quibus dictis omnino cum conclusionibus suis, relinquens librum apertum, ex Gavanto, quem postea Cæremoniarius claudit, ut suo loco diximus r. p. c. r. redit ad medium altaris, ubi de more dicit *Dominus vobiscum*, versus populum, & responso à Choro *Et cum spiritu tuo*, Diaconus facta genuflectione, ex Gavanto, vertit se, non verò Subdiaconus, ad populum sicut celebrans, & cantat *Ite Missa est*, ut in Missali: si tamen dicit *Benedicamus Domino* vel *Requiescant in pace*, non se vertit versus. Celebrans autem hæc dicere non debet, sed solus Diaconus, ut quidam non rectè. Dicto *Ite Missa est*, celebrans, & Diaconus simul vertunt se per latus Epistolæ ad altare, ipseque celebrans dicit: *Placeat tibi Sancta Trinitas*, ut in Missali: sed prius cantatur à Choro *Deo gratias*.

IV. A feria quarta Cinerum usque ad feriam quartam Minoris hebdomadæ inclusivè, in Missa de feria, dicto à celebrante *Oremus* pro Oratione super populum, Diaconus in cornu Epistolæ stans, junctis manibus, sine genuflectione, vertit se ad populum, per latus suum dextrum, id est per eam partem quæ respicit cornu Epistolæ, dimissisque ad terram oculis, eo modo quo ad *Ite Missa est*, dicit cantando *Humiliate capita vestra Deo*, quo dicto vertit se iterum per eandem viam ad altare, caput inclinans cum Subdiacono, & omnibus aliis, & manibus junctis, dum celebrans dicit eandem Orationem super populum; Acolythi verò manent genuflexi, & manibus junctis prout Chorus, & capite inclinato.

V. Dicto *Placeat*, Diaconus genuflectit paululum ad cornu Epistolæ in secundo gradu, Subdiaconus similiter ascendens ad eundem gradum genuflectit ad cornu Evangelii in æquali distantia à Diacono in opposita parte. Tum celebrans se vertens ad populum, eodem modo, & eadem voce, qua in Missis privatis, semel tantum benedicit populo, tuncque omnes Ministri genuflexi, & alii omnes etiam stantes dextera se signant à fronte ad pectus, sinistra infra pectus posita:

Si ta-

Si tamen Ministri sacri sunt Canonici, profundè tantùm se inclinant, & dum benedictio datur, nihil debet cantari in Choro, ut Clerici sint attentè ad benedictionem.

VI. Subdiaconus post datam benedictionem, accedit statim ad cornu Evangelii, ubi capit tabellam in qua est Evangelium S. Joannis, & eam sustinet ante celebrantem, Diacono stante quasi medio inter eos manibus junctis, ita ut tamen sit paulò post celebrantem, ut ad primum Evangelium; qui cum omnibus aliis se signat, inclinatur, & genuflectit sicut celebrans, excepto Subdiacono tabellam, aut librum sustinente.

VII. Si aliud Evangelium dicendum sit, Subdiaconus dum celebrans dicit *Placeat*, facta genuflexione, ubi est, accedit ad librum, eumque desert ad cornu Evangelii, sed priùs genuflectit in secundo gradu, ut supra, dum datur benedictio, ad quam tunc non se signat, quia tenet librum, & mox surgens Missale collocat super cornu altaris, illud sustinet, ut ad primum Evangelium, & si non sustinet, genuflectit cum aliis.

VIII. Responso à Subdiacono *Deo gratias*, celebrans, & Ministri redeunt quasi ad medium altaris, scilicet Diaconus ad cornu Epistolæ, & Subdiaconus Evangelii, & celebrans omnino ad medium, ubi se inclinatur Cruci, quasi pares, & mox celebrans, & Subdiaconus vertentes se per latus suum dextrum, & faciem ad cornu Epistolæ, Diaconus verò contrario modo per latus suum sinistrum, in planum descendunt ad medium altaris.

IX. Interim Cæremoniarius, aut ejus loco Thuriferarius, vel alius, accipit bireta celebrantis, & ministrorum, & redit post Diaconum, & Ceroferarii cum candelis accensis etiam accedunt ad altare, & collocant se in plano, eo modo quo initio Missæ; tum omnes sic in recta linea collocati, celebrans facit semper debitam reverentiam, alii verò omnes semper genuflexionem, surgunt, & Diaconus accipit biretum celebrantis à Ministro, illudque cum quasi osculo illius tradit ipsi celebranti. Diaconus, & Subdiaconus postea sua etiam accipiunt, & tecto capite, sine ulla alia reverentia, manibus junctis, eo modo quo venerant facta salutatione Choro, ut initio Missæ, in Sacrifiçiam redeunt. At cum illuc pervenerint, facta Cruci, vel imaginè ab omnibus reverentia, nudo tunc capite Mi-

*Man. Sacr. Cærem.*

nistri omnes se profundè inclinant celebranti, qui eos exigua capitis inclinatione resalutat.

X. Deinde ipsi Ministri sacri, sed præcipuè Diaconus, ut initio Missæ, celebrantem exuentem se, & paramenta deponentem adjuvant, & ea paramenta, quæ initio Missæ osculatus est, etiam ei osculanda porrigunt, quæ pariter Diaconus osculatur. Ceroferarii verò depositis candelabris, & extinctis omnino candelis suis, ne fumigent, eosdem Ministros exuentes se adjuvant, celebrantique postea, aquam, bacile, & manutergium ad lavandas, & terendas manus ministrant: & postea, candelas de altari, nisi alius id efficiat, extinguunt, non tamen omnes, si aliqua Hora dicenda sit. Tum minister aliquis, vel iidem ipsi, aut Sacrista redit ad altare, & ad credentiam, genuflectens in medio, si ante altare transit, & inde ea, quæ illuc fuerant asportata pro Missa, in Sacrifiçiam refert, & facta Oratione omnes in pace recedunt, vel in Chorum redeunt, si opus sit.

XI. Assignavimus supra r. p. alium Acolythum præter duos, qui multis possit infervire; sed hoc tantùm videtur faciendum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignioribus. Hic præcipuè serviet de ampullis, procedet ad Altare à sinistris Thuriferarii, & genuflectet ante initium Missæ inter Subdiaconum, & secundum Ceroferarium, stat ad credentiam post eundem, desert ampullas ad Altare, ut supra, sequens immediatè Subdiaconum, non à latere, ministrat aquam ad lotionem manuum ante Præfationem, ministrat ampullas post communionem celebrantis, & redit in Sacrifiçiam finita Missa, eodem ordine quo venerat.

XII. Assignavimus etiam multa Thuriferario, quæ verè ad Cæremoniarium spectant; in his enim Thuriferarius potest ministrare: idque ex industria egimus, cum multæ sint Ecclesiæ insignes, quæ non utuntur Cæremoniario, qui tamen in omnibus non tantùm utilis, sed quidem necessarius admodum videtur, vix enim sine eo quodlibet officium divinum ritè, & ut par est, peragi potest.

XIII. Si ante Missam solemnem facienda sit aquæ benedictio & aspersio Dominicis diebus, servantur ea, quæ supra capite proprio notavimus: Sicut ea quæ infra de Benedictione Candelarum, Cinerum, & Ramorum, suis locis.



## ARTICULUS X.

De Communionem generali, vel particulari  
in Missa solemn.

I. SI facienda sit Communio generalis, vel particularis in Missa, sumpto pretioso Sanguine à celebrante, & nondum vino in calicem infuso pro purificatione ipsius celebrantis, Subdiaconus palla tegit calicem, & eum ultra medium corporalis à parte Evangelii non extra ipsum collocat propter sacras species vini adhuc in ejus fundo relictas, & statim Diaconus accedit ad dexteram celebrantis cum debitis genuflexionibus, & Subdiaconus per planum ad sinistram ipsius celebrantis, qui etiam debitas facit genuflexiones in accessu, & recessu, eo tempore quo Diaconus. Tum ipse Diaconus Pyxidem opertam in qua sunt Hostiæ consecratæ, ponit in medio corporalis cum genuflexione debita, qua posita, eam discooperit, & genuflectit. Quod si sit in Tabernaculo, illud aperit, & genuflectit, & eam etiam ponit super medium corporalis, & ea aperta, iterum genuflectit, celebrante interim, & Subdiacono, aliquantulum in cornu Evangelii, & aliis circum altare genuflexis.

II. Tunc qui communicandi sunt, accedunt ad altare cum debitis genuflexionibus soli, ibique sic manent, aliis de clero semper stantibus. Ex Cærem. Ep. l. 2. c. 29.

III. Aperta Pyxide, & facta genuflexione, Diaconus in planum descendit ad cornu Epistolæ, ibique profundè inclinatus versùs celebrantem dicit manus junctis *Confiteor* alta voce, vel cantando, ut in fine Cærem. Ep. si sit Communio generalis, vel consuetudo.

IV. Celebrans verò, Pyxide aperta, surgit, & genuflectens retrahit se ad cornu Evangelii, ibique Subdiacono stante post ipsum, ex Cærem. Ep. l. 2. c. 29. facie ad altare conversa, expectat finem confessionis. Qua facta ipse stans genuflectit, & convertens se ad Diaconum dicit stans non cantando, sed intelligibili voce *Miserereatur vestri, & Indulgentiam, abolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum, &c.* licet communicandus sit unicus, producens manu dextera signum Crucis super communicandos, cui Diaconus, adhuc inclinatus, respondet *Amen.*

V. Si Diaconus, & Subdiaconus Communionem sunt accepturi, ille facta genuflexione post datam abolutionem, accedit ad partem Epistolæ, ubi genuflexus super gradum secundum altaris expectat Communionem, Subdiaconus verò ante confessionem accedit ad partem Evangelii; ubi etiam genuflexus expectat. Tum, vel etiam citius, Acolythi, qui non tenent faces, vel alii Ministri, extendunt linteum mundum, & genuflexi facie ad se invicem versa, sustinent illud hinc inde, ambabus manibus, per quatuor angulos, quasi jacens, quousque perfecta sit Communio Clericorum, quia Laici Communionem ad cancellos accipere debent, super quos debet extendi linteum, si sint cancelli.

VI. Deinde celebrans accepta pyxide cum genuflexione solita prius, præbet Communionem, præmissis verbis *Eccæ Agnus Dei, &c. & ter Domine non sum dignus* (ad quod non necesse est, ut aliquis pectus suum percutiat) clara voce, & integrè, ut in Missali; primum Diacono, tum Subdiacono genuflexis ante prædictum linteum. Deinde aliis clericis præbet communionem, etiam Acolythi sibi ipsis linteum tenentibus, Cærem. Cleric. Reg. S. Pauli c. 17. l. 2. si alii non sint qui illud teneant. Si autem communicandi sunt Acolythi faces tenentes substituunt sibi alios, donec Communionem acceperint, vel Cæremoniarius curet, ut alii substituatur. Gav. hic.

VII. Si qui Prælati inferiores Episcopo, Sacerdotali tamen charactere insigniti, sint communicandi, aut alii etiam Sacerdotes, accedunt post Ministros Sacros cum habitu choralis, & stola de collo pendente, eisque Diaconus in cornu Epistolæ stans, aliisque de clero præbebit purificationem in aliquo calice si sint in Sacris. Prælati tamen insignes communicari debent ante Ministros sacros.

VIII. Si tamen rationabili de causa aliquis S. R. Eccles. Cardinalis, sive Diaconus, sive Presbyter, vel etiam Episcopus consecratus propter infirmam valetudinem sit communicandus, tunc capit Communionem ante omnes præcedente Mazzerio, & Cæremoniari. à dignioribus de choro in habitu pro ut sunt, qui bini eum sequuntur, associatus, sibi ipsi ob reverentiam SS. Sacramenti caudam trahens, quem sequitur dignior de sua familia, & alii, ibit ad altare, ubi genuflexus

ante infimos gradus adorabit SS. Sacramentum super pulvino. Tum ascendet ad celebrantem stantem versus eum, à quo etiam ipse stans medius inter duos prædictos digniores mantile ante pectus ejus sustinentes, non præmissa Confessione, nec data absolute, nec dicto *Ecce Agnus Dei*, nec *Domine non sum dignus*, Communionem accipiet, non osculando manum ipsius celebrantis, sed tantum faciem post communionem, si celebrans Prælatus sit, aliàs non eum osculatur; & interim omnes, qui eum sequuti sunt genuflexi manent ob reverentiam SS. Sacramenti, & Prælati prædicti; hoc tamen saniori judicio submitto. Cærem. tamen Ep. lib. 2. c. 28. præcipit, ut soli communicandi genuflectant.

IX. Post sumptionem Hostiæ, ille dignior qui eum sequutus est, stans ad celebrantis sinistram, vidente Cardinali, accipit ab assistente Presbytero si adsit, vel à Diacono aliquem Calicem, vel eum cum quo celebratum est, & Purificatorium mundum; tum ipse dignior Calicem prædictum (quo nemo alius uti debet in purificatione) mundat: deinde phialam cum vino puro solo, facta prius de illo in aliquo vase, seu patera per unum ex credentariis, seu domesticis Cardinalis coram eo prægustatione, accipiens infundit in ipsum Calicem, vinum prædictum sine aqua, & sic ipsum calicem offert in manibus Cardinalis, quo, illum capiens, semet purificat. Tum cum gremiali, seu mappa, quem duo digniores sustinent ante eum, eamque prius osculatur, se ipsum tergit. Melius tamen si purificatorium mundum cum osculo offeratur. Denique gratis, & gratulationibus invicem peractis, celebrante tamen profundè inclinatio, & Cardinale mediocriter, Cardinalis ad dexteram celebrantis conversus revertitur, prout venerat. Hæc supradicta Paris Crassus lib. 2. cap. 49. & rectè.

X. Diaconus, & Subdiaconus sumpta communionem, statim se purificant ad credentiam cum Calice ad id præparato, ut supra, quo facto redeunt ad latera celebrantis; hic ad sinistram, qui comitabitur eum manibus junctis, ille verò ad dexteram, ubi Patenam sub mento communicandorum tenebit; experientia enim necessitatem hujusmodi ritus evidenter probat: vel etiam ipse Diaconus purificationem etiam in

cornu Epistolæ porrigit, ut supra, nisi alius Clericus id efficiat, quod decet, vel etiam, nisi confueverint illi Clerici sibi met sumere purificationem ad cornu Epistolæ in credentia; & tunc accepta Communionem recedunt per latus Epistolæ ad eandem credentiam, ut ibi purificationem accipiant, semper autem exeunt à Communionem per latus Epistolæ.

XI. Facta Communionem Clericorum, celebrans descendit ad cancellos, ubi laicos communicat, ante quos Acolythy extendunt linteum, nisi jam sit appositum, ut supra, eisque Clericus aliquis porrigit, ut alio loco jam diximus, purificationem.

XII. Si Diaconus, & Subdiaconus non accipiat Communionem, quia videlicet sunt Sacerdotes, & volunt celebrare Missam, aut alia de causa, data absolute à celebrante, statim hinc inde assistunt ad latera ipsius, ubi conversi ad SS. Sacramentum illi profundè se inclinant, dum celebrans dicit, *Domine non sum dignus*. Decet tamen ut semper Dominicis saltem, & festis diebus communicent, nisi sint Sacerdotes, aut velint celebrare, ex Cærem. Ep. l. 2. c. 31. & ex Conc. Trid. Advertant autem ut qui deferunt faces, neminem impediunt, imò genuflexi maneant ad laterales gradus altaris, facie ad se invicem conversa. Cærem. Cleric. Reg. S. Pauli.

XIII. Ut Communionem honestius fiat, duplex debet adhiberi mappa ad quodlibet altare, ubi fit Communionem, una pro Ministro, aut ministerio, altera pro communicandis: nec honestum est, ut Manutergium celebrantis ad id deserviat, nec prorsus Purificatorium, & à fortiori, nec velum Calicis. Interim dum fit Communionem, tam Clericorum, quam Laicorum, possunt convenienter decantari aliqui Psalmi, aut Hymni, aut Cantica secundum morem locorum, vel organa pulsari.

XIV. Facta Communionem celebrans redit ad altare tenens digitos super Pyxidem, nihil dicens, & dum ascendit, ministri hinc inde elevant simbriam anteriorem vestium suarum, ibi deponit Pyxidem super corporale, genuflectit, & advertit diligenter, si aliquod fragmentum digitis adhæreat, quod in Pyxidem excutit: Diaconus eandem operit cum debitis genuflexionibus, & reponit in Tabernaculum cum debitis iterum genuflexionibus, celebrante, & Subdiacon-

no genuflexis aliquantulum ad latus Evangelii, ac aliis ministris in locis suis, quibus deinde erectis portulam claudit idem Diaconus; celebrans tunc nullam dat benedictionem, sed in fine Missæ tantum, quæ tamen nullo modo datur in Missis Defunctorum.

XV. Advertant autem sacerdotes communicandi, ut stolam habeant de collo pendentem, non in modum Crucis, & Communionem accipiant intra Presbyterium, Laici verò extra.

XVI. His omnibus ritè peractis, celebrans capit de more purificationem, & qui gestant faces surgunt, factaque genuflexione, & sibi ipsis mutua inclinatione, eas referunt in Sacristiam, & redeunt pari modo ad Credentiam, vel in Chorum, si sint alii à Ceroferariis, & amovetur pannus qui erat ante Communicandos ad cancellos, nisi post Missam facienda sit iterum Communio. Et tunc, (si fiat rationabili causa) celebrans adhuc cum Planeta eadem agit, quæ in Communionem ordinaria, & qui deferunt faces ad elevationem, non eas referunt, nisi post prædictam Communionem, unde præstat, ut eo casu alii à Ceroferariis easdem faces gestent.

### C A P U T IX.

*De alia Missa minùs solemnem cum Ministris Sacris.*

I. **E**st præterea alia Missa solemnem ab ea de qua egimus, quæ diebus profestis, & etiam festivis, dicitur in quibusdam Ecclesiis Collegiatis, ut inter festa, & profesta, vel inter solemnem, & minùs solemnem, quædam appareat differentia.

II. Aliquando enim cantatur cum Ministris, sed absque altaris incensatione, & Choris, sine credentia, & Pace, & in his Subdiaconus paratus portat Calicem, Diaconus item paratus librum, vel vice versa, dum procedunt ad Altare. Diaconus, deposito libro, descendit ad celebrantem, cum quo facit confessionem, & Subdiacono, qui etiam explicato Corporali collocat calicem in medio Altaris, vel id peragit Diaconus. Eodem etiam modo redeunt in Sacristiam finita Missa. Alia etiam observantur secundum morem

locorum, & Congregationum; sed hæc omnia, & similia tolerantur potius, quam conceduntur, cum videantur contra Rubricas Missalis, quæ nullam Missam præscribunt præter solemnem, aut privatam, de quibus supra.

III. Sunt etiam aliæ Missæ, quæ quidem cantantur in quibusdam minoribus Ecclesiis sine Ministris sacris cum aliqua solemnitate, de quibus duobus sequentibus capitibus, ut omnibus satisfaciamus, ob devotionem populi. Rarò tamen sic cantari, & celebrari debent, & tantum in Ecclesiis in quibus vix est sufficiens Ministrorum numerus, ut in quibusdam Ecclesiis Collegiatis minoribus, & Parochialibus, & Regularibus secundum earum consuetudinem.

### C A P U T X.

*De Missa solemnem sine Ministris Sacris, sed cum duobus Ceroferariis, Thuriferario, & alio Acolycho.*

I. **A**n tequam celebrans induat se, præparentur in mensa aliqua seu parva credentia omnia necessaria, non tamen velum oblongum, nec Calix, quia in medio Altaris collocari debet per Sacristam vel alium, super Corporale explicatum, & Missale apertum cum cussino super altare.

II. Tum celebrans hora competentem facta oratione, lotis, ac terfis manibus capit paramenta adjunctus ab Acolythis cottis indutis: & si non sit faciendæ aquæ benedictæ aspersio, sic paratus, & discoopertus, imponit, si sit consuetudo, thus in thuribulum eo modo quo dictum est supra, ministrante uno Acolycho naviculam, & alio Acolycho thuribulum. Tum procedit ad altare tecto capite, præcedentibus Thuriferario à dextris alterius Acolythis, & duobus Ceroferariis nudo capite.

III. Ad altare biretum dat Acolycho, debitamque facit reverentiam, alii verò genuflexionem. Tum Ceroferarii deponunt candelabra sua super credentiam, ibique genuflectunt, donec celebrans ascendat ad altare. Acolythus biretum celebrantis deponit loco congruo, qui mox redit ad sinistram

Celebrantis, ubi genuflexus super planum cum Thuriferario à sinistris, respondet celebranti ad Psalmum *Juda me Deus*, & ad alia.

IV. Si fit aquæ benedictæ aspersio, Missale deponitur tantum super credentiam. Ad altare celebrans non procedit cum thuribulo, sed Thuriferarius, seu alius defert vas aquæ benedictæ, & celebrans cum Pluviali paratus sine manipulo, & ad altare genuflexus, aspergit, dato ei aspersorio à ministro cum osculis debitis, altare ut supra, & se ipsum genuflexus. Tum procedit statim cum ministro de aqua, & alio elevante Pluviali ejus à dextris, ad chorum, ibique clericos aspergit: postea Ministros ad altare, ac populum circumstantem.

V. Aspersione facta celebrans ad altare cantat versus, & Orationem ex libro, quem Acolythus tenet à sinistris ejus, non ante ne terga vertat altari, qua finita minister defert librum ad cornu Epistolæ cum genuflexione in medio, tum rediens ad celebrantem, ipsum exiit Pluviali, quod facta genuflexione defert in Sacristiam, & inde sumpto thuribulo, si altare sit incensandum, cum igne; & navicula, redit ad altare, ubi genuflexus ad dexteram celebrantis, in plano aliquantulum agitat thuribulum.

VI. Alius verò Acolythus, vase deposito in Sacristia, si illud Thuriferarius non defert, vel loco congruo, capit Planetam, & manipulum de dicta Sacristia, vel loco proximiori, illaque circa finem Orationis defert ad celebrantem. Deinde genuflexus ad sinistram illius, prosequitur Psalmum, & Confessionem, ut supra.

VII. Finita Confessione, Celebrans ascendit ad Altare, ubi illud osculatur, & incensat si sit consuetudo, duobus prædictis Acolythis hinc inde elevantibus Planetam ejus. Interim unus ex Ceroferariis amovet Missale de altari cum genuflexionibus ante, & post.

VIII. Finita incensatione altaris, Thuriferarius cum osculis solitis Thuribulum recipiens, & incensat celebrantem, & thuribulum loco congruo deponit, & responderet ipsi ad *Kyrie* stans ad cornu Epistolæ, manibus junctis.

IX. Dum celebrans dicit Orationem primam, vel ultimam, Acolythus minister, vel alius ex ministris, capit de credentia librum Epistolarum, & in loco consueto, facta

prius genuflexione altari, cantat Epistolam de more, qua cantata, sine osculo manus celebrantis, & benedictione ipsius, facta tamen altari genuflexione, reportat librum super Credentiam. Interim verò primus Ceroferarius stans in plano ad cornu Epistolæ, manibus pectori decenter compositis, & non junctis, respondet *Deo gratias*, & Celebrans prosequitur reliqua usque ad *Munda cor meum*.

X. Circa finem Gradualis, & *Alleluja*, vel Tractus, vel Sequentiæ, celebrans accedit ad medium Altaris ubi (imposito prius thure in thuribulo cum benedictione, ministrantibus Thuriferario thuribulum, & alio Acolytho naviculam, ut initio Missæ (dicit *Munda cor meum*; & interim Acolythus ipse defert Missale cum cussino ad cornu Evangelii, genuflectens in medio.

XI. Interim etiam Ceroferarii acceptis candelabris tempestivè accedunt cum thuriferario præcedente habente thuribulum fumigans, & naviculam, ad Altare, genuflectentes in medio. Tum celebrans accedit ad cornu Evangelii, & Thuriferarius, sicut & Ceroferarii per planum ad idem cornu accedunt, extra gradus ipsius: ibique firmat se Thuriferarius medius inter dictos Ceroferarios stantes facie ad celebrantem conversa, quasi librum in medio sui habentes.

XII. Finito cantu in Choro, celebrans dicit *Dominus vobiscum*; signat librum, & se de more. Deinde tradito sibi à Thuriferario cum solitis osculis thuribulo, librum incensat de more sicut Diaconus, tum prosequitur Evangelium, reddito prius thuribulo Thuriferario, qui firmat se in eodem loco in quo antea, thuribulum leviter agitans.

XIII. Finito Evangelio, respondent Acolythis *Laus tibi Christe* voce submissa, & osculato libro à celebrante, incensatur in eodem loco stans. Tum accedit ad medium altaris, sibi ipsi librum appropinquans, & ibi cantat, vel *Credo*, si opus sit, vel *Dominus vobiscum* versus populum, & interim ministri recedunt ad credentiam genuflectentes in medio, ex quibus unus scilicet Acolythus minister, vel primus Acolythus, illo deficiente, redit ad cornu Epistolæ, si dicitur *Credo*, ubi genuflexus manet, & ad versum *Et incarnatus est*,  
si ce-

fi celebrans genuflectit supra gradum superiorem, posteriorem partem Planetæ super pedes ejus adaptat.

XIV. Finito Symbolo, vel si non sit dicendum, dum Celebrans dicit Offertorium, Acolythus defert ampullas vini, & aquæ in pellicula ad Altare, easque celebranti offert cum osculis earum tantum, & cum debitis reverentiis, & easdem receptas reportat ad Credentiam, atque mox redit ad Altare, cum debitis genuflexionibus, ut ministret naviculam, & adjuvet à parte sinistra Celebrantem dum Altare thurificat, ut initio Missæ: eoque thurificato, & postea Celebrante, Chorus etiam, & populus à Thuriferario incensantur. Deinde redit ipse in Sacristiam, ut ibi funalia pro Acolythis accendat.

XV. Dum celebrans incensat Altare, primus Ceroferariorum amovet Missale cum cussino, & reponit, ut supra dictum est, incensato cornu Evangelii. Interim secundus accipit ampullam aquæ cum pellicula, & primus reversus etiam ad credentiam, mappulam, & ambo ministrant aquam & mappulam ad lotionem, & extersionem manuum celebrantis, eodem modo quo in Missa solemnī, cum debitis reverentiis, & quasi osculis ampullæ, & manutergii, & postea recedunt.

XVI. Quando celebrans dicit *Orate fratres*, Acolythi genuflexi respondent *suscipias Dominus, &c.* Dum dicit Præfationem, unus Acolythus, vel duo, accendunt candelas, si quæ sint in majoribus candelabris, unusque postea pulsat campanulam dum dicitur *Sanctus*. Tum ambo procedunt in Sacristiam, ubi faces suas accendunt, si jam non sint accensæ, & tempestivè, dum finitur *Sanctus* à Choro, redeunt ad Altare præcedente Thuriferario, & ibi se collocant, ut in Missa solemnī. Acolythus Minister genuflexus à dextris celebrantis in supremo gradu Altaris, elevat posteriorem partem Planetæ ipsius celebrantis, ad utramque elevationem sinistra sua; at verò dextera pulsat de more campanulam, & Thuriferarius etiam de more thurificat Sanctissimum Sacramentum.

XVII. Facta elevatione calicis redeunt

in Sacristiam, excepto Acolytho ministro, qui remanet genuflexus ad cornu Epistolæ. Si tamen detur Communio, non recedunt Ceroferarii. Ubi reversi sunt Acolythi prædicti, unus ad credentiam redit, scilicet secundus, alter ad Altare manet genuflexus in cornu Evangelii. Ad *Nobis quoque peccatoribus, Agnus Dei, & Domine non sum dignus*, pectus percutiunt, & se signant cum celebrante dum dicit *Omni benedictione cælesti*. Detur pax per instrumentum tantum, si sit consuetudo. Si facienda sit Communio, serventur respectivè ea, quæ supra dicta sunt.

XVIII. Paulò ante sumptionem Sanguinis Acolythus minister surgit, & capit ampullas de credentia cum bacili pro purificatione, & ablutione celebrantis, qua facta, celebrans adaptat Calicem, & ponit illum in medio Altaris, ut in Missa privata, & interim alius Acolythus defert librum cum cussino ad cornu Epistolæ, & extinguuntur candelæ majorum candelabrorum per alios, qui postea redeunt ad loca sua, ubi stant ad Orationes; sed genuflexi capiunt benedictionem à celebrante, post Orationes, & ad eam se signant. Si dicatur proprium Evangelium, defertur Missale à Ministro ad cornu Evangelii, qui genuflectit in medio dum accipit benedictionem.

XIX. Initio Evangelii omnes se signant, & postea cum celebrante genuflectunt, eoque finito Ceroferarii, sumptis candelabris redeunt ad altare, præcedente Thuriferario biretum deferente celebrantis.

XX. Finita Missa, celebrans facit reverentiam Cruci, descendit in planum, debitam facit reverentiam, ministris genuflectentibus, accipit biretum, & eo ordine quo venerat redit in Sacristiam, in qua facta Cruci reverentia, deponit paramenta sua. Acolythus minister redit ad altare, indeque reportat in Sacristiam ea omnia, quæ ad altare, & credentiam priùs allata fuerant. Et interim Ceroferarii aquam, bacile, & manutergium offerunt celebranti, ad lavandas, & tergendas manus.

CAPUT XI.

De Missa cum duobus Acolythis solis.

I. Poteſt etiam aliquando dici Miſſa cum duobus Acolythis cottis indutiſ, ob exiguum Clericorum numerum: hora ergo competenti parantur à Sacriſta, vel Acolytho ea quæ ſunt neceſſaria ſuper altare, videlicet Calix, Miſſale, & Cuſſinus: & ſuper credentiam alter liber pro Epiſtola cantanda, & alia.

II. Celebrans verò hora congrua accipit de more in Sacriſtia, facta priùs Oratione, & lotis manibus, ſacra paramenta, adjuvante Acolytho Miniſtro, & ſic paratus procedit ad altare, ſequens duos Miniſtros pares incedentes, ibique facta debita reverentia, dato priùs bireto primo Acolytho ſtanti à dextris ſuis, incipit Miſſam de more, reſpondentibus prædictis duobus Acolythis, hinc inde in plano genuflexis.

III. Si ante Miſſam fiat aſperſio aquæ benediſtæ, Miſſale ipſius celebrantis ponitur tantum ſuper credentiam initio; & primus Acolythus habens à ſiniſtris alium, procedit ad altare ante celebrantem alba, & ſtola, vel etiam Pluviali, ſi fieri poſſit, indutum, ferens vas aquæ benediſtæ. Ante altare celebrans depoſito bireto in manu alterius Acolythi genuflexit, & ſic genuflexus, accepto aſperſorio à miniſtro, qui priùs illud, & poſt manum celebrantis oſculatur, aſpergit de more altare, ſeipſum genuflexum, & poſteà alios, ut ſuprà.

IV. Facta aſperſione primus Acolythus deponit vas in loco congruo, capit librum de credentia, & illum tenet à ſiniſtris celebrantis, qui ex eo cantat verſus, & Orationem. Interim alter Acolythus adfert de Sacriſtia manipulum, & Planetam celebrantis, & Oratione finita, primus collocat Miſſale ſuper altare, & adjuvat ſocium ſuum exuentem celebrantem Pluviali, eumque induit manipulo, & Planeta: alter verò Pluviale reportat in Sacriſtiam, indeque redit ad altare, ubi genuflexus in plano à ſiniſtris celebrantis, reſpondet cum ſocio eidem celebranti facienti Confeſſionem.

V. Peracta Confeſſione ambo ſurgunt, & primus ſtat propè celebrantem dum di-

cit Introitum, ad quem ſe ſignat, & reſpondet celebranti ad *Kyrie eleiſon*, quo finito ambo genuflexunt. & ſic permanent, niſi fortè ex accidenti ſurgere debeant ad Epiſtolam, & alia, ut infra.

VI. Circa finem primæ, vel ultimæ Orationis, primus Acolythus capit librum de credentia, & cantat Epiſtolam, ut capite præcedenti, qua finita, redit in locum ſuum, ut ſuprà. Alter verò accedit ad celebrantem, ubi reſpondet ſtans *Deo gratias*, in fine Epiſtolæ.

VII. Circa finem Gradualis, primus deſert Miſſale cum cuſſino ad latus Evangelii, eoque poſito, redit ad locum ſuum in plano; celebrans verò cantat Evangelium de more, ad quod ambo hinc inde in plano ſe ſignant, & genuflexunt, quando opus eſt, eoque dicto, genuflexunt.

VIII. Lecto Offertorio à celebrante, primus ampullas ei miniſtrat. Ad lotionem manuum ipſius idem miniſtrat ampullam aquæ, & bacile, alter mappulam, & ille deſert campanulam ad Altare pulſandam de more ad *Sanctus*, & ad elevationem, & ambo reſpondent celebranti *Orate Fratres* dicenti.

IX. Ad *Sanctus* primus campanulam pulſat, accendit cereum unicum, vel duos cereos, ſi tot ſint. Tum reverſus ad ſupremum gradum altaris, genuflexus, dexteram pulſat campanulam, & ſiniſtra elevat Planetam ad elevationem.

X. Accenſis ut ſuprà cereis, ſi plures ſunt ſecundus Acolythus, facta genuflexione, vadit in Sacriſtiam, & accenſis duabus facibus unam capit, alter verò deputatus ad id de Choro accipit aliam, eaſque ambo deſerunt ad altare pro elevatione SS. Sacramenti, ut ſuprà; qua facta, ſurgunt; primus verò Acolythus deponit campanulam, & deſcendit ad cornu Epiſtolæ, ubi manet genuflexus in infimo gradu; alii verò reportant funalia, præterquam in Miſſis Deſunctorum, & vigiliis, & feriis ſuprà notatis, & quando facienda eſt Communio. Mox ſecundus redit ad altare, & genuflexus manet in cornu Evangelii; alter verò qui geſtabat aliam facem redit in Chorum. Si tamen non ſunt alii Acolythi quàm illi duo, qui ad altare miniſtrant, non deſeruntur faces, & tunc ſecundus Acolythus manet genuflexus, ut ſuprà, & ambo

se signant, & pectus percipiunt, ut supra, cum celebrante: si faciendā sit Communio ferventur, quæ supra.

XI. Paulò ante sumptionem Sanguinis, primus Acolythus surgit, defert campanulam ad credentiam, capit ampullas cum bacili, & ministrat eas celebranti cum oculis earum tantum, & inclinationibus solitis. Tum redit ad altare, ubi extinguit cereum, qui est à parte Epistolæ, ibique postea genuflectit, ut prius. Secundus verò surgit dum celebrans se purificat, defert librum ad cornu Epistolæ, & postea, si opus sit, extinguit alium cereum, qui est in cornu Evangelii, ibique genuflectit ut prius.

XII. Ad Benedictionem ambo genuflexi, se signant, sicut ad Evangelium stantes; & si aliud Evangelium sit legendum, primus Acolythus mutat librum, & ad cornu Epistolæ redit, ubi capit biretum celebrantis.

XIII. Finita Missa, celebrans descendit in planum, ubi facta debita reverentia, & sumpto bireto, redit in Sacristiam, ut venerat; ubi Acolythi, facta Cruci reverentia adjuvant celebrantem dum se exiit, & ministrant aquam, & manutergium, ut initio Missæ.

### C A P U T XII.

*De alia Missa que cantatur cum uno solo Clerico.*

I. **D**icitur etiam aliquando Missa cum uno solo Ministro, ut in Missali notatur, ad quam celebrans potest federe ad *Kyrie, Gloria, & Credo*, & alia. Altare numquam thurificatur, nec datur Pax, nisi fortè cum instrumento.

II. Ad Epistolam celebrans sibi respondet *Deo gratias*. Ad versum *Et incarnatus est*, celebrans, si est ad Altare, genuflectit super altiorem gradum Altaris. Clericus cum cotta, facta confessione, ascendit ad cornu Epistolæ quasi à dextris celebrantis, sed paulò post eum, ibique stans respondet cum opus est ad *Kyrie eleison* submissa voce, sed aliquantulum elevata; quo dicto genuflectit ibidem.

III. Circa finem primæ aut ultimæ orationis, accipit de credentia librum Episto-

larum, & facta genuflexione in medio altaris super infimum gradum, cantat, in loco consueto, Epistolam, ut supra; & ea cantata, facta iterum genuflexione, librum reponit super credentiam sine osculo manus celebrantis, & sine benedictione. Tum defert Missale cum cussino ad cornu Evangelii, & alia peragit ut in Missa privata. Si sint duo cerei, accendit eos paulò ante elevationem, & extinguit post Communionem.

IV. Regulariter genuflexus manet ut in Missis privatis nisi ex accidenti surgere cogatur, ut ad Epistolam, & alia.

### C A P U T XIII.

*De Missa solemnī pro Defunctis.*

I. **A**ltare parari debet pallio nigricoloris, sine ullis figuris mortis, lacrymarum, ossium in modum crucis, aut aliarum hujusmodi, ex Cærem. Ep. lib. 2. c. 11. Sint super illud sex, vel pauciora secundum exigentiam candelabra materiæ obscuræ, cum totidem candelis ceræ communis, nisi voluntas hæredum, aut aliorum, ad quos spectat, in usum ceræ albæ tendat. Gradus ipsius altaris sint nudi, nisi fortè super suppedaneum ipsius altaris tantum extendatur tapetium nigrum. Tabernaculum SS. Sacramenti, si adsit, velo violaceo, & non nigro tegatur; nullæque super idem altare Reliquiæ, vel imagines Sanctorum, flores, vasa, aut alia idigenus ad ornatum pertinentia, ponantur, sed tantum Crux, & candelabra.

II. Credentia brevi mappa, & simplici contegatur, ita ut parumper tantum circa illam dependeat, & in ea omnia, excepto velo oblongo Subdiaconi, ut in Missa solemnī apponantur, & præterea collocetur ibidem vas aquæ benedictæ cum aspersorio, & Rituale Romanum pro absolutione, si faciendā sit. In medio Ecclesiæ, si opus sit, vel alio loco congruo ad id destinato, paretur tumulus, seu lectica mortuorum, seu Castrum doloris, quod Galli vocant capellam ardentem pro Magnatibus, si velint hæredes, & hinc inde à lateribus ponantur scanna cum foraminibus, pro funalibus, seu intorticiis ponendis circa lecticam: vel sal-

tem

tem illis deficientibus collocentur quatuor candelabra alta, vel plura, cum quatuor intorticiis ardentibus aut pluribus ad quatuor lecticæ angulos pro qualitate defuncti, & sint ita distantia ab ea lectica, ut inter eandem, & prædicta candelabra, celebrans, & Diaconus à dextris commodè transire possint ad incensationem, ut infra, pro absolutione facienda; possunt tamen poni prædicta scabella juxta angulos castri doloris, aut lecticæ, itaut illi sint contigua.

III. In Sacristia, parata sint paramenta nigra pro celebrante, & Ministris, & Crux Processionalis pro Absolutione in fine Missæ, vel potius poni debet antequam Officium inchoetur, prope Altare ad partem Epistolæ, in loco congruo, & honesto: possunt etiam parari in prædicta Sacristia pluvialia pro cantoribus ad Missam, si sit consuetudo.

IV. Hora competenti, vel dum Nona dicitur, celebrans facta brevi Oratione (non enim dicit Orationes præparatorias solitas, id est, Psalmos *Quam dilecta*, &c. ex Cær. Ep. l. 2. c. 11.) lavat manus, & ministris de more adjuvantibus induit se paramentis, dicens orationes solitas, & osculando crucem in medio Amictus, manipuli, & stolæ (quod etiam observat in fine Missæ dum illis se exiit) & similiter Ministri parant se eodem modo, capientes Dalmaticam, & Tunicellam.

V. Tum procedunt ad altare, ut in alia Missa: sed tamen Thuriferarius manibus junctis sine thuribulo, vel convenientius non procedit, nisi vices gerat cæremoniarum. Ceroferarii facta debita reverentia Altari deponunt candelabra super credentiam de more (quorum cerei toto Missæ tempore remanent accensi. Gay. ibid.) ibique manent genuflexi. Non incensatur altare initio Missæ; sed ministri, facta confessione, ascendunt cum celebrante ad altare, ubi de more genuflectunt, & statim accedunt ad dexteram celebrantis, dum dicit Introitum, ut in aliis Missis. Ad Introitum celebrans non signat se, sed librum manu à parte sinistra super eundem librum posita. Semper Introitus dicitur in plurali, licet pro uno tantum dicatur Missa. Ministri nihil prorsus osculantur in hac Missa, nec in absolutione, nec initio Introitus se signant.

VI. Acolythy, & Thuriferarius genuflectunt ad Orationes, sicut chorus, usque ad finem ultimæ Orationis, excepto fortè Thu-

riterario comitante loco Cæremoniarum Subdiaconum ad Epistolam, qui non osculatur manum celebrantis in fine ipsius, sed ea cantata, & facta altari debita reverentia, tradit in cornu Epistolæ librum suo socio, & Missale celebrantis desert ad cornu Evangelii, genuflectens in medio, ibique assistit celebranti dum legit Evangelium.

VII. Celebrans non dicit *Jube domne benedicere*, &c. nec in fine Evangelii *Per Evangelicam dicta*, quia non osculatur librum. Si post Evangelium dictum à celebrante, sedendum est propter Sequentiam, Subdiaconus præcedit, facta genuflectione altari; vel si non sit sedendum, descendit in planum, & stat ibi in loco suo, ut in alia Missa, inter cornu Evangelii, & medium Altaris.

VIII. Si distribuendæ sint candelæ in choro, quod accidit præsertim in Exequiis, aut in absolutione, distribuantur per Sacristam, aut alium post Epistolam, ita tempestivè, ut omnes sint accensæ ad Evangelium; accenduntur etiam paulò ante elevationem, & sic remanent usque ad communionem inclusivè, ac denique ad sepulturam, vel absolutionem. Potest deputari aliquis Minister qui teneat in choro candelam accensam pro accendendis candelis ad Evangelium, elevationem SS. Sacramenti, & ad absolutionem.

IX. Diaconus non petit benedictionem, sed dum celebrans incipit Evangelium, suum portat librum, ut moris est, ad medium altaris, & postea accedit ad sinistram celebrantis, & eo finito, redit post celebrantem inter cornu Epistolæ, & medium altaris in secundo gradu usque ad versum *Oro supplex*. Si verò celebrans sedeat propter Sequentiam ut supra, Diaconus etiam ad ea verba *Oro supplex* accedit solus ad medium altaris, & in plano ipsius genuflectus super infimum gradum, stantibus aliis ministris, dicit *Munda cor meum*. Quo dicto, Ceroferarii sine candelabris, & Subdiaconus tantum, accedunt ad altare, ibique omnes simul genuflectunt, surgunt, & procedunt ad locum Evangelii, præcedente cæremoniarum, quem immediatè sequitur Diaconus, tum Subdiaconus, denique Ceroferarii manibus junctis sine Thuriferario, nisi ipse suppleat vices Cæremoniarum, quia tunc præcedit, & non incensatur liber. Acolythy ergo stant manibus junctis à lateribus Subdiaconi hinc inde,



de, & se signant sicut Diaconus. Jacob c. 11.

X. Dum Ministri procedunt ad locum Evangelii, celebrans per gradus laterales ascendit ad cornu Epistolæ, modò sedeat, alias non ascendit, & ibidem cruci se inclinat, & stat facie ad Diaconum versa cantantem Evangelium, in cuius fine celebrans ipse non osculatur librum, nec incensatur.

XI. Subdiaconus verò reversus cum Diacono ad medium Altaris, ubi genuflectit à sinistris Diaconi, statim tradit librum ministro, & stat post Diaconum, dum celebrans dicit *Dominus vobiscum*, & *Oremus*. Quo dicto, Diaconus genuflectit, & accedit ad dexteram celebrantis. Subdiaconus item facta genuflexione vadit ad credentiam, ubi sumit calicem sinistra cum parvo velo, & bursam cum corporali desuper positam, illaque desert manu dextra super bursam posita, ad Altare cum Cæremoniario, & Acolytho cum ampullis sequente. Celebrans non benedicit aquam, idèd Subdiaconus non dicit *Benedicite Pater Reverende*.

XII. Si facienda sit Oblatio à populo, fiat statim post lectum à celebrante Offertorium, & ad eam non deferantur candelæ, quia accendi debent ad elevationem ut supra, nisi fortè aliæ ad id distribuantur. Et certè conveniret ut offerentes nihil prorsus osculentur, quia prohibentur oscula in hac Missa, ex Missali, Gav. & aliis.

XIII. Infusa aqua in Calicem, Subdiaconus facta genuflexione in medio altaris super infimum gradum, vadit ad sinistram celebrantis, eumque adjuvat à parte sua, sicut Diaconus ad incensationem Oblatorum, posteriori partem Planetæ ipsius sublevando, quia Patenam non sustinet in hac Missa.

XIV. Finita altaris incensatione, solus celebrans incensatur, & Episcopus, si adfit, licèt non sit paratus; unus ex Acolythis, aut Cæremoniarius ministrat aquam, & pelvim ad lotionem manuum celebrantis; & Diaconus à dextris, & Subdiaconus à sinistris celebrantis, facie ad eum conversa, vel ad se ipsos habentes ministrum medium, & stantes supra gradum viciniorem suppedaneo, eidem celebranti ministrant manutergium sine osculis prorsus. Deinde redeunt ad loca sua, ubi Diaconus respondet *Suscipiat Dominus Sacrificium*, celebranti dicenti *Orate fratres*. Si adfit cæremoniarius, accedit ad li-

brum, ut folia vertat loco Diaconi; si verò desit, Diaconus id præstabit, & statim redibit ad locum suum cum genuflexionibus debitis.

XV. Circa finem præfationis Diaconus, & Subdiaconus de more dicunt *santus*, & *Benedictus* cum celebrante. Tum Subdiaconus descendit post celebrantem, & Diaconus ad librum accedit, & stat ut in aliis Missis.

XVI. Dum celebrans dicit *Hanc igitur oblationem*, Subdiaconus, facta genuflexione, accedit ad cornu Epistolæ, ubi, ministrante Thuriferario cochlear, imponit sine benedictione thus in Thuribulum, eoque accepto ab ipso Thuriferario, SS. Sacramentum incensat loco Thuriferarii, ministrante interim Diacono ad dexteram celebrantis, de more, & Thuriferario genuflexo in plano à sinistris Subdiaconi.

XVII. Facta elevatione, Subdiaconus redit Thuribulum Thuriferario, & erectus genuflectit iterum, & redit ad locum suum, ubi iterum genuflectit, & stat ibidem usque ad *Agnus Dei*; Diaconus verò redit ad librum, & Ceroferarii manent genuflexi usque ad Communionem. Thuriferarius cum debitis reverentiis redit in Sacristiam, & inde deposito Thuribulo, & aptatis carbonibus pro absolutione, vel Exequiis, redit ad credentiam, ubi genuflectit prout chorus.

XVIII. Cum celebrans dicit *Et dimitte nobis*, &c. solus Diaconus genuflectit, & accedit ad dexteram celebrantis, ubi patenam Purificatorio, & corporali tectam, detegit, extergit, & sine osculis offert celebranti, & Calicem detegit, & iterum tegit, quando opus est, & cum celebrante adorat.

XIX. Ad *Agnus Dei*, Diaconus, & Subdiaconus hinc inde illud dicunt cum celebrante non percutientes pectora sua. Tum mutant locum cum debitis genuflexionibus in accessu, & recessu. Non datur Pax, nec Benedictio in fine Missæ. Diaconus dicit semper *Requiescant in pace* in plurali, & cum celebrans dixerit *Placeat tibi*, osculatur altare, & legit Evangelium de more assistentibus ministris, ut in alia Missa.

XX. Si habeatur sermo, fiat in fine Missæ tantum, ante absolutionem, accepto prius à celebrante pluviali, vel eo deficiente, maneat in alba cum stola in modum crucis sine manipulo. Ministri tamen non deponunt paramenta, sed manipulos tantum. Pulpitum

tum seu Cathedra nigro panno operiatur, Carem. Episc. l. 2. c. 11. Concionator non petit benedictionem, nec salutationem Angelicam recitat, sed statim, facto signo Crucis, facit sermonem.

## C A P U T XIV.

## De Absolutione post Missam.

I. **F**inito Evangelio Sancti Joannis, celebrans cum Ministris Sacris accedit ad cornu Epistolæ, facta debita reverentia in medio, & descendit in planum, ubi deponit Planetam, & Manipulum, sicut ministri etiam deponunt suos in loco congruo cum eodem & Planeta ipsius celebrantis, & interim aliquis ex Acolythis adfert Pluviale nigrum ad celebrantem, quo statim induitur adjutus à Diacono, & Thuriferarius accipit Thuribulum, & alter Acolythus vas aquæ benedictæ cum asperforio, & Rituali, si alius non sit qui illud deferat. Subdiaconus verò accipit Crucem Processionalem, & medius inter duos Ceroferarios candelabra sua accensa deferentes, eam deferat ad medium altaris sine ulla reverentia ab ipsis; tum ordinatur Processio ad lecticam hoc modo.

II. Præcedit Thuriferarius habens à sinistris alium Acolythum vas aquæ benedictæ portantem cum asperforio, & Rituali; vel alius, si sit consuetudo, illud Rituale portat ante omnes. Deinde sequitur Subdiaconus cum Cruce (cujus imago Thuriferarium respicere debet, quod aperte colligitur ex Missali, cum celebrans ante eam transiens eidem se debeat inclinare, & Diaconus genuflectere, ex Gavanto) medius inter Ceroferarios. Postea Cæremoniarius, si adsit, tum Clerus ordine suo, & denique celebrans cum Diacono à sinistris, qui sumpto Pluviali statim accedit ad medium Capellæ, seu Presbyterii in plano, & hi omnes prius debitam faciunt reverentiam altari, exceptis Subdiacono, & Ceroferariis, & sic procedunt nudo capite, excepto solo celebrante.

III. At si chorus fit retrò post Altare, Clerici exeunt ex eo bini per utrumque latus, præeuntibus junioribus, candelas accensas deferentes si habeant. At si facienda sit absolutio juxta, & ante Chorum, fortè non opus est, ut Clerici de Choro procedant.

IV. Cum verò pervenerint ad Lecticam, Thuriferarius, & focius ejus firmant se prope illam, versus partem Epistolæ, expectantes celebrantem, Subdiaconus autem cum Ceroferariis, ulterius procedit per partem suam dexteram, id est per partem Evangelii ad pedes lecticæ, inter portam Ecclesiæ & eandem Lecticam, in medio ejus, & celebrans tunc nudo capite sistit se ad caput Lecticæ, ita ut ipse celebrans sit inter Altare, & prædictam Lecticam tantillum à parte Epistolæ, (ne directè terga vertat Cruci, quæ est in medio Altaris) respiciens Crucem Subdiaconi, & non cornu Lecticæ, quod quidam non satis convenienter; qui Subdiaconus ita se collocat ad pedes Lecticæ, ut sit congruens spatium per quod Celebrans, & Diaconus facilem, & commodum transitum habeant.

V. In Exequiis aliter aliquando se res habet, quia caput variari contingit; si enim Sacerdos sit sepeliendus, caput habet ipse versus altare; at si non sit Sacerdos, pedes habet versus idem Altare, & non caput; celebrans verò semper stat ad pedes corporis Defuncti, quicumque ille sit, & Subdiaconus ad caput.

VI. Clerus verò circumstat Lecticam, ita ut juniores stent prope Crucem, seniores prope celebrantem; Diaconus stat à sinistris celebrantis aliquantulum post eum, & post eos Thuriferarius, & minister de vase aquæ benedictæ à sinistris: ita ut Thuriferarius sit quasi post celebrantem, alter post Diaconum. Si chorus sit, ut supra, juxta Altare, aut Lecticam, Clerici remanent ibidem, ut supra.

VII. Tum ibi, & non prius à clero circumstante cantatur Responsorium *Liberamé Domine de morte æterna*, Cantore, seu Cantoribus incipientibus ex Rit. Rom. Versus dicuntur à duobus cantoribus ab utraque parte. Circa finem Responsorii accedunt Diaconus, & Thuriferarius ad dexteram celebrantis, facta genuflexione Altari, & ipse, ministrante Diacono naviculam sine osculis, ponit incensum in Thuribulum dicens *Ab illo benedicaris*, illudque benedicit more solito. Tum redeunt ad loca sua cum debitis reverentiis.

VIII. Finito Responsorio, Cantor cum primo choro dicit *Kyrie eleison*, & secundus

chorus respondet *Christe eleison*. Deinde omnes simul dicunt *Kyrie eleison*. Mox celebrans dicit alta voce *Pater noster*, &c. quod secretò dicitur ab omnibus. Tum accipit Asperforium de manu Diaconi, & facta Altari debita reverentia, comite Diacono à dextris, & fimbriam anteriorem Pluvialis elevante, procedens per latus suum dextrum, & circumiens Lecticam, seu Tumulum, aspergit illum ter à parte dextera, & ter à sinistra. Cum transit ante crucem Processionalem, profundè se inclinat; Diaconus verò semper genuflectit. Postea reddito asperforio Diacono (ubi priùs accepit illud) de manu ejusdem accipit thuribulum, & cum debitis Altari, seu SS. Sacramento reverentiis, incensat Lecticam eo modo quo asperferat, ter nimirum ab utraque parte, & eodem comite Diacono. Duo prædicti Acolythi Diacono tunc ministrant quæ sunt necessaria non discedentes à locis suis. Cæremoniarius potest in utroque circuitu celebrantem præcedere cruci genuflectendo, & decet.

IX. Post incensationem, celebrans reddito Thuribulo Diacono, debitam facit Altari reverentiam, & stans ut priùs versa facie ad crucem Subdiaconi, & eodem Diacono tenente librum ante eum apertum, paululum tamen à sinistris ejus, ex Rit. Rom. dicit junctis manibus *Et ne nos inducas*, & alia quæ in Rituali, aut Missali habentur, vel dicatur Oratio quæ dicta est in Missa: dicto *Per Christum Dominum nostrum*, & responso *Amen* à choro, celebrans faciens crucem manu dextera super Lecticam, sinistra in pectus posita, dicit *Requiem æternam dona eis Domine*, &c. Diacono interim elevante fimbriam Pluvialis anteriorem, & dicto per cantores *Requiescat in pace*, & ab omnibus *Amen*, præcedente Cruce cum Acolythis recedent, ut venerant, junioribus præcedentibus, & solo celebrante tecto capite.

X. Si pro pluribus fiat Absolutio, versus, & Oratio dicentur in plurali: si pro Sacerdote, Episcopo, Cardinali, exprimitur ejus dignitas.

XI. Si elevetur SS. Sacramentum dum fit Absolutio, in aliquo Altari, celebrans & ministri genuflectere non debent, & tunc convenit, ut Minister omitat pulsationem campanulæ.

XII. Si non adsit Lectica ad quam eundum

fit in fine Missæ, celebrans dicto *Placeat tibi*, &c. ante Evangelium, accedit ad cornu Epistolæ, ibique super suppedaneum, deposita Planeta, & manipulo, capit Pluviale nigrum ut supra, & stans ibidem conversus ad altare expectat finem Responsorii *Libera me Domine de morte*, &c. quod cantatur à choro statim, ac responsum fuerit à Choro *Amen*, post *Requiescant in pace* ante Evangelium. Interim Acolythi pannum nigrum expandunt in plano ante medium Altaris. Tum unus accipit vas aquæ benedictæ cum asperforio, alter Thuribulum cum navicula, quæ priùs præparari debent, & ambo accedunt ad cornu Epistolæ, ubi circa finem Responsorii, celebrans ponit, & benedicit thuribulo, ministerio Diaconi sine oculis.

XIII. Finito Responsorio, & dicto ultimo *Kyrie eleison* ut supra, celebrans adhuc stans in prædicto cornu Epistolæ versus Altare, dicit alta voce *Pater noster*: quod secretò profequitur, & interim thuriferarius, & Acolythus de vase aquæ benedictæ accedunt cum debitis reverentiis quasi ad cornu Evangelii per planum, & ascendunt ad secundum gradum, ubi ministrant alternatim Diacono asperforium, & thuribulum, & celebrans accedens ad medium altaris, vertit se ad prædictum pannum, & medius inter Diaconum à dextris ejus, & Subdiaconum à sinistris, ibi accipit de manu Diaconi asperforium, eoque aspergit pannum ter, in medio à dextris, & à sinistris panni, redditoque asperforio, capit thuribulum, & ter similiter thurificat eo modo quo asperfit.

XIV. Deinde reversus ad cornu Epistolæ ex libro super illud posito, dicit etiam alta voce *Et ne nos inducas*, & reliqua ut in Missali. Dicto autem à cantoribus *Requiescat in pace*, vel *Requiescant*, accedens adhuc cum Pluviali ad cornu Evangelii, in medio altaris se inclinans, signans altare, aut tabelam, & se ipsum, dicit Evangelium S. Joannis de more, quo finito, cum debitis reverentiis altari, medius inter Diaconum, & Subdiaconum fimbrias pluvialis illius tunc elevantes, præcedentibus Acolythis redit in Sacristiam, ubi se exiit, ut in aliis Missis.

XV. Ad Absolutionem pro defunctis in fine Missæ, ubi non adsunt Ministri sacri, saltem quatuor ministri adsint, duo scilicet cæroferarii cum candelabris, tertius cum Cruce, quar-

quartus cum Thuribulo, & navicula, & Clericus ille, qui ministravit ad Missam, vas aquæ benedictæ deferet, cum Rituali, illudque ponet in loco congruo propè credentiam; sed id facere debet statim postquam celebrantem induerit Pluviali. Quo factò ministrare debet naviculam celebranti, ac si gereret vices Diaconi. Si tamen tot non possint adesse ministri, omittantur Ceroferrarii; & Acolythus de vase aquæ benedictæ assistet celebranti, dum asperget tumulum, & Thuriferarius dum thurificat Leticam. Ille verò librum tenet ante Celebrantem dum legit orationes.

## CAPUT XV.

## De Exequiis.

I. ANtequam deferatur corpus defuncti in Ecclesiam, celebrans cotta cum stola nigra è collo pendente, vel etiam cum Pluviali sit indutus, & semper sine ministris sacris paratis, hoc enim non decet, contra quosdam, & procedit ultimus præcedentibus aliquo Clerico ferente vas aquæ benedictæ, & alio crucem ferente, tum Clero Regulari, si adsit, & post eum Clero sæculari, ex Rit. Rom. ad locum ubi jacet corpus Defuncti, circa quod sint quatuor, aut sex, aut plura, vel pauciora candelabra cum cereis ceræ regulariter communis.

II. Si sit consuetudo, possunt adesse Assistentes Pluvialibus parati, procedentes ordine debito, etiam dum dicitur Officium Defunctorum, & Missa, & fiunt Exequiæ; hoc tamen non est necesse ex Cærem. Episc. lib. 2. cap. 10. cum omnia sint ferialia. Qui verò gestat Crucem, cotta sit indutus, & medius inter duos Ceroferrarios cum candelabris, & cereis extinctis, si sit consuetudo, hoc enim non videtur necesse, cum Rit. Rom. nihil circa hoc statuat. Præstat tamen ut candelæ Ceroferrariorum sint accensæ ob reverentiam Crucis. Procedunt autem in silentio bini nihil dicendo, nisi fortè ex consuetudine aliquos Psalmos convenientes recitent intelligibili voce, & in directum, non in cantu, & certè convenit ut nihil dicatur, cum sit conformis Rituali.

III. Cùm ad locum pervenerint, Clericus Crucem deferens, sistit se ad caput, celebrans

*Man. Sacr. Carem.*

verò cum Clerico de vase aquæ benedictæ semper ad pedes, sive sit Sacerdos, sive non, alii verò clerici stant circa corpus hinc inde, & interim distribuuntur cerei, qui statim accenduntur, sicut & intorticia, si sint.

IV. Tum celebrans sumpto à ministro aspersorio, sine osculis, ter aspergit corpus in uno, & eodem loco, mox reddito aspersorio, incipit Antiphonam *Si iniquitates*, quæ non duplicatur, & statim cantor, vel cantores incipiunt in directum, vel potius cantando, præsertim ubi sunt multi clerici, Psalmum *De profundis*, qui etiam dicitur in directum alternatim ab utroque choro, in cujus fine dicitur versus *Requiem æternam dona ei Domine*, qui versus ita dividitur, ut ea verba *Requiem æternam dona ei Domine* dicantur ab uno choro, reliqua ab alio; ita in Breviario recognito, & Gav. sect. 9. c. 2. quod etiam servatur in fine omnium Psalmorum.

V. Repetita Antiphona, statim celebrans iterum intonat aliam, scilicet *Exultabunt Domino*, quæ etiam non duplicatur, & cantor, seu cantores inchoant Psalmum *Misere-re mei Deus*, quem chorus prosequitur in directum graviter, & devotè, & interim celebrans inde discedit. Corpus defertur à Laicis semper, si Defunctus sit Laicus (prohibetur enim in Rit. Rom. ut corpus Laici deferatur à clericis, & contraria consuetudo videtur corruptela) ad Ecclesiam cum luminibus processionaliter, ita ut celebrans, seu Rector præcedat immediatè cadaver, præeuntibus aliis omnibus Clericis, & sequentibus aliis Laicis in silentio ex Rit. Rom.

VI. Si longior sit Processio, possunt aliqui Psalmi, aut Graduales devotè recitari, aut Pœnitentiales, ex Rit. Rom. & in fine cujuslibet Psalmi dicitur versus *Requiem æternam dona ei Domine*, ut supra.

VII. Cùm ad Ecclesiam pervenerint, licet non sit finitus totus Psalmus, inchoatur tamen versus *Requiem æternam*, & repetitur Antiphona *Exultabunt Domino ossa humiliata*. Deinde Ecclesiam ingressi, cantant Responsorium *Subvenite*, cantore, seu cantoribus incipientibus, & clero respondente.

VIII. Deponitur feretrum in medio Ecclesiæ, ita ut si sit Laicus habeat pedes versus altare majus, si verò Sacerdos, & characteres Sacerdotali insignitus, (non Diaconus, aut alius inferior) habeat caput versus ipsum

Altare, & qui Crucem gestat, semper stet ad caput ipsius Defuncti, quod tamen non observatur in absolutionibus, ut supra diximus, & sic Clerici expectant finem Responsorii stantes circa feretrum, versa sibi facie, ita ut digniores sint prope celebrantem. Versus Responsorii cantatur à duobus cantoribus hinc inde, versa sibi facie, si sint juxta Cadaver.

IX. Finito Responsorio dicatur Officium mort. ut in Rit. Rom. cum tribus Nocturnis, & Laudibus, nisi aliquid impediatur, vel secundum morem locorum. Et dum dicuntur Laudes, Celebrans cum Ministris paratur ad celebrandam Missam solemnem pro Defuncto, si tempus congruens fuerit, ut in die depositionis in Missali Romano, cum ritu supra descripto.

X. Finita Missa, si potuit dici, celebrans cum Pluviali, ut supra cap. precedenti, & ministris paratis ut in Absolutionibus, ad feretrum eo prorsus modo quo in Absolutionibus cum Cruce & Clericis, & aliis Ministris procedit, ubi Subdiaconus se sedit semper ad caput Defuncti, & medius inter Ceroferarios, & celebrans ad pedes cum Diacono, Thuriferario, & alio Ministro de vase aquæ benedictæ, & Clerici cum candelis accensis stant in circuitu feretri, ut supra, nisi corpus sit propè, & ante chorum. Tum Diacono, vel aliquo Acolyto tenente librum ante celebrantem, ut supra, ipse absolute dicit Orationem *Non intres*. Qua dicta, cantore inchoante, seu cantoribus, Clerus circumstantes cantat Responsorium *Libera me Domine* ut in Rit. Circa finem Responsorii Sacerdos, Diacono, seu Acolyto, ut infra, ministrante, ponit, & benedicit thus in thuribulo, & postea, ut in Absolutionibus, aspergit, & incensat corpus.

XI. Finita Oratione, corpus defertur ad Sepulchrum, si tunc deferendum sit, eo modo quo delatum est ad Ecclesiam, cantando Antiphonas *In paradisum*, & *Chorus Angelorum*, quæ repetuntur si longior sit via, vel cantantur aliqui Psalmi Graduales, Pœnitentiales, vel de Officio Defunctorum, si locus sepulturæ valdè distet, donec ad prædictum locum perveniant. Ita praxis, consuetudo, & sententia peritorum. Ibi omnes stant, ut supra, si commodè fieri potest, & si locus sepulturæ non sit benedictus, semper benedicitur, nisi forte jam ante Officium benedictus fue-

rit, ut in Rit. Rom. etiam si Coemeterium, aut Ecclesia, aut Capella, sint benedicta.

XII. Facta benedictione Sepulchri, celebrans, ut supra, ponit & benedicit thus in thuribulo, & aspergit, & incensat ter, ut supra, corpus, non inde se movens. Idemque facit aspergens, & incensans tumulum, non inde se etiam movens.

XIII. Deinde reddito Thuribulo, incipit Antiphonam *Ego sum resurrectio*, quæ non duplicatur, & cantor, seu cantores incipiunt canticum *Benedictus Deus Israel*, &c. quem chorus sequitur alternatim, nudo capite.

XIV. Quod si corpus tunc ad sepulturam non deferatur, omittis *In paradisum*, & aliis, & benedictione sepulchri, si jam est benedictum, celebrans cum Clero sequitur Officium prædictum, id est Antiphonam *Ego sum*, & canticum *Benedictus*, quod nunquam omitti debet. In fine cantici repetitur Antiphona *Ego sum*. Postea Sacerdos dicit alta voce, & in directum *Kyrie eleison*. Deinde *Pater noster*, & dum secretò dicitur, aspergit corpus ter, ut supra, & sequitur reliqua quæ in Rit. Rom. neque tunc in fine Sacerdos facit signum crucis super corpus, neque cantores dicunt *Requiescat in pace*.

XV. Denique dicto versu *Anima ejus*, &c. in cujus fine non respondetur *Amen*, nec quidquam aliud, omnes redeunt à sepultura in Ecclesiam, dicentes sine cantu Antiphonam *Si iniquitates* (quam celebrans incipit, vel alius) & Psalmum *De profundis* cum versu *Requiem aeternam dona eis Domine*, &c.

XVI. Si plures simul sepeliantur, actiones quidem circa corpora fiunt singulariter, videlicet asperiones, & incensationes, & benedictiones tumuli, si in diversis locis sint, versus verò, & Orationes dici debent in plurali.

XVII. Si Exequiæ fiant extra Missam, celebrans solus cotta, stola, aut etiam Pluviali induitur, & Clerici cottis tantum induti deferunt Crucem, ministrant Thuribulum, asperforium, & librum (non enim adesse debent Diaconus, & Subdiaconus, ut supra diximus) & alia peragunt supplendo vices Diaconi, & Subdiaconi, & qui ministrat Thuribulum comitatur Sacerdotem incensantem; qui verò asperforium, eum etiam comitatur aspergentem, cum genuflexionibus solitis.

XVIII. Si dicitur Missa sine Ministris Saceris, sepultura fit post Missam, respectivè,  
ut

ut numero præcedenti. Si non adfit Thuriferarius, saltem non deficiat vas aquæ benedictæ.

XIX. Hæc omnia desumpta sunt ex Rit. Rom. vel ex peritorum sententiis, quos idè consuluimus, ut occurramus multis, & diversis eventibus, qui sæpè in Exequiis confusionem generant.

XX. Notandum obiter circa Officium Defunctorum, quòd si rationabili de causa Matutinæ dicantur sine Laudibus, dici debeant in fine unius, aut plurium Nocturnorum Preces sine Psalmo, & Oratio, vel plures. ut congruo sine terminentur.

XXI. Ex Rit. Romano sequitur, quòd corpus sepeliri non debeat dum dicuntur Antiphona *Ego sum*, & canticum *Benedictus*, & preces quæ dicuntur, sed tantùm quando dictis precibus, & Oratione *Fac quæsumus*, omnes redeunt in Ecclesiam, ita ut non sint Clerici præsentés dum corpus sepelitur. Itè quòd Sacerdos non debeat ter projicere terram super corpus defuncti antequàm sepeliatur. Hæc enim adversari videntur Rituali Romano.

XXII. Si Parochia sit tota interdicta, vel etiam Provincia, corpus sepelitur in aliquo honesto loco, & cessante interdicto, recondatur in loco sacro.

## C A P U T XVI.

De Ceremoniis servandis in Choro dum dicitur Missa solemniss.

I. **D**um fit aspersio aquæ benedictæ diebus Dominicis, omnes in choro stant versus librum cantantes usque ad finem, & inclinantes se reverenter ad versum *Gloria Patri*, & celebranti dum ab eo asperguntur.

II. Quando celebrans salutæ chororum eundo ad altare, quod certè facere debet, ex Cær. Ep. l. 2. c. 8. à fortiori omnes etiam stantes profundè eidem nudo capite inclinare se debent.

III. Initio Missæ omnes se signant sicut Celebrans, stantes, vel genuflexi secundùm eorum dignitatem, ut infra, & dum inchoatur Introitus, sicut celebrans. Ad confessionem, qui non sunt Prælati, nec parati paramētis, genuflectunt donec celebrans ascendat ad altare.

IV. Per Prælatos intelligimus hic Episco-

pos, Abbates, & illis majores; item Proto-notarios, & alios qui uti possunt Rochetto si sint sæculares, Gavantus, qui omnes ad confessionem stare debent. Per Prælatos non intelliguntur Canonici, & idè semper genuflectere debent quicumque sint. Gav. p. 1. tit. 17. n. 5. Si tamen sint parati, Cær. Ep. ut videlicet quando Episcopus celebrat, tunc stare debent. Cantores tamen ad Lectorile semper etiam stare debent, dum actu cantant in tota Missa.

V. Prælati verò & omnes alii quicumque sint, genuflectunt ad confessionem in Missis Defunctorum, & feriis, & vigiliis, quæ jejunantur, Quatuor Temporibus, & feriis Adventus, exceptis vigiliis Nativitatis Domini, Paschæ, & Pentecostes, feria 5. in Cœna Domini, & Quatuor Temporibus Pentecostes.

VI. Qui non cantant (quando scilicet sunt multi cantores ad id specialiter ordinati) scilicet Prælati, aut Canonici bini inter se alternatim submissa voce Confessionem faciunt, sive sint genuflexi, sive stantes se signantes, & percutientes pectus suam, sicut celebrans, & tunc dignior incipit, inferiore respondente. Similiter alternatim dicunt *Kyrie*, *Gloria in excelsis*, *Credo*. Et tunc genuflectunt ad versum *Et incarnatus est*, quando illum dicunt, non verò quando cantatur à choro, nisi in Missis Nativitatis Domini, & Annunciationis Beatæ Mariæ, quia iterùm genuflectunt. Dicunt etiam *Sanctus*, & *Agnus Dei*. Prælati ea dicunt cum eis, qui sunt ipsis proximiores, sive sint inferiores, sive superiores, licèt inferiores sint genuflexi, & alii superiores stent.

VII. Dum celebrans dicit *Aufer à nobis*, & ascendit ad Altare, omnes surgunt, & stant donec ab ipso, & ministris dictum sit ultimum *Kyrie*. Stant pariter ad *Gloria in excelsis*, inclinantes se ad verbum *Deo*, & ad alia ad quæ celebrans caput inclinat, & in fine dum dicunt *Cum sancto Spiritu* se signant. Si introitum cantant, *Kyrie*, *Gloria in excelsis*, & alia in medio chori, ad analogium accedunt cum debitis reverentiis, ad medium, tempore congruo, & recedunt eodem modo, scilicet cum celebrans dicit *Dominus vobiscum*. Si verò nimia sit distantia à pulpito ad sedes, non recedunt, nisi quando celebrans dicit *Oremus*. Advertant autem ut nò cantent dum sunt in via, cum id non deceat. Possunt ta-

men sedere Clerici, dicto *Kyrie* à celebrante, & ad Hymnum Angelicum, postquam celebrans cum ministris illum absolverit.

VIII. Ad Orationes stant conversi ad altare nudo capite; quibus finitis tecto capite sedent, donec dicatur Evangelium à Diacono, aut nisi cantent ad pulpitem, aut etiam nisi ex accidenti sit genuflectendum, ut ad Epistolam Dominicæ Palmarum, & Missarum S. Crucis (genuflectendum enim est ad ea verba *In nomine Jesu &c.* usque ad *inferiorum* inclusive) & ad versum *Veni sancte Spiritus, & Adjuva nos Deus*, in Quadragesima, Qui verò hos duos prædictos versus bini in medio chori decantant loco chori, stant, & non genuflectunt, aliis omnibus genuflexis.

IX. In Missis tamen defunctorum, & vigiliis de quibus supra, ex Rubr. Miss. tit. 17. omnes etiam Prælati genuflectunt ad Orationes, ante Epistolam. Item quando dicitur à Diacono *Levamus genua*, tunc utrumque genua flectunt omnes, excepto solo celebrante; & statim dum Subdiaconus subdit *Levate* surgunt, stantque parum acclines, usque ad finem Orationis, quæ immediate postea dicitur. Gav. p. 2. tit. 5. n. 5. quod & semper facere convenit ad hujusmodi Orationes.

X. Ad Evangelium omnes stant aliquantum versus Diaconum, nudo capite, & se cum eo, pollice dextro, signant in fronte, ore, & pectore; & se inclinant, vel genuflectunt versus Altare, quando opus est, licet Diaconus ea præstet versus librum.

XI. Dum celebrans osculatur librum, incensatur, decantat *Credo*, & illud dicit submissa voce cum ministris, stant nudo capite, sed ad verbum *Deum* caput inclinant cum eo, illudque recitant bini, ut supra, vel cantant alternatim genuflectentes, ut supra, ad versum *Et incarnatus est*, & caput etiam inclinant dum dicitur *Et homo factus est*, omnesque de choro idem simul cantant. Item ad verbum *Adoratur* sedentes, vel stantes se inclinant, ad nudo capite in fine dicentes *Et vitam venturi, &c.* se signant. Et dum celebrans surgit, omnes pariter surgunt, & stant etiam nudo capite.

XII. Inchoato Offertorio, & non prius, omnes sedent usque ad incensationem chori, nisi cantent ad Lectoriale, vel usque ad Præfationem, nisi forte à Canonicis Oblatio sit ex consuetudine facienda, quia tunc pro illorum reverentia, alii Clerici inferiores sta-

re debent, sicut & omnes Canonici. Dum verò sit incensatio in choro, surgunt statim ac Diaconus ingreditur chorum, nec prius sedent, quin totus chorus fuerit incensatus, exceptis Canonicis, qui ad incensationem suorum inferiorum stare non debent, sicut nec ad incensationem Magistratum.

XIII. Dum incensatur Episcopus, omnes etiam Nobilium, & Magistratum ordines stant.

XIV. Cum celebrans incipit Præfationem, stant versus altare nudo capite, usque ad Canonem; sed ad verba *Gratias agimus, &c.* caput inclinant, & ad nomen *Maria, &c. Jesu*. Dum dicunt *sanctus*, se inclinant, sicut celebrans, & ad *Benedictus* erecti se signant, stantes nudo capite.

XV. Dum celebrans incipit Canonem adhuc stant, donec Acolythy, qui tenent faces accensas, genuflectant, quia tunc omnes, tam in choro, quam extra, genuflectunt præter Diaconum, & Subdiaconum, & forte Assistentem, vel genuflectunt paulò ante elevationem SS. Sacramenti. Cær. Ep. l. 1. c. 8. ut supra diximus de Missa solemni.

XVI. In Missis autem Defunctorum, & aliis supra dictis, dicto per celebrantem *Sanctus*, flectuntur genua usque ad *Pax Domini* ab omnibus, præterquam à Diacono, & Subdiacono, & Assistente. Jacob c. 15. Excipiuntur tamen Vigiliæ Nativ. Domini, Paschæ, & Pentecostes, Quatuor Tempora ejusdem Pentecostes, & Feria 5. in Cœna Domini. Cantores tamen quamdiù sunt occupati in choro stant, nisi sciant cantanda memoriter, ut Feriis Quadragesimæ, & aliis, quia tunc genuflexi ea decantare debent.

XVII. Chorus silet ad utramque elevationem ex Concilio Trevirensi, & Cær. Ep. l. 2. c. 8. & Pari. de Crasso, & aliis. Et certè tunc maximè decet silentium, in quo tantum Mysteriorum adorare debemus. Et ideo præcipitur ut cantores non decantent *Benedictus qui venit*, etiam in Missis Defunctorum, & aliis hujusmodi, nisi post utramque elevationem, ne chorus cantet dum ipsa sit elevatio. Si tamen Organum habetur, cum omni tunc melodia, & gravitate pulsandum est. Cær. Ep. l. 2. c. 8.

XVIII. Post elevationem, & depositionem Calicis omnes surgunt, & nudo capite stant versus altare, usque ad sumptionem Sanguinis, & Communionem fidelium, si sit faci-

cienda inclusivè. Decantant tamen, vel recitant *Agnus Dei*, versa ad se invicem facie. Idem fit quando dant sibi invicem osculum pacis, ad quod, qui dat pacem, dicit *Pax tecum*, & qui eam recipit, dicit, *Et cum spiritu tuo*. Ad Communionem fidelium, qui non communicant de Choro, stant, sed

XIX. Facta communionem Celebrantis, & fidelium, sedent, donec dicatur à Celebrante *Dominus vobiscum*. Ad Antiphonam verò quæ dicitur *Communio*, sedent, si facta sit prædicta Communio ipsius Celebrantis, si enim non facta est, stare debent: regulariter autem hæc Antiphona debet immediatè decantari à choro, dum Celebrans se communicat; ex Cær. Ep. l. 2. c. 8. est enim Hymnus Communicantium.

XX. Dum Celebrans dicit *Dominus vobiscum*, omnes surgunt; & stant ad Orationes usque ad finem Missæ. In Missis tamen Defunctorum, & feriis prædictis, dicto à choro *Et cum spiritu tuo*, genuflectunt usque ad Evangelium exclusivè. Ad Orationem verò super populum in Quadragesima genuflexi etiam caput inclinant.

XXI. Ad Benedictionem stantes, vel genuflexi respectivè se signant, idest si sint genuflexi ad Orationes, sic manentes se signant. In Missa votiva de Spiritu Sancto lentius cantandum Graduale, vel primum *Alleluia* tempore Paschali, ut Celebrans possit genuflectere ad versum *Veni sancte Spiritus*. Idem fiat in Quadragesima, quando dicens est versus *Adjuva nos Deus*, in Choro. Item Graduale Feria 5, in Cœna Domini.

XXII. Ex his omnibus patet, eos, qui sunt in choro, non debere genua flectere, dum Celebrans se, & alios communicat, & dum dat benedictionem in fine Missæ; hoc enim prohibetur in Cær. Ep. l. 2. c. 29.

XXIII. Signant se in choro initio Missæ cum Celebrante, & ad alia quæ supra diximus, scilicet in fine Hymni Angelici, & Symboli, & ad *Benedictus*. Item ad ea verba *Omnium benedictione* si ad id possint attendere. Et in fine Missæ, quando Celebrans benedicit. Item signant se in fronte, ore, & pectore ad utrumque Evangelium, sinistra infra pectus posita. Idem videtur faciendum, dum dicitur *Communio Per signum Crucis* in Missa de S. Cruce, ea ratione qua signamus nos, dum fit commemoratio de Cruce ad Vesperas, &

Man. Sacr. Cærem.

Laudes, præsertim si sit consuetudo.

XXIV. Percutiunt pectus ter dicentes *mea culpa* ad Confessionem. Ad *Nobis quoque peccatoribus*. Ad *Agnus Dei* dicentes *Miserere nobis*, & *Dona nobis pacem*, non verò in Missis Defunctorum. Denique ad *Domine non sum dignus*, si non cantent.

XXV. Convertunt se regulariter ad altare, quando sunt genuflexi, nisi fortè ad confessionem, quam alternatim faciunt, ut supra, & dum Celebrans incipit *Gloria in excelsis*, dum dicit *Dominus vobiscum*, & Orationes, & dicitur Evangelium. Item dum incipit *Credo*, dicit Præfationem, Canonem, & Orationes ante communionem. Item dum dicit Orationes post communionem, & reliqua usque ad Evangelium inclusivè. Item cantores, si sint in medio chori, nisi aliquid impediatur. In his tamen aliquid aliud dandum est consuetudini laudabili locorum.

XXVI. Denique hi ritus, & cæremonia quoad sessionem, stationem, & genuflexionem à laicis observari possunt, præsertim à Nobilioribus, & Magistratibus. Id docet Gav. & Alcocer, & favet Missale 1. par.

## C A P U T XVII.

De Missa solemnè, & privata, quæ coram SS. Sacramento exposito celebratur.

I. **Q**UAMVIS moneamur ex antiquorum traditione, Cær. Ep. l. 1. c. 12. ut abstineamus à Missa coram SS. Sacramento celebranda, licèt in Tabernaculo sit inclusum: imò si aliquis sit celebraturus in eo altari solemniter, SS. Sacramentum in aliud omnino transferendum esse doceat. Quia tamen aliquando potest urgere necessitas, vel etiam consuetudo, in plerisque locis à longo tempore servata, vel etiam dies infra Octavam Corporis Christi, Oratio quadraginta horarum, aut alia hujusmodi, in quibus Missæ solennes, vel privatæ celebrari debent: Ideo omnes genuflexiones, & actus reverentiales diligenter notandi sunt, qui in diversis locis, & libris Ritualibus præscribuntur, quique debent adamussim servari in præsentia SS. Sacramenti expositi.

II. Antequam autem ultra progrediar, dicam libenter, me minimè probare illam



consuetudinem, quæ à paucis annis invaluit exponendi SS. Sacramentum in Ecclesiis, præsertim in majoribus festivitibus Sanctorum. Mos enim iste adversatur Cæremoniæ Ep. l. 1. c. 12. præcipienti, ut decenter collocetur in loco congruo, & diverso ab altari majori, & prohibenti celebrationem Missarum in ipso altari, nisi necessitas urgeat ut supra. Et certè Superiores ad id attendere debent diligenter, ne ob nimiam exponendi ipsum SS. Sacramentum frequentiam, cultus ei debitus, & honor minuat, quod sæpè evenit. Ideòque prohibere deberent hujusmodi expositionem absque Ordiniorum expressa, & speciali ad id licentia, ut sentiunt multi, & præcipuè ad prohibent Acta Mediol. Ecclesiæ, & nisi necessitas publica, & gravis Ecclesiæ causa id exposcat: festivitates enim Sanctorum, & festa Patronorum Ecclesiæ aliam solemnitatem requirunt, & expositio Sacramenti diversam postulat, & sibi peculiarem solemnitatem. Nam præsentè Domino summo cessare debet honor, qui servo exhibendus esset, & præsentè sole alia omnia alstra splendorem amittunt, & ea de causa jam multi Episcopi hunc morem justè abrogarunt.

III. Notandum itaque quòd pro exponendo SS. Sacramento in Oratione Quadraginta horarum, Missa solemniter debeat dici de Corpore Christi, non ea quæ est de festo, sed quæ in fine Missalis, (ideòque Sequentia dici non debet, nisi infra Octavam festi dicatur) cum *Gloria in excelsis*, unica Oratione, *Credo*, & Præfatione de Nativitate Domini, quia est publica causa; non tamen Missæ privatæ dicuntur de eo, si festum sit duplex, aut de præcepto.

IV. Si fiat hujusmodi expositio, aut Oratio in festo primæ, vel secundæ classis, vel Dominica privilegiata, dicantur duæ Missæ, una de festo, vel Dominica post Tertiam, & alia de SS. Sacramento post Nonam, vel una tantum de die cum commemoratione SS. Sacramenti, nisi sit festum primæ classis, si aliter fieri non potest, in cujus fine Processio fit in paramentis albis.

V. Cum celebrans, & Ministri sacri præbyterium, seu Capellam, in qua expositum est, ingressi fuerint, caput statim nudant, & cum ad Altare pervenerint, omnes utrumque genuflectunt in plano, & in plana terra,

addita capitis etiam profunda inclinatione; post factam verò Confessionem genuflectunt tantum unico genu, ut expeditiores sint, & ad altare accedentes statim genuflectunt.

VI. Incensatur altare, ut moris est, benedicto prius incenso, sine osculis, eo modo quo dictum est cap. de Thurificatione, & loco Crucis, quæ non debet esse ad altare, incensatur SS. Sacramentum à celebrante genuflexo, eoque incensato altare de more thurificat, finitaque incensatione, descendit in planum versus cornu Epistolæ, ubi convertit se ad populum, vertendo faciem suam ad parietem altaris, & successivè ad cornu Evangelii, ne renes vertat SS. Sacramentum, & sic conversus ad populum incensatur à Diacono, triplici ductu, inclinante se ante, & post: Idem fit ad oblata, ut infra, non verò post Evangelium, quia celebrans tunc incensatur stans in loco suo ad cornu Epistolæ.

VII. Diaconus, & Subdiaconus, & omnes alii nihil osculantur, quod celebranti porrigant, ad Altare, neque etiam manum ejus in traditione rerum, ob apertam præsentiam SS. Sacramenti. Cær. Ep. l. 2. c. 33. ait enim, *Absque osculis cochlearis, & manus incensum ministratur.*

VIII. Videtur etiam, quòd eadem ratione minores ministri abstinere debeant ab osculis ampullarum, & manutergii. Subdiaconus tamen genuflexus osculatur manum celebrantis post Epistolam, & Diaconus ante Evangelium. Item patenam cum hostia, & manum celebrantis, sicut & Calicem cum vino ante Oblationem. Item osculatur Patenam, & manum celebrantis dicentis Orationem *Libera nos quisumus*, licèt SS. Sacramentum sit super altare, ex Cær. Ep. l. 2. c. 8. & l. 1. c. 9. Unde fortè oscula ista prohibentur, quando fieri debet aliquid, quod specialiter SS. Sacramentum expositum tantum respiciat.

IX. Quoties celebrans accedit ad medium altaris, aut ab eodem medio recedit, vel transit ante illud, toties genuflectit, quod item faciunt Ministri omnes respectivè unico genu, ut supra. Quoties item se convertit ad populum dicturus *Dominus vobiscum*, aut aliud simile, toties etiam genuflectit, osculato prius altari, deinde surgit, & sistit se renibus ad cornu Evangelii semiverbis, tum facta

facta genuflexione iterum in medio, accedit ad cornu Epistolæ, vel remanet in medio altaris.

X. Concionaturus observat, quæ supra cap. de Concionatore i. p. & celebrans, si habeat Sermonem, ea quæ cap. de Orat. quadraginta horarum.

XI. Incensaturus Oblata, statim benedictione facta thuris, eadem incensat non prius genuflectens, sed iis incensatis, sine genuflexione, ad secundum gradum altaris descendit, & ibi genuflexus, ter SS. Sacramentum incensat, dicens *Dirigatur Domine, &c.* & tunc Diaconus non amovet Calicem, quia non est periculum effusionis. Incensato altari celebrans incensatur, ut supra, scilicet in plano ante altare, & ibidem lavat & tergit manus facie item ad populum versa, tum reversus ad altare genuflectit.

XII. Diaconus post incensatum chorum redit ad altare, ubi Subdiaconum incensat, qui propterea recedit ad cornu Evangelii, facta prius genuflexione, & eo incensato redit ad medium, ubi iterum genuflectit. Tum ipse Diaconus tradit thuribulum Ministro, & recedit ad cornu Epistolæ facta prius genuflexione, ibique incensatur à ministro, & postea cum genuflexione ad secundum gradum altaris ascendit.

XIII. Dicturus *Orate fratres* genuflectit, & versus populum illud dicit eo modo, quo *Dominus vobiscum*, quo dicto, circulum non perficiens, iterum genuflectit in medio altaris. Reliqua paragit usque ad Communionem, ut in aliis Missis. Sed post Communionem celebrans ante ablutionem genuflectit, accipit calicem, quem statim post purificationem posuerat super purificatorium à latere dextero, & in cornu Epistolæ capit ablutionem de more in Calice, non extra altare, Cær. Ep. l. 2. c. 23. reversus<sup>o</sup> ad medium genuflectit, sumit ablutionem, & iterum genuflectens redit ad librum, ubi dicit *Communionem*, qua dicta redit ad medium altaris osculatur illud, genuflectit, & convertit se ad populum; ut supra; ministri verò genuflectunt, prout celebrans.

XIV. Diaconus ad *Ite Missa est* genuflectit ante, & post, & stat versus populum renes semivertens ad cornu Evangelii, ut celebrans; Subdiaconus verò non se movet.

XV. Benedictio datur hoc modo, dicto à

celebrante *Omnipotens Deus*, & osculato prius altari post *Placeat tibi Sancta Trinitas*, celebrans genuflectit, & in latere Evangelii benedicit non perficiens circulum, nec postea redit ad medium, ut genuflectat, sed statim ad idem latus Evangelii conversus circulum non faciens signat librum, aut tabellam Evangelii, sed nullo modo altare, quamvis SS. Sacramentum esset altius, aut in Calice, aut Pyxide, & dicit Evangelium. Cum dicit *Et Verbum caro factum est*, aut similia, aliquantulum versus SS. Sacramentum genuflectit.

XVI. Finito Evangelio redit cum Ministris ad medium altaris, ubi genuflectit, & descendit in planum, ubi iterum utrumque genuflectit in plano cum ministris, & sumptis biretis capita non tegunt, nisi extra presbyterium.

XVII. Si autem facienda sit processio pro Oratione publica, aut alia de causa rationabili, facta in medio suppedanei altaris genuflexione, descendit per gradus laterales Epistolæ in planum, ubi depositis Planeta, & manipulo, & iisdem à Ministris, celebrans induit se Pluviali, & reliqua peragit, quæ infra feria 5. in Coena Domini, & in festo Corporis Christi notantur.

XVIII. Notandum verò, SS. Sacramentum incensandum esse in loco, ubi est expositum, antequam ab eo loco, in quo est super altare, deponatur, vel celebranti tradatur. Item postquam repositum est super Altare, post finem Processionis, vel alterius Orationis, prius super altare debet incensari, quam in alio loco ponatur, nec postea debet amplius incensari, scilicet postquam ibi collocatum fuerit.

XIX. In Missis privatis, quæ raro ibidem celebrari debent, eadem fiunt, quæ in Missis solemnibus, exceptis illis quæ iisdem sunt propria. Advertat autem celebrans, ut semper manus lavet extra gradus altaris, eo modo quo supra lavit manus: non tamen ibi capit ablutionem digitorum in Calice post Communionem, sed in cornu Epistolæ de more, ut supra, ex Cær. Ep. l. 2. c. 23. cum non videatur ulla irreverentia in sumenda ablutione Calicis in Altari.

XX. Aliqui etiam lotis manibus in Calice post ejus purificationem, sumunt ablutionem in ipso cornu Epistolæ, ubi laverunt ma-

nus, ad majorem, ut dicunt, decentiam; sed nulla videtur indecentia, ut eam accipiant in medio altaris, sicut purificationem.

XXI. Ad majorem tamen supradictarum Cæremoniarum intelligentiam, conveniens existimo annotare distinctè, & speciatim genuflexiones; & alias reverentias, quæ fieri debent, tam in Missis privatis, quàm solemnibus, ut specialius annotatæ adamussim facilius observari possint.

XXII. Celebrans ergo ad Altare, ubi SS. Sacramentum est expositum, hæc perficere debet. 1. Statim ac Presbyterium, seu Capellam dicti Altaris ingreditur, caput detegit, & alii cum eo: & cum egreditur, etiam caput tegit ibidem. 2. Ad medium altaris genuflectit in plano utroque genu ut suprâ, & caput etiam devotè inclinât profundè in plana terra. 3. Posito Calice in cornu Evangelii, antequam extrahat Corporale de bursa, genuflectit, & aptato corporali, & posito Calice desuper genuflectit iterùm, & accedit ad cornu Epistolæ, & rediens ad medium iterùm genuflectit, & aliquantulum retrahens se ad cornu Evangelii, descendit in planum altaris, ibique unicum genu flectit, & caput inclinât, & erectus incipit Missam. 4. Postquam ascendit ad altare, antequam incipiat *Oramus te Domine*, & postquam illud dixerit, genuflectit. 5. Ante *Kyrie eleison* in medio altaris, vel in Missa solemnâ antequam dicat *Gloria in excelsis*. 6. Antequam se vertat ad populum dicturus *Dominus vobiscum* in cornu Evangelii, osculato prius altari, quod semper fit, quando convertere se debet ad populum, & quando

reversus est ad cornu Epistolæ dicturus, *Oremus*, genuflectit. 7. Ante, & post *Munda cor meum* in medio altaris. 8. Ante *Credo*, vel ante *Dominus vobiscum*, ante Offertorium. 9. Versus Altare antequam dicat *Oremus*. 10. Antequam accedat ad cornu Epistolæ, ut vinum capiat, & iterùm reversus ad medium altaris. 11. Ante, & post lotionem manuum, quæ fit extra cornu Epistolæ in plano versa facie, ut suprâ, ad populum. 12. Ante, & post *Orate fratres*, dicens illud in cornu Evangelii, ut suprâ, & non perficit circulum, sed illud dicit eo modo, quo *Dominus vobiscum*. 13. Post sumptam purificationem ante, & post ablutioem digitorum in Calice. 14. Antequam discedat è medio altaris, ut legat communionem. 15. Ante, & post *Dominus vobiscum*, eo modo, quo post *Gloria in excelsis*. 16. Post *Orationem* ante, & post *Dominus vobiscum*, & iterùm post *Orationem*, vel plures ante idem *Dominus vobiscum*, & *Ite Missa est*. Si verò dicat *Benedicamus Domino*, genuflectit prius, conversus ad altare. 17. Ante benedictionem, qua data non perficit circulum, sed facit ut suprâ. 18. Non signat altare, sed librum, si eo utatur tantùm, aut tabellam, dicens *Ecce Verbum caro factum est* genuflectit aliquantulum versus Sanctissimum Sacramentum, & ad alia similia. 19. Antequam capiat Calicem in medio altaris genuflectit, & iterùm in plano Capellæ utroque genu in plana terra. 20. Numquam verò capiat paramenta ad altare, neque ibidem ea reponat, licet sit Episcopus, sed in Sacristia, aut alio loco remoto, & separato à Presbyterio.





# MANUALIS

## SACRARUM CÆREMONIARUM

Juxta Ritum Romanum

P A R S Q U A R T A.

### DE RITIBUS SERVANDIS IN QUIBUSDAM præcipuis diebus, & Festis occurrentibus intra annum.

**D**E divinis Officiis in genere, & in specie satis fusè huc usque egimus. Nunc autem ad quedam peculiaria descendentes, agendum nobis est, Deo favente, de iis, quæ quibusdam anni temporibus occurrunt, ubi ordinem temporis, dierum & festorum secuturi sumus. Non autem intendimus omnia & singula tractare, quæ singulis anni diebus occurrunt, hoc enim esset superfluum, cum satis copiose hæc omnia in Directoriis & Ordinibus recitandi divini Officii explicata reperiantur: sed satis erit nobis, si de iis agamus, quæ clariorem requirant explicationem, relictis aliis, quæ satis facilia, & omnibus nota sunt.

#### C A P U T I.

*De Tempore Adventus.*



**T**empus Adventus Domini partim est luctus, partim lætitiæ: idèdque *Alleluja* in quibusdam omittitur, & in quibusdam Officiis additur. Omittitur quidem post Graduale in Missis, quæ dicuntur in Feriis de Adventu, non tamen in Dominicis; additur verò multis Antiphonis, quæ eodem tempo-

re dicuntur. Omittitur etiam Hymnus Angelicus in Missis de ipso Adventu, & Hymnus *Te Deum* ad Matutinas in Dominicis.

II. Diaconus & Subdiaconus non utuntur Dalmatica & Tunicella in quibusvis Ecclesiis in Missis de Adventu, sed Planetis plucatis ante pectus in Majoribus Ecclesiis, scilicet Cathedralibus, Collegiatis, & in Ecclesiis Regularium insignioribus, ex Missali, & ex Decreto Congr. Rit. Excipitur tamen Dominica tertia, quæ dicitur *Gaudete*, in qua utuntur Dalmaticis, sicut in hebdomada sequenti, quando tantum dicitur Missa

Missa de eadem hebdomada. Planetæ autem illæ sunt ejusdem formæ, & coloris, ac illa celebrantis, sed tamen plicatæ intrinsecus usque ad pectus, vel revolutæ etiam ante pectus, & tantum aciculis, aut quibusdam vitis, aut vinculis firmatæ, ne eorum pars anterior decidat, & ut expeditiores sint in eorum officio. Finita autem Missa eadem aciculæ possunt auferri, ut alii Sacerdotes iis utantur planetis in celebratione Missæ. Eas verò induunt, quando celebrans est omnibus suis paramentis indutus, non ante.

III. In iisdem autem sumendis, aut deponendis hic ordo servari debet. Subdiaconus eam deponit in aliquo loco congruo, & convenienti ad id deputato, adjuvante aliquo Acolyto, vel Cæremoniario, in parte Epistolæ, paulò antequam accipiat librum Epistolarum, & cantata Epistola, acceptaque benedictione à celebrante, & reddito libro ministro eam resumit, antequam deferat Missale celebrantis ad cornu Evangelii.

IV. Diaconus similiter suam deponit eodem modo, & eodem loco paulò antequam accipiat librum Evangeliorum, & assumit aliud genus stolæ latioris, & eam aptat super humeros eo modo, quo solitam stolam, vel eandem Planetam plicat in longum, vel convolvit, eandemque aptat decenter, adjutus etiam ab aliquo ministro, super humerum sinistrum, eo etiam modo, quo stolam, & tunc non est opus illa stola latiori. Resumit verò eam tantum post communionem celebrantis, scilicet postquam Missale detulerit ad cornu Epistolæ, vel deponit stolam latiorē, si ea utitur, quæ certè commodior est, & convenientior illa planeta plicata. Ideòque stola illa latior debet esse præparata super credentiam, antequam Missa celebretur.

V. In minoribus verò Ecclesiis Diaconus ministrat Alba, stola, & manipulo violaceis indutus; Subdiaconus verò Alba, & manipulo tantum. Excipitur tamen Dominica tertia, ut supra diximus, & iis diebus, quibus dicitur Missa de eadem Dominica hebdomada sequenti, in quibus Ministri utuntur Dalmatica, & Tunicella.

VI. In ipsa etiam Dominica pulsant organa, & altare aliquantulum solemnius paratur, quàm aliis Dominicis, in quibus abstinendum est à solemniori apparatu.

VII. Feria secunda cujusque hebdomadæ Adventus, dicitur Officium Defunctorum, & dicitur Missa pro eis, quando festo novem Lectionum non impeditur, quia non est Missa peculiaris pro ipsa die. Quando verò ferie omnes secundæ impediuntur aliquo festo novem Lectionum etiam translato, tunc eo anno omittitur toto Adventu, & non propterea dicitur alia feria. Omittitur etiam in Vigilia Nativitatis Domini, si occurrat feria secunda.

VIII. Si prima dies Decembris præcurrat feria 6. aut Sabbato, dicitur etiam Officium Defunctorum pro prima die Mensis, & sequenti feria secunda etiam dicitur pro Adventu, si fit de feria.

IX. Si Vigilia Sancti Andree occurrat in Adventu, nulla fit commemoratio de ea in Officio, sed tamen dicitur Missa de Vigilia, & commemoratio de Adventu. Si eadem Vigilia occurrat Festum etiam semiduplex, fit commemoratio de Adventu ante commemoratio de Vigilia. Eadem respectivè fieri debent in Vigilia Sancti Thomæ.

X. Si in qualibet Dominica Adventus occurrat dies alicujus Octavæ, Sabbato præcedenti dicuntur Vesperæ integræ de Sabbato cum commemoratio tantum de die Octava, ut in Vigilia Festi. Si tamen fit Festum Semiduplex, à Capitulo tantum fit de Dominica, & commemoratio de Octava, & postea de Festo Semiduplici, & sequenti die Dominica non dicuntur Preces ad Primam, & Complet. & adhibebitur color violaceus. Ita Sacra Congregatio Rit. Et hoc servari debet in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ.

XI. Tertia hebdomada occurrunt Quatuor Tempora, in quibus si Vigilia Sancti Thomæ occurrat, eo anno fit tantum commemoratio de ea in Missa. Et si festum ejusdem, vel aliud in illis occurrat, in Ecclesiis Collegiatis dicuntur duæ Missæ, prima de Festo post Tertiam, secunda de jejuniis post Nonam, sine commemoratio Festi. Idem fit de Sancto Andrea, sed si in ejus Vigilia occurrat festum Patroni, ut Tolosæ Festum S. Saturnini, non dicitur Missa de Vigilia, nec fit commemoratio de ea, (quod observandum est pro aliis Vigiliis) Præfatio verò in Missa Vigiliæ erit communis, non de festo S. Thomæ.

XII. Toto hoc tempore, quando fit de eo, Ecclesia utitur colore violaceo, ideòque omnia.

omnia altaria, & Tabernaculū SS. Sacramenti sint eodem colore parata, etiam Dominicis diebus infra Octavam, ex Sacr. Congr. Rit.

XIII. Si occurrant festa, quæ olim habebant Octavas, præter eas, quæ notantur nunc in Breviario, à die 17. Decembris inclusivè, usque ad Octavam Epiphaniæ etiam inclusivè, celebrabuntur quidem pro ritu eorum, eo die, sed sine Octavis omninò, quia ex Breviario recognito prohibentur Octavæ toto eo tempore. Et si, verbi gratia, festum Sanctæ Lucie habeat Octavam, aut aliud hujusmodi, paulò ante 17. Decembris, Octavæ definent die decima sexta ad Nonam inclusivè, & ampliùs nihil fiet de iis, neque commemoratio. Idem dicendum videtur de quibusdam aliis diebus, alio tempore, de quibus infra.

XIV. Quocumque festo occurrente toto tempore Adventus fit commem. de eodem Adventu in utrisque Vesperis & Laudibus. In festo Conceptionis nihil mutatur ad Antiphonam *Regali ex progenie*.

C A P U T II.

De Vigilia, nocte, & die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, & aliis festis, & diebus usque ad Purificationem B. M.

I. **S**I Vigilia Nativitatis Domini occurrat in Dominica quarta Adventus, fit quidem de Dominica quarta usque ad Laudes, exceptis iis, quæ sunt propria Vigiliæ, ut in Breviario. Reliqua erunt de Vigilia, cum commemoratione Dominicæ etiam in Missa, in cujus fine non dicitur Evangelium de Dominica, quia non fuit lectum ad Matutinum, & dicitur in Missa *Alleluja*, non tamen *Gloria in excelsis*, sed *Credo* in paramentis violaceis, & ministri utentur Dalmatica, & Tunicella.

II. Solet Hora Prima hujus vigiliæ cantari solemniter, saltem Martyrologium, in quo Nativitas Christi annunciatur, præsertim in multis inferioribus Ecclesiis. Castaldus, & alii.

III. Itaque Sacrifia, aut alius ante Primam in medio Chori, vel ante Altare, parat

pulpitum panno violaceo tectum, super quod ponit Martyrologium grandioris formæ, si fieri potest, tectum etiam eodem colore.

IV. In Sacrifia parantur duo candelabra cum cereis accendendis, Amictus, & Alba, si his utitur celebrans, stola, & Pluviale, si sit consuetudo, violaceum, vel paratur stola tantum cum Cotta, & Pluviali. Thuriferarius etiam parat ignem pro Thuribulo, & naviculam.

V. Dum dicitur Prima, celebrans parat se dictis ornamentis, & Ceroferarii, & Thuriferarius suis Cottis, si jam antea non sint parati, & dum dicitur Oratio *Dominus Deus omnipotens, qui ad, &c.* prædictus celebrans ita paratus procedit ad locum, ubi cantare debet Martyrologium, præcedente Thuriferario cum thuribulo, & navicula, quem sequuntur Ceroferarii cum candelabris, & cereis accensis, & post eos Cæremoniarius, si adsit, & facta debita reverentia altari, ministris semper genuflectentibus, salutatoque Choro, accedit ad locum præparatum, ubi imponit thus in Thuribulum, quod postea de more benedicit, ministrante Cæremoniario naviculam, vel si absit, ipso Thuriferario dicente *Benedicite Pater Reverende, &c.* cum oculis solitis à Cæremoniario, & non à Thuriferario. Tum sumpto Thuribulo à Thuriferario incensat librum nihil dicens, sicut Diaconus textum Evangelii, altero ex Ceroferariis, si fieri potest, vel ipso Thuriferario anteriorem simbriam Pluvialis elevante à dextris ejus. Postea Thuriferarius sumpto Thuribulo, & socius ejus stant post eum usque ad finem. Ceroferarii etiam stant hinc inde à lateribus Celebrantis, faciem sicut ipse vertentes.

VI. Celebrans autem dicto in Choro *Deo gratias* post Orationem Primæ, nudo capite, & omnibus stantibus versus ipsum celebrantem, incipit manibus junctis lectionem Martyrologii, eo tono, & flexione vocis, quæ ibidem notatur, & ea qua decet modestia, & reverentia, non librum, nec se signans in principio.

VII. Cum dicit *In Bethleem Juda, &c.* elevat vocem, & statim omnes, etiam celebrans, genuflectunt, exceptis Ceroferariis, qui non genuflectunt.

VIII. Deinde prosequens altiori, & solemniori tono, subdit, *Nativitas Domini Nostri*

stri Jesu Christi secundum carnem inclusivè, ut notatum est in Martyrologio: & fit aliqua pausa per spatium Orationis Dominicæ.

IX. His dictis, statim omnes facta Altari debita reverentia, & Choro, vel vice versa, secundum situm loci, eo ordine quo venerant, recedunt in Sacristiam. In Choro autem aliquis Lector prosequitur reliqua, quæ sunt in Martyrologio eo die, sedentibus omnibus more solito.

X. In aliis locis aliter Martyrologium decantatur; sed tamen decet saltem observare ea, quæ in Directorio Chori Romani præscribuntur.

XI. Missa dicitur solemniter, & regulariter à Superiore Ecclesiæ, in qua Ministri utuntur, ut suprâ, Dalmaticis.

XII. Vesperæ solemnissimæ nihil extra ordinarium habent: aliquando dicuntur paulò ante horam solitam propter horas Matutinas, & Missam de nocte; sed in his standum laudabili consuetudini. Si post eas fit è Choro discedendum, dicitur Antiphona *Alma Redemptoris mater*, &c. & versus, *Post partum*, &c. cum Oratione *Deus, qui salutis*, usque ad Completorium post secundas Vesperas Festi Purificationis Beatæ Mariæ exclusivè.

XIII. Post Vesperas Sacrista præparat in angulis altaris super Credentiam, si opus sit, aliquod vas mundum vacuum pro ablutione digitorum Celebrantis in eo post primam, & secundam Missam, quia non est sumptuosus, nec purificationem, nec ablutionem in utraque Missa, si tres dicere velit. Item parat super easdem Credentias aliqua vasa cum vino, & aqua, ex quibus minister possit in ampullas vinum, & aquam pro Missis privatis infundere. Item parat mappas pro Communionem fidelium, si qui sint communicandi, cum vase vitreo, aut alio ad purificationem eorum, unâ cum mappula ad extergendum os. Item duas Hostiarias, unâ cum particulis consecrandis ad prædictam Communionem faciendam, alteram cum majoribus hostiis ad celebrationem Missarum. Præterea aliquas candelas cereas, ut cum eis Celebrans legere possit. Item si frigus urgeat, & si opus sit, vasa cum prunis, quæ accendi poterunt suo tempore. Potest etiam præparare ante Vesperas, Thymiamateria boni odoris, & tempore Officii divini ignem supponere, aquamque odoriferam, quando opus erit, su-

per infundere, ut bonus odor per Ecclesiam diffundatur, & non tantum Altaria, sed & tota Ecclesia sit decentissimè ornata.

XIV. Ante Matutinum Celebrans poterit Confessionem facere, & Orationes præparatorias recitare, si velit, & opus sit, ne durante Officio, contra decentiam ea cogatur peragere. Episcopus tamen alio modo se gerit, ut videre est in Cærem. Episc. l. 2. c. 14.

XV. In Sacristia præparantur omnia necessaria ad Missam solemnem, & si fieri potest, Credentia paratur tunc, & super eam omnia requisita ponuntur pro celebratione Missæ, quæ tamen velo aliquo pulchro durante Matutino tegi debent. Insuper paratur instrumentum, quod Bugia vocatur, cum candelâ cerea, aut pluribus, ad usum Celebrantis, tam pro nona Lectione, quàm pro aliis. Item in Choro funalia, & alia luminaria pro facultate Ecclesiarum, ad Chorum illuminandum, sicut & aliæ parvæ candelæ accendendæ, quando opus erit, pro Ministris, & aliis.

XVI. Matutinæ solemniter celebrantur, ut suprâ, congruo tempore, sed in quibusdam locis solemnius, quàm in aliis, secundum laudabilem locorum consuetudinem: in quibusdam etiam locis pulsantur Campanæ post quodlibet Nocturnum pro Missa solemni; in aliis verò convenientius quidem inchoatis Matutinis non pulsantur, nisi ad Hymnum Angelicum, scilicet *Gloria in excelsis*, & hoc est mysterio conformius.

XVII. Ad Matutinas septima Lectio videtur dicenda à Diacono, qui Missæ ministrare debet, & Octava ab eo qui est dignior à Celebrante. Et dum dicuntur, Celebrans accipit tempestivè amictum, albam, cingulum, & stolam, ut sit paratus pro nona Lectione mox dicenda, adjunctus à Cæremoniario, & aliis, ac tandem accipit Pluviale, & sedet, donec completum sit ultimum Responsorium. Et tunc dicat Orationes ad paramenta, quia Missam est celebraturus postea.

XVIII. Nonam Lectionem cantat Celebrans de more, ad quam adsunt duo, vel plures Assistentes, prout ad Vesperas (quia assistere debent ad Missam, si sit consuetudo) & Ceroferarii, ut c. de Matut. solemnibus diximus. Eodem etiam modo intonat Hymnum *Te Deum*, quem Chorus stans prosequitur de more.

XIX. Interim Ministri Sacri parant se in Sacrilia, ibique celebrantem expectant. Et similiter Credentia paratur, si ante Matutinas, ut supra diximus, non sit parata.

XX. Circa finem Hymni, Assistentes, & Ceroferarii accedunt ad celebrantem, ut ad Vesperas, qui, finito prædicto hymno, dicit Orationem, qua dicta prædicti Assistentes cantant versum *Benedicamus Domino*, & responso à Choro *Deo gratias*, celebrans non subdit *Fidelium anima*, sed cum prædictis Ceroferariis recedit in Sacriliam, remanentibus de more Assistentibus in Choro, ubi deposito Pluviali accipit manipulum, & Planetam, & imposito thure de more in thuribulum, procedit ad Altare, ubi celebrat Missam solemnem.

XXI. Qui extra Chorum Matutinum terminant post *Te Deum*, in ejus fine dicant Orationem de die cum *Benedicamus Domino*, *Fidelium anima*, & *Pater noster* in fine, & nihil ultra.

XXII. Cum celebrans intonat Hymnum Angelicum, omnes Ecclesiæ campanæ, tam majores, quam minores pulsari debent in signum lætitiæ, quod etiam servatur in quibusdam aliis festis, & diebus, ut infra. Celebranti, & alteri cuicumque legenti aliquid ex libro semper ministrari debet lumen in bugia, sicut Diacono ad Evangelium, Subdiacono, & aliis.

XXIII. Ad Symbolum, si celebrans sit ad altare (quod certè convenit) & velit federe post versum *Et incarnatus est*, descendit de altari ad infimum gradum illius eo tempore quo cantantur in Choro ea verba *Descendit de cælis*, ut sit genuflexus ibidem dum dicitur versus *Et incarnatus est* &c. quo dicto vadit ad sedem. Si verò non velit federe, satis est ut descendat ad secundum gradum, & inde redit ad medium altaris. Si verò sedet ante prædictum versum in hac Missa, & duabus aliis, ut jam aliàs diximus, semper genuflectit propè sedem, sicut in Missa festi Annunciationis.

XXIV. Celebrans in hac Missa, & secunda non sumit purificationem, sed hausto diligentius toto sanguine, quantum fieri potest, abluit digitos, quibus tetigit Sanctissimum Sacramentum, in prædicto vase parato, non in Calice, Subdiacono, aut Diacono, prout eorum loco diximus, vinum fundente, & in tertia Missa sumetur à celebrante

post purificationem ejus, si commode fieri potest; attamen potest porrigi alicui, qui sumperit Communionem, pro ejus purificatione, vel dari alteri jejuno, aut si aliter fieri non possit, in Sacrarium effundatur. Celebrans tamen semper dicit Orationes consuetas *Quod ore sumpsimus*, & *Corpus tuum Domine*.

XXV. Praxis Urbis communior, & certè congruentior, ex Gav. par. 4. tit. 3. n. 4. est, ut, dum celebrans hæc dicit post summptionem pretiosi Sanguinis ad primam Missam solemnem, hausto diligentius Sanguine, Subdiaconus post lotionem manuum celebrantis, non extergat Calicem, sed illum deferat ad Credentiam sine purificatorio, indeque ab alio in Sacris ad Sacriliam, ubi supposito Corporali decenter servetur usque ad Missam secundam, seu solemniter, seu privatim celebrandam; tum ne impediatur altaris incensationem in Laudibus faciendam, tum ne minus habeatur reverenter in Credentia quam par sit, usque ad aliam Missam, in cuius initio collocari poterit super Credentia, siccata, ut creditur, jam quacumque vini specie. Si tamen non omnino desiccata fiat species, supponatur adhuc eidem Calici Corporale, decenterque tractetur. Idem servatur in secunda Missa.

XXVI. Post *Ite Missa est* convenit ut fideles non discedant, sed assistant Laudibus mox dicendis.

XXVII. Finita ergo Missa, celebrans cum Ministris Sacris descendit ad cornu Epistolæ facta debita in medio altaris reverentia, ibique, depositis Planeta, & manipulo, accipit Pluviale album adjutus ab iisdem Ministris. Tum redit ad medium altaris per planum, ad quod accedunt Assistentes parati de Choro, & inde, facta debita reverentia, in Chorum redeunt sine Ministris Sacris, qui statim in Sacriliam, factis altari genuflexionibus, discedunt ibidem deposituri paramenta sua. Ceroferarii etiam, extinctis candelabris super Credentiam, comitantur cum Thuriferario sine thuribulo, & Cæremoniaro celebrantem, qui statim salutato Choro accedit ad locum suum.

XXVIII. Ibidem incipit absolute, non præmissa Oratione Dominica, *Deus in adiutorium*, Gav. to. 2. sect. 4. c. 2. n. 4. & prosequitur Laudes de more, Interim Ministri Sacri de.



depositis paramētis, redeunt in Chorum cum suo habitu Choralī, & assistunt Laudibus, quibus dictis potest dari, si sit tempus, signum Salutationis Anglicæ, & postea signum longius cum omnibus campanis, ut ab omnibus adoretur tunc sacrosanctum, & omnino adorandum Incarnationis mysterium, hac sacra die manifestatum, & annuntiatum.

XXIX. Antequam illucescat Aurora, dato signo, cantatur Prima in Choro. Tum Missa solemnis, in qua fiunt quæ supra in prima Missa pro purificatione Calicis, qui post communionem relinquitur ut supra in Credentia, itaut non purificetur. Si hæc Missa non possit dici solemniter rationabili de causa, saltem privatim dicatur, & ad eam etiam duo Acolythi ministrent.

XXX. Tertia Missa dicitur solemnissimè post Tertiam, in qua celebrans sumit purificationem, & abluionem, ut supra, & in fine post *Itē Missa est*, Subdiaconus defert Missale ad cornu Evangelii, ubi Celebrans dicit Evangelium Epiphaniæ *Cùm natus esset Jesus*.

XXXI. Cùm hac die dici possint tres Missæ, Ministri diligenter invigilent, ne aliquid eorum, quæ ad Missam sunt necessaria in singulis altaribus desit, & præcipuè, ne candelæ, vinum, aqua, hostiæ, & alia id genus deficiant. Si autem ad Altare majus aliud Sacrum sit faciendum præter Missas solemnes, defertur Calix super Credentiam de more, hausto diligentius toto Sanguine quantum fieri potest, vel eodem calice utatur, qui proximè celebraturus est ad illud altare, quo casu & ipse advertat, ut Calicem non extergat ante infusionem vini in sequenti Missa.

XXXII. Comuni omnium sententia, qualibet hora post mediam noctem possunt celebrari tres Missæ supradictæ, hoc enim singulariter hac nocte tam gloriosa Nativitate Christi illuminata Sacerdotibus fidelibus concessum est, quo piè ad tantum mysterium celebrandum detinerentur. Ad secundam, & tertiam Missas solemnes non extergitur Calix à Subdiacono ad Oblationem.

XXXIII. In Missis privatis, si immediatè dicantur una post aliam, finita prima, aut secunda, Minister accedit ad latus Evangelii, ut in aliis Missis, ubi respondet genuflexus

celebranti. Celebrans autem lotis manibus post communionem in prædicto vase, (non enim decet in Calice lavare manus super sacras species, quæ in Calice remanserunt) ponit Hostiam super Patenam, & adaptat Calicem, ut initio Missæ, illum velo cooperiens, & ponens super Corporale extensum. Finito verò Evangelio, statim accedit ad medium altaris, & facta reverentia Cruci, descendit in planum, ubi incipit Missam vel secundam, vel tertiam. Non autem fieri debet tunc communicio fidelium, nisi in tertia Missa, nisi urgente rationabilī causa, & in communionem quæ fit in nocte, Minister semper candelam ministret celebranti, aut alteri. Et quamvis remanserint forte aliquæ species vini in Calice, non tamen propterea celebrans debet genuflectere quando transit ante Calicem, aut ad eum accedit, ac si esset expositum. Ideò gerere se debet, ac si SS. Sacramentum non esset præsens. In secunda, & tertia Missa celebrans non extergat Calicem, si dicantur immediatè post primam Missam.

XXXIV. Si verò aliquod spatium temporis interponatur inter utranque Missam in Missis privatis ipsemet celebrans eundem Calicem post communionem relinquit super Corporale, quod non plicat ut in aliis Missis, & finita Missa in Sacristiam illum defert, quem collocat super Corporale in aliquo loco honesto, qui, si non fuerit deficcatus ad sequentem Missam, convenit ut celebrans ipse, vel alius, qui cum illo celebraturus est, eum deferat de more ad altare reverenter, & tunc non illum extergat ante vini, & aquæ infusionem pro Consecratione.

XXXV. Si item nulla sit in Ecclesia Sacristia, & celebrans cogatur relinquere Calicem super altare, semper ei supponendum est Corporale, & debet honestè & decenter tractari, tam ibi, quàm alibi vel saltem debet abluī, & ablutio, si aliter fieri non potest, in Sacrum effundi.

XXXVI. Si quis unam tantum Missam rationabili de causa celebret, convenit ut tertiam celebret, quæ maximè est de die, habens Orationem ipsi diei propriam; potest tamen dicere primam, maxime si celebret in nocte.

XXXVII. Si Sanctus Joannes, aut SS. Innocentes sint Patroni alicujus Ecclesiæ, habebunt ipsi respectivè primas, & secundas

Vesperas in die festo S. Stephani, & Sancti Joannis integras, quia sunt tunc festa prima classis, & in festo S. Joannis non fiet in Laudibus, neque in secundis Vesperis commemoratio de Octava, nisi de Octava Nativitatis Domini. Si verò SS. Innocentes sint Patroni, fit officium in paramentis rubeis, & dicitur *Te Deum* ad Matut. *Gloria in excelsis*, & *Alleluja* ad Missam.

XXXVIII. Si in prædictis festis occurrat festum Patroni, aut Dedicationis Ecclesiæ, fiet de eo, aut de Dedicatione, festum verò transferetur in diem octavam, quia non fit amplius, ut supra diximus de aliis octavis. Idè festum SS. Innocentium, si in festo eorum occurrat, transferetur in eorum Octavam, & tunc fiet officium in paramentis rubeis cum *Gloria*, & *Alleluja* in Missa. Et si in Ecclesia fuerit aliquod Corpus eorum, vel insignis Reliquia, in die Octava dicitur, *Credo* & tamen in die festo fiet Officium in paramentis violaceis, nisi aliter à majoribus ordinetur, aut nisi fit alia laudabilis consuetudo cum concursu populi, quia tunc videtur conveniens, ut fiat Officium in paramentis rubeis, cum reliquis quæ sapiunt læticiam.

XXXIX. Si festum S. Silvestri sit Patronus Ecclesiæ, in secundis Vesperis ejusdem festi dicentur Antiphonæ de Laudibus unius Episcopi, & Confels. & fiet tantum commemoratio de festo Circumcisionis.

XL. Si Vigilia Epiphaniæ venerit die Dominica, ad Primam non dicitur *Quicumque vult salvus esse*, nec dicentur Preces.

XLI. Die festo Epiphaniæ annuntiari solet in multis locis, rectè immediate, & absolute post Evangelium à Diacono cantatum, festum Paschæ ex Pontificali Romano, ut proximè determinetur Dominica Septuagesimæ, quæ est prima dies ex mobilibus. Idque fit ab ipso Diacono, vel alio, in pulpito in quo sermo haberi solet, vulgari lingua, ut ab omnibus ejusmodi publicatio intelligatur, eo modo quo in prædicto Pontificali p. 3. tit. de publicandis festis mobilibus: & hujusmodi consuetudo utpotè utilis, & laudabilis ubique observari deberet, non tantum in Ecclesiis Cathedralibus.

XLII. Si Dominica Septuagesimæ occurrat 18. aut 19. Januarii, festum Sancti Hilarii transferetur in alium diem, & ipso die fiet Officium de Dominica secunda post

Epiphaniam, cujus Evangelium cum Homilia dicitur ad Matutinas, & Antiphona ad *Benedictus* dicitur etiam de Dominica, & Missa: fiet etiam eo die Officium parvum de B. M. & Officium Defunctorum pro prima die Mensis. V. de Rubr. Breviarii in Dominica secunda post Epiphaniam.

### C A P U T III.

De festo Purificationis B. M. Virginis, Candelarum Benedictione, ac earum distributione.

### A R T I C U L U S I.

De Preparandis hac die.

I. **F**esti hujus solemnitas coepit Constantinopoli sub Justiniano Imperatore ex Nicephoro l. 17. c. 28. A Romana verò Ecclesia recepta est anno 547. ex Sigeberto. Gav. hic. Accenduntur cerei, quasi lucentes bonorum operum Lampades, ut obviam Christo cum Virginibus eamus, vel ut cum Simeone portemus Christum in ulnas, quem Cereus designat genitus ex ape, virginali opere unà cum melle divinitatis, Convenit autem, ut ante festum ea, quæ fieri debent, prævideantur, ut omnia rectè, & appositè fiant, ut par est.

II. Si hoc festum venerit die Dominica privilegiata, fit tantum eo die candelarum benedictio, distributio earumdem, & Processio, festum verò cum ejus Missa in sequentem diem transferetur, & tunc sufficit ad Altare unicum pallium violaceum, aliàs enim duo requiruntur, unum pallium violaceum superponendum alteri albo, pro benedictione candelarum, aliud pro Missa festi. In Ecclesiis tamen B. M. dicatis dicitur in eadem Dominica semper Missa solemnitas cum commemoratione de Dominica, in cujus fine dicitur Evangelium de eadem Dominica, licet Ecclesia non sit dicata sub titulo Purificationis, & videtur esse verus sensus Cærem. Ep. l. 2. cap. 19. licet Gavantus intelligat Cærem. de solo titulo Purificationis, quod tamen non videtur certum. Privatæ tamen Missæ erunt semper de Dominica, nisi B. Virgo sit Patrona sub hoc titulo, & tunc omnes

omnes Missæ erunt de festo cum commemoratione Dominicæ.

III. Ut autem omnia hodie fiant decorè, ut par est, notanda sunt diligenter ea quæ sequuntur, ne inter tot actus, & ritus oriatur confusio, quæ sæpè accidit ob incuriam disponendi ritè omnia necessaria suo tempore, & modo.

IV. Hora ergo competenti ante Tertiam aptatur pallium violaceum ad altare, amovendum facile dum fiet processio, ut postea pro Missa appareat album, vel si sit commodius aptetur post Tertiam tantum, si fieri potest. Non est autem necesse ut SS. Sacramentum amoveatur ab altari, si ibi sit Tabernaculum, contra quosdam, ex Cærem. Ep. l. 2. c. 17. ubi præcipitur celebranti ut genuflectat si ibi sit Tabernaculum.

V. Sacrista, vel alius præparat in plano cornu Epistolæ versus posteriorem angulum ipsius altaris, Credentiam aliquam, seu parvam mensam, quæ sit prope gradum infimum lateralem Epistolæ, pulchro linteo tectam undequaque, super quam ponit in cista, si fieri possit, capaci candelas ceræ albæ, & si possit fieri, in tanta quantitate, quæ sufficiat pro numero, & qualitate personarum Cleri, magistratus, & populi secundum morem locorum, inter quas aliquæ reservandæ sunt, cum fuerint benedictæ, pro infirmis morituris; & illa celebrantis sit cæteris pulchrior, & si sit in dignitate constitutus, ei appendatur velum aliquod violaceum, quo manus dextera ipsius celebrantis tegi possit ad processionem, omnesque istæ candelæ simul tegantur alio linteo mundo, removendo facile paulò ante earum benedictionem. Ibidem, vel etiam in Credentia ordinaria, paratur vas aquæ benedictæ cum aspersorio, & thuribulum cum navicula, & thure. Cærem. Cleric. Reg. S. Pauli l. 2. cap. 7. Gav. p. 4. tit. 14. Ritualia etiam pro processione sint parata ad decantandas Antiphonas, & alia in Processione, ut infra.

VI. Paratur etiam Credentia ordinaria de more, in qua præter consueta pro Missa solemnè, ponitur vas cum medulla panis, si opus sit, & aliud vas cum aqua, scilicet buccale si fieri potest, præsertim si celebrans sit in aliqua dignitate constitutus, & manutergium pro lotionè, & extersione manuum celebrantis post distributionem.

VII. Paratur etiam in loco remoto à con-

spectu populi propè altare, si fieri potest, vel in Sacristia, per Thuriferarium, vas cum prunis ardentibus. In altari super cornu Epistolæ Missale tectum violaceo cum cussino ejusdem coloris. Item in alio loco congruo ad partem Epistolæ, si fieri potest, vel Evangelii, si sit commodior locus, Crux Processionalis cum velo suo etiam violaceo, si sit consuetudo, eidem Cruci appenso.

VIII. In Sacristia, idem Sacrista præparat paramenta violacea & alba respectivè, si dicatur Missa de festo, sed pro Ministris sacris in insignioribus Ecclesiis pro benedictione præparat Planetas plicatas, ut supra, si sit consuetudo: præparat etiam Pluvialia violacea pro Cantoribus ad Processionem. Item si sit concursus populi, & si opus sit, deputentur aliqui custodes, qui modestè murmur, & tumultum populi sedent, & ne aliqua oriatur confusio. Idem fieri debet in similibus casibus, scilicet in benedictione cinerum, ramorum, Processionibus, & aliis hujusmodi.

## ARTICULUS II.

### De Benedictione, & distributione Candelarum.

I. Circa finem Tertie accenduntur sex cerei altaris si sit consuetudo, vel quatuor, ab Acolythis, eo modo quo diximus supra, & dicto versu *Benedicamus Domino* sine versu *Fidelium anima*, altare vestietur pallio violaceo, quod est decentius, si jam id factum non fuerit antea, ut supra.

II. Tum celebrans parat se Pluviali cum stola, sine manipulo, vel cum sola Alba, & stola parat se, adjuvantibus sacris Ministris, qui deinde Albis induti parant se, Diaconus scilicet stola, & Planeta plicata ante pectus, Subdiaconus verò Planeta etiam plicata semper coloris violacei, ambo, sicut celebrans, sine manipulis.

III. In minoribus tamen Ecclesiis Celebrans quidem accipit stolam, & Pluviale, & in quibusdam utitur tantum Alba, & stola, sine Pluviali, & manipulo: Diaconus verò sola Alba, & stola Diaconali, & Subdiaconus sola Alba. Ideò consuetudini locorum videtur standum, & habenda est ratio Ecclesiarum.

IV. Sic parati procedunt ad Altare, præceden-

cedentibus Thuriferario sine thuribulo, fed manibus junctis, habente à finiftris alium Acolythum ministraturum vas aquæ benedictæ, ( fecundùm numerum Clericorum, alioqui fufficit unus ex Ceroferariis ad ministrandum poftèa vas prædictum ) etiam manibus junctis. Deinde fequuntur Ceroferarii cum candelis accenfis, quos fequitur Cæremoniarius, denique Miniſtri facri hinc inde à lateribus celebrantis manu proximiori, altera infra pectus admota, fimbrias anteriores pluvialis ejus elevantes, unufquifque à parte fua, & hi tres tecto capite procedunt; celebrans manus tenet junctas. Si tamen celebrans non habet pluviale, Miniſtri facri procedunt unus poſt alium manibus junctis, & capite tecto.

V. Cùm ad Altare pervenerint, illud reverenter falutant cum debitis reverentiis nudo capite, ficut & Clerum, ut in Miſſa ſolemni, ex Cær. Epifc. l. 2. c. 17. quod ſemper ſervant in pari caſu; aſcendunt ad Altare, quod celebrans oſculatur, & interim Miniſtri facri genuſcctunt; Ceroferarii deponunt candelabra ſuper Credentiam, ibique cum aliis duobus ſupradictis Acolythis hinc inde ſtant. Cæremoniarius verò depositis biretis in loco convenienti accedit ad Celebrantem, ut initio Miſſæ, ad cornu Epistolæ, & ibi detegit ſtatim candelas, vel alius: at ſi fiat aquæ benedictæ aſperſio, deteguntur tantùm poſt Orationem *Exaudi nos Domine*; Celebrans verò ad cornu Epistolæ etiam accedit, ubi benedictionem candelarum incipit, ut infra.

VI. Si fiat aquæ benedictæ aſperſio, ut in die Dominica, fiat ſtatim finita Tertia, ſervatis iis, quæ diximus proprio capite, antequam celebrans aſcendat ad Altare, & tunc Acolythus ille ſupradictus de vaſe aquæ benedictæ ſervit, factaque aſperſione deponit illud loco congruo, vel ſuper Credentiam.

VII. At verò completa Oratione *Exaudi nos Domine*, in plano, celebrans aſcendit ad altare, illudque oſculatur, & accedit ad cornu Epistolæ, ubi aliquantulum converſus ad candelas, medius inter Diaconum, & Subdiaconum ſtantes, quaſi illi pares in recta linea, ſed parùm poſt eum, ex Gav. incipit in tono ſeriali *Domine vobifcum*, non ſe vertens ad populum, neque extenſas, ſed junctas manus habens, ( quod ſemper facit ad Orationes extra Miſſam ) Dum dicit *Oremus*, vel

profert nomen *Jeſu*, vertit ſe ad Crucem ſemper junctis manibus, & inclinans ſe.

VIII. Et dum celebrans ipſe ſonat ſignum Crucis ſuper candelas, dexteram ponit ſuper altare, & interim Diaconus fimbrias pluvialis ſublevat à parte ſua.

IX. Cùm fit benedictio, Clerici in Choro ſtant capite detecto verſus altare, inclinantes ſe ad nomen *Jeſu*, & reſpondentes celebranti cum opus eſt.

X. Circa finem benedictionis Thuriferarius opportunè ponit carbones ardentem in thuribulo, alter verò Acolythus, ſeu unus ex Ceroferariis, ut ſuprà, capit vas aquæ benedictæ, & aſperſorium, & ambo ſimul firmant ſe in cornu Epistolæ ad menſam in qua ſunt candelæ propè Diaconum, modò tamen non ſint directè inter celebrantem, & candelas, ne aliquod impedimentum ei afferant.

XI. Completa autem benedictione, Celebrans in eodem cornu Epistolæ imponit, & benedicit de more thus in thuribulo, eo modo quo in Miſſa, Diacono ministrante naviculam, & Thuriferario thuribulum, Subdiacono verò dextera attollente fimbriam pluvialis ejus dexteram. Deinde accipiens ab eodem Diacono aſperſorium cum debitis ſemper oſculis, ter candelas, in medio ſcilicet, à dextris, & à finiftris earum, aſpergit, dicens tantùm Antiphonam *Aſperges me Domine*, &c. ſine cantu, & ſine Pſalmo, & mox ſumpto thuribulo ab eodem Diacono, ex more ſimiliter incenſat ter eaſdem candelas eo modo quo eas aſperſit, eodem Diacono attollente pluviale in aſperſione, & thurificatione. Quo factò, duo prædicti Acolythi depositis thuribulo, navicula, & vaſe prædicto ubi priùs, distributioni candelarum mox faciendæ inſerviunt.

XII. Tum celebrans accedit ad medium Altaris ſtans in eodem ſupremo gradu, & convertit ſe ad populum aliquantulum diſtans ab ora ipſius ſupremi gradus, ſeu ſuppædanei, ut qui accepturi ſunt candelas, poſint commodè ſuper eam genuſcctere: at ſi ſuppædaneum ſit nimis anguſtum, genuſcctent ſuper ſecundum gradum; ibique ſemper ſtat nudo capite ex Decreto Sacræ Congreg. Rit. medius inter Diaconum tunc à finiftris, & Subdiaconum à dextris.

XIII. Interim Cæremoniarius cum debita reverentia Altari, accedit ad digno-

rem Sacerdotem de choro cum debitis etiam inclinationibus, ut eum conducat ad celebrantem. Tum ille dignior de Choro cum suo habitu Choralis, & non cum stola, ex Gav. & aliis, habens Cæremoniarium à sinistris, vel alium Ministrum præcedentem, accedit, facta Choro debita inclinatione, ad altare cum genuflexione, si non sit Canonicus, & si sit Tabernaculum SS. Sacramenti, semper, & postea celebranti profunda reverentia, & ascendit ad proximiorum gradum suppedaneo altaris, ut supra nu. 12. ibique sumpta à Diacono stante à sinistris celebrantis, candela benedicta pulchriori, sine osculis, & non accensa, ex Cærem. Ep. l. 2. c. 16. vel etiam accensa, si sit consuetudo, ex eodem Cæremoniali, eidem celebranti stanti in suppedaneo altaris, ut supra, candelam eandem tradit cum osculo ipsius tantum, ab utroque, & non manus. Mox celebrans eam tradit alicui Acolyto tenendam vel alteri, donec facta sit tota distributio.

XIV. Deinde Diaconus acceptam aliam candelam ab Acolyto stanti à sinistris ejus, tradit eandem celebranti, etiam cum osculo tantum illius, quam celebrans tradit ipsi digniori genuflexo super suppedaneum (si capax sit, ut supra n. 12. alias super secundum gradum; ad quod attendere debet, & omnes alii, ) à quo prius accepit suam, quam ipse dignior osculatur, deinde manum celebrantis. Tum surgit, & facta debita reverentia, ut supra, altari in plano super infimum gradum, & inclinatione celebranti, redit ad locum suum.

XV. Tum Diaconus, & Subdiaconus bini simul accedunt ad celebrantem cum debitis reverentiis altari, & ipsi celebranti, & genuflexi, sicut ille dignior, ita ut Subdiaconus sit tunc à sinistris Diaconi. Interim Cæremoniarium, aut alius, tradit unam candelam celebranti cum osculo ejus tantum, qui eam tradit Diacono, quam ipse osculatur, sicut & manum ipsius celebrantis. Deinde aliam accipit eo modo quo supra, eamque pari disciplina tradit Subdiacono. Tum ambo pariter surgunt, & cum debitis reverentiis redeunt ad loca sua, & ambo deponunt candelas suas inter manus aliquorum Acolythorum, qui eas debent custodire, vel deponere super credenti am.

XVI. Tum Diaconus candelas lumine ex-

tingit, ut supra, si sit consuetudo, à ministro sine osculis accipit, easque sigillatim tradit celebranti cum osculis earum tantum. Deinde omnes Clerici de choro bini incipiendo à dignioribus, accedunt ad altare facta illi debita reverentia, & celebranti inclinatione, sicut dignior de Choro, de quo supra, tum simul etiam bini ascendunt usque ad secundum gradum, & genuflexi accipiunt reverenter sigillatim, prius ille qui est à dextris, tum ille qui est à sinistris, & candelas cum osculis earum in calce, & manus celebrantis, Subdiacono semper attollente simbriam Pluvialis ejus. Tum simul surgentes descendunt in planum, ubi debitam faciunt altari, & celebranti reverentiam, & recedunt in Chorum. Hæc eadem observare debet omnes alii qui succedunt, ut simul bini, & æquali distantia modestè, & graviter procedant, debitas facientes reverentias simul, ita ut etiam in eundo, & redeundo non impediatur succedentes.

XVII. Post Clericos in sacris accedunt Ceroferarii, & Thuriferarius simul, depositis prius candelis celebrantis, & Ministrorum, si eas fortè teneant, super Credentiam, & pari disciplina recipiunt candelas à celebrante, quas deinde deponunt super eandem Credentiam, vel in alio loco congruo, ut ministrant si opus sit. Convenit autem, ut Thuriferarius candelam suam capiat post Ceroferarios. Celebrans autem distribuendo candelas teneat eas quasi per medium, & aliquantulum elevet, ut qui accipit, prius osculetur candelam, deinde manum ejus. Qui sequuntur, alios advertant, ut non prius genuflectant altari, quin præcedentes, acceptis candelis surrexerint, & in plano super infimum gradum debitas reverentias altari, & Celebranti fecerint, ne sese invicem impediatur, premant, & urgeant, ita ut omnes procedant uniformiter.

XVIII. Si Chorus sit retrò post altare, regulariter exeunt clerici per latus Evangelii, & redeunt per latus Epistolæ. Si numerus Clericorum sit impar, junior procedit ultimus inter duos ultimos, & ultimus accipit candelam genuflexus ad sinistram illius qui ante se recipit candelam.

XIX. Si sint distincti ordines, & numerus eorum sit impar, inferior altioris ordinis procedit à dextris superioris infimi ordinis. Cum accedunt accepturi candelas, sint sibi ipsis propinqui, sed tamen collaterales; at cum

cùm redeunt, convenit ut fint à fe invicem remoti, hinc inde, ut accepturi candelas per medium eorum incendant, & qui procedit à dextris, debet candelam tenere manu dextera qui à finiftris, finiftra, altera pectori admota, vel ipfa tenente librum, fi opus fit, ut infra. Si qui fint parati in Choro, ut Choriftæ, accedant ante alios fecundùm morem locorum. Videtur tamen conveniens, ut procedendo de Choro dignior procedat à dextris junioris, & etiam redeundo. Unde præstat ut eundo procedant de choro, fi fit ante altare, per latus Epiftolæ, & redeant per latus Evangelii, ita ut tamen eundo, quam redeundo dignior fit femper à dextris.

XX. Prælati, & Canonici non genufle-  
tunt Altari, nifi fit Tabernaculum SS. Sacramenti, nec manum celebrantis osculantur, fed tantùm candelam cum inclinatione celebranti; Epifcopi tamen parati manum alterius Epifcopi parati non osculantur, nec candelas, fed eas cum reverentia tantùm capiunt. Cær. Papæ l. 29. c. 9.

XXI. Si Epifcopus non accedat ad altare, poterit mitti aliquis Sacerdos cum stola, qui candelam offerat ei cum osculis candelæ, & manus Epifcopi; & modus ille procedendi debet refpectivè fervari in distributione cinerum, & ramorum, ut infra.

XXII. Cùm inchoatur distributio candelarum, ftatim cantores in habitu Choralis, vel cum pluvialibus violaceis, fecundùm morem locorum, incipiunt Antiphonam *Lumen ad revelationem*, quam chorus profequitur, eamque post singulos versus Cantici *Nunc dimittis* integrè repetit, quos versus cantores ipfi decantant foli, & poliunt repeti cum Antiphona prædicta, ufque ad finem distributionis, fecundùm concurfum populi. Versus tamen *Gloria Patri* debet dici tantùm femel, fcilicet in fine totius distributionis. Unde post finem ultimi versus repetitur *Nunc dimittis*, & fic viciffim donec completa fit distributio.

XXIII. Dum verò Clerici procedunt ad recipiendas candelas, femper remaneant aliqui in choro, qui cantent Versus, & Antiphonam, iisque procedentibus, alii fubftituantur; ideo fi pauci fint Clerici, non procedant bini, fed unus post alium figillatim, quod & fieri debet in distributione cinerum ut femper remaneant aliqui cantantes.

XXIV. Facta distributione Clericis, can-

dela distribuuntur Magistratibus, & Nobilibus pari difciplina etiam ad Altare, & cum osculis. Tum fi facienda fit etiam aliis diftributio, celebrans descendit ad cancellos Presbyterii, & eam facit eo modo quo Clericis, & pari difciplina; non convenit tamen ut foemina manum celebrantis osculentur, nec etiam ut fiat eis diftributio ad altare, ex Cær. Ep. l. 2. c. 16.

XXV. Quod fpectat ad ordinem recipiendi candelas inter Clerum, & Magiftratus, fervari debet confuetudo locorum laudabilis; fed præstat ut Clerus præferatur femper, ut par est, præfertim ubi eft illa confuetudo, ut patet in Cærem. Epifcop. hoc loco.

XXVI. Si autem tanta fit populi frequentia, ut diftributio fieri non poffit à celebrante, nifi Clericis, Magiftratibus, & Nobilio-  
ribus (quæ femper fieri debet) deputetur aliquis Sacerdos, vel plures, fi necesse fit, fecundùm confuetudinem, qui cum Cotta, & Stola violacea, in diverfis locis Ecclefiæ diftribuant candelas minutiores populo utriufque fexus, Acolytho miniftro eas offerente cum osculis ipfarum tantùm. Cærem. Ep. l. 2. cap. 16. Et fi etiam multitudo tanta fit ut non poffit omnibus fieri diftributio, facienda eft meliori modo quo potest. Et tunc celebrans cum benedicet candelas ad altare, intentionem fuam diriget ad omnes, quæ funt in Ecclefiâ, cùm aliter fieri non poffit: & in his fervanda videtur confuetudo laudabilis.

XXVII. Si fortè ob rationabilem caufam Superior Ecclefiæ non diftribuat candelas inferior, & fit præfens, ipfe quidem offert celebranti candelam cum osculis illius tantùm, & eo modo recipit, & tunc non genuflectit, nec manum ejus osculatur, dum etiam accipit fuam candelam, licèt non fit Canonicus; ita periti.

XXVIII. Completa diftributione, & non priùs, Cantores prædicti cantant graviter *Exurge Domine*, ficut Introitum Miffæ, quod Chorus profequitur: Et interim celebrans lavat manus in cornu Epiftolæ, & eas cum medulla panis fricat, fi opus fit, Acolytho miniftro fundente aquam, & miniftris facris miniftrantibus hinc inde manutergium, ut in Miffa Defunctorum, quia tunc non funt occupati, cum reverentiis ante, & post vel potiùs partes anteriores pluvialis illius

hinc inde eleuant , fi habeat pluuiale , & tunc unus ex aliis ministris manutergium porrigit celebranti. Aqua verò , & panis in Sacrarium effundatur.

XXIX. Si fiat distributio ad cancellos , celebrans non ascendit ad altare , ut lavet manus , sed procedit per planum ad latus Epistolæ , ubi eas lavat , ut suprâ , quibus lotis , ascendit ad cornu Epistolæ , ubi dicto *Exurge* , ipse subdit immediatè *Oremus* , stantibus ministris hinc inde à lateribus ejus , ut ad benedictionem , ex Cær. Ep. l. 2. c. 16.

XXX. Quo dicto , Diaconus à dextris immediatè genuflectens cantat *Flectamus genua* , omnibus genuflectentibus , excepto solo Celebrante , & Subdiaconus à sinistris etiam primus omnium surgens cantat *Levate* . Tum celebrans dicit orationem stantibus ministris ut suprâ . In Dominicis tamen & aliis quibuscumque diebus ante Septuagesimam , non dicitur *Flectamus genua* , nec *Levate* , sed statim celebrans post *Oremus* dicit Orationem *Exaudi* , & numquam celebrans genuflectit.

### ARTICULUS III.

*De Processione hujus Fefli , & Missæ , & quibusdam aliis circa Sexagesimam , & dies ante feriam quartam Cinerum.*

I. **F**inita Oratione suprâdicta , celebrans accedit ad medium altaris , ubi imponit , & benedicite thus in thuribulum \* more , & tunc accenduntur omnes candelæ , si priùs non sint accensæ , ex Cær. Ep. lib. 2. c. 17. atque per Cæremoniarium , aut alium ordinatur Processio hoc modo . Subdiaconus accipit Crucem Processionalem , & eam deferens medius inter duos Ceroferarios cum candelabris accensis ( Thuriferario præcedente cum thuribulo fumigante ) procedit ante medium altaris ad introitum Presbyterii , per planum , depositis priùs ab iisdem candelis propriis in aliquo loco congruo , ibique ipse Subdiaconus sistit se versùs altare , Thuriferarius verò post eum , ut postea primus omnium procedat.

II. Interim Diaconus accipit candelam celebrantis de manu ejus , qui eam tenet , &

eandem ipsi celebranti porrigit , cum debitis osculis , acceptave mox sua genuflectit , surgit , & stans versùs populum à tergo celebrantis alta voce cantat *Procedamus in pace* . Quo dicto , Chorus respondet *In nomine Christi , amen* . Tunc & non priùs celebrans vertit se ad populum , & descendit in planum , facta reverentia altari , ubi accipit à Diacono biretum cum solitis osculis , qui etiam accipit suum de manu cæremoniarium.

III. Deinde immediatè duo Cantores incipiunt Antiphonam *Adorna thalamum tuum* & incedit processio præcedente Thuriferario , tum Subdiacono ferente Crucem cum imagine Crucifixi versa ad ipsum Thuriferarium , & medio inter Ceroferarios , tum Cæremoniarium ; hos sequitur Clerus , juniores primò bini , deinde seniores . Denique ultimus omnium procedit celebrans tecto capite habens Diaconum à sinistris , non attollentem fimbriam pluviæ ipsius Celebrantis . Quatuor primi sunt nudo capite etiam extra Ecclesiam , sicut & Cæremoniarium quantum fieri potest , sicut & Clerus intra Ecclesiam , sed extra tecto procedit capite , omnesque candelas tenent , exceptis quinque prioribus , & qui à dextris sunt dextera , à sinistris verò sinistra candelas deferunt , altera manu Rituale , seu Processionale habentes , faciuntque omnes altari debitam reverentiam , exceptis Subdiacono , & Ceroferariis , qui nullam , & celebranti semper inclinationem , quos omnes consalutat capitis inclinationem tantum .

IV. Si numerus sit impar , senior procedit in medio duorum posteriorum , & regulariter incipiunt processionem à parte dextera altaris , hoc est à latere Evangelii , & redeunt per latus Epistolæ . Ita enim ordinantur processiones in Pontificali , & in Missa circa asperersionem , & incensationem tumuli , ut suprâ diximus capite de Absolutionibus : servanda tamen videtur locorum consuetudo , & situs Ecclesiarum .

V. Si Chorus sit retrò post altare , & sine duæ portæ , discedunt per utramque portam bini , & procedunt extra Ecclesiam in quantum satis , ut totus serè populus possit extra egredi , si ita fieri solet , cantando Antiphonas , quæ sunt in Rituali . Si deficiat thus in thuribulo , potest imponi aliud in ipsum à Thuriferario , vel alio : quod servatur in aliis processionibus , quando opus est .

VI. Antiphonæ cum inchoatæ fuerint à Cantoribus, debent à choro continuari, & compleri, ut moris est. Et si processio longior fit, repetantur eadem Antiphonæ. Interim verò per quosdam Acolythos removetur pallium violaceum ab Altari, si celebranda fit Missa de festo, aliàs illud relinquitur.

VII. In reditu Processionis cantores intrantes in Ecclesiam, statim, & absolute incipiunt Responsorium *Obrulerunt* ut in Rituali, quo dicto, omnes candelas extinguunt quas conservant accendendas ut infra. Celebrans verò, & Ministri depositis paramentis violaceis in Sacristia, si non multum distet ab Altari, vel in loco congruo prope ipsum altare, accipiunt alba pro Missa de festo celebranda, vel coloris rubei, si occurrat eo die Patronus Martyr, qui requirit rubea respectivè.

VIII. Si chorus sit post Altare, Subdiaconus cum Cruce, ceroferarii, & celebrans cum Diacono ingrediuntur in eum per portam Epistolæ, alii per utramque.

IX. Si Missa dicitur de Dominica privilegiata, celebrans deponit tantum Pluviale, & accipit manipulum, & Planetam; ministri etiam deponunt Planetas plicatas, si iis utuntur, & capiunt manipulos, Dalmaticam, & Tunicellam violacei coloris. Quo factò, imposito, & benedicto incenso, procedunt omnes sine candelis, exceptis Ceroferariis, ad Altare pro Missa celebranda.

X. In hac autem Missa hoc speciale est, ut dum cantatur Evangelium candelæ teneantur accensæ, quæ dicto, extinguuntur, sed iterum accenduntur paulò ante elevationem SS. Sacramenti, & sic accensæ tenentur usque ad completam Communionem celebrantis & fidelium, non tamen à Ministris altaris, sed ab omnibus aliis. Itaque paulò ante Evangelium, & ante elevationem SS. Sacramenti, Acolythus, aut aliquis alius minister, sumpto lumine de lampade, vel de candelabris Ceroferariorum, accedit ad chorum cum debita reverentia, & primam candelam cuiusque ordinis accendit, alii verò clerici sibi mutuò candelas accendunt.

XI. Celebrans autem data benedictione Diacono, ante Evangelium, stans in cornu Epistolæ, accipit à Sacrista, aut alio, candelam suam accensam, cum osculis ab ipso Sacrista, eamque tenet ad Evangelium Dia-

coni, quo dicto, eandem reddit Sacristæ, aut alteri, antequam librum osculetur. Accedentes verò clerici, & alii ad Communionem, ita teneant candelas accensas, ut minime impediant celebrantis actionem.

XII. Si Missa dicitur de Dominica, vel de alio festo primæ classis, fiet tantum benedictio, & distributio candelarum, & processio, ut supra, & in Missa, vel aliàs non teneantur candelæ accensæ, ex Marcello in Cærem. Rom. l. 2. cap. 28. & Gav. p. 4. tit. 4. n. 10.

XIII. Si rationabili de causa alius ab eo qui benedixit candelas celebrare debeat, dum fit processio, ipse in Sacristia accipit paramenta violacea, vel alterius coloris respectivè, & processione facta, ille qui benedixit, redit in Sacristiam cum omnibus Ministris, ubi paramenta sua deponit, sicut & alii Ministri, alter verò sumpta Planetæ, aliis similiter paratis, procedit de more ad Altare, ubi celebrat Missam, ut supra. Sed tamen ex Decreto Sac. Congr. Rituum, semper quantum fieri potest, ille qui benedixit candelas, cineres, & ramos, debet etiam Missam celebrare solemnem. Idem servari debet feria 4. Cinerum, & Dominica Palmarum.

XIV. Si Processio exire nequeat extra Ecclesiam, fiat intra, & circum eam, & Responsorium *Obrulerunt* ante altare in vestibulo inchoetur.

XV. Si habendus sit Sermo de candelis, potest haberi statim finita benedictione ante candelarum distributionem, & si habeatur à celebrante, ipse stet ad altare in parte Evangelii, tecto capite, & ministri etiam stent versa facie ad Altare prope eundem, extra tamen gradus ipsius Altaris in eodem cornu, Diaconus à dextris, & Subdiaconus à sinistris; Acolythi verò stabunt suo loco. Si tamen esset magnus populi concursus, poterit Celebrans ascendere pulpitem, deposito prius Pluviali. Si tamen solet fieri concio post Evangelium, aut alia hora commoda, servetur illa consuetudo, quæ videtur convenientior.

XVI. Si detur Presbyter Assistens Celebranti Cotta indutus, servire debet ad librum, quem paulò ante benedictionem candelarum super Altare ponit, ubi deinde expectat celebrantem ad cornu Epistolæ in plano, & venientem salutat, neque ab eo loco discedit: vel potius, paratis omnibus



necelfariis prius ad altare, ipfe Affiftens, fi fit paratus, procedit à finiftris Diaconi, ut fuo loco diximus. Celebrante ftante ad cornu Epiftolæ, ipfe inter eundem & Diaconum infrâ fuppeditaneum præindicat agenda & dicenda, & elevat Pluviale ejus quando candelas eft benedicturus.

XVII. Cùm celebrans eft afperfurus, & incenfaturus candelas, ipfe paululum fe retrahit poft eum à cornu Epiftolæ, ne eum impediât. Suam accipiet candelam, fi paratus fit, ante Diaconum immediate; fi verò fit tantum cum Cotta, fuo ordine cum aliis de choro, & redit etiam in chorum cum aliis, & procedit etiam ordine fuo ad Proceffionem, depofito Pluviali: ad Miffam tamen miniftrabit, fi fit confuetudo, ut fuprà diximus.

XVIII. Si transfertur feftum, continuatur adhuc Antiphona *Alma Redemptoris*, & dicitur ufque ad Completorium illius diei in quem transfertur, exclusivè. Gav. feft. 5. c. 22. n. 7. Si habeat Oétavam, tota Oétava dicitur eadem Antiphona *Alma*, ufque ad ultimum Complet. diei Oétavæ exclusivè.

XIX. Dominica Sexagesimæ in Ecclefia Sancto Paulo dicata dicitur Oratio Dominicæ prædictæ Sexagesimæ, & in Oratione *A cunctis* nominatur nomen Sancti Pauli. Idem dicendum refpectivè fi feftum Converfionis sancti Pauli eadem Dominica venerit, quod fit primæ claffis. Idem etiam fi feftum Cathedræ S. Petri 22. Februarii, quod fit etiam primæ claffis, quia tunc dicitur Oratio de sancto Paulo, & illa de Dominica pro ejus commemoratione, licèt fuppreffo nomine ejus fiat mentio de eo.

XX. Si paucis diebus ante feriam quartam Cinerum occurrat feftum Purificationis, aut aliud quod habeat Oétavam, & ea Oétava non fit completa, tunc feria tertia ante prædictam feriam 4. ceffant prædictæ Oétavæ ad Nonam inclusivè, & Vesperæ hujus diei erunt de feria, & non ampliùs de fefto. Idèd fi de Oétava Purificationis fieret, diceretur, finita Nona, Antiphona *Alma Redemptoris*, & non ampliùs, & tunc poft ad Vesperas cantaretur Antiphona *Ave Regina cælorum*, fi feorfim dicerentur à Completorio; aliàs enim poft Completorium ipfum.

## ARTICULUS IV.

De eodem fefto Purificationis in minoribus Ecclefiis.

I. IN minoribus Ecclefiis omnia fupradicta duobus præcedentibus capitibus vix fieri poffunt: fiant tamen ea quæ commodè, fervatis femper fervandis, quæ in Miffali, & Cærem. Epife. lib. 2. c. 16. fieri valent, videlicet ea quæ fequuntur.

II. Parantur cerei fuper aliquam menfam, thuribulum cum navicula, vas aquæ benedictæ, aliud vas cum aqua, & manutergium pro lotionem, & exterfione manuum celebrantis, ut fuprà. Tunc fi uniculus, aut trës, aut quatuor tantum fint Sacerdotes, Celebrans paratus alba, & ftola tantum, vel etiam pluviali, tecto capite, & junctis manibus accedit ad altare cum tribus Acolythis, aut uno tantum, fi aliter fieri non poteft, nudo capite, & junctis manibus, ubi facta debita reverentia Altari, eoque oculatus accedit ad cornu Epiftolæ; benedicit candelas paulatim detectas cum cantu fi adfint Cantores, aut in directum, fi fit confuetudo; aliquis Acolythus elevat ftans ad cornu Epiftolæ partem anteriorem Pluvialis ipfius, dum format fignum Crucis fuper candelas. Si fit dies Dominicus, fieri debet priùs aquæ benedictio, & afperfo, ut fuprà, & ante benedictionem candelarum ipfæ deteguntur remoto linteo defuper.

III. In fine verò benedictionis, impofito, & benedicto thure, miniftrantibus Acolythis, afpergit, & incenfat candelas, ut fuprà. Deinde in medio altaris eas diftribuit (accepta priùs fua ab aliquo Presbytero fi adfit) Clero, ad ipfum Altare, & Laicis ad cancellos, fervatis reverentiis debitis altari, & celebranti. Dum fit diftributio, cantatur Antiphona, *Lumen ad revelationem*, & Canticum *Nunc dimittis* in Choro, ut fuprà, fi adfint cantores; aliàs enim celebrans eadem dicit in cornu Epiftolæ ante diftributionem: Qua facta, celebrans lavat manus, & dicit Orationem præmiſſo *Flectamus genua* à fe, ad quod genuſcetit, & *Levate* ab Acolythis miniftro tunc furgente, fi poft Septuagesimam, aut extra Dominicam, ut fuprà.

IV. Tum in medio Altaris imponit iterum,

rùm, & benedicit incensu, accenduntur cerei, si jam non sint accensi, & versùs populum celebrans dicit, candelam manu dextra tenens, *Procedamus in pace.* Tum fit processio, in qua Cantores cantant Antiphonas in Rituali notatas, vel ipse celebrans eas legit alta voce. Crux Processionalis defertur ab aliquo Acolyθο medio inter duos Ceroferarios, si fieri possit, & in ingressu Ecclesiæ Responsorium *Obrulerunt* decantatur, vel legitur.

V. Finita Processione, celebrans Missam solemnem, vel privatam, & submissa voce, ex more celebrat, ad cuius Evangelium accenduntur candelæ, & ab elevatione usque ad peractam Communionem, ut supra, inclusivè, si dicatur Missa de festo, aliàs non.

VI. Si non potest fieri Processio post Orationem *Exaudi*, celebrans non imponit thuribulo, nec dicit *Procedamus in pace*; sed tamen aliquis, vel ipse celebrans ad altare recitat, sicut & Responsorium *Obrulerunt*, Deinde dicitur Missa ut supra.

VII. Si fortè esset ritus congruentior, & convenientior, posset observari, cum Missa, & Cæremoniale pauca circa hæc minutiora præscribant, quæ fieri possunt in istis minoribus Ecclesiis; hæc tamen quæ hoc capite indicamus, Rubricis Missalis, & Cæremoniali Episc. valdè sunt conformia, idèò quantum fieri potest observanda.

## C A P U T IV.

*De Feria quarta Cinerum.*

### ARTICULUS I.

*De preparandis hæc die, & benedictione Cinerum.*

I. **S**ic vocatur hæc feria 4. ab impositione cinerum super capita fidelium, estque principium poenitentia, non tamen Quadragesimæ. Et quia Officium, & Missa sunt de feria, omnia simplicius parantur, quàm in festis solemnioribus.

II. Hora competenti per Sacristam, vel alium paratur altare simpliciter cum sex, aut quatuor candelabris de more, sine floribus, aut aliis quæ solemnitatem sapiant; item credentia, ut moris est, super quam

præter consueta ponitur thuribulum cum navicula, & vas aquæ benedictæ cum aspersorio; vel, si credentia non sit capax, ponuntur in alio loco congruo, vel in angulo altaris ad gradus ipsius. Cærem. Ep. lib. 2. c. 19.

III. Item ponitur super eam pelvicula cum medulla panis, buccali, & manutergio pro lotionem manuum celebrantis, ac præter ea in loco remoto vas cum carbonibus accensis. Item paratur vas argenteum, vel ex alia pulchra materia, cum cineribus mundis & aridis, non in modum luti, ex Sacra Cong. Rit. 25. Martii 1613. confectis ex ramis anno præterito benedictis, illudque vas poni debet per Sacristam in cornu Epistolæ inter librum, & cornu prædictum, & tegi aliquo linteo, vel alio operculo, donec celebrans eos benedicat. Legantur autem attentè ea, quæ de benedictione, & distributione candelarum diximus; multa enim sunt huic ritui conformia, quorum multa brevitatis causa præmittimus.

IV. Finita Nona, dictoque *Benedicamus Domino*, sine versu *Fidelium animæ*, accensisque cereis super altare per Acolythos circa finem horæ, celebrans stola, & Pluviali cum Alba, vel Alba, & stola tantum paratus in minoribus Ecclesiis, & ministri etiam cum Planetis plicatis etiam in majoribus Ecclesiis sine manipulis, vel in minoribus ut supra in albis, cum stola à Diacono, sine manipulis, procedunt ad altare, eodem modo quo capite præcedenti art. 2. cum Ceroferariis, & Thuriferario præcedente manibus junctis, de quo altari non amoveri debet SS. Sacramentum, si sit in Tabernaculo.

V. Celebrans depositio bireto, & facta debita reverentia, cum ministris omnibus ascendit ad altare, illud ostendit, ministris genuflectentibus, accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans inter Ministros sacros, ut in benedictione candelarum, legit submissa voce Antiphonam *Exaudi*, quam chorus cantat, ut Introitum Missæ; deinde eodem modo stans, & non se vertens ad populum, cantat in tono feriali, *Dominus vobiscum*, & Orationem conversus tantisper ad cineres, & dum dextera format signum Crucis super cineres, sinistram ponit super Altare, & Diaconus elevat anteriorem partem pluvialis ejus, stantibus omnibus de Choro versis ad Altare, & Ceroferariis ad Credentiam, qui prius facta initio gehy

flexione semper cum Ministris, candelabra super eandem credentiam deposuerunt.

VI. Dum celebrans benedicit cineres Thuriferarius parat thuribulum cum igne tempestivè, & alius Acolythus vas aquæ benedictæ, & firmant se propè Diaconum, ut ad benedictionem candelarum. Tum, finita Oratione, celebrans imponit, & benedicit thus, aspergit, & incensat cineres eo modo quo candelas.

VII. His expletis, Thuriferarius, & Acolythus prædictus discedunt, & collocant Thuribulum, & vas aquæ benedictæ in aliquo loco cōgruo, ut ante, vel potius in Sacristiam deferunt: nisi sit celebranda Missa solemnis, quia tunc solus Acolythus recedit cum vase aquæ benedictæ, reversurus tamen, ut sibi cineres cū aliis ordine suo imponatur; at verò Thuriferarius remanet pro Missa solemnī.

VIII. Si habendus est sermo de cineribus, habeatur finita incensatione eorum, ut de candelis diximus, si sit consuetudo; sed ex Cærem. Ep. l. 2. c. 19. præstat differre usque ad finem Evangelii: nulla tamen petita per fermocinaturum benedictione, ex eodem cæremionali ibidem, nisi adsit proprius Episcopus, quia tunc debet dari benedictio.

## ARTICULUS II.

### De distributione Cinerum.

I. **F**inita incensatione, celebrans accedit ad medium altaris, non omnino ad oram suppedanei, sed quasi in medio, scilicet inter altare, & oram ipsam, ut in festo Purificationis; ibique vertit se ad populum medius inter Diaconum à dextris tenentem vas cinerum, & Subdiaconum à sinistris.

II. Tum dignior de Clero in suo habitu choralī, & non cum stola, ex Gav. p. 4. tit. 6. n. 4. accedit ad altare cum Cæremionario à sinistris, ut supra, quem sequuntur alii, & facta debita reverentia Altari, & celebranti in plano, ascendit ad secundum gradum, ubi stans imponit cineres super caput inclinatum ipsius celebrantis stantis manibus junctis versus populum, & non genuflexi, & imponendo cineres dicit, formans signum Crucis *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem revertetur*; quod idem ipse

celebrans faciet, & dicet postea dum imponet cineres aliis.

III. Si verò non sit alius sacerdos, ipsemet celebrans versus altare genuflexus, sibi ipsi imponit cineres nihil dicens, quasi cineres à Deo accipiens, cui omne genuflectitur.

IV. Celebrans acceptis cineribus stans nudo capite, & Diacono tenente vas à dextris, ex Cærem. Ep. l. 2. c. 19. prius imponit cineres ipsi digniori Sacerdoti tunc genuflexo in secundo gradu super suppedaneum altaris, quod & alii facient postea. Deinde accedunt simul ministri sacri, ac ante celebrantem manibus junctis, facta debita genuflexione altari, & profunda inclinatione celebranti, & genibus flexis, & etiam manibus junctis, accipiunt cineres, & pari disciplina redeunt, ut in festo Purificationis; at Diaconus accepturus cineres, vas ponit in manibus Cæremionarii, aut alterius, illudque recipit acceptis cineribus.

V. Postea accedunt alii bini, ut supra, manibus junctis, & pari disciplina, & etiam capite inclinato. Si tamen sint Canonici, non genuflectunt, neque etiam Ecclesie Superior, seu Rector, si ipse non distribuit cineres, ut supra diximus, aliqua fortè rationabili causa. Manum tamen celebrantis nullus osculatur, quia commodè non potest. Eodem modo recedunt, ut post distributionem candelarum.

VI. Datis cineribus Clero ad altare, ibidem etiam dantur Magistratibus, & Nobilioribus, qui hac die, sicut & feria 6. in Parasceve, quantumvis sint nobiles, & potentes, & summi Principes, cedunt Clericis, præcipuè Canonicis. Ex Cærem. Ep. l. 2. c. 18.

VII. Deinde celebrans descendit ad cancellos, ubi eodem modo distribuit cineres populo utriusque sexus, singulis verba supradicta repetens semper in masculino genere, licet fœminis distribuatur; & his non supra velum, sed supra capillos, si commodè fieri potest, ne benedictus cinis supra velum deperdatur. Gav. hinc. Interim Diaconus à parte sua sinistra, Subdiaconus verò dextera, sinistra infra pectus posita, elevant partes anteriores Pluvialis celebrantis.

VIII. Inchoata distributione, statim Cantores in choro inchoant Antiphonam *Immutemur habitum*, & alia, quæ chorus prosequitur, & si sit magnus populi concursus, repetantur usque ad finem distributionis; videant autem cantores, ne desint Clerici qui continuè

cinere cantent, idè post reditum priorum, hi cantent, & alii procedant ad cineres capiendos, vel si sint pauci, unus post alium procedat.

IX. Distributis cineribus celebrans manus eo modo lavat quo post distributionem candelarum, tum stans in cornu Epistolæ, versus altare, manibus junctis, cantat Orationem *Concede* cum Pluviali, stantibus hinc inde à lateribus ejus Ministris sacris.

X. Deinde descendit in planum Altaris in medio, ubi deposito Pluviali, capit Manipulum, & Planetam, eo modo quo post asperisionem aquæ benedictæ, & ipse, ex decreto S. Congr. Rit. ut supra, incipit Missam solemnem, si fieri potest, vel privatam.

XI. Si dicatur Missa solemnis, & Ministrantur Planetis plicatis, servantur ea quæ diximus initio Adventus. Omnes in choro genuflectunt ad Confessionem, ad Orationes ante Epistolam, etiam Acolythi ad Altare, qui in his se choro conformare debent, ut supra diximus.

XII. Omnes etiam genuflectunt ad verbum *Adjuva nos* cum cantatur à choro, exceptis duobus cantoribus, qui eum fortè, secundum morem locorum, decantant in medio chori stando. Diaconus defert librum Evangeliorum dum celebrans incipit Evangelium suum de more.

XIII. Antequam autem inchoetur prædictus versus *Adjuva nos*, celebrans, & ministri descendunt ad secundum gradum Altaris, & ibi genuflectunt dum cantatur à choro. Quo versu dicto, Diaconus, deposita Planeta plicata, accepta stola latiori, incensum ministrat, dicit *Munda cor meum*, & alia peragit, ut in aliis Missis. Celebrans autem ita metiatur tempus, & chorus, ut quantum fieri possit, Evangelium suum perfecerit ante initium hujus versus, ne nimia interponatur mora intra Missam; idè chorus ea omnia lentiùs decantare debet, ut debito ordine, & maturè fiant: celebrans verò dum illum versum dicit privatè, genuflectit tantum in principio, & statim surgit. Gav. p. 1. tit. 17. n. 1.

XIV. Prædicta servari debent respectivè in solemnibus Missis, quæ de tempore Quadragesimæ celebrantur, & non in festis Sanctorum. Quantum enim fieri potest, celebrans, & omnes alii debent esse ge-

nuxi, dum cantatur prædictus versus *Adjuva nos*.

XV. In Ecclesiis tamen ubi non est catus, ne inter Graduale, & Evangelium interponatur mora, liber portari poterit ab Acolytho aliquo dum Subdiaconus dicit Epistolam, & tunc Diaconus assistet ministrans celebranti. Ita Castaldus lib. 1. sect. 7. dicens, id esse approbatum à Magistro Cæremoniarum Papæ. Ad Orationem super populum omnes genuflexi etiam caput inclinant.

XVI. Si dicitur tantum Missa privata post distributionem cinerum, dicta Oratione *Concede*, celebrans, & ministri descendunt in planum, ubi celebrans deposito pluviali, si eo utitur, capit Manipulum, & Planetam, & facta debita reverentia, incipit Missam, & interim prædicti sacri ministri discedunt, facta priùs altari genuflectione, & si ea Missa cantatur in choro, tunc aliquis Acolythus cotta indutus cantat Epistolam, & reliqua fiunt ut in Missa privata, de qua in Rubr. generalibus agitur Par. 2. tit. 6. n. 8.

### ARTICULUS III.

*De eadem feria quarta Cinerum in minoribus Ecclesiis: & de quibusdam occurrentibus in Quadragesima.*

I. **S**I adsint pauci Clerici, solus celebrans benedicit cineres cum uno, aut pluribus Acolythis, ut infra, ministrantibus Thuribulum, naviculam, & aquam benedictam, & unus ex illis à dextris elevat partem anteriorem Pluvialis, si eo utatur, manu sinistra, dum cineres distribuit. Atque tunc celebrans, si non adsint Clerici in choro, dicit intelligibili voce ante distributionem, *Immutemur*, & alia, & finita distributione lavat manus, & fricat eas cum medulla panis, ministrante Acolytho, vel Acolythis, moxque dicit Orationem in cornu Epistolæ, & Missam celebrat de more, deposito Pluviali, & sumptis Manipulo, & Planeta, ut supra.

II. Si populo grave sit ut benedicantur cineres post Nonam, mane hora competentis, Sacerdos aliquis deputatus, potest benedicere cineres, ut supra, cum uno, aut duo-

duobus Acolythis ministrantibus, qui postea assistunt eorum distributioni hinc inde, ut supra, & recipiunt cineres suo loco.

III. Tunc etiam, si sit consuetudo, finita benedictione Cinerum, curet Sacrista, ut iidem ponantur in diversis vasis, juxta numerum altarium, in quibus Missæ privatæ sunt celebrandæ; & in fine cujuslibet Missæ, vel ante initium illius, si necesse sit, celebrans ipse imponit cineres ritu præscripto, ministro à dextris ejus vas tenente, si possit fieri, & deinde lavat manus in vase ad id præparato, & non in pellicula consueta, quantum fieri potest; & lotiones manuum, & cineres qui non erunt amplius usui, deponantur in Sacrarium.

IV. Si adsit Presbyter assistens, omnia peraget respectivè quæ supra in benedictione candelarum diximus; sed post ultimam Orationem *Concede*, redit in Sacristiam: & accipit cineres suo ordine cum aliis clericis.

## C A P U T V.

*De Tempore Quadragesimæ usque ad Dominicam Palmarum.*

I. Sabbato ante Dominicam primam Quadragesimæ, dicuntur Vesperæ ante comestionem, post Nonam & Missam: at Feria 4. Cinerum, & duobus sequentibus diebus, dicuntur hora consueta.

II. Si festum SS. Quadraginta Martyrum occurrat feria 5. post Cineres, & si de iis dicatur Missa, in ea mutatur Secreta feriæ quintæ, & ejus loco dicitur Secreta feriæ sextæ sequentis, quæ iterum suo die dicitur.

III. Feria 5. tertiæ Hebdomadæ Quadragesimæ, etiam si dicatur, Oratio in Missa feriali de Sanctis Cosma, & Damiano, debet tamen fieri commemoratio de iis consueta ad Orationem *A cunctis*, si sint Patroni, aut Titulares. Ita Gay.

IV. Dominica 4. Quadragesimæ pulsantur Organa, & in Missa solemnè ministri sacri utuntur Dalmatica, & Tunicella violacei coloris: altare verò paratur festiviùs, quàm in aliis Dominicis; possunt enim adhiberi flores, & imagines, aut Reliquiæ, non verò in aliis Dominicis.

V. Dominica Passionis, quæ est quinta Quadragesimæ, omnes imagines quæ sunt per Ecclesiam, teguntur ad primas Vesperas, scilicet Sabbato, sicque tectæ manent usque ad finem Litaniarum Sabbati sancti inclusivè. Similiter Cruces velaminibus omnino nudis absque ulla figura Crucis, neque etiam in illis velis insignia debent esse Passionis Christi, contra usum quorundam qui in illis figuram Christi Crucifixi apponunt, & alias Cruces, & insignia Passionis, non benè.

VI. Feria autem sexta in Parasceve, post quam Crux adoranda detecta fuit, etiam omnes aliæ detegi debent. In velandis verò Imaginibus, & Crucibus, adhibeatur semper color violaceus, qui nullo modo mutatur, quocumque festo adveniente. Attamen Feria 5. in Cœna Domini, Crux Altaris majoris durante Missa, & illius Altaris ante quod sit *Mandatum*, Crux ipsius debet tegi velo albo. Processionalis verò violaceo, sicut & ad Matutinas Tenbrarum. Sed feria 6. sequentis, velo nigro. In multis tamen Ecclesiis velo etiam violaceo, & rectè, contegitur.

## C A P U T VI.

*De Dominica Palmarum.*

## A R T I C U L U S I.

*De præparandis hac die.*

I. Officium hujus Dominicæ, hoc est benedictio Ramorum, & distributio, deinde Processio, similia ferè sunt in omnibus Officio Purificationis Beatæ Mariæ in benedictione, distributione, & Processione candelarum, paucis exceptis. Ideò diligenter legenda sunt, quæ de iis satis fusè egimus: remissius tamen & aliquantò parcius hac die pararetur Altare, & loco florum, rami Palmarum, seu aliarum arborum auro, vel argento poni possunt inter altaris candelabra decenter ornati.

II. Hora competentè, Sacrista præparat numerum ramorum Olivarum, & Palmarum, seu illis deficientibus, aliarum arborum, quas palmeis Crucibus, si fieri potest,

vel floribus ornatas in fasciculos colligat. Pro celebrante autem paratur Palma, vel ramus olivæ, si fieri possit, pulchrè ornatus, & aliis speciosior: parentur etiam alii pro Clero, & Magistratibus, & ponantur super credentiam in cornu Epistolæ, propè altare versus cornu posterius, linteo pulchro undequaque tectam, ac alio linteo, seu mappa munda; rami postea tegantur usque ad benedictionem, sicut de candelis dictum est.

III. Propè, vel super eandem credentiam, aut aliam ordinariam thuribulum ponatur cum navicula, & præter consueta super ordinariam credentiam vas aliud ponatur cum medulla panis, & buccale cum manutergio pro lotionem, & extersionem manuum celebrantis.

IV. Paratur etiam unum, aut tria lectorilia, super quæ Passio cantetur, sicut & tria Missalia, aut unum pro Passione decantanda, aut tres, vel unus codex, in quibus Passio notata sit diligenter. Præterea pro cantoribus Passionis tres stolæ violacæ latioræ, & tres aliæ simplices, & communes pro iisdem cantoribus, & totidem manipuli. Super credentiam ordinariam ponatur etiam alia stola latior violacæ pro Diacono, qui cantaturus est Evangelium, si ministri utantur Planetis plicatis.

V. In loco apto ad cornu Epistolæ fit Crux Processionalis velo tecta violacæ. In alio loco vas cum carbonibus ardentibus pro thuribulo. Nec est necesse, ut amoveatur SS. Sacramentum de Tabernaculo suo, si sit ad altare.

VI. Item parantur Missalia tam pro celebrante, quam pro ministris sacris, & Ritualia pro Processione: item deputentur per Præfectum chori, aut Cæremoniarium duo, aut quatuor cantores, qui in fine Processionis decantent in Ecclesia, ut infra; versus *Gloria, laus, &c.* Item per eundem Præfectum, seu Cæremoniarium deputentur, & in tabula describantur ii omnes, qui hac die ministrare debent: Qui sint cantores seu Diaconi Passionis, & alii, & quid illis agendum sit, præscribatur. Parentur etiam pluvialia pro cantoribus, si sit consuetudo.

## ARTICULUS II.

De Benedictione Palmarum, & eorum distributione.

I. **C**irca finem Tertiæ accenduntur per Acolythos, ut supra, sex cerei altaris, vel quatuor, & duo in Sacristia propriis, ut supra.

II. Finita Tertia, Sacerdos sine manipulo paratus alba, stola, & pluviali, si fieri potest, vel sola stola violacæ, ut in die Purificationis, & Ministri Planetis plicatis, ut supra eodem die respectivè, & cum manipulis (quia hodie Epistolam, & Evangelium sunt cantaturi ad benedictionem, ut infra) procedit ad altare medius inter ministros sacros, Thuriferario præcedente, manibus junctis, & alio Acolytho à sinistris ejus deferente vas aquæ benedictæ, quia fit aquæ benedictæ aspersio.

III. Cum pervenerint ad altare, Celebrans, & ministri depositis prius biretis, debitam faciunt reverentiam, & statim ante asperionem aquæ benedictæ, Cæremoniarium deponunt candelabra super credentiam, & fit aspersio de more. Qua facta, Acolythus de vase aquæ benedictæ, ponit illud super credentiam propè ramos, & dicta Oratione solita *Exaudi*, Cæremoniarium, seu alius capit Missale tectum velo violacæ, illudque super cornu Epistolæ collocat apertum; celebrans verò ascendit ad altare, illudque osculatur, ministris sacris genuflectentibus, & interim per eundem Cæremoniarium, vel Sacristam rami prædicti discooperiuntur. Tum celebrans accedit ad cornu Epistolæ, ibique medius inter ministros sacros stans, parum tamen ab altari distans, sed quasi pares, ut in die Purificationis, legit Antiphonam, non se signans, quam interim cantores inchoant, & chorus prosequitur.

IV. Deinde manibus junctis, non vertens se ad populum, cantat *Dominus vobiscum*, & Orationem in tono feriali. Interim Subdiaconus deposita Planeta, si ea utatur, & sumpto libro, vadit, facta altari genuflectione de more, ad locum ubi cantari solet Epistola comitatus à Cæremoniarium, & eodem ritu quo in Missa solemnè cantat Epistolam, quam interim celebrans legit submissa voce, si velit, assistente sibi Diacono, ut in Missa

solemni, qui in fine respondet ipsi *Deo gratias.*

V. Epistola decahata, Subdiaconus accepta de more benedictione à celebrante cum debitis genuflexionibus, resumit Planetam plicatam, si ea utitur, non tamen defert Missale celebrantis ad cornu Evangelii, quia celebrans illud legit præmissis Graduali, & *Munda cor meum* ibidem, & non in medio altaris. Liberum tamen est celebranti, ex Cær. Cleric. Reg. S. Pauli l. 2. c. 2. recitare tam Epistolam, quam ea, quæ sequuntur, usque ad Evangelium inclusivè.

VI. Dum celebrans incipit suum Evangelium, vel quando opus est, Diaconus, deposita prius planeta, si ea utitur, & sumpta stola latiori, si utitur Planetâ, vel etiam convoluta eadem Planeta, ut aliàs diximus, defert de more librum Evangeliorum ante pectus super medium Altaris. Et dum chorus cantat Responsorium *Collegerunt* loco Gradualis, vel aliud, Thuriferarius tempestivè accedit ad cornu Epistolæ cum thuribulo, & navicula, ibique celebrans, Diacono ministrante, & stante à dextris ejus, ponit thus in Thuribulo cum benedictione, ut ad Evangelium; ipseque dicto *Munda cor meum* de more, petit benedictionem, genuflexus ibidem, à celebrante tunc stante in cornu Epistolæ versus eum, quam etiam dat de more cum solito osculo; & si nimis prædictum cornu Epistolæ distat à medio altaris, celebrans accedit parumper ad Diaconum, ut manum ejus possit osculari. Deinde Diaconus procedit ad locum Evangelii cum Ministris, & reverentiis solitis, Evangeliumque cantat more solito; quo cantato, & osculato libro Evangeliorum à celebrante, ipsoque incensato, Diaconus deposita stola latiore resumit Planetam ut prius, alioquin remanet cum stola, & manipulo, ut antea.

VII. His omnibus peractis celebrans manibus junctis benedicit prædictos ramos aliquantulum ad eos conversus, Ministris sacris stantibus hinc inde manibus junctis, dicens in tono seriali *Dominus vobiscum*, & alia, usque ad finem, etiam Præfationem, prout notatur in Missali.

VIII. Dum dicit *Sanctus*, Ministri prout erant, se inclinant cum celebrante, manibus junctis, illudque cum eordicunt, & ad *Benedictus qui venit* credenti se signant, eaque cantantur in choro in tono seriali.

IX. In Orationibus autem nihil est immutandum, neque detrahendum, licet benedicantur rami aliarum arborum, & non Palmarum, aut Olivarum, quia habentur loco Palmarum. Gav. hic par. 4. tit. 7. n. 11. Cum celebrans ramos dextera benedicit, sinistra super altare posita, Diaconus elevat Pluviale celebrantis. Interim qui sunt in choro stant versus altare nudo capite, & inclinant se ad nomen *Jesus*.

X. Circa finem benedictionis, Thuriferarius, & alius Acolythus, acceptis Thuribulo, navicula, & vase aquæ benedictæ accedunt ad altare, & facta benedictione, celebrans aspergit, & incensat ramos, benedicto prius incenso de more, sicut candelas.

XI. Si habeatur sermo, fiat post benedictionem eo modo quo in festo Purificationis, sed in his servanda videtur loci consuetudo.

XII. Si non habeatur sermo, celebrans, facta incensatione, accedit ad medium altaris, & renes ei vertens se ad populum convertit, quasi in medio suppedanei altaris ut supra, ibique stat in medio Diaconi Ministris, & Subdiaconi à dextris, semper nudo capite. Tum Thuriferarius, aut Sacrista, depositis thuribulo, & navicula, stans ad latus Epistolæ, offert Diacono ramos sine osculis, & hic celebranti cum osculo tantum ramorum. Similiter alius Acolythus deponit vas aquæ benedictæ.

XIII. Interim dignior Sacerdos de choro, in habitu suo Choralis, comite Cæremoniario, accedit ad altare, ubi eodem modo quo in festo Purificationis, cum debitis reverentiis offert celebranti ramum, quem celebrans tradit alicui Ministro custodiendum. Tum ipse celebrans ramos acceptos distribuit prius digniori, deinde Ministris sacris, tum Clericis per ordinem, postea Acolythis ad Altare ministrantibus, deinde aliis clericis si adsint, tum Magistratibus, & Nobilioribus secundum consuetudinem, etiam ad altare, eosque tenet quasi per medium, ut accipientes osculari possint instam partem, deinde manum celebrantis, eo modo quo de candelis diximus. Prælati tamen, si qui sunt, & Canonici ramum tantum, & non manum osculantur, neque genuflectunt, sicut nec Superior, si forte non celebret, licet non sit

Canonicus. Si autem Prælati non accedunt ad altare, illis per aliquem Presbyterum cotta tantum indutum deferuntur rami, & ipse Presbyter simul osculatur ramum, & manum Prælati, qui Prælatus tantum osculatur ramum, & non manum offerentis; & si Prælatus iste esset paratus, etiam non oscularetur ramum.

XIV. Cum inchoatur distributio, statim, & non prius, Clerici cantant in choro Antiphonam *Pueri Hebraeorum*, & sequentem, incipientibus cantoribus paratis, si sit consuetudo, Pluvialibus violaceis, repetanturque sæpius secundum concursum populi, aut numerum Clericorum. Provideat autem diligenter Præfectus chori, ut Clerici ita tempestivè procedant ad altare, ut cantus tunc temporis non cesset in choro, dum fit ramorum distributio.

XV. Facta distributione choro, & Magistratibus ad altare, celebrans descendit ad cancellos, ubi eosdem ramos allatos à ministris, distribuit populo utriusque sexus, & si sit magnus concursus populi, ut sæpe accidit, fit alia distributio per aliquem Presbyterum cotta, & stola tantum indutum coloris violacei, vel per plures, cum tot Acolythis, qui eis prædictos ramos ministrent distribuendos, cum osculis eorum; foeminis verò non fiat distributio ad Altare.

XVI. Completa tota distributione ramorum, Thuriferarius ramum suum deponit, & parat Thuribulum: Celebrans verò lavat manus suas in cornu Epistolæ, sicut in festo Purificationis. Tum in eodem cornu junctis manibus, ut prius, medius etiam inter prædictos Ministros sacros, etiam junctis manibus, versus altare, cantat *Dominus vobiscum*, & Orationem.

### ARTICULUS III.

*De Processione hujus diei, & Missa.*

**L** Finita Oratione, Celebrans accedit ad medium altaris, ubi iterum thus ministrantibus Diacono, & Thuriferario, benedicit de more in Thuribulo. Tum Diaconus deposito suo manipulo, porrigit celebranti ramum ejus cum debitis osculis, &

suum pariter capit, & vertens se ad populum dicit, *Procedamus in pace*, & chorus respondet, *In nomine Christi, Amen*. Interim Subdiaconus Missæ, & non alius, deposito etiam suo manipulo, accepta Cruce, medius inter Ceroferos, accedit sine ulla reverentia ad medium altaris, depositis prius ramis suis in loco congruo. Thuriferarius item, deposito thure in thuribulo, accedit post Subdiaconum, ut primus omnium procedat.

II. Deinde per Cæremoniarium ordinatur Processio eo modo, quo in festo Purificationis, Clericis qui sunt à dextris tenentibus ramos dextra, & qui sunt à sinistris, sinistra, altera manu Rituale; cantores verò incipiunt Antiphonam *Cum appropinquasset*, & alias, quando opus erit, quas chorus prosequitur quamdiu durat Processio, possuntque repeti, si longior sit, & breviori, si brevior.

III. Dum fit Processio, duo, aut quatuor, ut supra, cantores deputati intrant in Ecclesiam, cujus fores claudunt, ibique expectant Processionem. Et cum advenerit ad prædictas fores, Subdiaconus deferens Crucem, versus ad eas medius inter Ceroferos, assistente cæremoniarario, sistit se; chorus verò stat in duas partes divisus, vel per gyrum circumstat (aut commodiori modo quo potest fieri) medium habens celebrantem, stante Diacono à sinistris ejus, directè conversum ad Crucem, habentem imaginem Crucifixi tunc ad ipsum celebrantem conversam. Gavant. hîc.

IV. Tum illi, qui sunt in Ecclesia, incipiunt versus *Gloria, laus*, quem integrè prosequuntur cum alio sequenti; celebrans verò tecto, & alii nudo capite, repetunt eisdem versus etiam integrè. Gavant. Deinde prædicti cantores, qui sunt intra Ecclesiam cantant alios duos versus sequentes, tum qui extra, repetunt primos duos, scilicet *Gloria, laus*, quod similiter faciunt iterum, atque iterum, post quoslibet versus, qui consequenter cantantur ab iisdem, qui sunt intra Ecclesiam.

V. Postea cantatis omnibus versibus prorsus, & non parte tantum eorum, è Missali recognito, Subdiaconus crucem deferens, ima parte hastili crucis, non amota Cruce ex ipso hastili, percutit portam

nihil



nihil dicens, intima etiam parte ipsius, ita ut fragor audiatur, eaque statim per Cantores aperitur, & Processio Ecclesiam ingreditur. Mox dicti cantores incipiunt Responsorium *Ingreffente Domino*, ex Rit. Pauli Quinti, & chorus illud prosequitur sine versu *Gloria Patri*.

VI. Cum autem pervenerint ad altare, Subdiaconus Crucem in loco congruo deponit propè credentiam, ex Gavanto hic, quæ statim per aliquem Acolythum in Sacristiam deferuntur. Ceroferarii verò candelabra sua deponunt super eandem credentiam. Celebrans ante Altare deponit ramum suum & Pluviale, & accipit Manipulum (sicut & ministri sacri suos accipiunt, quos ante Processionem depofuerant) & Planetam. Tum Missa solemnis (quantum fieri potest) vel privata secundum exigentiam celebratur ab eodem, quantum fieri potest, qui ramos benedixit, ut aliàs diximus, vel ab alio, si aliter fieri non possit, servatis iis, quæ diximus in festo Purificationis.

VII. In Missa Rami tenentur in manibus dum Passio cantatur tantum, non tamen ad elevationem Sanctissimi Sacramenti, neque ad Communionem. Cum Subdiaconus pronunciat in Epistola ea verba, *Ut in nomine Jesu*, &c. ipse, & omnes alii, etiam celebrans, si fieri potest, & modò alia non recitet, genuflectunt, usque ad verbum *Inferorum* inclusivè, ex Cær. Ep. l. 2. c. 21. celebrans verò genuflectit cum Diacono à sinistris ejus super suppedaneum altaris, ante medium ipsius.

VIII. Finita Epistola, paratur per Acolythum, aut plures, unum, vel tria pulpita nuda in loco, ubi solet Evangelium cantari, vel alibi, ubi scilicet Passio cantatur de more, super quæ poni debent postea libri, vel Codices pro Passione decantanda, si sit consuetudo locorum, aliàs non debent parari: Et interim, vel citius, si sit necesse, tres isti, qui cantaturi sunt Passionem, parant se in Sacristia habitu Diaconali, scilicet unusquisque cum alba, manipulo, & stola communi, & etiam stola latiori, quantum fieri potest, vel Planetis plicatis, sed super humeros convolutis, ut ad Evangelium, & circa finem Tractus, præcedent Cæremoniario, omnes procedunt ad altare; sed qui Evangelistæ partes agit, portans sibi librum

suum ante pectus, prius incedit, deinde qui turbarum, ultimò qui Christi: quos sequuntur etiam tres clerici unus post alium junctis manibus cortis induti.

IX. Ante altare omnes Diaconi super gradum infimum genuflectunt, ita ut qui Christi personam agit, sit in medio; at tres clerici in plano cum Cæremoniario paufantes aliquantulum, sed nihil dicentes, tum surgunt, non petita nec habita benedictione; sed facta iterum debita altari reverentia, & celebranti inclinatione, accedunt ad locum paratum, ubi stant in recta linea, facie versa ad eam partem, quæ pro aquilone figuratur, ita ut tunc, qui Evangelistam agit, medium teneat locum, qui Christum dexteram, & qui turbas, sinistram Evangelistæ occupent. Tres verò Acolythi stant ante eos terga aquiloni vertentes, quorum qui est medius tenet librum, quem inter se mutuam æquali spatio, dum Passio cantatur, prout Cæremoniarius eos admonet, & cum tempus est, illud nutu aliquo significat.

X. At verò si notata est Passio in tribus codicibus, ut patet ex editione Romana, vel si cantetur in tribus Missalibus, unusquisque Cantorum defert suum codicem, aut Missale ambabus manibus ante pectus, & unusquisque Acolythorum tenet illud apertum ante unumquemque ipsorum Cantorum, dum eadem Passio cantatur. Gav. in suo Cærem. Cleric. Regul. S. Pauli l. 2. c. 6.

XI. Si in pulpito nudo, vel etiam tribus nudis Passio decantatur, ut in insignioribus Ecclesiis, decet ut illi tres Acolythi, qui supra post pulpitem, vel pulpita assistant apponendo manus ad singula, & circa illorum latera, & facie ad cantores conversa, eoque casu parantur illa pulpita nuda ab Acolythiis, ut supra, dum inchoatur Graduale, ita tempestivè, ut sint statim parata, paulò antequam cantetur Passio.

XII. Ex praxi Urbis non est necesse, ut omnes versus Tractus cantentur in choro, sed pauci sufficiunt, si ita videatur, præsertim ob angustiam temporis, vel paucitatem cantorum. Convenientius tamen est, ut omnes cantentur.

XIII. Cum inchoatur Passio à cantoribus, celebrans surgit si sedeat, & accedit ad cornu Epistolæ, non Evangelii, ubi palmam tenens sinistra, ex Cær. Romano l. 2. c. 41.

eam legit paululum ad cantores conversus, ministris stantibus apud eum ut in Introitu Missæ, etiam ramos sinistra tenentibus, sicut etiam omnes alii, qui sunt in Ecclesia, manibus eos tenent, exceptis Cantoribus, & Acolythis. Diaconus verò folia Missalis vertit quando opus est.

XIV. Et cum celebrans ad mortem Christi pervenerit, non genuflectit, nisi simul cum prædictis cantoribus. At postquam eam integrè legerit, convertet se omnino ad cantores, & ministri sacri similiter, unus post alium, Diacono stante à sinistris celebrantis, & Subdiacono à sinistris hujus; & dum profertur nomen *Jesu* inclinant se versus Crucem altaris. Ad hæc verba *Jesus autem voce magna exclamans, emisit spiritum,* & similia in aliis Passionibus, genuflexio faciendâ est utroque genu, etiam à cantoribus versus librum, & Acolythis eis assistentibus versus altare, nec prius surgendum, quin post aliquam pausam (quæ potest durare spatium unius *Pater noster*, ex Marcello l. 2. c. 39.) Diaconus, qui agit Evangelistam, ad nuntium Cæremoniarii surrexerit, atque eo ipso signo, surgendi signum dederit, Cær. Ep. l. 2. c. 21. Et idèd non placet dari signum à celebrante strepitu vel aliquo alio signo. Celebrans autem, & ejus ministri, paulò ante prædicta verba *Jesus autem, &c.* accedit ad medium Altaris, & descendit ad secundum gradum, ibique super suppedaneum genuflectit cum ministris hinc inde, donec Diaconus, ut supra, surrexerit.

XV. Post genuflexionem, quæ fit in morte Christi, Subdiaconus mutat librum celebrantis, deposito suo ramo, à cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, genuflectens in medio. Tum celebrans dicto in medio altaris *Munda cor meum* de more, & *Jube Domine* accedit ad idem cornu; ubi non signans librum, nec seipsum, legit eam partem Passionis, quæ habetur loco Evangelii, assistente sibi Subdiacono, & Diacono, ut aliàs; qua finita Subdiaconus respondet *Laus tibi Christe*, ut in aliis Missis.

XVI. Dum celebrans dicit *Munda cor meum*, Diaconus accipit librum Evangeliorum, deposita prius planeta plicata, & sumpta latiori stola, aut relicta eadem planeta convoluta, ut aliàs diximus in pari casu, illumque defert de more ad altare; quo factò

ad celebrantem accedit ad cornu Evangelii, ubi assistit, ut supra: & tunc, vel citiùs Thuriferarius parat Thuribulum.

XVII. Lecto à celebrante Evangelio, si adhuc aliquid superfit temporis; ipse celebrans redit ad cornu Epistolæ, ubi se convertit ad cantores, donec Passionem finierint, Qua finita, tres prædicti cantores, acceptis Missalibus, vel codicibus suis, præcedente solo cæremoniario, redeunt, sequentibus aliis tribus Acolythis, ante altare, ubi faciunt debitam altari, & celebranti reverentiam, ut supra, & inde redeunt in Sacristiam eo ordine quo venerant, ducente Cæremoniario, qui statim redit ad Altare, & illi, depositis paramentis, redeunt in chorum; prædicta verò legilia, si sint, amoventur per Sacristam, aut alios; si verò prædictos codices Cantores non gestent, recedunt manibus junctis, excepto eo qui personam Evangelistæ agit, qui suum defert ambabus manibus ante pectus.

XVIII. Interim Diaconus Missæ ministrat naviculam Celebranti, qui imponit, & benedicit thus in Thuribulo, dicit *Munda cor meum*, & petit benedictionem de more genuflexus.

XIX. Tum, facta genuflexione iterum ad infimum gradum, eo modo quo ad Evangelium, cum Cæremoniario, Thuriferario, & Ceroferariis non gestantibus candelabra, sed ramos tantùm, si sit consuetudo, ex Castaldo l. 3. sect. 5. c. 5. n. 9. & etiam Subdiacono à sinistris ejus, ad locum consuetum Evangelii accedit, ubi illud decantat, sed prius incensat librum, quem non signat nec se, neque dicit *Dominus vobiscum*, sed absolute incipit *Altera autem die*, Subdiacono tenente librum, ut aliàs, & Ceroferariis ramos.

XX. Celebrans, data benedictione Diacono, retrahit se ad cornu Epistolæ, ibique stat versus ad Diaconum cantantem, & in fine librum osculatur in principio illius postremæ partis, quæ pro Evangelio habetur, & similiter incensatur de more.

XXI. Reliqua sunt, ut in aliis Missis; & in fine Missæ, Celebrans legit Evangelium Sancti Joannis, quia Evangelium *Cum appropinquasset*, lectum est ad benedictionem Palmarum, & recedunt in Sacristiam sine ramis.

XXII. Si tot cantores desint ad Passionem cantandam, eo casu solus Diaconus Missæ eam decantat in pulpito nudo: Et tunc circa finem Tractus, Acolythus aliquis collocat legile nudum ubi solet Evangelium decantari. Diaconus deponit Planetam, ut suprâ, & capit stolam latiore, vel remanet in Alba, & capit librum, & præcedente unico ministro, illum defert ad prædictum legile, facta prius genuflexione altari, & celebranti reverentia; ibique, ex libro aperto, cantat Passionem usque ad eam partem, quæ pro Evangelio habetur, habens ante se Ministrum prædictum tenentem pulpitem ambabus manibus juxta librum, ut suprâ.

XXIII. Finita Passione amovetur legile, & Diaconus accedit ad medium altaris, ubi genuflectit, ac de credentia defert librum Evangeliorum clausum ad altare, ubi iterum genuflectit in medio, ministrat incensum, dicit *Munda cor meum*, capit librum, petit benedictionem à celebrante stante propè cornu Evangelii, & omnia peragit, ut suprâ. Dicit autem hanc partem in tono Evangelii, ut dictum est: Et hic ritus servandus est in aliis Passionibus. Finita hac parte Diaconus non resumit Planetam, nisi post communionem.

XXIV. Si Missa sine Ministris sacris cantatur, Passionem tamen aliquis Diaconus in habitu Diaconali, idest cum stola, & manipulo, cantat, partem autem ultimam celebrans perficit sine incenso, & aliis solemnitatibus. Non probatur autem illa distributio partium Passionis inter celebrantem, Diaconum, & Subdiaconum, ita ut celebrans vices Christi, Diaconus Evangelistæ, Subdiaconus Turbarum gerant. Non enim decet celebrantem tunc cantare.

XXV. Eodem modo, si sit consuetudo, in majoribus Ecclesiis cantari debet Passio feria 3. & 4. sequentibus cum totidem ministris.

XXVI. Notæ illæ, quæ in Missali apponuntur non multum antiquæ, videlicet +. C. S. significant Christum, Chronistam, & Synagogam, vel Christum, Cantorem, & Succentorem: quia hodie Diaconi isti vocantur cantores Passionis.

XXVII. In Missis privatis dicto Tractu à sacerdote, Minister defert Missale ad cor-

nu Evangelii cum debitis genuflexionibus, & celebrans ad illud etiam accedit, facta prius in medio inclinatione, ibique, non se signans, Passionem dicit absolutè, *Passio Domini Nostri, &c.* graviter, & devotè. Ad verba *Emisit spiritum*, & in aliis Passionibus genuflectit ipse versùs librum, pausans aliquantulum, aliaque peragit, ut in aliis Missis.

XXVIII. In Missa solemnè, & privata non extinguuntur cerei altaris, nec Lampades, quod aliqui faciunt non rectè. Gav. In Missis privatis dicitur Evangelium in fine *Cum appropinquasset*, nisi dictum sit ad benedictionem ramorum, quæ facta fuit privatam, quia tunc dicitur Evangelium Sancti Joannis.

XXIX. Si processio extra Ecclesiam exire nequeat, fiat intra, & circum eam, & quod ante portam agendum erat, fiat in reditu ad vestibulum Capellæ majoris, vel chori, aut alterius commodioris loci.

XXX. Si adsit Presbyter assistens, omnia respectivè peraget, quæ suprâ in festo Purificationis diximus. Dato ramo celebranti paulò ante Processionem, procedet postea cum aliis Clericis ordine suo, & in Missa ministrabit celebranti ad Passionem in parte Epistolæ, si sit consuetudo ut p. 1. diximus.

XXXI. Ad capitulum Nonæ non genuflectitur in choro. Nec feria quarta sequenti cantores genuflectunt ad Introitum Missæ, quæ incipit, *In nomine Jesu*.

#### ARTICULUS IV.

*De eadem Dominica in minoribus Ecclesiis.*

I. **S**I sint pauci admodum Clerici, vel fortè unicus Sacerdos, possunt hæc, quæ sequuntur, observari. Parantur rami, ut suprâ, Thuribulum, navicula, & vas aquæ benedictæ, & aliud pro lotionem manuum celebrantis, cum manutergio, & alia. Celebrans Pluviali, vel Alba cum sola stola paratus cum manipulo, quia lectionem, & Evangelium dicturus est, accedit ad altare, ubi de more facit asperionem aquæ benedictæ.

II. Qua facta, & dicta oratione, ascendit ad

ad suppedaneum, altare osculatur, & discoopertis per Acolythum ramis, dicit in cornu Epistolæ, *Hosanna*, & Orationem, & aliquis Acolythus, si fieri potest, cantat lectionem in tono Epistolæ, qua dicta chorus, vel celebrans dicit Responsorium *Collegerunt*, vel aliud, eoque finito, Celebrans sine incenso, prout est, cantat Evangelium in prædicto cornu Epistolæ, præmisso ibidem *Munda cor meum*, & *Jube Domine*, &c. finito Evangelio, benedicit ramos, dicens Orationes manibus junctis, & benedicit in fine thus in Thuribulo, ministrante Acolytho, tum aspergit, & incensat ramos, eoque in medio altaris distribuit ut supra Clericis, si adsint, Magistratibus, & Nobilibus, & ad cancellos populo utriusque sexus, porrigente illos aliquo Acolytho à sinistris, cum osculo rami tantum; sed tamen accipientes osculantur ramum, & manum Celebrantis.

III. Facta distributione lavat manus, ut supra, dicit Orationem in cornu Epistolæ, & imposito, si fieri potest, incenso in Thuribulo, dicit, ramum manu dextera tenens, versus populum in medio altaris, *Procedamus in pace*, & chorus, vel Acolythus, vel ipsemet, si nullus alius adsit, respondet, *In nomine Christi, Amen*.

IV. Tum facit processionem, in qua aliquis Acolythus portat Crucem, ipse verò recitat Antiphonas, quæ sunt in Rituali, alta voce, easque repetit, si opus est. In fine verò aliqui Acolythi ingrediuntur Ecclesiam ubi cantant alta voce, vel recitant versus *Gloria, laus*, & alios, ut supra, quibus celebrans, & alii respondent respectivè ut supra. Quibus omnibus finitis, Acolythus Crucem ferens, ima parte hastilis ipsius, percutit portam Ecclesiæ, ut supra; qua aperta celebrans incipit Responsorium *Ingrediente Domino*, eoque finito, incipit, & perficit Missam respectivè, in cujus fine dicit Evangelium S. Joannis.

V. Si sint aliqui laici cantores, vel sodales alicujus piæ Confraternitatis, poterunt decantare ea quæ sunt in Graduali, & Rituali pro Processione, & Missa secundum laudabilem Consuetudinem à majoribus approbatam, id est ab Ordinariis.

*Man. Sacr. Carem.*

## CAPUT VII.

*De Majori Hebdomada.*

I. **P**Arari debent tempestivè omnia necessaria pro hac sancta, & majori hebdomada. Ecclesia undique mundetur, parietes, laquearia, cancelli, pavimentum, absterfis sordibus, pulvereque discusso, atque telis aranearum amotis, exactè expurgentur. Calices, & alia vasa sacra, candelabra, Thuribula, & alia Ecclesiæ suppellectilia diligenter poliantur. Idem faciendum circa linteamina altaris, ac Ministrorum, ut integra, & aptè concinnata sint, & prævideatur ut omnia necessaria sint in promptu, ne in his perquirendis quando opus erit tempus in vanum consumatur.

II. Præfectus chori, & Cæremoniaris diligenter, & exactè invigilent, ut summa cum diligentia omnia fiant secundum præscripta in Rubricis Missalis, & Breviarii, & Cæremonialis, quantum fieri poterit. Ministros omnes, ac etiam celebrantem singulis diebus de agendis instruant, & ante omnia tempore congruo per Tabellam in Sacristia appensam singulorum officia assignent, ut singuli exactè sciant quid illis agendum erit. Item quotidie hora commoda, & assignata, in loco apto, vel in ipsa Ecclesia januis clausis die præcedenti convocantes ministros, prout res postulaverit, moneant, atque etiam, si opus sit, simulatis gestibus instruant; maximè enim convenit, ut absque errore quisque tempore suo munus suum complere valeat. Possunt verò dari unicuique ministrorum in scriptis ea omnia, quæ exequi debet, ut ea memoriæ facilius mandet, & perfectius adimpleat.

## CAPUT VIII.

*De Matutinis Tenebrarum celebrandis feriis quarta, quinta, & sexta Majoris hebdomada.*

I. **P**RO Matutinis Tenebrarum Feriæ quartæ Ecclesia paratur ut Dominica præcedenti, Cæremon. Episcop. lib. 2. c. 22. sed tamen aliquantò parcius, & remissius

P sius

sius sine floribus, & imaginibus ad Altare.

II. Paratur in plano Presbyterii ad cornu Epistolæ, ubi scilicet Subdiaconus solet assistere dum celebrans dicit Introitum Missæ, vel ubi solet poni faldistorium Episcopi, dum in eo Episcopus celebrat; candelabrum triangulare ligneum, ita ut sit quasi collaterale cornu Epistolæ, in quo quindecim candelæ ceræ communis, pro Matutinis Tenebrarum tantum, affigantur hinc inde gradatim insurgentibus septenis clavis ferreis, in supremo loco habentes quintumdecimum, æqualiter inter se distantes, cum suis lucernulis, seu gyrellis opere tornatili elaboratis, si fieri potest, sintque cerei prædicti duarum, aut trium unciarum, & quotidie hoc triduo si fieri possit renoventur.

III. Altare paramentis violaceis hodie ornatur, & super illud sex candelabra ex materia obscura cum totidem cereis, etiam ceræ communis, apponantur.

IV. Item ibidem paretur una arundo, sive virga cum spongia humefacta, vel alio modo, pro illis cereis extinguendis, etiam de altari.

V. Si SS. Sacramentum sit super altare antequod dicendæ sint Matutinæ, omnino removendum est, & transferendum cum clericis habentibus candelabra accensa, in aliquod secretum Sacellum decenter ornatum, cum velis, vel pannis non nigris, sed pretiosis, ibique cum luminibus ponendum, & accensis lampadibus, quæ numquam debent extinguï, (etiam post *Benedictus*) usque ad finem dictarum Matutinarum inclusivè.

VI. At verò quia Matutinæ hæc die celebrandæ, ad diem sequentem spectant, quæ solemnitas est ratione Coenæ Dominicæ; ideo quamvis Officium ipsum ratione Dominicæ Passionis, quæ præcipuè recolitur, sit luctuosum, campanarum tamen sonitus festivus esse debet usque ad *Gloria in excelsis* sequentis diei inclusivè. Deputentur aliqui, qui tumultum, & fragorem puerorum sedent in fine Matut. si opus sit, ut infra.

VII. Hora ergo competenti, scilicet media inter meridiem, & solis occasum, pulsantur Campanæ, ut circa solis occasum terminentur Matutinæ semper. Interim dicitur Completorium de more, in cuius fine dicitur

Antiphona *Ave Regina Cælorum*, cum *Pater, Ave, & Credo*, genibus flexis.

VIII. Et dum hæc dicuntur submissa voce, antequam Matutinæ inchoentur, accenduntur per Acolythum ad id deputatum sex cerei altaris de more, tum supradictæ quindecim candelæ, cum prædicta virga, seu arundine, incipiendo ab altiori, quæ est in cuspide, & continuando prius à parte Evangelii, deinde à parte Epistolæ.

IX. Dato ultimo signo Matutinarum omnes versus altare tantum inclinati dicuntur nudo capite iterum *Pater, Ave, & Credo*. Tum prætermisiss omnibus aliis, unus ex cantoribus qui ante celebrantem stant, vel in medio chori, ut diximus, facta debita genuflexione altari, ducente Cæremoniario, si sit in medio chori, accedit ante celebrantem, cui facta inclinatione ante, & post, præintonat principium primæ Antiphonæ, quod juxta tonum ei traditum repetit, se fingens, & alii omnes cum eo, signo Crucis. Deinde Clerici stantes versus libram eam repetunt, & eodem ordine procedunt in dandis reliquis Antiphonis, Clericis, unam tamen ab uno latere, alteram ab altero, servato ordine dignitatis. Quibus peractis, Cantores in medio Chori cottis induti Psalmos intonant, & post tres Psalmos cujusvis Nocturni, versiculos. Observant autem respectivè eosdem ritus, tam Clerici, & Celebrans, quam Cantores, quos servant ad alias Matutinas solemnes.

X. Sed quia prima Antiphona Laudum dici debet à Celebrante, eo modo quo supra, ceteræ Antiphonæ dicuntur ab iis qui sequuntur post Canonicum, aut alium, qui ultimam Antiphonam Matutini pronuntiavit, servato ordine, quem supra diximus ex Directorio chori Romani.

XI. Inchoato primo Psalmo à cantoribus, hi factis debitis reverentiis Altari, redeunt ad sedem suam coram celebrante, vel ibidem remanent nulla facta tunc reverentia, & sedent usque ad finem Psalmi. Clerici verò etiam sedent, sed usque ad versiculum post ultimam Antiphonam cujusvis Nocturni.

XII. Quia hoc triduo non dicitur versus *Gloria Patri* in fine Psalmorum, & Canticorum, ideo desectitur vox aliquantum in fine eorum, ut finis Psalmi cognoscatur,

scatur, utroque choro simul ad id conveniente: & etiam in fine Antiphonarum Officii quando dicuntur in directum, & sine cantu, verbigratia Vesperarum. Item deflectitur vox in fine Lectionum secundi, & tertii Nocturni, quia non dicitur *Tu autem*, nec non etiam in fine Lectionum primi Nocturni, quando eæ non decantantur. Item ad Responsorialia Lectionum quando etiam non decantantur. Similiter ad versum *Christus factus est*, extra Officium Matutinarum. Item in fine Orationis *Respice quasumus*, ad verbum *tormentum*.

XIII. Finito quolibet Psalmo, Sacrista, vel potius aliquis Acolythus, accedit cum debitis genuflexionibus ad altare cum virga, aut arundine prædicta, & cum ea extinguit unam ex candelis in prædicto candelabro triangulari positis, incipiens ab ea quæ est remotior in parte Evangelii, & post finem secundi Psalmi extinguit pari disciplina alteram candelam, quæ est in latere Epistolæ, incipiendo etiam ab illa quæ est remotior à parte Epistolæ, & sic successivè alternatim ab utroque latere, singulos cereos extinguit in fine omnium Psalmorum Matutinarum, & Laudum, eorum Psalmorum scilicet in quorum fine Antiphona repetenda est, usque ad supremum cereum qui est in cuspide exclusivè.

XIV. Extincto verò quolibet cereo, prædictus Acolythus genuflexit altari, & deposita virga in loco congruo, recedit ad locum suum in cornu Epistolæ, ubi sedet, & se conformat choro. Si verò chorus sit prope altare, extincto cereo potest in chorum redire cum debitis reverentiis, præsertim si longiores sunt Psalmi, & post ultimum Psalmum cujusvis Nocturni.

XV. Dum Psalmi, Antiphonæ, Lectiones, & Responsorialia cantantur, sedent omnes tecto capite, exceptis iis qui incipiunt Antiphonas, & cantoribus dum incipiunt Responsorialia prolaxa, & Versus eorum, & Lectiones decantant. Quando tamen aliquis intonat Antiphonam, omnes de choro surgunt, & stant, vel saltem ii, qui sunt in choro intonantis.

XVI. Dicta ultima Antiphona cujusque Nocturni, dicitur versus à duobus cantoribus, ut supra, ad quem omnes stant nudo capite, & ad *Pater noster*. Tum cantores, seu alii deputati incipiendo à junioribus

unus post alium accedunt cum debitis reverentiis altari, & Clero ab utraque parte chori, ducente Cæremoniario, vel alio Ministro, ad Legile semper nudum in medio chori præparatum, vel ubi Lectiones solent legi, & sedentibus omnibus, & non prius, dictoque *Pater noster*, in silentio cantat suam primam Lectionem de Lamentatione Hieremiæ; ut in Directorio Chori Romani; alter vicissim cantat secundam, & tertius tertiam. Quibus finitis, ad loca sua recedunt, facta iterum altari, & choro debita reverentia.

XVII. Lectiones secundi, & tertii Nocturni cantantur secundum morem Ecclesiarum, incipiendo etiam à junioribus; celebrans tamen non dicit ultimam, nisi sint pauci Clerici, aut alia sit consuetudo. Responsorialia cantantur ut in aliis Matutinis. Post tertiam verò Lectionem, repetita per chorum ultima parte Responsorii post Versum, chorus totum illud repetit à principio.

XVIII. Laudes cantantur eodem modo quo Matutinæ, sedentibus omnibus, cum extinctione unius cerei in fine unius Psalmi, post quem repetitur Antiphona, ut supra diximus. Prima Antiphona inchoatur à Superiore, aut Hebdomadario, sicut & Antiphona ad *Benedictus* ei præintonata à cantore digniore cum debitis reverentiis.

XIX. Dum cantatur Canticum *Benedictus*, omnes stant nudo capite, & interim lampades omnes, & alia omnia luminaria Ecclesiæ extinguuntur, præter illa, quæ ardent coram SS. Sacramento. Item Cerei altaris hoc modo extinguuntur. Dum inchoatur Versus *Ut sine timore*, &c. Acolythus prædictus, vel Sacrista cum debita reverentia accedit ad cornu Evangelii, & ad quemlibet Versum extinguit candelam unam in altari, incipiendo ab ea, quæ est Cruci remotior in eodem cornu Evangelii; iisque tribus extinctis, accedit ad aliud cornu, facta iterum debita in medio reverentia, & eodem ordine extinguit tres alias in cornu Epistolæ, etiam incipiendo ab ea quæ est remotior à Cruce.

XX. Cum repetitur Antiphona Cantici *Benedictus*, Cæremoniarius, seu Minister ille prædictus removet ex cuspide candelabri prædictum illum cereum relictum, eumque accensum, manu elevata sustinet genuflexus super cornu Epistolæ altaris, vel super

parvulam mensam, & cum inchoatur Versus *Christus factus est &c.* illum sic accensum abscondit in cornu Epistolæ sub altari, vel alio modo post altare, ut lumen nullo modo appareat.

XXI. Repetita Antiphona Cantici, omnes genuflectunt, ac simul omnes incipiunt, ac cantant Versum *Christus factus est*, ex praxi Urbis, & aliarum Ecclesiarum. Quo finito dicitur *Pater noster* à choro sub silentio, quo dicto statim Superior absolutè incipit Psalmum *Miserere mei Deus*, quem chorus prosequitur in directum, vel modulata, sed flebili voce, & demissiori, quam reliquum officium, juxta locorum consuetudinem, Cær. Ep. l. 2. c. 22.

XXII. Finito Psalmo prædicto, Celebrans adhuc genuflexus, & alii omnes cum eo, capite inclinato, dicit clara voce, & devota Orationem *Respice quaesumus*, & in fine vocem aliquantulum descedit, dicens *Qui vivis*, quod seeretò complet: & omnes sub silentio exeunt, ut in Breviario.

XXIII. Oratione completa, fit fragor, & strepitus à Cæremoniario, aut alio, per breve spatium, manu, vel potiùs virga, percutiente scabellum, idemque fit à cæteris, donec Minister prædictum cereum accensum, qui fuerat absconditus, populo ostendat, & tunc eo in summitate candelabri, ut priùs, reposito, omnes cessare debent à strepitu. Et in hoc custodes Ecclesiæ invigilent, & ne strepitus ultrà protrahatur, assignentur aliqui expressè, qui tumultum, & strepitum puerorum sedent, si opus sit. Cereus verò per aliquod tempus maneat accensus in cuspidè dicti candelabri.

XXIV. Deinde, si est hora conveniens, pulsatur Salutatio Angelica signo campanæ: non verò duobus diebus sequentibus, quia datur instrumento ligneo, ut infra. Post Matutinas Tenebrarum, aufertur candelabrum triangulare cum candelis, quæ non ampliùs reponuntur ibidem, sed earum loco alia novæ, si fieri possit.

XXV. Prædicta respectivè observantur duobus diebus sequentibus, cum aliqua tamen differentia; nam altare his diebus, pavimentum, & alia similia prorsus denudantur; & advertatur, ut Matutinæ hora tarda, hoc est sole Occidente completa sint.

XXVI. Tabernaculum contegatur veste

violacea, non nigra, sitque post denudationem altarium omninò nudum, nisi alia sit consuetudo, ut infra.

XXVII. Super altare Crux fit tecta velo violaceo, nisi die sequenti ad Missam, ut dicemus. Nullæ lampades ardeant ad altare majus, nisi reponatur SS. Sacramentum.

XXVIII. Si in altari majori sit Tabernaculum SS. Sacramenti, finitis Matutinis, reponitur cum luminibus, eo modo quo dicemus infra, à Sacrifa, vel alio, & tunc coram illo lampades accensæ semper maneant.

XXIX. Matutinæ Tenebrarum in minoribus Ecclesiis dicantur meliori modo quo possunt. Superior incipiat Antiphonam, quam prosequantur alii Clerici, si adsint. Psalmi inchoentur à quibusdam cantoribus, & Versiculi, & Lectiones cantentur ab Acolythis, aut Cantoribus, & Responsorium ab iisdem deputatis. Laudes eodem modo à Celebrante inchoentur, sicut & Antiphona ad *Benedictus*. Versus verò *Christus factus est*, à toto choro, vel à solo celebrante, si unicus sit Sacerdos, qui etiam inchoat Psalmum *Miserere mei Deus*, & dicit Orationem *Respice*. Cerei altaris, & candelabri triangularis extingui debent eodem modo quo supra, & ille ultimus debet similiter ostendi in fine Matutinarum post fragorem.

## CAPUT IX.

De Feria 5. in Cæna Domini.

### ARTICULUS I.

•De preparandis hac die.

I. **H**Ac die solemnissima, Crux Altaris, dum dicitur hora Nona, tegitur velo albo, ut supra, & Crux Processionalis violaceo, ex Gavant. in suo Cæremoniali. Altare majus paratur pretiosioribus ornamentis albis, ita tamen ut ad denudationem altarium facilè removeri possint. Alia tamen altaria remanent parata suis ornamentis violaceis, cum Crucibus tectis velis ejusdem coloris; at aciculæ, seu spinulæ removeantur de tobaleis prædictorum altarium,

rum, ut faciliùs denudari possint post Vesperas.

II. Item paratur aliqua Capella, seu locus honestissimus omninò distinctus ab altari, ad quod manè celebratur, decenterque quoad fieri potest ornatur velis pretiosis, non nigris (ut abusi vè quidam faciunt, & indecenter) luminibus, floribus, thymiamateriis, ita ut id quod ibi apparet, solemnitatem, & splendorem demonstret, nec ullo modo luctum, & tristitiam, quia Christus verè vivit, & regnat, mortis triumphator, etiam in representatione mortis suæ, & quantum fieri potest, sex candelabra pulchrè elaborata cum totidem cereis ceræ albæ super altare collocentur: neque tamen ponantur ibidem Reliquiæ Sanctorum, aut imagines, si fieri possit.

III. Sit præterea super illud altare Arca, seu Capsula clave obleranda pro reponendo Sanctissimo Sacramento in calice consecrato cum corporali in fundo ejus extenso, quia nullo modo debet hac die poni Tabernaculum Ostensorum (sicut solet fieri in festo Corporis Christi) in quo appareat hac die, & sequent, neque etiam debet exponi, ut in Oratione Quadragesima horarum, contra quosdam, qui in hoc manifestè agunt contra intentionem Ecclesiæ, & contra Rubricas Missalis, & contraria consuetudo videtur abusus.

IV. Capsula autem illa sit ad modum Arce, vel sepulchri, longitudinis circiter quatuor palmorum, latitudinis, & altitudinis proportionatæ longitudini, neque fenestella, aut portula quæ debet esse in ejus parte anteriori, sit vitrea, ut quidam dicunt, sed egregie sit elaborata, & argento potius quam auro illita, tam intus, quam extra, ex consuetudine Urbis, & Capellæ Sanctissimi. Illa verò ponatur, si fieri possit, super Altare in loco eminenti, quò per gradus ascendatur, habeatque desuper tribunam, seu Baldachinum album, & circum Angelorum simulacra candelas manibus tenentia, si facultas loci id concedat. Si etiam locus in quo Capsula ponitur sit eminentior, & tamen per gradus ad eum non ascendatur: parari debet aliquod scabellum, super quod ascendat Diaconus, ut in Capsula reponat Sanctissimum Sacramentum, vel inde extrahat illud suo tempore, ut infra.

V. Item hora competenti, Sacrista, vel

alius præparat credentiam, in qua præter consueta pro Missa solemni, ponit duas magnas hostias super Patenam calicis, quam postea tegit parvo velo albo perpulchro, vel longiori.

VI. Præparat item super dictam credentiam, alium calicem amplum aliis pretiosiorum, cum palla, & Patena, & velo albo parvo, & ex pulchrioribus. Item velum album oblongum pulcherrimum, præter illud Subdiaconi, pro tegendis humeris celebrantis in Processione, cum aliquot aciculis, seu spinulis, quibus illud firmetur, ne decidat in Processione. Item aliud vas, seu pyxidem, si opus sit, vel calicem cum multis particulis consecrandis, pro communione Clericorum, & aliorum, & etiam infirmorum. Item mappulas ad os extendendum communicantium, & alium Calicem pro Purificatione Sacerdotum communicandorum, & vas, seu plura pro purificatione aliorum. Similiter linteum magnum, seu plura appendenda ante communicandos.

VII. In Sacrificia præparat duo Thuribula cum totidem naviculis, si fieri possit, vel saltem unam, aut unum Thuribulum, si aliter fieri non possit. Paramenta alba pro celebrante, & Ministris ad Missam solemnem, & ad alia ut infra. Pluviale album pro processione SS. Sacramenti, & duo, aut plura pro Cantoribus ad Missam solemnem pro consuetudine laudabili locorum. Item aliud Pluviale violaceum, & stolas ejusdem coloris ut infra pro Mandato, & aliis actibus. Item Baldachinum album perpulchrum ponendum in aliquo loco congruo à conspectu populi remotum, donec Processio fiat, sub quo celebrans deferet Sanctissimum Sacramentum, non tamen longè à altari majori. Item plures stolas albas, quantum fieri potest, pro sacerdotibus communicaturis, vel saltem rubeas: Crucem processionalem velo albo tectam, & candelas ceræ albæ saltem pro clericis juxta numerum eorum, & aliorum pro Processione, quas singuli propriis manibus gestare debent. Item funalia, aut faces saltem duas, aut quatuor, aut plures deferendas ante SS. Sacramentum per aliquos Acolythos, aut Capellanos ad id deputatos, si fieri potest. Item Thuriferarius suo tempore parat ignem, qui non debet deficere in his casibus.



VIII. Præterea paratur unum instrumentum ligneum, seu tabula lignea, quo uti solemus loco campanarum, hoc triduo, ut infra.

IX. Missæ privatæ non debent dici regulariter, nisi ex necessitate, idque tempore ita congruo, & convenienti, ut populus non distrahatur ab Officiis divinis, & cum licentia Superiorum.

X. Tempore convenienti manè dicuntur horæ minores præter Nonam in directum secundum consuetudinem, ad quas duæ candelæ ardere debent super altare.

## ARTICULUS II.

### De Missa hujus Feriæ quintæ.

I. **H**ora congrua dicitur Nona etiam in directum cum duabus candelis, circa cujus finem, quando scilicet datur ultimum signum Missæ, Ceroferarii accendunt omnes candelas altaris, quæ debent esse cærx albæ, & eas quæ sunt in suis candelabris.

II. Missa cantatur solemnissimè, si fieri potest, à Superiore. Non dicitur *Judicame Deus*, neque versus *Gloria Patri*.

III. Cum celebrans dicit *Gloria in excelsis*, pulsantur campanæ, & deinceps silent usque ad Sabbatum Sanctum, dum idem *Gloria in excelsis* inchoabitur, & earum loco habetur instrumentum ligneum, seu tabula lignea pro horis canonicis, & alio officio: non pulsatur ad elevationem SS. Sacramenti, neque ad Processionem: sed tamen secundum consuetudinem pulsatur ad salutationem Angelicam, & ad convocandum populum ad Ecclesiam. Graduale cantetur ita lentè, ut Celebrans dum cantatur commodè legat Evangelium, benedicat incensum, & Diaconum, ne silentium sit inter illud Graduale, & Evangelium; ad quod cantores advertere debent. Dicitur ter *Agnus Dei* de more, & in fine ultimi etiam *dona nobis pacem*. Pax non datur, licet dicantur tres sequentes Orationes solitæ.

IV. Hodie celebrans consecrat duas magnas Hostias, quarum unam sumit de more cum toto pretioso Sanguine, & alteram reservat pro die sequenti, in quo non dicitur Missa; reservat etiam quasdam particulas pro infirmis, & alias consecrat pro Com-

munionem fidelium, etiam hæc die faciendâ.

V. Itaque ad Oblationem duæ magnæ Hostiæ super Patenam positæ offeruntur, atque etiam particula in pyxide, vel alio calice in numero sufficienti, prout supra; & ideo in Missa solemnî paulò ante Oblationem Pyxis prædicta, vel calix affertur ad Altare per Subdiaconum, aut alium propè Crucem, ut diximus in Missa solemnî. Hostia magna reservanda pro die sequenti, ponitur in parte dextera Corporalis, id est à sinistra celebrantis, è regione alterius Hostiæ magnæ, super particulas, si adsint super corporale, nec ostenditur, nec elevatur, nec aliæ particule adorandæ cum magna Hostia, sed semper relinquitur in loco suo, & celebrans advertat, ut eam non tangat cum manipulo, nec sit impedimento celebranti.

VI. Paulò ante consecrationem Hostiæ, aliqui Acolythi, & non Ceroferarii, si fieri potest, afferunt funalia accensa, ibique remanent, donec fiat processio, & sic se locant, ut non sint aliis, dum fit Communio, impedimento, & si sint accepturi Communionem substituunt sibi alios, qui ea sustineant, atque post Communionem eadem recipiant. Si verò Ceroferarii cogantur prædicta funalia tenere, post Communionem ea deponunt, ut candelabra possint in Processione deferre.

VII. Dicto *Agnus Dei*, Ministri statim mutant loca, Diacono accedente ad librum, & Subdiacono ad dextram celebrantis. Sumpto pretioso sanguine à celebrante diligentius, statim Subdiaconus tegit palla calicem, eumque collocat super Corporale versus cornu Evangelii.

VIII. Tum facta genuflexione vadit ad credentiam, vel alius, & inde calicem supradictum vacuum ex pulchrioribus cum palla, Patena, & velo pulchro parvo, sine purificatorio affert ad altare, quem tradit Diacono, qui interea accessit ad dexteram ipsius celebrantis, eum discooperit, & tenet ante celebrantem apertum, qui facta genuflexione, in eo ponit reverenter supradictam Hostiam dextera, ita ut facile, & commodè illam possit extrahere sequenti die, absque manuum contactu, ut dicemus suo loco; tum iterum genuflectit, & Diaconus prædictum calicem collocat in medio Corporalis, illumque palla prius, tum patena inversa, deni-

denique parvo velo cooperit, & postea il-  
lum propius ad crucem altaris ponit, & Py-  
xidem, seu aliud vas cum particulis conse-  
cratis in medio collocat pro Communione.  
Et dum hæc fiunt à Diacono, Celebrans, &  
Subdiaconus tunc genuflectunt ad altare in  
cornu Evangelii; & in Choro *Communio*  
*cantatur.*

IX. Cum Sacerdotes omnes, sive digni-  
tates, sive Canonici non debeant celebrare,  
sed Communionem accipere de manu cele-  
brantis juxta morem universalis Ecclesiæ, in  
memoriam quod Christus Dominus hac die  
manu propria Apostolos communicavit, ex  
Sac. Congr. Rit. 27. Septemb. 1608. Ideò  
cantato *Agnus Dei*, accedunt ad altare, &  
alii de Choro incipiendo à dignioribus, ibi-  
que manent expectantes Communionem,  
& stolas capiunt Sacerdotes albas à collo  
pendentes, si cotta tantum utantur, vel  
transversas ante pectus, si Albis sint parati.  
Interim Diaconus descendit in planum Epi-  
stolæ, facta prius genuflectione, ibique pro-  
fundè inclinatus facit confessionem clara,  
& alta voce in cantu, & tono qui notatur in  
fine Cæremonialis Episcoporum, præsertim  
in majoribus Ecclesiis, vel aliàs secundum  
consuetudinem locorum, & interim cele-  
brans discooperit Pyxidem genuflectens.  
Tum ipse dat absolutionem de more, & ge-  
nuflectens accipit Pyxidem, & versus ad  
communicandos dicit *Ecce Agnus Dei*, &  
alia.

X. Tum communicat primò Diaconum,  
& Subdiaconum paratos; deinde Sacerdo-  
tes cum stolis ut supra, & alios secundum  
ordinem dignitatis, Magistratus, & Nobi-  
les; etiam ad altare, si sit consuetudo. De-  
inde alios laicos utriusque sexus ad cancel-  
los ad id paratos, eo modo quo notavi-  
mus in Missa solemni.

XI. Diaconus, & Subdiaconus, sumpta  
Communione, accedunt ad cornu Epistolæ,  
facta prius genuflectione SS. Sacramento,  
ibique se purificant in calice, seu in vase ad  
id parato; tum redeunt ad latera Cele-  
brantis, Diaconus ad dexteram ut Patenam  
teneat sub mento communicantium, Sub-  
diaconus ad sinistram cum debita genufle-  
xione, alter verò Minister in Sacris præbet  
purificationem Sacerdotibus in calice, &  
*manutergium*; aliis verò, si fieri potest, præ-

bet purificationem alter Minister cum ma-  
nutergio, tam ad cornu Epistolæ Clericis  
minoribus, quàm Laicis ad cancellos, si  
ibi fiat Communio.

XII. Finita Communione, celebrans,  
infulso tunc vino in suo calice, sumit purifi-  
cationem, & ablutioem, non extra gradus  
altaris, sed in loco solito, factis tamen debi-  
tis genuflectionibus, ut suo loco diximus.  
Tum Diaconus calicem in quo est Hostia,  
collocat in medio corporalis, & Pyxidem  
post prædictum calicem propè Crucem Al-  
taris, & super corporale vel in Tabernacu-  
lo quod claudit, & celebrans, facta genu-  
flexione, accedit ad cornu Epistolæ, ubi  
legit communionem; Subdiaconus verò ca-  
licem Missæ regit ut solet, etiam suo velo  
parvo ab aliquo Acolytho allato de creden-  
tia, eumque desert ad credentiam cum de-  
bitis genuflectionibus.

XIII. Celebrans post lectam communio-  
nem redit ad medium altaris, ubi dicit  
*Dominus vobiscum* conversus ad populum  
factis debitis genuflectionibus, quæ semper  
servari debent in pari casu, etiam à Mini-  
stris sacris, qui semper genuflectunt acce-  
dentes, vel recedentes à medio altaris. Tum  
Celebrans daturus benedictionem, dicto  
*Omnipotens Deus*, genuflectit, & data bene-  
dictione stans in parte Evangelii, non perficit  
circulum, neque redit iterum ad medium  
altaris, sed statim se convertit ad idem latus  
Evangelii. Celebrans non signat altare in  
principio Evangelii, sed tantum librum,  
aut tabellam in qua est. Ad ea verba *Et*  
*Verbum caro factum est*, Celebrans genufle-  
ctit aliquantulum versus SS. Sacramentum,  
sicut & Ministri.

XIV. Si sit Presbyter Assistens in Missa,  
servat quæ aliàs diximus, si sit paratus, vel  
non. Communionem sumit ordine suo si  
non sit paratus, at si sit, ante Diaconum. Ad  
Concionem si habetur, stat in cornu Evan-  
gelii cum Ministris. Sumpta Communione,  
à dextris celebrantis incedit, si sit paratus,  
vel stat ad altare, & si non est paratus, ge-  
nuflectit in cornu Epistolæ in meditatione  
SS. Sacramenti. Missa finita, & delato Mis-  
sali ad credentiam, redit in Sacrifiarium, ubi  
deponit paramenta sua, & vadit in cho-  
rum, & postea cum aliis ad Processionem  
ordine suo.

## ARTICULUS III.

De Processione SS. Sacramenti hac die.

I. **F**oita Missa, celebrans cum Ministris accedit ad medium altaris, ubi genuflectit cum illis ad oram ipsius: tum per gradus laterales descendit in planum Presbyterii ad cornu Epistolæ, ubi adjutus à ministris, deponit Planetam, & Manipulum, qui etiam suos deponunt, & ipse induitur Pluviali suo.

II. Postea per planum incedens manibus junctis, & nudo capite, medius inter Ministros sacros elevantes hinc inde more suo anteriores fimbrias Pluvialis, accedit ad medium, ubi genuflectit in plano utroque genu, & inclinans se etiam profundè, tum erectus ascendit cum illis ad secundum gradum, ubi genuflectunt iterum super suppedaneum, & parumper orant.

III. Interim, vel citius, prout opus est, Sacrista, aut alius vadit ad locum ubi deferri debet SS. Sacramentum, & ibi accendit cereos, explicat corporale in medio Altaris, parat scabellum supradictum, si opus sit, & videt diligenter, num omnia sint ibidem rectè disposita. Interim etiam distribuuntur in choro à quodam ministro candelæ ceræ albæ, si fieri potest, seu faces clericis, pro Processione, quæ etiam accenduntur. Item Thuriferarii præparant sua thuribula, ut supra. Alter etiam Subdiaconus parat se in Sacristia, vel statim post communionem, cotta, seu Alba, & Tunicella albi coloris sine manipulo ad Crucem Processionalem deferendam. Interim etiam desertur Baldachinum ante altare extra cancellos, vel intra, si fieri potest, ab iis, qui illud delaturi sunt, & cum ante altare pervenerint, genuflexi manent. Si tamen Magistratus, aut nobiliores illud deferre debent, desertur ibidem ab aliis, & tunc nobiliores ipsi ibidem illud accipiunt, & genuflexi manent.

IV. Deinde duo Thuriferarii cum suis Thuribus cum igne, & naviculis, accedunt ad altare: quos sequitur Subdiaconus cum Cruce, quem duo Ceroferarii excipiunt obviantes ei cum suis candelabris de credentia sumptis ad ingressum Presbyterii, vel extra, si fieri potest, ibique stant, & nunquam

genuflectunt, habentes medium Subdiaconum directè coram SS. Sacramento, & sic permanent, ita ut baldachinum sit, inter eos, & altare, ut priores postea facilius procedant. Thuriferarii tamen genuflectunt ante Subdiaconum, & accedunt ad cornu Epistolæ ubi genuflectunt. Alii verò de choro accedunt ad cancellos altaris, qui statim cum candelis accensis genuflectunt, ita ut seniores, & digniores sint in medio plani proximiores Sanctissimo Sacramento, & quasi directè ante illud, modò tamen relinquunt aliquod spatium duobus Thuriferariis, ut mox accedant ad celebrantem secundum situm loci.

V. Si tamen Chorus sit in conspectu Altaris, & non remotus ab eo, convenit, ut ibidem remaneant, donec inchoetur Processio.

VI. Ubi chorus est post Altare, interim etiam Clerus egreditur hoc modo. Præcedunt duo Thuriferarii, ut supra, capellam ingredientes per portam Evangelii. Tum Subdiaconus paratus, ut supra, & Ceroferarii sumptis candelabris eidem obviam eunt, & tunc hi tres stant, ut supra. Deinde Clerus sequitur ex ordine, juniores prius, postea seniores per utramque portam cum candelis accensis, factò autem à Clero quasi semicirculo genuflectunt omnes, & surgunt, & rursus genuflectunt, exceptis Subdiacono cum Cruce, & Ceroferariis. Clerici magis accedunt ad cancellos, Sacerdotes vero proximiores altari.

VII. Hæc autem omnia fiant respectivè, dum celebrans orat, & ita opportunè, & tempestivè, ut brevis interponatur mora, ne in vanum tempus consumatur. Acolythis faces delaturi genuflectunt hinc inde ad latera altaris in plano, ita ut non sint impedimento.

VIII. His omnibus peractis, & facta oratione prædicta à celebrante, ipse surgit cum Ministris, & stans paululum in parte Evangelii, & statim accedentibus ad dexteram Diaconi Thuriferariis cum debitis genuflectionibus, imponit incensum, ministrante Diacono naviculam, in thuribulo primi Thuriferarii sine ulla benedictione, & absque osculis, tum ipse Thuriferarius paululum recedit, & cedit locum secundo Thuriferario, in cujus Thuribulo etiam celebrans imponit thus ex priori navicula, quam ideò retinuerat apud

apud se Diaconus: quo acto, ut in secundum Thuriferarius, facta genuflexio e, descendit in planum ad cornu Epistola, ubi genuflexus manet atque ad initium Processionis inclinatur; prout vero Thuriferarius iterum accedit ad Diaconum, cui, post naviculam suam receptam, tradit Thuribulum, & parum recedit, advertens, & omnes alii, ut non vertant terga SS. Sacramento, quantum fieri potest.

IX. Posito incenso in duobus Thuribus, celebrans genuflectit ut prius, deinde Diaconus tradit primum Thuribulum sine osculis celebranti genuflexo, qui, facta inclinatione, ter incensat SS. Sacramentum suo velo reatum in silentio, Ministris elevantibus partes anteriores Pluvialis, & se inclinantibus cum celebrante ante, & post.

X. Deinde celebrans reddit Thuribulum Diacono à dextris genuflexo, & hic primo Thuriferario, qui statim, facta genuflexione, descendit ad cornu Evangelii è regione alterius Thuriferarii; hi autem duo acceptis Thuribus incensare non debent SS. Sacramentum, nisi durante Processione. Tum iidem Ministri sacri, accepto velo oblongo de manu Cæremoniarum, illud ita extendunt super humeros Celebrantis, & aciculis firmant adjuvante etiam Cæremoniarum, ut æqualiter fluat super brachia, & manus ejus.

XI. Postea surgit Diaconus, ascendit ad suppedaneum altaris, genuflectit quasi renes aliquantulum vertens ad cornu Epistolæ, ne terga vertat celebranti, erigit se, & revolvit anteriorem partem veli super Calicem, & postea partem posteriorem eo modo, atque eundem Calicem ambabus manibus reverenter accipit, dextra nodum tenens, sinistra pedem, & conversus per eam partem, quæ respicit cornu Evangelii, flans ipsum Calicem porrigit celebranti genuflexo, qui illum capit sinistra per nodum velo parvo circumdatum, & dexteram super velum parvum ponit, cujus partem posteriorem ipse Diaconus prius explicuit, ita ut Calix sit undique coopertus velo parvo, excepta parte anteriori, quæ est ante celebrantem. Deinde ipse Diaconus extremitates veli super manum celebrantis extendit, & iterum genuflectit, & surgit.

XII. Celebrans accepto Calice surgit, & ad planum supremi gradus ascendit, ibique

ad gradum se convertit, & interim Diaconus, & Subdiaconus, mutant loca sua, ut ille in processione incedat à dextris, & ille à sinistris celebrantis hinc inde; & ambo sic assistentes sinubus anteriores Pluvialis, & cum opus est, brachia ejus sublevantes.

XIII. Celebrans erectus convertit se ad populum, & tunc, & non prius, Cantores parati ( si sit consuetudo ) adhuc genuflexi intonant devotè Hymnum *Pange lingua gloriosi Corporis mysterium*: tunc surgunt omnes, & Chorus Hymnum profequitur graviter, & devotè, paulando aliquantulum ad singulos versus, si locus paratus multum distet, & Processio sit longior, quæ tamen hac die, & sequenti exire non debet extra Ecclesiam, ex decreto S. Congr. Rit.

XIV. Inchoato hymno, bini genuflectentes in medio per viam longiorem procedunt hoc modo. Præcedunt laici, si qui sunt, cum facibus accensis, tum Subdiaconus cum Cruce medius inter duos Ceroferarios, tum alii Clerici bini, portantes candelas accensas dextera, vel sinistra respectivè, ut diximus de candelis & ramis, & post eos aliqui Capellani, vel Acolythi cum facibus ardentibus, ut supra, tum duo Thuriferarii cum Thuribus, & naviculis, si tot habeant, aut si fieri possit, unus deputatus deferat unam naviculam, qui ministret incensum, quando opus erit, unicuique. Denique Celebrans sub Baldachino, quod etiam vocatur Mappula, cujus hastæ secundum laudabilem locorum consuetudinè à Nobilibus sæpe deferuntur; Cæremoniarum autem, vel aliquis alius, dum Celebrans descendit, vel ascendit gradus, vel cum opus est, elevat extremitatem vestis anterioris ejusdem.

XV. Ordo autem gestandi hastas Baldachini talis est, ut dignioribus ex duæ, quæ sunt in facie celebrantis, dentur posteriores minus nobilibus, Cærem. Papæ lib. 2. c. 14. & Cærem. Ep. lib. 1. cap. 14. ac primum dignissimo detur ea quæ est à dextris Celebrantis dum procedit. Cæremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 14. hæc habet: Ordo gestandi hujusmodi hastas talis est, ut dignior primam hastam quæ est ante Celebrantis dexteram, secundam alteram quæ est ante celebrantis sinistram, tertius aliam quæ est immediatè sub prima à parte dextera, quar-

quartus aliam quæ succedit primæ à parte sinistra, quintus tertiam partem à parte dextera, sextus tertiam à parte sinistra, & sic deinceps, ita ut minùs digni habeant postrema post tergum celebrantis. Hæc Cæremoniale Episcoporum.

XVI. Convenit tamen, ut hoc, & sequenti diebus à Clericis, si fieri potest, Pluvialibus, aut tantùm cottis, sine stolis contra quosdam, indutus, hastæ deferantur, ex Cærem. Ep. l. 2. c. 23.

XVII. Celebrans ergo sub Baldachino procedit, elevatum portans Calicem ferè ob oculos, quos defixos devotè semper habet in eum. Thuriferarii verò præeuntes hinc inde procedunt, quasi conversa facie ad se invicem, ita ut ne terga minimum vertant SS. Sacramento, moventes continuè, & tractim manibus dextris Thuribula sua iisdem pendentia, & fumantia, quasi sternentes viam SS. Sacramento cum odore incensi, sinistris, quibus naviculas tenent, & manubria thuribulorum, pectori appositis, & si fieri potest, immobilibus. Et hic modus videtur magis usitatus, & majorem reverentiam demonstrat erga SS. Sacramento, quod numquam extra elevationem in Missa incensari solet, nisi à Sacerdotibus, etiam genuflexis. Gav. p. 4. tit. 8. num. 9. & Rit. Rom. Et si fumus deficiat in Thuribulis, apponatur in eis aliud thus ab Acolythis, vel à se ipsis, si aliter fieri non potest, & dum movent thuribula sua, eodem tempore etiam movent pedem qui est proximior Celebranti, ut fiat eorum incensatio majori cum decantia.

XVIII. Prælati, si qui sint, immediatè post Baldachinum procedunt. Advertant autem posteriores procedentes de Clero, ut non nimis elongentur à celebrante, ne SS. Sacramento sine lumine deferatur: ad quod attendere debet Cæremoniarius, sicut ad alia omnia, & ideò neque candelam, neque locum specialem habere debet, ut omnibus provideat, & præsertim ut Clerus modestè procedat.

XIX. Dum Chorus cantat, Celebrans submissa voce cum Ministris recipiat devotè Hymnum prædictum *Pange lingua*, & alios, ac etiam Psalmos, si opus sit; non enim decet, ut cantent cum Clero. Cùm Versus *Tantum ergo Sacramentum*, decantatur, convenit, ut Clerus ad primos duos Versi-

culos genuflectat versùs Sanctissimum Sacramentum, si commodè fieri potest: ministri verò sacri minimè.

XX. Cùm pervenerint ad Sacellum, aut locum designatum, Subdiaconus, & Ceroferarii sistunt se in loco congruo, unde nullum impedimentum afferant celebranti, & aliis extra prædictum locum, stando, & numquam genuflectendo, etiam ante SS. Sacramento, ex Gavant. part. 4. tit. 9. num. 13. Tum Clerus dividitur in duas partes hinc inde, ut Thuriferarii, Ministri sacri, & celebrans sub Baldachino transire possint per medium illorum. Juniores remaneant propè Crucem, seniores verò ex ordine, & digniores procedunt ultra, ut proximiores sint Sacramento, qui omnes ante illud genuflectunt, & sic manent genuflexi donec inde recedant.

XXI. Baldachinum relinquitur ab iis, qui illud gestabant, ad portam Capellæ, inter manus Sacristæ, vel aliorum, qui statim illud in Sacristiam, vel alium locum congruum pro die sequenti deferunt.

XXII. Postquam ingressi fuerint Capellam, Thuriferarii cessant à Thurificatione, & celebrans, & Ministri ascendunt ad secundum gradum altaris, & Diaconus ascendit super suppedaneum, ubi genuflectit quasi vertens renes ad cornu altaris in parte Epistolæ, & celebrans stans porrigit illi Calicem, quem reverenter accipit, deinde surgit, & conversus ad celebrantem paululum expectat donec celebrans adoraverit SS. Sacramento, quod semper in simili casu facit, deinde ponit devotè Calicem super Corporale in medio altaris explicatum, cavens, ne terga vertat celebranti genuflexo, & undique cooperit Calicem; tum facta genuflexione, descendit ad celebrantem adhuc genuflexum cum Subdiacono, & ambo removers velum oblongum ab humeris ipsius celebrantis, quia non est daturus benedictionem. Illudque Diaconus tradit alicui Ministro non occupato, qui illud ponit in aliquo loco congruo.

XXIII. Postea surgit celebrans, & eodem modo quo supra ad altare, ponit incensum in primo tantùm thuribulo, ministerio Diaconi sine osculis: tum idem genuflexus, sumpto thuribulo, ter SS. Sacramento incensat cum inclinationibus solitis ante, & post, & interim, & non priùs, Chorus, incipientibus

Cantoribus, cantat *O salutaris Hostia*, vel *Tantum ergo Sacramentum*, ex Cærem. Ep. lib. 1. cap. 23. in cantu pio, & devoto, Ministris Pluviale illius elevantibus. Si canteretur *Tantum ergo*, celebrans protrahat trinam incensationem usque ad secundum versiculum inclusive, scilicet, *veneremur cernui*, quod semper servare debet in pari casu.

XXIV. Facta incensatione, & reddito thuribulo Diacono, qui illud statim reddit Thuriferario, ipse Diaconus ascendit ad altare, genuflectit, imponit Calicem in capsula super Corporale in ea prius explicatum, & eum tegit undequaque. Iterum genuflectit, capsulam claudit, & obferat clavi, quam dat Sacristæ, vel Cæremoniario, vel ei qui Pyxidem ibidem, vel alibi, postea est delaturus.

XXV. Interim celebrans, & omnes alii, exceptis ferente Crucem, & Ceroferariis, genuflexi manent, orantes aliquantulum, quod etiam fit à Diacono post clausam capsulam à dextris celebrantis.

XXVI. Facta Oratione, Celebrans, & omnes alii surgunt, iterum genuflectunt surgunt, & extinguunt candelas suas, exceptis Ceroferariis, & in Sacristiam redeunt, Thuriferariis Crucem tunc præcedentibus.

XXVII. Celebrans ibidem accedens, & alii imaginem, vel Crucem salutant de more, & ipse deposito Pluviali, & stola alba vadit in Chorum, si opus sit, servatis altari debitis reverentiis si ante illud transeat, super quod adhuc restant particule consecrate. Ministri item sacri eum comitantur, vel si numerus Clericorum sit copiosior, possunt remanere in dicta Sacristia, in qua ipse celebrans, & Ministri dicent Vesperas sine cantu, simul, & submissa voce.

XXVIII. Si celebrans assistit ad Vesperas, dicto *Pater noster*, secreto, & facto sibi signo Crucis, incipit Antiphonam Vesperarum, quam Chorus prosequitur, sicut & Psalmos in directum sine cantu. Item incipit Antiphonam ad *Magnificat*, Psalmum *Miserere mei Deus*, & in fine Orationem *Respicere quasumus Domine*. Dum autem Vesperæ dicuntur, ardeant saltem duæ candelæ ad altare hinc inde, vel potius sex, sicut in Missa propter SS. Sacramentum ibidem adhuc reconditum.

XXIX. Dum dicuntur Vesperæ, Sacrista

vel alius Sacerdos cotta, & stola alba, ac velo etiam albo paratus, defert de altari particulas reservatas pro infirmis, ipsumque præcedant duo Ceroferarii, & alii, si fieri potest ferentes faces accensas ad locum, ubi positus fuit Calix, vel alium locum honestum ad id paratum decenter, ubi fortè hesternæ die SS. Sacramentum delatum fuit ante Matutinas Tenebrarum.

XXX. Tum extinguuntur lampades, & cerei qui ardebant ante Tabernaculum, cuius ostiolum tenetur semper apertum, ne populus ibi adoret, quod non est. Nulla autem datur hora commodior ad illas particulas transferendas, quam ista, propter denudationem altarium mox faciendam.

XXXI. Interim Acolythi reportant reliqua omnia quæ erant super altare, & super Credentiam, & remonent aciculas de mappis altarium, nisi prius id factum fuerit ut supra, & eas de majori altari, ut facilius, & promptius ea possint denudari.

## ARTICULUS IV.

## De denudatione Altarium.

I. **P**ost Vesperas ex Cærem. Ep. lib. 2. cap. 23. & usu Urbis, quæ Rubr. Missalis in his explicant, Celebrans cum Alba statim parat se in Sacristia stola tantum violacea in modum Crucis ante pectus, Diaconus etiam alia stola violacea Diaconali super sinistrum humerum, & Subdiaconus sola Alba sine manipulis, Gavantus. Sic autem parati procedunt ad denudationem altarium, Thuriferario sine thuribulo, & Ceroferariis sine candelabris, & Cæremoniario præcedentibus, omnes manibus iunctis, itaut Celebrans sit in medio Diaconi à dextris, & Subdiaconi à sinistris.

II. Incipiunt autem à majori altari, ante quod omnes genuflectunt propter Crucem ibidem positam, excepto solo Celebrante, qui tantum profundè se inclinat, tum ab eo remonentur mappule cum palliis, & aliis paramentis, quæ Sacrista statim in loco congruo deponit, relicta tamen Cruce velata cum candelabris super altaria: auferuntur etiam cortinæ, & tentoria, & Credentia, & alia, si adsint.

III. Antequam inchoetur denudatio altaris majoris, celebrans incipit alta voce, ita ut audiatur à Choro, Antiphonam *Diviserunt sibi*, &c. qua non duplicatur. Deinde Cantor, seu Cantores incipiunt Psalmum *Deus Deus meus respice in me*, quem prolequitur, sicut & celebrans submissa voce cum Ministris, sed tamen intelligibili; & interim denudantur alia altaria, sicut majus, per eodem. Non autem repetitur Psalmus, neque Antiphona, licet sint plura altaria, sed ita lentè cantandus est, & dicendus à celebrante, ut statim finiatur ad denudationem ultimi altaris, vel paulò celeritè dicatur, si unicum sit altare, aut duo tantum. Genuflectunt autem omnes excepto solo celebrante, nisi sint Canonici Ministri sacri, ante, & post denudationem altaris, accedentes scilicet, aut recedentes ab eo, propter Crucem, quæ numquam inde auferri debet.

IV. Denique facta denudatione, redeunt in Sacrificium ad faciendum *Mandatum*, si statim fieri debeat.

V. Si *Mandatum* non fit manè, tunc facta denudatione, datur signum. si tempus sit, cum tabula lignea, Salutationis Angelicæ, loco signi meridiani, si ea sit consuetudo, omnibus genuflexis: si verò sit *Mandatum* post denudationem altarium, statim eo finito, & non priùs, datur istud signum.

VI. Deinde Sacrificia velum album aufert à Cruce quæ est super altare majus, & eam tegit velo suo violaceo usque in crastinum, & tunc summo mane debet tegi velo nigro si sit consuetudo, ut infra; conopæum verò Tabernaculi SS. Sacramenti in quibusdam Ecclesiis semper est coloris violacei, quia est velut Domus Regia Christi viventis ad modicum tempus absentis; in aliis verò est coloris nigri, ut sit conforme paramenti celebrantis. In aliis etiam omnino denudatur, quia tunc est vacuum, & hic usus placet, ex usu Urbis, & præcipuè Basilicæ S. Petri, nisi fortè sint imagines circa prædictum Tabernaculum, quo casu, placet omnino color violaceus, ejusque ostiolum semper maneat apertum.

VII. Deinde omnes parietes Ecclesiæ denudantur, & pulpita, etiam illud Concionatoris, etiamsi debeat fieri Concio post meridiem; quia pulpitum non ita dignum est, ac altare.

VIII. Hoc triduo omnes cujuscumque

inchoationis, transeuntes ante Crucem altaris majoris, genuflectunt, excepto celebrante parato, nisi aliud infra notetur; ita Sacri. Congreg. Rit. ex Castaldo. Et hæc est ipsa praxis D. D. Eminentissimorum Cardinalium in Capella Sanctissimi.

## ARTICULUS V.

*De Mandato, seu Lotione pedum.*

I. **H**ora competenti, & solita paratur in loco, ubi faciendum est *Mandatum*, scammum oblongum panno viridi, vel alterius coloris vestitum, non tamen rubri, super quod sedent ii quibus lavandi sunt pedes, qui sint saltem numero tredecim, si fieri possit, præter Celebrantem, & ejus Ministros, quibus non lavantur pedes. Dicitur autem *Mandatum*, & quia Christus mandavit lotionem pedum, & quia Antiphonæ decantandæ in ipsa sacra actione, ab hac *Mandatum novum*, inchoantur. Locus autem ille debet esse floribus, & herbis odoriferis ornatus.

II. Ante prædictum pannum sternitur tapetes oblongus, vel plures, & cussius amplior, ne celebrans lavans pedes genuflexus sacras vestes maculet. Item paratur ibidem altare, aut una mensa in modum altaris, cum una mappa satis ampla, quæ tegat mentiam & partes laterales illius mensæ cum pallio albo, & Cruce etiam albo contexta velo, ad significandam munditiam, cujus gratia lavandi sunt pedes, & cum duobus candelabris, ac totidem candelis ceræ albæ, quæ accendi debent paulò antequam Clerus accedat ad *Mandatum*, ex Gavanto hic.

III. Item ad latus ejus sinistrum, si fieri potest, seu in parte Epistolæ, paratur Credentia, super quam collocetur Missale pro Evangelio, seu liber Evangeliorum; linteum amplum quo celebrans præcingi debet, & duæ manicæ lineæ cum aliquot aciculis; item tredecim mappulæ in una lance, vel cista honesta positæ, ad extergendos pedes, si fieri potest, ex Cærem. Ep. lib. 2. c. 24. vel iis deficientibus paratur aliud linteum satis amplum, sed certè tredecim mappulæ conveniunt (si illud quo celebrans erit præcinctus non sufficit) ad eosdem pedes extergendos. Item pellicula cum

cum mica panis, ac manutergium, & buccale cum aqua ad lotionem, & extersionem manuum celebrantis, & Ministrorum, post lotionem pedum.

IV. Item alia lanx parari debet, in qua sint eleemofynæ erogandæ pauperibus, si opus sit, æqua portione divisæ. Prope prædictum scamnum, vel alio loco commodiori tria vasa, unum aqua calida plenum, & herbis odoriferis; alterum aqua frigida ad temperamentum aquæ calidæ, si opus sit; & tertium in quod aqua pelvium effundatur post cujusvis pedis lotionem, si opus sit, nisi fortè effundenda sit in aliquo loco ad id deputato. Debent autem esse ita capacia ista vasa, ut sufficiant ad lotionem integram.

V. Præterea ad minus sint duæ pelves aqua, & herbis implendæ, in quibus infundatur prædicta aqua calida pro faciendâ ipsa lotionem pedum. Item urceus ad prædictam aquam infundendam. Item, si opus sit, paratur aliud vas cum prunis ardentibus ad calefaciendam aquam, si fortè tempus sit frigidû, & opus sit.

VI. Paratur etiam Legile nudum in plano, cum libro, ubi sint Antiphonæ, Psalmi, & Versus decantandi dum fiet pedum lotio. Item locus, aut clavus cui appenduntur bireta celebrantis, & Ministrorum.

VII. Item in Sacristia parantur Amictus, Albæ, Cingula, Stola, & Pluviale violacei coloris pro celebrante, & Stola cum Dalmatica coloris albi pro Diacono, sicut & Tunica pro Subdiacono, cum duobus manipulis etiam coloris albi, quia tunc debet cantari Evangelium. Thuribulum cum navicula, vas cum prunis ardentibus, & lignis sulphuratis, & candelabra duo cum totidem candelis ceræ albæ pro Ceroferariis.

VIII. In hac autem actione requiritur summa modestia, & maxima humilitas, cum sit actus profundæ humilitatis.

IX. His omnibus commode, & tempestivè paratis, ita ut nihil desit, hora solita, & Clericis in Sacristia, si fieri possit, coadunatis, celebrans, & Ministri induuntur prædictis paramentis, interim accenduntur candelæ, quæ sunt super altare, ubi faciendum est *Mandatum*. Tum Subdiaconus capit Crucem processionalem, & Ceroferarii sua candelabra, accensis prius eorum candelis, & collocant se retrò post celebrantem. Deinde ministrantibus Diacono, & Thuriferario de more,

stantibus à dextris celebrantis, ipse celebrans imponit, & benedicit thus in thuribulo, stans ante Crucem, vel imaginem Sacristiæ. Tum facta prædictæ Cruci, vel imagini debita reverentia ab omnibus, exceptis Subdiacono, & Ceroferariis, procedunt ad locum paratum, si ibidem non sit faciendum *Mandatum*, hoc ordine. Præcedit Thuriferarius, tum Subdiaconus cum Cruce medius inter duos Ceroferarios cum candelabris, deinde Cæremoniarius, & Clerus, & tandem celebrans habens à sinistris Diaconum paratum junctis manibus, & tecto capite, exceptis quatuor primis, & Cæremoniaro.

X. Cùm ad locum deputatum pervenerint, Subdiaconus deponit Crucem in aliquo loco congruo propè mensam, quæ pro altari habetur, in cornu Epistolæ, vel Evangelii, si aliter fieri non potest. Ceroferarii verò hinc inde à lateribus altaris in plano expectant Celebrantem, qui Cruci altaris profundam facit reverentiam, aliis omnibus genuflectentibus; sed prius Cæremoniarius accipit bireta celebrantis, & Diaconi, quæ in loco congruo deponit, ut suprà. Clerus verò in duas partes dividitur, & accedit ad Lectoriæ, vel aliqua pars illius, si copiosior sit.

XI. Celebrans ascendit ad altare, illudque osculatur, & Diaconus statim etiam accedit ad Credentiam, ubi accipit de manu Cæremoniarum librum Evangeliorum, eumque portat de more ad altare cum debitis genuflexionibus, recedente interim celebrante aliquantulum ad latus Evangelii, illumque in medio collocat: tum ipse celebrans ponit, cum benedictione, thus in thuribulo, ministrante Diacono cum debitis osculis, remanentibus semper Ceroferariis hinc inde, ut suprà, stantibus.

XII. Benedicto incenso, Diaconus, reddita navicula, descendit ad secundum gradum altaris, si tot sint, ibique genuflexus dicit *Munda cor meum*, &c. quo dicto, accipit librum de altari, petit benedictionem à celebrante stante ad cornu Evangelii ubi erat prius, qua accepta, genuflectit cum omnibus suis comministris, accedit ad locum Evangelii, (& interim Celebrans retrahit se ad cornu Epistolæ, facta Cruci reverentia) ubi Evangelium decantat eodem modo profusus, quo in Missa solemni, & eoque finito, celebrans osculatur librum à Subdiacono delatum de more, & incensatur à Diacono, Cero-



Ceroferarii deponunt candelabra super eandem cum genuflexionibus solitis, Thuriferarii thuribulum, & Ministri sacri manipulos suos.

XIII. Celebrans verò exiit Pluviali per eodẽm, illudque tradit alicui Ministro, qui illud loco congruo deponit, & per eodẽm præcingitur magno linteo à Ceroferariis alato, elevata prius, si opus sit, anteriori parte Albæ suæ, eamque cingulo ipsius constringunt, ne eam ipse celebrans maculet, tum etiam albas manicas accipit juvantibus etiam ministris.

XIV. Deinde medius inter sacros Ministros accedit ad lotionem pedum, & dispositis per ordinem tredecim pauperibus, seu aliis quibus ex more lavandi sunt pedes tectis capitibus, ex figura in Cærenoniali Episc. depicta, & sedentibus, genuflexus, & nudo capite lavat, tergit, & osculatur pedem dexterum uniuscujusque, nullo modo formans signum Crucis super eum, quem prius ille debuit discalceare, & antequam sedeat seorsim lavare, itaut celebrans illum nudum, & jam lotum osculetur.

XV. Interim Subdiaconus pedem dextrum, à sinistris celebrantis genuflexus, tenet paululum elevatum, ut celebrans commodius illum lavet, aliquis Minister, seu Acolythus lancem aqua plenam sub pedibus tenet, alter mutat aquam quando opus est; alius infundit aliam calidam, aut frigidam, prout etiam opus est, & sic vicissim ministrant. Thuriferarius mappulas, si opus sit, Diacono porrigit, qui singulas dat celebranti, cum quibus singulorum pedes extergit, vel ipse Diaconus, si non sint mappulæ prædictæ, à dextris colligit linteum quo Celebrans est præcinctus, illudque extendit quando opus est, ad extersionem pedum.

XVI. Incipit verò à digniori qui prior sedet in ordine, scilicet propius altari, & ejus pede loto, unus ex prædictis Ministris trahit bacile postea ad pedes illius, qui proximè sequitur, & aliquando mutat bacile, & aquam, quando opus est, ut supra, & etiam, si opus sit, alter postea ministrat aliud linteum unicuique, ut sibi ipsi pedes diligentius extergat.

XVII. Si dandæ sunt eleemosynæ pauperibus, unus ex ministris defert propè Diaconum lancem, in qua sunt prædictæ eleemosynæ, & post lotionem uniuscujusque, unam

tradit Diacono, & hic celebranti, qui propria manu eam unicuique sigillatim tribuit, quam etiam ipse accipit cum osculo manus Celebrantis, & ipsius Eleemosynæ.

XVIII. Dum celebrans incipit lotionem, Cantores super nudo pulpito, in habitu choralis, incipiunt Antiphonam *Mandatum novum*, & Chorus eam prosequitur, & alia quæ in Processionali, sive in directum, sive in cantu, ut decentius est.

XIX. In cantandis autem Psalmis *Mandati*, ille tantum versus cantatur, qui in dicto Processionali notatur: succedunt sibi invicem Clerici, si opus sit, tam ad lotionem pedum, si eorum pedes lavandi sint, quam ad cantandum, ne deficiat cantus.

XX. Post lotionem, & absterionem pedum, celebrans lavat manus uno ex Clericis aquam fundente, & altero manutergium, & si opus sit etiam ipsi lavant manus post celebrantem, ministrantibus Acolythis aquam, & bacile, & manutergium.

XXI. Deinde celebrans, adjuvantibus Ministris, deponit linteum quo erat præcinctus, & manicas lineas, quæ in loco congruo per Ministros reponuntur, rediensque ad latus Epistolæ in plano, Pluviale refumit ministerio Diaconi, & Subdiaconi, qui etiam suos manipulos recipiunt, sicut & Ceroferarii candelabra, qui hinc inde accedunt ad latera altaris in plano cum debitis genuflexionibus, celebrans verò ad medium inter Ministros sacros cum debitis reverentiis. Tum nudo capite, & manibus junctis dicit Versus, & Orationem ex libro, quem sacri Ministri sustinent, hinc inde habentes ad latera sua Ceroferarios.

XXII. His omnibus expletis, exiit ibidem Celebrans, si ibidem facta fuit lotio, id est in Sacristia, secus verò in eam redit eo ordine, & modo quo venerat. Thuriferarius tamen procedit cum thuribulo non fumigante, tum ipse celebrans cum ministris deponit paramenta sua, factis prius ab unoquoque debitis reverentiis de more.

XXIII. Hora congrua, & solita dicitur Completorium sine lumine, in cujus fine non dicitur *Pater noster*, nec *Ave*, nec *Credo* Gav. p. 2. sect. 6. c. 13. num. 20. versus finem, sicut nec crastina die.

## ARTICULUS VI.

De eadem feria 5. in minoribus Ecclesiis.

I. IN minoribus Ecclesiis, ubi fortè pauci sunt Clerici, vel unicus Sacerdos, hæc possunt observari. Ante Officium paratur velum oblongum, & locus seu Capella ubi reponendum est SS. Sacramentum, ut supra, & Baldachinum.

II. Item unus Calix super mensam altaris in cornu Epistolæ ubi reponi debet SS. Sacramentum, nisi fortè calix Missæ secundum loci facultatem debet ad id inservire. Item Pyxis ad reservandas particulas pro Communione fidelium, & infirmorum, cerei, & faces, si fieri potest, pro processione, & thuribulum, Pluviale album, sicut stola violacea, & alia id genus.

III. Peracta Communione, celebrans deponit prædictam Hostiam in alio Calice ut supra, & particulas consecratas in Pyxide cum debitis genuflexionibus, & fideles, si sint, communicat, ut supra, & Missam perficit.

IV. Finita Missa, deponit in cornu Epistolæ Planetam, & manipulum, & capit Pluviale si adsit, & sic paratus redit per anteriorem viam ad medium altaris, ubi flectit utrumque genu, ascendit ad secundum gradum, & ibi imposito thure in thuribulo, ministrante aliquo Acolyto sine osculis, & sine benedictione, SS. Sacramentum incensat, deinde imponit sibi velum oblongum adjuvante aliquo Ministro, & capit Calicem eo modo quo supra, tegens manum suam, & Calicem velo oblongo, & postea aliam.

V. Si autem nullum sit Pluviale, non deponit Planetam, sed finito Evangelio sancti Joannis accedit ad medium ubi genuflectit, & descendit ad secundum gradum altaris, ubi deponit manipulum, quem tradit alicui ministro in loco congruo ponendum, genuflexus parumper orat, surgit, & imposito thure in thuribulo, SS. Sacramentum incensat de more, & alia peragit ut supra, tegens manum suam velo, & postea aliam.

VI. Tum si nulli sint Cantores, aut Clerici, ipsemet incipit Hymnum *Pange lingua*, illumque profequitur, & alios, & si opus sit, vel eundem repetit.

VII. Interim procedit ad locum cum populo, & sub Baldachino, si habeatur; aliquis Acolytus incensat eo modo quo capite præcedenti, & alius Crucem defert, & præterea quidam laici funalia, aut faces gestant.

VIII. Cum pervenerint ad locum designatum, deponit Celebrans Calicem super Corporale cum debitis genuflexionibus, deponit velum, ponit thus in thuribulo, & Sacramentum genuflexus incensat in secundo gradu. Et interim Cantores, si adsint, cantant *O Salutaris Hostia*.

IX. Facta incensatione, surgit, ac genuflexione iterum facta, Calicem in Capfula reponit, eamque claudit, & descendit ad secundum gradum, ubi parumper orat, surgit, factaque iterum genuflexione, per brevioram viam recedit. Deinde accedit iterum ad altare cum debitis reverentiis, indeque portat Pyxidem in qua sunt particulae, præcedentibus duobus Ceroferariis cum candelis accensis, ad locum ubi est Calix reconditus, vel alium locum paratum.

X. Deinde in Sacristia deponit paramenta alba, & non Albam, accedit in Chorum ubi incipit, & profequitur Vesperas sine cantu, & interim Acolythi remouent aciculas altarium. Finitis autem Vesperis, accipit stolam violaceam tantum, & procedit ad denudationem altarium adjuvante aliquo Ministro, seu pluribus, dicens interim Antiphonam *Diviserunt sibi*, & Psalmum *Deus Deus meus respice in me*, quem interim Cantores de Choro profequuntur, si qui fortè adsint.

XI. Si fiat *Mandatum*, hæc observari possunt: Celebrans in loco congruo paratis omnibus necessariis ad lotionem pedum, ut supra, capit in Sacristia Albam stolam, & Manipulum albi coloris, ac etiam Pluviale album, & cum incenso benedicto, ministrante aliquo Acolyto thuribulum, dicit Evangelium. Quo finito deponit Pluviale, si eo utitur, & manipulum, & præcinctus linteo, lavat pedes, ut supra, ministrantibus quibusdam Acolythis pelves, & mappulas: finita lotionem pedum, deponit linteum, lavat manus, & Orationem, ut in Missali, dicit.

XII. Si sit aliqua Confraternitas SS. Sacramenti, aut aliqua alia, Sodales aliqui debent instrui, & deputari, qui induti habitu Confraternitatis, aut Cottis, si ab Episcopo talem habeant facultatem, secundum consuetu-

fuetudinem locorum ministrent in omnibus in quibus possunt, ut convenientiori modo hæc omnia supradicta fieri valeant.

XIII. Superfluum est hic minutiora describere, circa genuflexiones, & incensationes, cum ex supradictis facile quisque percipere possit, quando, & quomodo hæc omnia sint facienda, & alia in quibus celebrans & alii conformabunt se quantum fieri potest Rubricis Missalis, & iis, quæ supra diximus.

## C A P U T X.

*De feria 6. in Parasceve.*

### A R T I C U L U S I.

*De Preparandis hac die.*

I. **A**ltare majus, & gradus ejus debent esse omnino nudi. Tabernaculum SS. Sacramenti sit nudum etiam, velut supra diximus, in medio altaris collocetur Crux formæ grandioris habens in ea imaginem Crucifixi magnitudini ejus proportionatam, velo nigro tectam, vel potius violaceo, & ita componatur dissolutile, ut facile denudari possit ante adorationem Crucis, ut infra. Super illud altare parari debent sex Candelabra coloris obscuri, ferrea, aut lignea, cum candelis ceræ communis, nihilque super illud præter Crucem, & candelabra prædicta apponatur.

II. Credentia item sit etiam nuda, sed paulò ante Officium tegi debet mappa simplici per latera tantillum pendente, & tunc in dextera parte illius, ampullæ vini, & aquæ cum pelvicula, & manutergio, apponi debent, & præterea cussinus niger, & desuper Missale celebrantis etiam panno nigro tectum, & ibidem aliud Missale etiam coloris nigri pro Ministris, mappa oblonga plicata extendenda super altare initio Officii. Velum album oblongum celebrantis imponendum humeris ejus ad Processionem, cum aliquot aciculis in eo affixis, nisi malit Sacrificia illud deferre in Capellam, ubi est SS. Sacramentum, quod convenit. Stola nigra latior pro Diacono ad cantandam Passionem, si utatur Planeta plicata, vas vitreum, aut alterius materiæ pro purifica-

tione digitorum celebrantis, si fortè tetigerit SS. Sacramentum quando illud deponet super Patenam, ut infra, & purificatorium ad tergendas manus post Communionem. Secundum quosdam ponuntur duo candelabra super eandem Credentiam; sed videtur decentius, ut in Sacrificia relinquuntur, ut patebit infra.

III. In medio partis posterioris ipsius credentiæ, si fieri potest, buccale cum bacili apponatur, præsertim si celebrans est in aliqua dignitate constitutus, & manutergio.

IV. Item in medio ipsius credentiæ à parte anteriori poni debet bursa Corporalium quasi jacens cum Corporali intus.

V. In alio loco apto fortè à parte Evangelii, si locus sit aptior, & commodior, vel potius post altare, ponuntur tria pulvinaria coriacea, vel lanea violacea supponenda capitibus celebrantis, & Ministrorum sacrorum, initio Officii. Et si sit Presbyter assistens, ponantur quatuor. Tapes magnus pulcher violaceus, & cussinus magnus ei superponendus pretiosus, alius à supradictis tribus, aut quatuor, ac velum album serico violaceo contextum super illud explicandum, pro Cruce desuper ponenda ad adorationem ipsius. Gradus altaris benè mundentur pro Sacerdotis, & Ministrorum prostratione.

VI. Paretur etiam locus decenter, si jam non sit, ut diximus supra, paratus, ubi reponantur Hostiæ pro infirmis post finem Officii ut supra; vel si aliter fieri non potest, relinquuntur ubi erit Calix cum SS. Sacramento.

VII. In cornu Epistolæ apponatur scamnum oblongum, & omnino nudum pro celebrante & Ministris.

VIII. Poterit etiam in Sacrificia parari alia Crux nuda minoris formæ, si multus adsit populus, cussinus, & tapes etiam violaceus, atque etiam velum oblongum serico violaceo contextum desuper explicandum, super quod dicta Crux à fidelibus adoranda deponatur. Et si etiam numerosior sit populus, adhuc etiam aliæ Cruces eo prorsus modo parandæ sunt pro ipsa adoratione. Item in Sacrificia, vel in alio commodiori loco, paratur ignis cum carbonibus suo tempore accendendis versùs finem adorationis Crucis: duo Thuribula cum totidem naviculis pro Processione, & reliquo officio, quando opus erit. Item Crux Processionalis nuda, ibi-

ibidem detecta, eum suo velo oblongo violaceo secundum locorum consuetudinem, & Candelæ secundum numerum Clericorum ad Processionem, & ad reliquum officium deferendæ ceræ communis, vel albæ, si aliter fieri non possit.

IX. Item Sacrista parat in eadem Sacristia paramenta nigra pro celebrante, & ministris sacris, scilicet quatuor planetas, quarum tres sint plicatæ, deferendæ de more pro Diacono, & Subdiacono ordinariis, & tertiam pro Subdiacono delaturo Crucem ad Processionem, duas stolas nigras, & tres manipulos ejusdem coloris, stolam latiorē pro ipso Diacono, quæ erit super Credentiam, ut supra. Item tres Stolas nigras eum totidem Albis, pro tribus qui Passionem cantaturi sunt; & si fieri possit, parantur etiam tres Stolæ latiores pro iisdem cantoribus ponendæ super communes, quod videtur convenire, sicut Diaconus duabus utitur dum Evangelium decantat. Item tres Codices, aut tria Missalia, aut unum tantum, ut Dominica præcedenti, pro Passione decantanda secundum morem locorum. Sicut etiam parantur tria Legilia nuda in aliquo loco aliquantulum remoto versus cornu Evangelii pro Passione, si à tribus cantetur secundum consuetudinem, ut Dominica præcedenti.

X. Paratur etiam lanx, vel plures pro numero locorum, in quibus ponuntur Cruces adorandæ, ad recipiendas populi oblationes in adoratione Crucis.

XI. Propè locum ubi est reconditum SS. Sacramentum, poni debet Baldachinum album, non nigrum, ut hesternæ die in processione deferendum, & scabellum in dicto loco, si opus sit, pro Diacono, ut heri.

XII. Possunt etiam deputari aliqui Cantores, ut in tempore adsint ad altare dum cantabitur ibidem à Celebrante Versus *Ecce lignum Crucis*. Si opus sit, deputentur etiam aliqui custodes, qui modeste murmur tumultuum sedent tempore suo, etiam si opus sit.

XIII. Convenit etiam, ut ante officium tria loca obtinentur à Cæremoniario, vel Præfecto Chori, in quibus tres genuflexiones fieri debent ante Crucis adorationem, ut commodius, & facilius fiant, & ut hoc modo nulla oriatur confusio, ut infra.

XIV. Curet Sacrista, & alii Officarii,

*Man. Sac. Cærem.*

ut omnia sint aptè, & diligenter parata suis locis, & in promptu sint quando opus erit.

XV. Item deputentur aliqui Acolythi, seu Capellani quatuor, aut plures numero pari, aut saltem duo, quantum fieri potest, qui deferant faces ante SS. Sacramentum in Processione, quique eas teneant accensas hinc inde ad reliquum Officium, ut infra.

XVI. Deputentur etiam Cantores in choro ad cantanda impropria dum fit adoratio Crucis, ut in Missali ordinatur.

## ARTICULUS II.

*De Officio hujus ferie sexta usque ad adorationem Crucis exclusive.*

I. **H** Ora competenti, pulsata tabula lignea, dicuntur horæ diurnæ in directum, & voce humili, sine lumine ad altare.

II. Circa finem Nonæ Cæremoniarius, vel Sacrista parat tres prædictos cussinos coriaceos, vel laneos super secundum gradum altaris ad prostrationem Celebrantis, & Ministrorum sacrorum, ita ut cussini ministrorum non multum distent à cussino celebrantis. Interim celebrans, & prædicti Ministri sacri diligenter manus lavant, & parant se, ut supra, paramentis nigris, Ministri planetis plicatis si sit consuetudo, aut Albis, stola, & manipulis in minoribus Ecclesiis, ut diximus alibi.

III. Finita Nona, procedunt ad altare præcedente Thuriferario manibus junctis, quem sequuntur Ceroferarii, etiam manibus junctis, tum Cæremoniarius, qui semper, quantum fieri potest, adesse debet, nudo capite cum tribus supradictis Acolythis, deinde Ministri sacri unus post alium ultimò denique celebrans oculis demissis, modesto, & gravi incessu, manibus junctis, tecto capite cum duobus istis, neminem salutantes.

IV. Cum ad altare pervenerint, genuflectunt omnes recta linea in plano ante infimum gradum, & statim celebrans scilicet, & Ministri sacri prosternunt se ponentes capita sua super cussinis prædictis diversis ab iis qui sunt ad usum Officii; ita ut genua eorum sint in plano, caput verò, & brachia super gradum altaris secundum à plano, Cærem.

Q

Cle-

Cleric. Reg. S. Pauli l. 2. c. 8. Sic prostrati prolixius aliquantò orant quasi ultra spatium unius *Miserere*, Cærem. Papæ. Orant etiam aliquantulum cum iis Acolythi, sed facta brevi Oratione, surgunt, & iterum genuflectunt, & sumunt de credentia tobaleam, seu mappulam oblongam, eamque extendunt super altare, ita ut tantillum à lateribus pendeat, & à parte anteriori.

V. Eodem tempore quo Celebrans se prosternit, omnes de choro genuflectunt, & caput inclinant, omnesque alii in Ecclesia presentes. Interim Cæremoniarius collocat Misfale apertum cum cussino nigro super cornu Epistolæ, & post extensam mappam ipse, aut ejus loco aliquis ex Acolythis monet voce submissa, vel aliquo potius nutu Celebrantem, & Ministros, ut surgant ab Oratione.

VI. Tum surgunt, & omnes de choro, Celebrans cum Ministris ascendit ad altare, illudque osculatur Ministris genuflectentibus, & interim prædicti tres cussini per Acolythis removentur, & in loco suo reponuntur, vel in Sacristiam reportantur.

VII. Celebrans osculato altari, accedit ad cornu Epistolæ, ubi legit voce submissa Prophetiam sine titulo, stantibus Ministris, ut in Introitu Missæ, non manibus junctis, & Acolythis ad credentiam, qui conformabunt se choro. Ministri sacri non respondent in fine *Deo gratias*.

VIII. Interim Cæremoniarius accedit ad Lectorem assignatum, eumque ducit ad credentiam, eique ministrat librum, & ambo accedunt ad altare ubi genuflectunt, surgunt, & accedunt ad locum Epistolæ solitum, ubi cum Celebrans incipit legere Prophetiam, ipse statim, & nullo modo prius (contra quosdam nimis properantes) incipit etiam cantare in tono lectionis Prophetiam, vocem aliquantulum inflectendo in fine. Eaque completa eodem modo redit ad medium altaris ubi genuflectit, & erectus extra medium altaris reddit librum Cæremoniario, & redit ad locum suum facta reverentia celebranti tantum, & non osculata ejus manu, nec accepta benedictione. Cærem. Episc. l. 2. c. 25.

IX. Finita Prophetia à Celebrante, ipse potest federe super scamnum prædictum nudum; & dum ea cantatur, omnes sedent in choro, eaque finita, cantant Tractum; Aco-

lythi verò altaris non sedent nisi cum Celebrante.

X. Circa finem Tractus, Celebrans redit ad idem cornu Epistolæ per brevioram viam cum Ministris uno post alium, & stans ibidem, finito eodem Tractu, dicit *Oremus*. Tum Diaconus genuflectens ante alios dicit *Flectamus genua*, & statim omnes genuflectunt cum eo, excepto solo celebrante. Subdiaconus verò ante omnes alios surgens, dicit *Levate*, & omnes similiter surgunt, & eodem modo hæc fieri debent in pari casu, & stant, ut jam diximus.

XI. Deinde celebrans extensis manibus, ut in Missa solemnī, cantat Orationem stantibus clericis in choro, & capite inclinato: interim Subdiaconus sine genuflexione vadit ad Credentiam, vel ad alium locum aptum, ubi deponit Planetam, si ea utitur, capit librum à Cæremoniario, & facta altari debita genuflexione cum Cæremoniario, ut in Missa solemnī, cantat lectionem in tono Epistolæ, eaque finita, & facta iterum genuflexione ad altare reddit librum Cæremoniario, & sine osculo manus celebrantis, & sine ejus benedictione, refumit Planetam, & redit ad celebrantem, illi assistens à dextris Diaconi, ut in introitu Missæ, in cornu Epistolæ, nisi ipse celebrans sedeat ad Tractum.

XII. Interim celebrans legit eandem Lectionem cum Tractu submissa voce, assistente sibi Diacono à dextris, qui non respondet *Deo gratias* in fine, & sic remanet usque ad finem Passionis, nisi celebrans sedeat ad Tractum, dum in choro cantatur.

XIII. Finita Lectione Acolythis aptant tria (aut unum) legilia nuda pro cantanda Passione in loco solito, ut Dominica Palmarum.

XIV. Interim dum dicitur Tractus, tres, qui sunt cantaturi Passionem, parant se, & Acolythis, omnia servantes respectivè, quæ Dominica præcedenti; habentes tamen stolas, & manipulos nigri coloris, & cum tribus stolis latioribus, si fieri potest, etiam nigris, & ita debent tempestivè accedere, & non interponatur ulla mora inter Tractum, & Passionem.

XV. Dum cantores inchoant Passionem, celebrans eandem manibus junctis incipit in cornu Epistolæ paulò ad eos conversus, ut Dominica præcedenti, usque ad finem il-

lius partis, quæ habetur pro Evangelio inclusivè, dicens ibidem *Munda cor meum* in fine primæ partis, non tamen *Jube domne*, &c. neque genuflectit in morte Christi, nisi cum cantoribus.

XVI. Lecta etiam postrema parte, quæ vicem gerit Evangelii, in eodem cornu Epistolæ, convertit se totum ad cantores, Cæ. Papæ lib. 2. c. 39. Gav. p. 4. tit. 9. n. 5. & stant Ministri sacri, dum interim legit passionem, ut in introitu Missæ manibus junctis sicut celebrans, & dum est conversus ad cantores post finem Passionis stant Diaconus à sinistris ipsius, & Subdiaconus à sinistris Diaconi in recta linea, manibus junctis, versa facie ad cantores, genuflectentes omnes in morte Christi sicut Dominica præcedenti.

XVII. Finita Passione cantores cum suis libræ facta prius Cruci altaris genuflexione, & celebranti inclinatione, redeunt prout venerant, sequentibus aliis ministris, & legilia removentur per Acolythos.

XVIII. Post genuflexionem in morte Christi, Diaconus amovet Planetam, capit stolam nigram latiore, portat libræ ad altare, dicit genuflexus in loco solito *Munda cor meum*, nõ petit benedictionem, sed statim accipit libræ, & vadit ad locum Evangelii de more, & Ceroferarii manibus junctis sine cereis, & thuribulo: & cum ad locum pervenerint, cantat de more, stante versus eum celebrante manibus junctis, reliquum Passionis, manibus junctis, absolute sine *Dominus vobiscum*, nec signo Crucis, nec incenso, Subdiacono tenente librum.

XIX. Finita verò prædicta parte à Diacono, recedunt omnes cantores Passionis, & eorum ministri simul cum debita genuflexione altari, quia tunc celebrans non osculatur librum, nec incensatur, & Diaconus deposito libro in manibus ministri, redit ad celebrantem statim, nec resumit Planetam, nisi in fine totius Officii, scilicet paulò antequam redeat in Sacristiam ut infra, sed sua stola latiori utitur, vel sua Planeta in modum stolæ latioris, ex Gav. p. 4. tit. 9. n. 8.

XX. Tum si sermo habendus est ex consuetudine, ducitur ad pulpitem Sermocinator absolute per Cæremoniarium absque ulla benedictione, sed cum genuflexione Cruci Altaris, ubi habet Sermonem, ut diximus proprio capite. Ad concionem celebrans, & Ministri sedent in loco apto, sed nudo.

XXI. Finita Passione, vel concione, celebrans stans in cornu Epistolæ, incipit, & cantat primò monitionem in cantu, postea orationem in tono orationis ferialis. Deinde monitionem etiam in cantu, & postea Orationem etiam in tono feriali, ut in Missali, & sic vicissim. Ad monitiones, quas omnes cantat, jungit manus. Ad Orationes, eas extendit (& certè decet, ut in Missali notentur sicut Præfationes, quia sæpè in iis cantandis oritur non parva confusio, ut experientia patet.) Interim Ministri stant post eum manibus junctis, ut in Missa, Diacono dicente *Flectamus genua*, quando opus est, & Subdiacono *Levate*, ut supra.

XXII. Ad Orationem pro Papa, quando nominatur, celebrans versus librum caput inclinatur, & omnes alii: interim omnes tam ad monitiones, quam ad Orationes, stant, nisi quando dicitur *Flectamus genua*. Si Imperator non sit coronatus, celebrans dicit *Oremus pro Christianissimo Imperatore nostro electo*. In Gallia ex consuetudine nominatur Rex Christianissimus.

XXIII. Ad Orationem pro Judæis non flectuntur genua, non sine mysterio.

### ARTICULUS III.

#### *De denudatione, & adoratione Crucis.*

I. **D**ictis omnibus Orationibus celebrans in eodem cornu Epistolæ deponit Planetam, & Subdiaconus cum eo in eodem cornu extra altare suam plicatam, & tunc Acolythi facta genuflexione interim tempore opportuno, idest antequam dicatur ultima Oratio, vel ea quæ pro Judæis dicitur, vel dum celebrans, quod est decentius, deponit Planetam, extendunt raptè, seu pannum amplum prædictum violaceum ante gradus altaris benè mundos, ita ut pars superior illius, si fieri potest, sit superoram suppedanei, vel in aliquo loco commodiori, modò sit ante, & propè altare, eique panno pulvinum amplum violaceum imponunt, ita ut sit super secundum gradum altaris, & super illum velum, seu mappam albam serico violaceo contextam, supra quam Crux adoranda reclinari debet, apponuntque ibidem versus dexteram ado-

rantis prædictam lanceam ad recipiendas fidelium oblationes.

II. Interim celebrans accedit ad angulum posteriore cornu altaris in parte Epistolæ, ut sit quasi collateralis Candelabris (Marcellus lib. 1. c. 5 1. addit juxta parietem) super idem altare positus. Tum Diaconus relicto celebrante procedit ad medium altaris, ubi genuflectit reverenter Cruci, quam cooperat suo velo convenienti, Sacrifista, vel Cæremoniarius, facta prius genuflexione, de eodem altari reverenter capit, & sine osculis illam tradit eidem Diacono, qui eam portat ad celebrantem summa cum reverentia, quam sine osculis tradit celebranti stanti facie versa ad populum.

III. Tum accepta Cruce stans ibidem etiam versus populum in medio Diaconi à dextris, & Subdiaconi à sinistris ejus, versa quasi facie ad Crucem, manu dextera detegit illius summitatem usque ad Crucis transversum, ita tamen ut caput Crucifixi non appareat, juvantibus eum Cæremoniario, & ministris, si opus sit. Interim accedit ante eum Thuriferarius facta genuflexione, cum libro quem tenet ante eum stans, aut alius Minister. Ceroferarii etiam accedunt ante Crucem, si commodè fieri potest. Item prædicti cantores, de quibus supra, facta genuflexione Cruci accedunt ad altare, si opus sit. Tum idem celebrans ambabus manibus elevans Crucem reverenter ad oculorum altitudinem, ex Cæremoniali Papæ lib. 2. c. 5 1. & eam populo ostendens, voce gravi, (ut aliis vicibus possit eam attollere altiùs citrà indecentiam) incipit solus Antiphonam, *Ecce lignum Crucis*, ut in Missali, quod Thuriferarius, aut alius, vel Cæremoniarius tenet. Interim omnes in choro stant versus altare nudo capite.

IV. Dum Celebrans incipit Antiphonam, omnes de altari nudo capite stantes prosequuntur statim reliqua cum eodem celebrante, scilicet *In quo salus mundi pependit*, & chorus respondet *Venite adoremus*, quo tempore omnes genuflectunt, capite etiam valde demisso, excepto solo celebrante, qui semper stat. Non verò prosternunt se usque ad terram, quia prostratio, de qua Missale loquitur, intelligitur tantùm de genuflexione ad quam caput valdè demittitur, Cær. Ep. l. 2. c. 25. & ratio est, quia Chorus vix posset cantare ita prostratus usque ad terram.

V. Deinde celebrans procedit ad anteriorem partem anguli ejusdem cornu Epistolæ, in eodem scilicet loco ubi dicit introitum Missæ, & stans etiam in medio Ministrorum versus populum, ac detegens brachium Crucis dextrum, & caput figuræ Crucifixi, elevansque eam paulisper altiùs, quam priùs repetit etiam altiùs voce, *Ecce lignum Crucis*, & Ministri prosequuntur, *In quo salus*, &c. omnibus erectis, & postea chorus, *Venite adoremus*, omnibus genuflexis, ut supra.

VI. Denique celebrans procedit ad mediū altaris, & stans, ut supra, versus populum cum omnibus Ministris, ac totam Crucem detegens tradit velum Subdiacono, & hic Acolytho (qui statim illud super credentiam deponit) & adhuc altiùs Crucem elevans, quam secundò etiam altiùs cantat *Ecce lignum Crucis*, aliis cantantibus, & genuflectentibus, ut supra.

VII. Postea celebrans solus sine Ministris descendit per latus Evangelii, sine genuflexione, ad locum ubi paratus est cussinus, ambabus manibus portans Crucem elevatam facie Crucifixi versa ad populum, & utrumque genu flectens eam collocat reverenter, & firmas chordulis, si opus sit, super dictum pulvinum, adjuvante eum Cæremoniario. Interim omnes Cruces, quæ sunt per Ecclesiam, denudantur per Sacrifistam, aut alios, si fieri potest, & non imagines.

VIII. Dum celebrans sic Crucem aptat in loco suo, Ministri sacri, & omnes alii quicumque sint, manent genuflexi, eaque sic aprata surgit, & facta iterum genuflexione, recedit ad sedem suam ad latus Epistolæ, sicut & Ministri sacri, qui facta versus Crucem etiam genuflexione, ad eandem sedem accedunt, & cantores prædicti (si sint) ad chorum. Tum celebrans juvantibus Acolythis, si opus est, deponit calceamenta, seu crepidas, quibus ad decentiam, & commoditatem hodie debet uti, sicut omnes alii Clerici hac die, & solus manibus junctis procedit devotè oculis demissis ad Crucem adorandam, ter genuflectens in tribus distinctis locis, quæ supra, in æquali distantia, orando aliquantulum pro unaquaque vice, antequam eam, vel potius pedem Crucifixi deosculetur, sed priùs si velit, & potest, offert pecuniam, vel offerre facit in lance prædicta parata à dextris ejus Cærem. Episc. lib. 2. c. 25. Ad singulas autem

tem genuflexiones dicere potest, *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum.*

IX. Postquam celebrans adoraverit Crucem devotè surgit, & interim facta genuflexione Cruci, & inclinatione altari, ex Cærem. Cler. regul. sancti Pauli, redit per breviorem viam ad sedem suam in cornu Epistolæ, ubi reassumit calceamenta, & Planetam, adjuvantibus ministris, tum capite tecto sedet.

X. Deinde ministri sacri, & non prius, discalceati, & sine Planetis procedunt simul manibus junctis, ad Crucem ter genuflectentes sicut celebrans, & orantes ad loca designata, & ambo simul genuflectunt ante Crucem, eamque Diaconus à dextris Subdiac. prius osculatur, & adorat. Ita autem prædicti Ministri sint ambo genuflexi ante Crucem, & omnes alii. Postea, ut ipsa Crux sit quasi in medio utriusque dum adorant, simul verò surgentes iterum genuflectunt simul Cruci, & altari unica genuflexione, nec prius senior, aut dignior surgit, quin junior adoraverit, ut ambo simul surgant. Deinde ambo redeunt ad celebrantem, cui se inclinant, & resumunt calceamenta, & Subdiaconus Planetam (non Diaconus) ac statim sedent cum illo, tecto capite.

XI. Postea celebrans sedens cum dictis ministris, librum Missalem hinc inde ante eum sustinentibus legit impropria submissa voce, vel aliquis Acolythus librum ipsum sustinet, quibus lectis desertur liber ad cornu Epistolæ.

XII. Completa adoratione ab ipsis ministris, accedunt clerici de choro bini, si multi sint, alias unus post alium, incipiendo à dignioribus, eundem ordinem servantes, quem prædicti ministri sacri, genuflectentes ad loca designata simul, & simul adorantes, & simul surgentes, & si contingat eos transire ante celebrantem, illi se inclinant.

XIII. Ut autem decentius, & celerius fiat ab omnibus adoratio, hoc diligenter est observandum, ut quando duo precedentes, aut unicuique genuflectunt secundo, alii duo accedant, & genuflectant pro prima vice, quando illi tertio, hi secundo, & pro secunda vice, & sic deinceps. Idem faciendum est, si unus solus procedat respectivè. Si numerus sit impar, postremus omnium procedit solus, & adorat solus.

XIV. Si qui sunt Prælati, scilicet Episcopi,

*Man. Sac. Cærem.*

aut alii extranei, adorant statim post celebrantem etiam discalceati. Episcopus verò proprius eam primus adorat etiam discalceatus. Ex Cærem. Episc. l. 2. cap. 25. & ex usu Capellæ Sanctissimi.

XV. Convenit etiam, ut uniformis sit omnium actio pro locorum consuetudine, tum in osculo Crucifixi regulariter in pedibus, tum in æquali pausa qua singuli genuflectunt. Et si in Cruce, quæ adoratur, sit aliqua pars veræ Crucis, decet ut eam omnes osculentur ea qua par est reverentia.

XVI. Facta adoratione à clericis, in quibusdam Ecclesiis insignioribus, Diaconus cum Acolythi accedit ad Crucem, quam facta illi prius genuflexione elevat, & Acolythi tapetem, cussinum, & velum auferunt, & eadem extendunt, ut supra, extra cancellos, ubi Diaconus eandem Crucem reverenter collocat, ac mox laici omnes, prius viri, deinde foeminae, quisque ordine suo (servatis debitis ut supra genuflexionibus) & facta brevi Oratione, prout maluerint, si tempus, & commoditas aut concursus populi non impediatur. Et hæc consuetudo non videtur improbanda. Sed tamen ordinariò, & regulariter Crux ipsa non videtur aliò transferenda, sed remanere debet ibidem quantum fieri potest, adoranda à Christi fidelibus, sed præcipuè à Magistratibus, & Nobilioribus, qui semper ad altare, sicut clerici, eam adorare debent, si talis est consuetudo.

XVII. Ordo autem adorationis hac die, est, ut quilibet Laicus, etiam Princeps, post Clerum procedat ad adorationem, cum sit actus profundæ humilitatis, vel saltem post Canonicos. Cærem. Ep. l. 2. c. 25.

XVIII. Dum fit adoratio, decet ut sit aliquis Acolythus genuflexus modestè orans propè Crucem, qui confusionem impediatur, tumultuantes sedet, & adorantes, si opus sit, ad modestiam hortetur.

XIX. Si sit populi concursus magnus secundum morem locorum, duo Acolythi, unus in parte virorum, alter in parte mulierum (nisi viri semper admittantur ad Crucis adorationem post Clerum ad altare) extendunt tapetia in utroque loco, & desuper collocant pulvinum cum velo, illucque per Sacerdotes cum stolis nigris de collo pendètib; alia Crux, vel aliæ Cruces devotè deferuntur, eo modo quo per celebrantem antea



præcedentibus quibusdam Acolythis, lanceſque collocantur ad pecuniam offerentium recipendam, Caſtaldus l. 3. ſect. 7. c. 3. n. 5. & obſervent offerentes, ut prius offerant pecuniam, quàm Crucem oſculentur, ex Cær. Ep. l. 2. c. 25. Maneant autem prædicti Acolythi propè Cruces, ut quantum poterunt, tumultum populi compeſcant, vel ipſi remanent ad Credentiam, vel in choro cantant ſi neceſſe ſit.

XX. Statim ac celebrans procedit ad adorandam Crucem, cantantur in Choro impropria, ut infra, & eo modo quo in Graduali notantur. Et ſi repetitio ſit faciendæ eorum, quæ cantantur, ob longiorem adorationem, fiat ab Hymno *Pange lingua*, ut in Miſſali, ſed non dicatur ultimus verſus *Sempiterna ſit beata*, niſi ſemel, atque ultimo loco ad finem adorationis.

XXI. Improperia autem in tres partes dividuntur, quarum prima incipit à verſu *Popule meus*, qui cantatur à duobus Cantoribus in medio Chori, qui ſunt de primo Choro uſque ad *Agius*, &c. poſt verſum verò Chori alternatim cantant, primi quidem Græca verba, ſecundi Latina per ordinem, ut in Miſſali, uſque ad *Miferere nobis*. Tum duo Cantores ſecundi Chori ſubdunt verſum *Quia eduxi*, &c. quo cantato Chori alternatim cantant eodem modo quo ſuprà. Tertio tandem Cantores Chori primi dicunt verſum *Quid ultra*, &c. & chori reſpondent alternatim eodem modo quo ſuprà, & ſic terminatur prima pars impropiorum.

XXII. Secunda pars impropiorum incohatur à verſu *Ego propter te*, &c. qui dicitur à Cantoribus ſecundi chori, cui chorus omnis utriuſque partis ſimul reſpondet *Popule meus*, uſque ad *Quia eduxi te*. Deinde Cantores ſecundi chori ſubdunt *Ego eduxi te*, &c. cui pariter omnis Chorus ſimul reſpondet *Popule meus*, &c. & ſic alternatim deinceps Cantoribus utriuſque chori per vices verſus cantantibus chorus ſemper reſpõdet *Popule meus*, uſque ad Antiphonam *Crucem tuam Domine*, &c.

XXIII. Tertia pars incipit ab Antiphonâ *Crucem tuam*, &c. quæ cantatur, ut Introitus Miſſæ, cum ſuo Pſalmo, poſt quem repetitur eadem Antiphona; qua dicta, Cantores incipiunt, & chorus reſpondet *Cruce fidelis*, &c. & *Dulce lignum*. Quibus à choro cantatis, Cantores primi chori ſubdunt

Hymnum *Pange lingua*, & cantant primum verſum, poſt quem chorus omnis Cantorum repetit verſum *Cruce fidelis* uſque ad *Dulce lignum* excluſivè. Poſteà Cantores ſecundi chori dicunt ſecundum verſum *De parentis*, &c. & omnis chorus dicit *Dulce lignum*, &c. & ſic deinceps alternatim Cantoribus proſequentibus verſus Hymni prædicti, chorus alternatim omnis ſimul repetit prædictos verſus *Cruce fidelis*, &c. *Dulce lignum*, &c.

XXIV. Circa finem adorationis Ceroferarii, ſumpto lumine de Sacriſtia, accendunt ſex cereos, qui ſunt in Altari, & illos duos, quos delaturi ſunt, ſi ſint ſuper credentiam. Diaconus item antequam reportet Crucem facta celebranti inclinatione, ſumens de credentia burſam cum corporali intus, & purificatorium, per viam breviorẽ deſert elevatam ob oculos ad altare, facta Cruci, quæ adoratur, genuflexione, & altari inclinatione, quia tunc nulla eſt Crux in eo, explicat corporale ſolito more in medio, propè quod in parte Epistolæ ponit purificatorium, & poſteà ad locum redit cum debitis altari, Cruci, & Celebranti reverentiis, & ſedet cum Subdiacono, qui ſtabit interim de more, nudo capite, cum aliis.

XXV. Cæremoniarius autem, vel alius eodem tempore deſert Miſſale ad latus Evangelii, cum debitis genuflexionibus Cruci prædictæ, illudque relinquit apertum cum ſignaculis aptatis ab eodem.

XXVI. Interim duo Thuriferarii in Sacriſtia parant ſua thuribula, ut præcedenti die: alter Subdiaconus parat ſe alba cum Planeta plicata nigra, ſi utatur, vel cum alba ſola reſpectivè ſine manipulo, ſumitque Crucem Proceſſionalem denudatam. Si deſit autem Subdiaconus, unus ex Clericis ſufficit, qui cotta induta deſerat Crucem.

XXVII. Qui delaturi ſunt haſtas Baldachini, parant ſe etiam tempeſtivè ad illud portandum, & Sacriſta curat, ut deſeratur propè Capellam ubi eſt SS. Sacramentum. Si candelabra Ceroferariorum ſunt in Sacriſtia, thuriferarius, aut alius cereos accendit.

XXVIII. Finita adoratione Crucis, Diaconus ſurgit, & Subdiacon. cum eo, deponit biretum, & facta celebranti reverentia, vadit ad locum ubi eſt Crux, eamque, facta genuflexione, reverenter capit, & elevatam uſque ad oculos ambabus manibus eam portat nulli re-

li reverentiam faciens ; transeunte vero Diacono, Celebrans erectus, Subdiaconus, & omnes alii quotquot sunt, ob reverentiam Crucis genuflectunt.

XXIX. Diaconus autem ad altare Crucem reponit in loco suo in medio altaris, & facta Cruci genuflexione redit ad celebrantem ei se inclinans ; Ceroferarii verò, aut alii, remouent pannum violaceum, & alia, quæ plicata reportant ad credentiam, vel in Sacristiam.

XXX. Si alia sint Cruces exposita ut supra, finita adoratione, à Sacerdotibus prædictis Itolis paratis reportantur in Sacristiam, quibus omnes genuflectunt. Et similiter tapetia, & alia per Acolythos remouentur, qui postea vadunt in Sacristiam, vel ad credentiam, ubi capiunt candelabra è loco ubi sunt, & collocant se propè Subdiaconum, eumque faciunt medium. Tum procedunt ad altare præcedentibus duobus Thuriferariis, & accedentes ad cancellos foli Thuriferarii tenentes thuribula igne plena, & naviculas genuflectunt in plano, & collocant se retrò post Subdiaconum de Cruce, ut postea priores procedant, & accedunt ad cornu Epistolæ ubi genuflexi manent. Stant verò Subd. & Ceroferarii, ut heri. Et interim per quemdam Ministrum distribuuntur candelæ ceræ communis clericis in choro, duoque clerici, seu honesti viri tenent Baldachinum ante capellam ubi est SS. Sacramentum.

XXXI. His omnibus ritè peractis, celebrans, & Ministri depositis ex more biretis suis super sedem, accedunt nudo capite, & manibus junctis propter reverentiam Crucis ad altare, cui omnes, etiam celebrans, genuflectunt.

XXXII. Tum procedunt omnes ad locum ubi est calix cum SS. Sacramento per viam breviorē, hoc ordine: præcedunt Thuriferarii cum Thuribulis, & suis naviculis; deinde Subdiaconus cum cruce medius inter Ceroferarios; tum Cæremoniarius secum portans velum oblongum pro celebrante, nisi aliàs priùs delatum fuerit; postea clerici bini cum candelis extinctis, ultimò celebrans cum Ministris præcedentibus manibus junctis, nudo capite, & facta priùs Cruci altaris debita genuflexione.

XXXIII. Remanet custos aliquis ad altare, qui curet diligenter ut omnia sint parata in reditu Processionis, præcipuè vas cum car-

bonibus ardentibus, & alia; & interim Sacrista, aut alius, videt diligenter in capella, ubi est calix, num omnia sint rectè disposita ne aliquid desit. Advertant præcipuè Subdiaconus de Cruce, Ceroferarii, & Thuriferarii, ut non accedant de Sacristia ad altare, donec reportata fuerit Crux ad altare per Diaconum.

## ARTICULUS IV.

*De Processione hujus diei, & de reliquo Officio.*

I. **C**UM celebrans, & omnes alii ad Sacellum pervenerint, ipse, & Ministri sacri, statim ac facellum ingressi fuerint, genuflectunt, surgunt, & ad altare accedunt, ante quod iterum genuflectunt, Carem. Ep. l. 2. c. 25. tum seniores hinc inde propè altare, juniores propè Crucem se collocant, genuflectunt simul (exceptis Subdiac. de Cruce, & Ceroferariis semper stantibus ubi non impediunt, & unde facillè postea possint priores recedere,) sicque genuflexi parumper orant devotè, & interim accenduntur faces, & candelæ clericorum, & aliorum, quæ remanere debent accensæ usque ad communionem celebrantis inclusivè, ut infra.

II. Tum solus Diaconus surgens abs Oratione, & facta genuflexione, aperit capsulam in qua est SS. Sacramentum, sumpta clave ab eo cui pridie custodiendam tradiderat, eaque aperta, iterum genuflectit. Et accedit ad celebrantem, cui ministrat naviculam primi Thuriferarii, & ex ea ponit absque benedictione, nihil dicens, thus in duobus thuribulis ut heri, recedente secundo statim thuriferario ad partem Epistolæ, ubi genuflexus expectat agitans thuribulum, & non SS. Sacramentum thurificans. Tum genuflexus accepto primo thuribulo ter incensat de more SS. Sacramentum in silentio, inclinans profundè caput antè, & post, Ministri elevantibus de more Planetam.

III. Thuriferarius postea recepto thuribulo, facta genuflexione, statim recedit ad cornu Evangelii, ubi genuflectit è regione alterius Thuriferarii usque ad initium Processionis. Interim velum oblongum album, ut heri, imponitur per Ministros humeris celebrantis, ita ut æqualiter suat.

IV. Deinde Diaconus ascendit ad altare, & facta genuflexione, extrahit Calicem velo suo parvo tectum de capsula, revoluta super patenam patte veli anteriori, tenens illum dextera per nodum, & sinistra per pedem eo modo, quo hesternam die, eumque tradit celebranti genuflexo, qui nodum ipsius sinistra accipit, & mox extremitatibus veli ab ejus humeris pendentes, eundem tegit: Celebrans verò dexteram suam Patenæ Calicis superimponit, quam etiam Diaconus cooperit, ita ut ambæ manus sint prorsus eodem velo longo coopertæ sicut heri. Deinde cantores genuflexi inchoant Hymnum *Vexilla Regis prodeunt*, quem profectitur chorus alternatim.

V. Interim celebrans surgit adjuvantibus Ministris, & manibus Calicem tenens, ut supra, omnibus præcedentibus, procedit per viam longiorem eo ordine quo heri, Thuriferariis eo etiam modo SS. Sacramentum, si ita dicendum sit, incensantibus, ante quos, si fieri possit, procedunt quidam Capellani, aut Acolythi cum facibus accensis ut supra.

VI. Defertur autem Baldachinum album per Clericos tantum cottis indutos, vel per nobiles, si ita sit consuetudo, quæ tamen non est introducenda, & sic itur ad altare majus, & interim Celebrans recitat de more Hymnum prædictum, & alios, cum Ministris; sustentibus brachia ejus, aut Calicem, & Planetam si necesse sit. Si autem Processio longior sit, poterunt repeti versus prædicti hymni excepto ultimo, qui semel tantum in fine dici debet.

VII. Cum pervenerint ad gradus Capellæ seu Presbyterii, laici, si qui sunt, genuflectunt circa cancellos cum facibus, Subdiac. autem cum Cruce, & Ceroferarii recedunt; ille Crucem suam deponit propè altare in aliquo loco congruo propè cornu Epistolæ, si fieri potest; Ceroferarii verò candelabra sua super credentiam collocant, & hinc inde manent genuflexi, ut ad Missam, moxque ipse Subdiaconus recedit in Sacristiam, ubi deponit paramenta sua, & habitu Choralis indutus redit ad altare, ubi candelam accensam tenens, manet genuflexus in ordine suo cum aliis Clericis, quasi in gyrum, aut semicirculum ante SS. Sacramentum genuflexis, ita ut seniores sint ante illud directè, & eidem proximiores. Si verò chorus sit

propè, & ante altare, tunc clerici accedunt ad illum, & genuflectunt in locis suis. Interea Baldachinum removetur per Acolythes vel alios, & ponitur in loco congruo ab altari remoto, vel defertur in Sacristiam.

VIII. Celebrans cum pervenerit ad altare, stans in secundo gradu, tradit Calicem Diacono genuflexo super suppedaneum altaris in cornu Epistolæ, quasi tenens vertentem, illumque aliquantulum tenet ante celebrantem, ut eum adoret, & statim collocat in medio corporalis, adhuc velo tectum, & genuflectit, quasi tenens vertens ad cornu Epistolæ ob reverentiam celebrantis, qui sublato velo ab humeris suis per Subdiaconom, & Cæremoniarium, genuflectit etiam cum Subdiacono, in secundo gradu, verumque prædictum ad credentiam reportatur per aliquem Acolythum, vel Cæremoniarium.

IX. Interim Thuriferarius primus expeditè, si opus sit, denuò imponit carbones in thuribulo, & quam citò potest, accedit ad altare facta genuflexione. Diaconus item, facta genuflexione, descendit ad dexteram celebrantis, qui thus imponit in thuribulo ejus ministerio de more, tum genuflexus iterum Sanctissimum Sacramentum ter incensat. Quo factò, alter Thuriferarius recedit cum thuribulo in Sacristiam, facta prius genuflexione altari, & postea redit ad altare, ubi etiam genuflexus manet in ordine suo tenens candelam accensam. Capellani verò deputati, qui supra, genuflectunt hinc inde cum facibus accensis, versa sibi facie, ita ut neminem impediunt cum facibus suis.

X. Facta incensatione, & reddito thuribulo Sacerdos ascendit cum Ministris ad altare, ubi iterum genuflectunt. Diaconus amovet parvum velum de Calice, quod per aliquem Acolythum portatur super credentiam, facta genuflexione, & similiter removet patenam, & pallam desuper, cum debitis genuflexionibus. Tum idem Diaconus accipit, & tenet patenam elevatam super Corporale coram celebrante, hic verò calicem accipiens, ex eo deponit Hostiam sacram super dictam patenam, quam tenet Diaconus,ambo advertentes, ut nullo modo Hostiam tangant, & eundem calicem reponit in loco solito.

XI. Tum Celebrans reverenter accipiens

Pate-

Patenam de manibus Diaconi ambabus etiam in anibus sine osculis, Hostiam ponit super corporale in medio ejus nihil dicens, & sine ullo signo crucis cum Patena, quam statim non subitus, ut alias, sed super corporale, ob reverentiam sacrarum specierum, collocat. Si verò forte ex inadvertentia sacram Hostiam tetigerit, digitos tunc ibidem, & non alibi, lavabit in prædicto vase præparato in loco suo, uno Acolytho ministrante aquam (quam postea ipse celebrans sumet post communionem suam) & Diacono purificatorum.

XII. Interim Subdiaconus stat à sinistris elegerantis, sed deposita Patena à celebrante super corporale, statim ipse accedit ad dexteram Diaconi, facta in accessu, & recessu genuflexione. Tum Diaconus imponit vinum in Calicem prædictum, (quem prius non extergit) quantum placuerit celebranti, & Subdiaconus aquam, ex ampullis, quas, ut in Missa solemnè, attulit unus ex Acolythis comite Cæremoniario, quam celebrans non benedicit, nec dicit Orationem consuetam scilicet, *Deus, qui humana, &c.*

XIII. Deinde Diaconus calicem tradit de more celebranti sine osculis, & hic illum reponit sine signo crucis in loco suo paulo post medium corporalis, illumque Diaconus sine genuflexione cooperit palla sua. Acolythus verò receptas ampullas reportat ad credentiam facta genuflexione, & Subdiaconus redit ad sinistram celebrantis, qui statim imponit, ut supra, thus in thuribulum, sine benedictione, & in silentio. & facta genuflexione ante, & post, incensat SS. Sacramentum, ut in Missali recognito dicitur *Oblata* more solito, & altare more solito, dicens, *In-ensum istud, &c. Dirigatur Domine &c.* genuflectens semper dum transit ante SS. Sacramentum, Ministris sacris tunc hinc inde stantibus, & planetam ejus hinc inde tantillum elevantibus.

XIV. Finita incensatione, celebrans in cornu Epistolæ reddit thuribulum Diacono dicens, *Accendat in nobis, &c.* sine osculis, & hic statim Thuriferario, quia nec Celebrans, nec alii ullo modo incensantur. Tum ipse Thuriferarius cum thuribulo facta genuflexione redit in Sacrificiam, ibique suum thuribulum, & naviculam relinquit, & inde redit ad credentiam, ubi cum aliis manet genuflexus.

XV. Celebrans autem reddito thuribulo descendit in planum extra gradus altaris in parte Epistolæ nihil dicens, & lavat manus facie ad populum versa. Cærem. Episc. l. 2. c. 26. ministrante Acolytho aquam, & Ministris sacris manutergium, ut in Missa Defunctorum.

XVI. Deinde redit ad Altare, Diaconus ad librum, & Subdiaconus ad medium altaris in plano, factis ab omnibus debitis genuflexionibus. Tunc celebrans, junctis manibus super altare de more, inclinatus submissa voce dicit, *In spiritu humilitatis*, quod dicto, & altari osculato, genuflectit, versusque populum in cornu Evangelii, ne minimum terga vertat Sacramento, dicit more solito *Orate fratres*, & per eandem viam, non perficiens circulum, redit ad medium genuflectens iterum: non respondetur *Suscipiat Dominus*, ut alias, sed omisiss omnibus aliis, celebrans cantat in cantu feriali, *Oremus, Præceptis, &c.* eo modo quo in Missa feriali, in cujus fine Chorus respondet de more *Sed libera nos à malo*.

XVII. Cum celebrans incipit *Pater noster*, Diaconus genuflectit, & descendit post ipsum, ubi stat ante Subdiaconum stantem in plano usque ad elevationem Hostiæ. Sacerdos verò, dicto sub silentio à seipso *Amen*, eadem voce, qua dixit *Pater noster*, absolutè sine *Oremus*, in tono ferialis Orationis dicit *Libera nos*, manibus extensis usque ad finem, non signans se cum Patena, ut alias, & in fine chorus alta voce respondet *Amen*,

XVIII. Oratione dicta, celebrans genuflectit devotè, atque erectus postea submittit Patenam Hostiæ, quam dextera tantum accipiens elevat, ita ut à populo videri possit, figens semper in eam oculos, & advertens ne limites corporalis tunc excedat, non tamen elevat Patenam cum ea, sed eam sinistra tenet super corporale. Ad elevationem non incensatur Sacramentum, nec tabula lignea pulsatur. Diaconus verò, & Subdiaconus genuflectunt in secundo gradu, non elevantes tamen Planetam celebrantis.

XIX. Elevata Hostia, Celebrans eadem manu dextera reponit eam super Patenam, & statim iterum genuflectit, surgit, sicut Ministri sacri cum eo, & Diaconus accedit

dit ad dexteram, & Subdiaconus ad sinistram celebrantis, ille discooperit calicem sine genuflexione, quia in eo non est SS. Sacramentum, tum celebrans sacram Hostiam in tres partes dividit, more solito, quarum minimam ponit in calice, nihil dicens, & sine benedictione, ex Decreto Sacr. Congr. Rit. 28. August. 1627. Deinde Diaconus tegit calicem, & tunc postea genuflectunt, sicut & Subdiaconus.

XX. Tum Celebrans sine *Agnus Dei*, & omisis duabus Orationibus ante Communionem, manibus junctis super altare dicit tantum tertiam, scilicet *Perceptio Corporis, &c.* Interim Diaconus, & Subdiaconus mutant loca sua, quia ille accedit ad librum, ille ad sinistram celebrantis, genuflectentes in accessu, & recessu; ita ut locum altiore Subdiaconus cedat Diacono.

XXI. Celebrans dicta oratione *Perceptio* genuflectit, & surgens dicit reverenter *Panem Caelestem, &c.* accipit Hostiam cum Patena, & dicit ter de more inclinatus cum Ministris, *Domine non sum dignus*, ter percutiens sibi pectus.

XXII. Quo dicto erectus signat se cum SS. Sacramento, dicens *Corpus Domini, &c.* illudque de more accipit reverenter, cubitis super altare positus, Ministris interim ut alias profundè inclinatis, qui postea erigunt se dum celebrans quiescit in meditatione SS. Sacramenti.

XXIII. Mox omisis aliis, quæ dici solent in sumptione Sanguinis, Subdiaconus detegit calicem, & debita facta ab omnibus genuflexione, Celebrans accipit calicem, & particulam Hostiæ cum vino accipit, nihil dicens, neque se signans, ex eodem Decreto supra dicto, ministris iterum profundè inclinatis. Tum Subdiaconus, ex Gavanti. ministrat ampullas de more ab Acolytha delatas, & facta tantum ablutione (non purificatione) digitorum cum vino, & aqua in Calice, (posita etiam aqua, cum qua celebrans fortè lavit manus antea, si tetigit Hostiam initio) sumptaque (digitis prius exterfis) eadem ablutione in medio altaris, ac ore exterso, ut alias, inclinatus, & manibus junctis ante pectus, & non super altare, ex Cær. Cler. Reg. Sancti Pauli l. 2. c. 8. dicit, *Quod ore sumpsimus, &c.*

XXIV. Tunc, & non prius omnes cerei

à Clericis delati, faces, & intortitia extinguuntur, sicut & cerei Ceroferariorum, & Clerici facta genuflexione redeunt in Chorum.

XXV. Celebrans dicto *Quod ore, &c.* non dicit *Corpus tuum Domine*, nec Postcommunionem, nec Orationes, nec *Placeat tibi, &c.* nec dat Benedictionem, sed statim Diaconus claudit librum in parte Evangelii, Subdiaconus plicat Corporale, quod reponit in bursam, & Calicem, quem cooperit velo, reportat de more ad credentiam, facta Cruci genuflexione, & redit ad altare, facta etiam genuflexione ibidem.

XXVI. His expletis Celebrans cum Ministris descendit in planum, ubi facta genuflexione ab omnibus, accipit biretum sine osculis, sibi porrectum à Diacono, & cum eodem in Sacrificiam eodem ordine sine candelabris redit, ibique facta imagini, aut Cruci profunda reverentia, deponunt paramenta, & cum cortis tantum assistunt ad Vesperas in choro, quæ dicuntur sine cantu cum duabus candelis, ad quas celebrans, & omnes alii genuflectunt dum dicitur versus *Christus factus est*, & dicto Psalmo *Misere mei Deus*, Celebrans subdit Orationem *Respice quæsumus*, quibus dictis, extinguuntur candelæ. Acolythy interim denudant altaria, & credentiam, & omnia paramenta in Sacrificiam cum genuflexionibus Cruci debitis deferunt.

XXVII. Dum dicuntur Vesperæ, vel statim postea, si pauci sint Clerici in choro aliquis Sacerdos cotta, vel Alba, & Stola nigra, non alba, & velo paratus, cum Ceroferariis, & aliis Clericis candelas, vel faces accensas gestantibus, reportat Pyxidem cum particulis consecratis ex Sacello in quo antea erat, ad Sacrificiam, vel alium locum paratum cum luminibus, non verò ad majus altare, ne in Matutinis sequentibus, & Officio Sabbati Sancti sint alia luminaria præter præscripta ut supra; & relinquunt in suo loco ubi est antea, si non potest alius locus parari.

XXVIII. Per totum diem remaneat Crux super altare, & aliæ Cruces detegantur, si non potuit fieri ad adorationem Crucis, si quæ sint per Ecclesiam velatæ, & earum una, vel ea, quæ est super altare, si sola sit, reportetur in aliquem locum commodum, ubi eam

populus adoret, si manè in Officio non potuerit, eique supponentur ea, quæ prius ad adorationem solemnem parata erant, videlicet tapetum, cussinum, & velum, convenit verò eam portari ab aliquo Sacerdote post Vesperas cum cotta, & stola, & reverenter. Certè non potest probari usus eorum qui facta adoratione Crucis in officio à Magistratibus portant ipsam Crucem ad alium locum, ut ibi dum sit Officium eam proponant adorandam, decentius enim est, ut populus assistat Officio.

XXIX. Completorium dicitur, ut die præcedenti, sine lumine, & Matutinæ et Vesperarum hora consueta.

XXX. Quæ hac nocte deferunt in Processione SS. Sacramentum, agunt contra Decreta Sac. Congreg. Cardinalium super negotiis Episcoporum 21. Mar. 1596. Idque alienum est prorsus à ritu S. Romanæ Ecclesiæ, quæ his diebus abscondit SS. Sacramentum, atque idèd transtulit Processionem, & festum Corporis Christi in aliud tempus.

XXXI. In Ecclesiis ubi non sunt tot cantores, quot assignavimus pro cantanda Passione, Diaconus solus eam cantat hoc modo. Dum cantatur Tractus post secundam Lectionem, portatur Legile nudum per aliquem Acolythum ad locum Evangelii, & circa finem illius, Diaconus cum Cæremoniario, aut alio Ministro, indutus stola latiori præter suam communem nigram, cum manipulo, librum Evangeliorum, vel codicem, ubi sit Passio notata, de Credentia illi porrectum, facta genuflexione Cruci, defert ad legile, ibique cantat Passionem, usque ad eam partem, quæ habetur pro Evangelio exclusivè, & genuflectit in morte Christi quando opus est.

XXXII. Finita verò Passione aufertur legile per Ministrum aliquem, & Diaconus defert prædictum librum, vel codicem clausum, ad altare ante pectus de more, facta prius genuflexione in infimo gradu, eoque ibi deposito, genuflexus in supremo gradu, dicit tantum *Munda cor meum, &c.* & non *Jube Domne*, neque petit benedictionem, eoque dicto procedunt ad locum Evangelii præcedente Cæremoniario, ut supra, manibus junctis sine candelabris. Thuriferarius verò non procedit, quia non adhibetur incensum.

XXXIII. Cum pervenerint ad locum designatum, Diaconus absolute, ut supra, cantat reliquum Passionis in tono Evangelii, manibus junctis, Subdiacono tenente librum medio inter duos Ceroferarios manibus junctis. Dum verò celebrans legit Passionem, Subdiaconus stat à dextris illius manibus junctis, & vertens folia quando opus est.

XXXIV. Quod si celebrans non habeat Ministros, Passionem quidem cantabit aliquis Diaconus in habitu Diaconali, ut supra in Dominica præcedenti; partem verò, quam cantaret Diaconus si adesset, ipse celebrans cantabit, ut in aliis Missis, quæ sine ministris dicuntur, sed in cornu Epistolæ dicens prius *Munda cor meum, &c.* tantum.

XXXV. Si detur Presbyter assistens celebranti, quod tamen raro fieri debet, nisi sit consuetudo; aptat Missale cum suo cussino initio Officii in cornu Epistolæ, explicata prius tobalea supradicta super altare, per Acolythos, & stat propè librum, indicans ei, quæ dicenda sunt, illumque sustinet ante celebrantem, si fieri potest, dum ipse cooperit Crucem, genuflectens tamen cum aliis. Deinde reposito libro super cussino, vadit in chorum, indeque procedit in ordine suo cum aliis ad adorandam Crucem, deposito prius Pluviali suo, si utatur, in Sacristia, vel in loco congruo; adorata verò Crucem redit in Chorum, & cum eo procedit ad processionem: qua finita, & extincto suo cereo, assistit iterum ad librum, quem amovet cum cussino dum celebrans incensat altare. Tempore elevationis Hostiæ genuflectit, & alias quoties celebrans genuflectit dum est ad altare, non tamen quando celebrans genuflectit dicturus *Orate fratres*, statque regulariter ad librum quem claudit, dicto à celebrante, *Quod ore sumpsimus*, & postea discedit cum celebrante, & ministris in Sacristiam, ac redit tandem in chorum pro Vesperis.

XXXVI. Diaconus eo casu numquam assistit ad librum post processionem, sed stat ad dexteram celebrantis detegens, aut tegens Calicem quando opus est. Subdiaconus verò stat post celebrantem. In reliquis sunt omnia alia, ut supra.

## ARTICULUS V.

De eadem Feria 6. in Parasceve in minoribus Ecclesiis.

I. **I**N Ecclesiis minoribus ubi sunt pauci Clerici, vel unicus fortè Sacerdos, hæc infra posita possunt observari. Crux paratur velo tecta, ut supra, cum sex candelabris, si fieri potest; credentia paratur etiam, sed parcius, super quam ponitur bursa cum corporali, & Purificatorio, Missale nigrum cum cussino ejusdem coloris, & alterum pro Acolycho, qui fortè cantaturus est duas Lectiones cum cotta, ampullæ cum vino, & aqua, & vas ad abluendas manus celebrantis, si fortè Sanctissimum Sacramentum tangat, ut supra, & mappula ad extergendas manus ejus, & tobalea pro altari. Candelabra duo pro Ceroferariis in Sacrificia, si fieri potest.

II. Paratur etiam ignis, Thuribulum & navicula, Crux Processionalis, velum album imponendum humeris Celebrantis ad Processionem, Baldachinum, Tapes, cussinus alter, & velum album, ut supra, supponendum Cruci. Cussinus alius violaceus supponendus initio Officii capiti celebrantis, lanx ad colligendas oblationes populi, & faces, & alia necessaria, quæ supra respectivè.

III. Hora competenti celebrans Planetam paratus nigra procedit tecto capite ad altare majus, junctis manibus, cum uno, aut duobus, aut etiam tribus Acolythis, si fieri potest. Ibi procumbit, & orat, donec per dictos Acolythos, aut unum ex illis, aptata sit tobalea super altare: surgit ad monitionem Cæremoniarii, aut alterius Ministri, osculatur altare, dicit Lectiones, & Orationes, ad quas genuflectit quando ipsemet dicit *Plenius genua*, cui Acolythus subdit *Levate* surgendo. Legit etiam Tractus, cantat Passionem integrè, nisi fortè aliquis Diaconus eam decantet, ut supra, in cornu Epistolæ, sicut etiam postea monitiones manibus junctis, & Orationes extensis.

IV. Circa finem Orationum, vel eo tempore quo Celebrans deponit Planetam, aliquis Acolythus explicat tapetem, aptat de super Cussinum, & deinde extendit velum ubi Crux est adoranda, ut supra.

V. Finitis Orationibus, deponit Plane-

tam in cornu Epistolæ, ipsemet capit reverenter Crucem, & profequitur omnia, ut supra, cantans, vel legens integrè *Eccelignum Crucis*, ter ex libro ab aliquo Acolycho sustentato, si non sint in choro, qui respondeant, elevans vocem altius secundo, & tertio, & interim populus devotè fiat, & devotè genuflectit ad verba superius notata.

VI. Postea portat Crucem ad locum paratum, & rediens ad cornu Epistolæ per planum, ibi deponit calceamenta, & procedit ad adorationem Crucis, qua adorata relinquit calceamenta, & Planetam. Tum recitat alta, & clara voce *Impropria* dum sit adoratio à Clericis, si adsint, & populo, interim in choro ab aliquibus decantentur, sicut & hymni, & alia hujusmodi.

VII. Circa finem adorationis Crucis, ipse sibi aptat solum in cornu Evangelii, explicat corporale, & purificatorio, delata in bursa ab aliquo Acolycho, seu Ministro, nisi sit alius, qui id præstet; finitaque adoratione, ipse reportat Crucem reverenter ad altare cum debitis genuflexionibus. Cerei accenduntur, Thuribulum paratur, velum oblongum, Baldachinum album, & alia.

VIII. Tum Celebrans ordinat Processionem per viam brevioram ad locum SS. Sacramenti, aliquo Acolycho portante Crucem cum Ceroferariis, si fieri possit, & Thuriferario; ibi genuflectit, orat, surgit, aperit capsulam, genuflectit, imponit thus, stans in Thuribulum, genuflectit SS. Sacramentum incensat, imponit sibi velum, si non sit alius, qui id præstet, accipit calicem cum suo velo parvo, genuflectens prius, quem velo oblongo cooperit, incipit, & profequitur Hymnum *Vexilla Regis prodeunt*, & sic sub Baldachino procedit, si fieri potest, ad altare, ut heri. Si via Processionis sit longior, repetit eundem Hymnum, vel recitat Hymnos *Pange lingua gloriosi latream certaminis*, & *Lustra sex qui jam peracta*.

IX. Cum ad altare pervenerit, deponit calicem super corporale, ut supra, genuflectit, surgit, deponit velum oblongum, stans ponit thus in Thuribulo, genuflectit ter SS. Sacramentum incensat adhuc velo parvo tectum, surgit, deponit illud super Patenam, & eandem super corporale, deposito prius super idem SS. Sacramento prædicto, cavens ne digitis illud tangat, & si fortè tetigerit, lavat

lavat manus in cornu Epistolæ, ut supra, & omnia respectivè prosequitur, ut in Missali.

X. Ministrabunt, si fieri potest, aliqui Sodales alicujus piæ Confraternitatis in habitu suo, ut omnia modo convenientiori fieri valeant.

XI. Finito Officio celebrans reportat ad locum paratum Hostias in Pyxide pro infirmis, è loco ubi erat prius calix, vel si aliter fieri non possit, ibidem remaneant.

XII. Denique aliquis Acolythus denudabit Altare majus, & Cruces, si adhuc vestige sunt. Sunt alia minutiora, & leviora, quæ fortè latius explicanda videntur, sed libenter omittimus, cum ex supradictis facile intelligere, quid in his sit agendum.

## CAPUT XI.

De Sabbato Sancto.

## ARTICULUS I.

De preparandis hac die.

I. Sabbatum Sanctum sic dicitur, quia Sanctus Sanctorum hac die requievit in Sepulchro. Summo manè mundatur Ecclesia, & pulchrè ornatur, operiuntur altaria albis paramentis pretiosioribus. Tabernaculum detegitur, & paratur albo tegumento, ita tamen, ut pars anterior non pateat usque ad finem Litaniarum, vel, si fieri potest, velo tegatur violaceo, removendo circa finem earum. Item Baldachinum, seu umbraculum, quod super altare majus est appensum, removetur, & illud festivum album apponitur.

II. Item ponatur pallium album ante altare, sed super illud aliud violaceum exemptile quibusdam aciculis firmatum, facile tamen amovendum, ut album appareat statim post finem Litaniarum, quo tempore gradus etiam altaris, qui erant nudi, tegi debent festivis tapetibus, si fieri potest, antequam inchoetur Missa. Sex cerei albi poni debent super altare accendendi tantum ad Missam solemnem cum sex candelabris pretiosis.

III. Lampades extinctæ ante altare ita

apantur, ut facile suo tempore possint accendi, ut infra. Imagines omnes tectæ adhuc remaneant usque ad finem dictarum Litaniarum, exceptis Crucibus, quæ heri detectæ sunt.

IV. Apponatur ad cornu Epistolæ in plano scammum oblongum nudum, super quod celebrans sedeat cum suis Ministris ad Lectiones, seu Prophetias, sed paulò ante Missam debet vestiri aliquo panno honesto pro Missa solemni.

V. Super credentiam paratam ponitur Calix paratus, tectus parvo suo velo pretioso albo, & bursa, similiter duo cussini, unus violaceus, alter albus, duo item Missalia iisdem tectæ coloribus, ampullæ vini, & aquæ cum manutergio, vel etiam buccale cum bacili, ut supra, velum album oblongum pro Subdiaconò, & campanulæ pulsanæ ad Hymnum Angelicum, si necesse sit. In ea etiam ponantur aliquæ candellulæ cereæ, quæ infra serviant Acolythis ad accendendas lampades per Ecclesiam. Hæc autem omnia, quæ sunt super credentiam, possunt cooperiri ante Officium, & usque ad Missam aliquo velo violaceo, vel tantum possunt ibidem apponi paulò ante Missam dum dicuntur Litanie, si commodè, & tempestivè id fieri possit.

VI. Ad latus Evangelii in plano prope locum, ubi regulariter cantatur Evangelium, paratur Candelabrum magnum pulchrè elaboratum, & eminens, seu etiam in modum Angeli, quod mysterio videtur congruum hodierno, pro Cereo Paschali, ut infra, ita tamen, ut non sit impedimento prospectui, & aditui ad altare, nec etiam impediatur tempore Paschali Diaconum ad Evangelium, & Ministros alios. Cereus verò super illud apponendus debet esse cereæ albe, si possit fieri, & ita in summitate ejus dispositus, ut facile suo tempore possit accendi. In eo fiant quinque foramina in modum Crucis adhibito ferro calido, si opus sit, pro infigendis in eo quinque granis incensæ, sintque versa ad celebrantem, quando erit ad altare, sitque ponderis octo, aut decem librarum pro qualitate loci. In eo etiam possunt depingi Sancti Titularis, aut Patroni insignia, & alia secundum morem locorum.

VII. Item prope idem candelabrum in plano



plano paratur pes marmoreus, vel ligneus, ad arundinem sustinendam post benedictionem Cerei Paschalis.

VIII. Item ante Cereum Paschalem, quasi tamen ad ejus dexteram, paratur legile velo albo pulchro ornatum, & super illud, vel super credentiam Missale clausum velo etiam albo tectum, pro legendo Præconio.

IX. In alio etiam loco, propè altare, parantur tres cuffini coriacei, vel violacei, supponendi capitibus Celebrantis, & Ministrorum ad Litanias.

X. In choro ante altare, & in suprema parte illius, paratur aliud legile nudum pro legendis Profetiis, nisi fortè apponatur illud prædictum, quod antea Præconio inserviebat, modò deponatur priùs album integumentum illius. Si verò altare multum à choro distet, illud legile apponi debet ante medium altaris in plano.

XI. In Sacristia parantur paramenta violacea pro Officio ante Missam, scilicet pluviale, Planeta pro celebrante, duæ plicatae pro Ministris sacris, si iis utantur, duæ stolæ cum tribus manipulis etiam violaceis. Pro Missa verò solemnè, Planeta, Dalmatica, & Tunicella, duæ stolæ, & tres manipuli albi coloris, Crux Processionalis detecta cum suo velo oblongo violaceo, si sit consuetudo. Item Pluvialia alba pro Choriistis si sit consuetudo pro Missa solemnè.

XII. Item ibidem paratur arundo floribus, & auro undique ornata, modò tamen plus arundinis appareat, altitudinis circiter decem palmorum, in cujus summitate tres affigantur candelæ, quæ unum quid esse debent, & deinde distingui in tres candelas ad modum trianguli, ad denotandum mysterium SS. Trinitatis, & Unitatis, Gav. p. 4. tit. 10. n. 5. Unde non placet usus eorum, qui in summitate illius arundinis apponunt tria veluti cornu copiarum. Candelæ verò illæ tres sint ceræ albæ ponderis quatuor, aut quinque unciarum, singulæ inter se in earum calce, aut sine contortæ, ut apparet in figura, quæ in Cær. Ep. l. 2. c. 27. videtur.

XIII. Item in eadem Sacristia paratur Thuribulum cum Navicula, vas aquæ benedictæ cum asperforio, pelvis argentea, vel ex pulchra alia materia, in qua sint quinque grana incensu novi, quod mas-

culum vocat Paris Crassus l. 2. c. 48. pulchrè elaborata in modum nucis pineæ, ferreisque clavis suffulta, & in extremitate inaurata, modò tamen plus thuris appareat, quàm alterius rei.

XIV. Item extra Ecclesiam, vel in atrio, aut aditu ipsius, vel etiam in claustrò apud Regulares, si aliter fieri non possit, loco congruo, paratur mensa aliqua in modum altaris cum una sola mappa munda, sine Cruce, & candelabris, super quam ponatur Dalmatica, & stola, & manipulus albi coloris, quasi in cornu Evangelii, & præterea manipulus violaceus pro Subdiacono ut infra.

XV. Item ibidem scamnum seu scabelum, quod sit à dextris celebrantis, seu mensula mappa tecta, cui superponatur vas apertum, in quo accendantur carbones pro novo igne benedicendo; item sicca ligna intus faciliè accendenda, aut carbones extincti, aut ligna sulphurata, forcipes ferrei, laterna ad includendam candelam de novo igne ne vento extinguatur, instrumenta omnia necessaria ad excutiendum novum ignem è filice, vel crystallo extra Ecclesiam, ac insuper aliquæ candelæ simul nexæ in modum intortitii suo tempore accendendæ. In quibusdam tamen Ecclesiis paratur tantum pulpitem loco supradictæ mensæ, & Dalmatica Diaconi in aliquo loco congruo ponitur, sed mensa dicta videtur commodior.

XVI. Si Ecclesia habeat fontes, locus eorum debet parari decentissimè cum floribus, velis, & cortinis, & tapetibus, & aliis hujusmodi ornamentis albis, si fieri potest, Præcipuè enim recolitur memoria hac die Sacrosancti Sacramenti Baptismatis. Propè eosdem fontes paratur credentia, sive aliqua mensa mappa munda tecta, supra quam poni debet una, aut altera mappula plicata ad extergendas manus Celebrantis, cum aquam tetigerit, vas amplum, & vacuum implendum aqua postquam fuerit benedicta ante infusionem oleorum, reservanda pro sequenti die, & pro domibus fidelium. Item aliud vas consuetum cum asperforio, & stola violacea pro Sacerdote, vel plures stolæ si concursus sit populi, pro faciendâ aspersione ejusdem populi, ut infra. Item ampullæ Sancti Chrisimatis, & Olei Sancti ad ea infundenda in aquam benedictam, si

jam habeantur ex Ecclesia Cathedrali.

XVII. Hæc tamen prædicta possunt parari paulò ante benedictionem fontium, si liceat per tempus, quia fortè non satis essent tuta à furibus, si ita exposita remanerent, nisi fortè claudatur locus fontium.

XVIII. Porrò per octo dies ante hoc Sabbatum in Ecclesia nullus infans, nisi imminet periculum, baptizari debet. Cær. Ep. A. 2. c. 27. Si ergo sint aliqui baptizandi, parentur vestes albæ, candelæ, olea sacra, & alia hujusmodi ad baptismum necessaria, ut in Rituali Romano, & præterea parantur vestes albæ, scilicet, Pluviale, & stola, ut Celebrans iis paratus, actu baptizet Cæ. humenos.

XIX. Exponatur in Ecclesia, vel Sacristia tabella, in qua describantur eorum nomina, qui hac die ministrare debent, legere Prophetias, aspergere populum, catechizare baptizandos, providere necessariis, ita ut omnia fiant suo tempore sine tumultu, cunctatione, & mora, & alia hujusmodi.

XX. Locus ubi facienda est ignis benedictio, sit floribus ornatus, aut foliis virentibus, si fieri possit, sicut etiam via, qua procedendum est de illo loco ad altare, vel de porta Ecclesiæ ad illud, quia non carent hæc mysterio.

## ARTICULUS II.

*De Processione ad locum novi Ignis, & benedictione ejusdem, usque ad Præconium.*

I. **M**anè dicuntur horæ diurnæ usque ad Nonam exclusivè post pulsam tabulæ lignæ sine lumine, in directum, servatis servandis.

II. Prædictis autem omnibus decenter ornatis, & paratis, hora competenti datur signum cum tabula inchoandi Officium secundum morem locorum, habita tamen ratione Ecclesiæ Cathedralis, aut Matricis, ita ut prædicta Ecclesia prius incipiat, ut certè convenit, suum Officium. Dum dicitur Nona, antiquus ignis, qui est intra Ecclesiam extinguitur omnino, & per aliquem Acolythum, aut Sacristam, novus ignis excutitur extra Ecclesiam, de silice, vel crystallo, de quo statim carbones accenduntur in præ-

dicto vase super dictam mensam posito, & per eundem, aut alium asportatur prædicta arundo parata cum tribus suis candelis in ejus summitate positis ad eundem locum ubi turo firmatur: item Dalmatica, stola, & manipulus albi coloris pro Diacono, & similiter manipulus violaceus pro Subdiacono, ponunturque supra mensam, ut supra, nisi prius asportata fuerint ante Officium. Item deserunt ibidem Missale violaceum sicut & quinque grana incensi in pellicula prædicta.

III. Interim Celebrans parat se in Sacristia Amictu, Alba, Stola, & Pluviali violaceis, si eo utatur, alioqui sine eo. Diaconus etiam stola, & Planeta plicata, si ea etiam utitur, alioqui cum stola tantum Diaconali: & Subdiaconus etiam Planeta respectivè ejusdem coloris, alioquin cum sola Alba. Sic parati, & finita Nona, procedunt cum Clero extra Ecclesiam ad benedicendum novum ignem, vel ad aditum illius, ut supra, hoc ordine.

IV. Præcedunt tres Acolythi, scilicet primus, & solus cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio, tum Thuriferarius cum navicula, & Thuribulo omninò vacuo, habens à sinistris aliud vacuum, sed qui postea deferet quinque grana thuris. Si Missale violaceum, & manipulus Subdiaconi delata non fuerint, deferuntur per alium, qui sit quartus, & procedat à sinistris Ministri de vase, sed præstat, ut antea delata fuerint, ut supra. Sequitur Subdiaconus solus paratus cum Cruce, tum clerus per ordinem in silentio, denique celebrans cum Diacono à sinistris, manibus junctis, omnes nudo capite excepto celebrante, & facta Cruci altaris genuflexione, exceptis Celebrante, & Subdiacono de Cruce, si transeunt ante Altare majus.

V. Si propter aeris inclementiam extra Ecclesiam ire non liceat, procedent ad locum destinatum; ita tamen, ut inchoetur Processio postea à porta Ecclesiæ post benedictionem ignis.

VI. Cùm pervenerint ad locum designatum, si extra Ecclesiam, Subdiaconus statim ad portam Ecclesiæ renes ei vertens, faciem verò suam, & imaginem crucifixi celebrantis, Clerus hinc inde, juniores Cruci, seniores celebranti viciniore, qui in medio eorum stat

ante mensam, vel pulpitem prædictum ad  
ejus dexteram, paulò tamen post eum, stat  
Diaconus, & Acolythi, qui supra, vide-  
licet ille, qui de grana incensi, qui ea sum-  
psit statim, ac ibidem pervenit, cum pelvi-  
cula; alter de Thuribulo, & ille de aqua be-  
nedicta ordine suo. Tum benedicit novum  
ignem in prædicto vase paratum ex libro su-  
per mensam, vel pulpitem posito, vel fortè  
quem Acolythus aliquis tenet, si aliter fieri  
non potest, ante eum, & absolutè incipit  
prout in Missali in directum, & non in  
cantu, manibus junctis, & nudo capite,  
& dum format signum crucis, Diaconus ad  
ejus dexteram simbriam pluvialis elevat.

VII. Igne novo benedicto, accedit sta-  
tim Acolythus tenens quinque grana incensi  
in pelvi elevata ad pectus ante celebrantem  
versus ejus dexteram, qui absolutè sine *Ore-  
mus*, incipit benedictionem eorumdem,  
servatis à Diacono, quæ supra.

VIII. Interim Thuriferarius cum forcipi-  
bus carbones benedictos ponit in Thuribu-  
lo; finitaque Oratione, accedit cum thuri-  
bulo, & navicula propè celebrantem, qui  
imponit, & benedicit thus in thuribulo mo-  
re solito, ministrante Diacono naviculam  
cum osculis, alius etiam Acolythus de aqua  
benedicta accedit ad Diaconum, cui porri-  
git asperforium, post factam benedictionem  
thuris, & hic celebranti, qui ter aspergit  
grana incensi, & postea ter novum ignem,  
in medio, à dextris, & sinistris eorum, di-  
cens Antiphonam *Asperges me*, sine cantu,  
& recepto asperforio cum debitis osculis,  
redditoque ministro, accipit etiam Thuri-  
bulum de manu Diaconi more solito, & ter  
incensat prædicta eo modo quo aspergit.  
Deinde per Sacristam, aut alium, accen-  
duntur prædictæ candelæ simul nexæ de no-  
vo igne, & si opus sit, in laterna recludun-  
tur, ne à vento extinguantur, & per aliquem  
reportatur vas cum igne in Sacristiam.

IX. Finita incensatione ignis, Diaconus  
adjuvante aliquo Acolytho non occupato,  
depositis super mensam prædictam omnibus  
paramentis violaceis, induitur manipulo,  
stola, & Dalmatica albi coloris, nihil di-  
cens. Subdiaconus item capit manipulum  
violaceum aliquo alio tunc tenente Crucem,  
vel ministrante illi ipsum manipulum, ex  
GAV. p. 4. tit. 10. docente nu. 5. ipsius tituli

litera D Subdiaconum non debere habere  
manipulum, & postea lit. P, eundem de-  
bere deterre hic manipulum ex Cær. Ep. l. 2.  
c. 27. ergo hoc loco debet accipere manipu-  
lum, cum non sit commodior hora illum  
accipiendi.

X. Deinde iterum Celebrans imponit, &  
benedicit thus in Thuribulo pro Processione  
facienda, ex Cær. Ep. l. 2. c. 27. de more. Tum  
Diaconus sic paratus, & reddita navicula  
thuriferario, accipit dextra Arundinem.

XI. Deinde ordinatur Processio hoc mo-  
do. Præcedit thuriferarius cum Acolytho  
habente quinque grana incensi prædicta in  
vase à dextris suis; sequitur Subdiaconus cum  
Cruce, tum Cæremoniarius, quem sequitur  
Clerus, deinde Diaconus cum Arundine  
habens aliquem Clericum à sinistris, non  
verò Cæremoniarius, cum candela accen-  
sa de novo igne etiam intra laternam; ulti-  
mò celebrans manibus junctis, & recto ca-  
pite: Interim asportantur per aliquos mini-  
stros reliqua de mensa prædicta, scilicet,  
Missale cum cussino, vas aquæ benedictæ,  
forcipes, & alia, simulque paramenta vio-  
lacea Diacono in Sacristiam, ut finito Præ-  
conio possit ea statim resumere.

XII. Cum Diaconus fuerit ingressus Ec-  
clesiam, & post eum Celebrans, sistunt  
se omnes, Diaconus inclinat arundinem,  
& Minister deferens candelam accensam  
de novo igne, accendit unam ex tribus,  
quæ in cuspe ipsius arundinis positæ  
sunt, & mox Diaconus genuflectit, &  
omnes alii cum eo, excepto solo Subdiacono  
cum Cruce, & eandem arundinem ele-  
vans solus voce gravi cantat *Lumen Christi*,  
& Clerus adhuc genuflexus, respondet eo-  
dem tono *Deo gratias*: mox surgens procedit  
eodem modo ad medium Ecclesiæ, ibi-  
que per eundem Acolythum accenditur alia  
candela, ac Diaconus iterum genuflexus,  
ut supra, & omnes alii cum eo, adhuc alti-  
us elevat eandem arundinem, & altius  
cantat, *Lumen Christi*, & chorus eodem  
tono respondet *Deo gratias*. Tertio procedit  
ante altare stantibus Clericis hinc inde, &  
etiam post eum celebrante, ibique accendi-  
tur ultima candela, & Diaconus rursus ge-  
nuflexus altius elevat arundinem, & altius  
cantat *Lumen Christi*, & chorus eodem tono  
respondet *Deo gratias*.

XIII. Ad altare dicto à choro *Deo gratias*, Subdiaconus, & alii Ministri secedunt versus latus Evangelii in plano, ne Diaconum in functionibus suis impediunt; & hoc casu stat ipse Subdiaconus medius inter Acolythum ferentem quinque grana incensi à dextris, & Thuriferarium à sinistris; & Acolythus de candela stat à sinistris.

XIV. Clerici his completis recedunt in chorum facta prius genuflexione, nisi chorus sit juxta altare, & propè illud, quia eo casu intrantes in chorum non inde descendunt, sed unusquisque petit locum suum, & non accedunt ad altare. Celebrans verò ascendit ad altare, & eo osculato de more accedit ad cornu Epistolæ.

## ARTICULUS III.

De Praconio, & Prophetiis.

I. **D**um Celebrans accedit ad cornu Epistolæ, Diaconus dat arundinem ei, qui candelam detulit, quam propterea deponit, sicut & laternam, quam dat alicui ministro ad id destinato, & accipiens de manu Cæremoniarum, aut alterius librum albo velo tectum, ascendit ad supremum gradum altaris, & genuflexus ibidem, absolute, (non ministrans incensum, quia sufficit illa prædicta benedictio ante processionem, in ordine ad *Lumen Christi*, & cereum) non præmittens *Munda cor meum*, conversus ad celebrantem stantem in cornu Epistolæ versus ipsum Diaconum, petit ab eo benedictionem, aliis ministris stantibus; qua accepta, & osculata ejus manu surgit, descendit in planum, ibique genuflectit, & omnes alii cum eo, excepto Subdiacono, & ministro Arundinem ferente: tum procedit ad pulpitem paratum hoc ordine.

II. Præcedit Cæremoniarum, sequitur Thuriferarius cum Thuribulo, & navicula, & à dextris ejus Acolythus cum quinque granis incensi, ex Gav. tum Subdiaconus cum Cruce, & à sinistris ejus Acolythus cum arundine; ultimò Diaconus solus cum libro ante pectus.

III. Cum pervenerint ad Legile, Diaconus ponit super illud Missale, quod statim aperit, ibique omnes hoc ordine se collocant. Subdiaconus stat à dextris Diaconi,

*Man. Sacr. Cærem.*

vertens faciem Crucifixi, quæ est in Cruce, ad Celebrantem, Cær. Ep. l. 2. c. 27. & à dextris Subdiaconi Thuriferarius; à sinistris Diaconi Acolythus cum arundine, & ad ejus sinistram Acolythus tenens quinque grana incensi, omnes vertentes faciem, prout Diaconus, versus librum, & formantes rectam lineam cum eo, ita tamen ut latera dextera, non verò terga vertant altari, & renes vertant ad meridiem, faciem verò ad aquilonem.

IV. His ita dispositis, Cæremoniarum, vel potius Thuriferarius, de more tradit thuribulum Diacono, qui de more librum ter incensat, ut ad Evangelium, quo incensato, reddit thuribulum ministro, qui statim ad locum suum redit à dextris Subdiaconi. Tum Diaconus non signans librum, nec seipsum, alta, sonora, & devota voce, & manibus junctis incipit absolute in cantu Praconium *Exulter*, &c. & omnes statim surgunt, & stant, detecto capite; Celebrans verò statim se convertit ad Diaconum habentem post se Cæremoniarum, ut ad Evangelium.

V. Cum dixerit verba illa *Curvat imperia*, omnes qui in choro sunt, sedent, ita Paris Crassus l. 2. non verò Celebrans: & Diaconus à cantu cessans vadit (genuflectens altari si ante illud transit) ad cereum cum Acolytho de granis incensi, & Cæremoniarum, & illa infigit cereo in modum crucis, ita ut primum granum in suprema parte, secundum in media, tertium in infima, quartum in dextera, & quintum in sinistra parte ipsius infigat: Cæremoniarum autem, vel alius potest amovere cereum de candelabro, ut facilius hæc fiant à Diacono, si opus sit.

VI. Tum Diaconus cum cæremoniarum redit ad librum, & surgentibus omnibus prosequitur *In hujus igitur*, &c. usque ad hæc verba *Rutilans ignis accendit*, inclusive.

VII. Dum autem Diaconus prædicta cantat, Acolythus de granis incensi deponit bacile super credentiam cum debitis altari reverentiis, capit candelam ceream ex ea, cum qua redit ad librum in suo loco, ut cum opus erit lampades accendat, genuflectens in medio altaris, & se inclinans Celebranti.

VIII. Dicto ergo à Diacono *Rutilans ignis accendit*, omnes iterum sedent, ut supra, non tamen Celebrans, & ipse Diaconus cum Acolytho deferente arundinem ambabus

R mani-

manibus, ducesemper Cæremoniario, accedit iterum ad cereum, ubi, accepta arundine, prædictum cereum accendit cum una ex tribus candelis in ipsa arundine positis, Cæremoniario, aut alio, ut supra, si opus sit, amovente cereum de candelabro. Tum redeunt ad sua loca, ut supra, ubi Diaconus profequitur *Qui licet sit divisus, &c.* usque ad ea verba *apis mater eduxit* inclusivè, & tunc aliquantulum cessans à cantu, Acolythus qui supra, cum parva candela, sumpto semper lumine de cereo, vel de candelis arundinis, accendit proximas lampades tantum, Sacrista verò alias remotas ex eodem cereo, & tunc Diaconus profequitur reliqua.

IX. In fine Benedictionis semper nominatur Papa vivens cum inclinatione capitis; sede tamen Romana vacante, non nominatur, neque Episcopus sede etiam Episcopali vacante. Est consuetudo in Gallia in multis locis, ut loco Imperatoris nominetur Rex Christianissimus N.

X. Completa cerei benedictione non defertur liber osculandus ad celebrantem, nec ipse incensatur; Diaconus verò claudit librum, ibique eum relinquit, vel tradit alicui ministro, qui eum defert super credentiam, & facta genuflexione altari, vadit in Sacristiam, ubi depositis paramentis albis, induit se manipulo, & stola violaceis, & etiam Planeta plicata si ea utitur, & redit ad Altare propè celebrantem, facta priùs altari debita reverentia, si ante illud transeat.

XI. Subdiaconus verò, si non fiat processio ad fontes, Diaconum præcedit cum Cruce sequens Thuriferarium, ibique Crucem deponit, sicut Thuriferarius Thuribulum, & deposita Cruce vadit etiam ad celebrantem propè Diaconum, ibique stat. Thuriferarius verò sumpta Planeta, & manipulo violaceis ea defert ad celebrantem, qui deposito pluviali, ea accipit, nihil dicens, juvantibus ministris sacris, & prædictus Acolythus reportat præfatum Pluviale in Sacristiam, vel ibidem in loco congruo deponit.

XII. Si item Ecclesia habeat fontes, Subdiaconus deponit tantum Crucem in cornu Epistolæ, ne cogatur ante processionem redire in Sacristiam, & eo casu Ceroferarii, seu Sacrista ante Officium candelabra sua

collocant super credentiam, ut tempestivè sint parata ad processionem.

XIII. Interim Acolythus qui deferebat grana incensi, denudat Legile ubi cantatum est Præconium, & illud, deposito, & plicato velo ipsius pulpiti in loco congruo, ponit ante altare, non in cornu Epistolæ, sed in medio chori, si sit juxta altare; si verò chorus multum distat, illud ponit inter altare, & Chorum, & super illud Legile, Missale collocat tectum colore violaceo, apertum ad legendas Prophetias. Interim etiam Acolythus qui ferebat arundinem, firmat eam ad pedem marmoreum paratum ad id, de quo supra, non procul à cereo, in loco apto, & tuto, ne forte decidat.

XIV. Tum etiam Cæremoniarius accedit ad eum qui cantaturus est primam Prophetiam, eumque habentem manus junctas ante pectus ad altare comitatur, ante quod ambo genuflectunt de more, indeque Lector manibus junctis ut priùs vadit cum eodem Cæremoniario ad Legile, ibique absolute sine titulo incipit Prophetiam manibus extensis hinc inde, & semper ad librum, vel pulpitem appositis, eamque legit expedite, ex Castaldo, & aliis, ac si cantaret Lectiones feriales, & in fine parum vocem inflectit.

XV. Finita Prophetia, Lector genuflectit cum socio ad Legile, nec ante surgit donec Subdiaconus dixerit *Levate*. Si tamen post Lectionem sequitur Tractus, Lector immediate ea finita, vadit ad Altare, relicto suo libro super Legile, ibique genuflectit in infimo gradu, & redit ad locum suum, quod ita fit ab omnibus, sine osculo manus celebrantis.

XVI. Facta genuflexione à primo Lectore, statim Cæremoniarius eum reducit ad locum suum, & statim ad eum qui lecturus est secundam, accedit, eumque, ut supra, comitatur, etiam manibus junctis, ad altare, & inde ad librum cum iisdem reverentiis, ibique cantat Prophetiam, ut supra, comite semper Cæremoniario, seu alio ministro.

XVII. Et sic vicissim hæc omnia fiunt respectivè in aliis Prophetiis, servatis reverentiis, ut supra.

XVIII. Ordo autem eas legendi talis est, ut inferiores, sive clerici tantum, sive Sacer-

dotes, legant priores, & si cogat necessitas unus plurimas, quod tamen videtur faciendum non continuatum, sed cum interruptione quarundam; & si ita ad id eligantur, ut qui fortiori voce pollent, longiores ipsi decantent.

XIX. Acolythus qui fortè deficiente Cæremoniario Lectores comitatur, nullam cantare debet Lectionem; si tamen fortè aliquam lecturus est, minister alter debet eum comitari.

XX. Celebrans statim deposito Pluviali post finitum Præconium, & indutus paramentis violaceis, stante Diacono à dextris ejus, & Subdiacono à dextris hujus, ut in Introitu Missæ, legit Prophetias submissa voce in cornu Epistolæ: & si postquam legerit unam, velit sedere, sedeat, tecto capite, cum Ministris sacris super nudo scamno in latere Epistolæ, ad quod procedit nudo capite per brevioram viam, facta prius inclinatione Cruci cum ministris, & per eandem viam redit, ne sit incommodum, tam sæpe per gradus anteriores redire, nullaque tunc ab ipso, & ministris debet fieri genuflexio, cum non accedant ad medium altaris: numquam autem sedeat ad altare, quia est proprium tantum Episcopi, neque etiam sedeat post lectionem brevem. Et si fieri potest, scamnum sit proximum infimo gradu Altaris.

XXI. Dum celebrans dicit Orationes, stant post eum ministri sacri, & dicunt quando opus est *Flectamus genua*, & *Levate*, genuflectentibus omnibus, & surgentibus prout opus est, ut heri.

XXII. Interim Sacerdotes parati cottis, & stolis violaceis, aut unus sic paratus, catechizant baptizandos, si qui sunt, præparant eos ad baptismum ante atrium, vel in aditu, aut porticu Ecclesiæ, non intra eam, sicut initio Ritualis Romani, sive sint parvuli, sive adulti, dicuntque, & servant omnia quæ ibidem præcipiuntur usque ad ingressum Ecclesiæ; quibus peractis, & facta benedictione fontium, ut infra, in Ecclesiam introducuntur, ut in Rit. Rom. Si plures sint mares, in dextera, & sinistra parte collocentur, & Orationes dicantur in plurali, & actiones, videlicet insufflationes, signa crucis, & salis gustatio, & alia hujusmodi, fiant in singulari.

## ARTICULUS IV.

## De Benedictione Fontium.

I. **F**initis omnibus Prophetiis, & remoto per Acolythum Legili cum libro, si Ecclesia habeat fontes, Subdiaconus accipit Crucem Processionalem, Ceroferarii candela accensa, & alter Acolythus cereum Paschalem, & hi quatuor accedunt ad medium altaris in plano, ita ut Acolythus de cereo sit post Subdiaconum; Celebrans verò deponit Planetam, & manipulum adjuvante Diacono, & capit pluviale. Et interim si credentia ad fontes non sit parata, quod tamen decet, unus ex Clericis desert unam, aut duas mappulas, unam, aut plures stolas violaceas, vas aquæ benedictæ vacuum, & firmat se à sinistris Acolythi de cereo, vel etiam solus stat post ipsum, genuflectens Cruci altaris; alter etiam capit Missale, & alter vasa Oleorum, si jam non sint parata, & ambo accedunt ad prædictos stantes post eos.

II. Tum ordinatur Processio hoc modo: Præcedit is, qui desert mappulas, stolas, & vas vacuum, alter à dextris ejus deferens librum & alia, si hæc prius parata non fuerint, aliàs prædicti Acolythi non sunt necessarij; deinde alius cum cereo Paschali, quem semper tenet ambabus manibus; tum Subdiaconus paratus cum Cruce medius inter duos Ceroferarios cum cereis accensis: postea Clerici bini; ultimò celebrans, tecto capite, & junctis manibus habens à sinistris Diaconum capite nudo, & junctis etiam manibus; qui omnes antequam procedant, genuflectunt Cruci, excepto Celebrante, Subdiacono, Ceroferariis, & eo, qui gestat cereum Paschalem, qui quatuor nec genuflectunt, nec se inclinant, Celebrans enim Cruci se inclinat.

III. Interim eundo Cantores inchoant Tractum, *Sicut cervus desiderat*, quem chorus prosequitur de more. Cum pervenerint juxta fontes, Subdiaconus inter Ceroferarios sistit se, ita ut habeat fontes inter se, & celebrantem, & ipse faciem ad eum habeat conversam, & renes ad portam Ecclesiæ, scilicet faciem versus altare, habita tamen ratione situs loci, aut capellæ, ubi sunt prædicti fontes; Diaconus verò stat paulò post

Celebrantem, à dextris tamen ejus, & propè ipsum Diaconum Acolythus gestans cereum, cum altero ferente mappulam à sinistris hujus; celebrans verò regulariter, si nihil aliud impediatur, stare debet conversus ad Occidentem, Clerici autem stant circa fontes, Choris divisim, vel quasi in gyrum.

IV. Finito Tractu celebrans dicit juxta fontes, ut supra, quasi in directum, & mediocri voce *Dominus vobiscum*, & Orationem, ut in Missali; in cujus fine attollit vocem cantando *Per omnia secula seculorum*; deinde prosequitur Præfationem, in qua

V. Sex facit celebrans; orat Deum; manu tangit aquam ter. Primò dividens aquam in formam crucis. Secundò simpliciter. Tertio effundens aquam versùs quatuor partes mundi. Mutat vocem ter. Primò, per modum Orationis. Secundò, per modum Præfationis. Tertio, per modum Læctionis. Halat ter in modum crucis, & sufflat ter secundum hanc figuram ☩ ut cum cruce Trinitatem conjungat; demittit cereum in aquam ter, profundè, profundius, & profundissimè, & elevat ter, infundit Oleum, & Chrisma, & illa commiscet. Primò ergo orat Deum. Secundò tangit aquam. Tertio mutat vocem. Quarto halat super aquam. Quintò demittit cereum in aquam. Sextò infundit oleum.

VI. Dum Celebrans tangit aquam, Diaconus postea ministrat ei mappulam ad tergendas manus ipsius; & dum signat aquam signo crucis, Diaconus ipse elevat simbrias Pluvialis ejus, & similiter dum aquam tangit, aut cereum demittit.

VII. Completa benedictione, sed antequam celebrans infundat Olea in aquam, unus, vel plures Sacerdotes pro numero assistentium cum stolis violaceis accipiunt aspersoria, & aspergunt circumstantes aqua benedicta, nihil dicentes. Sacrista verò infundit in aliud vas amplum, partem illius aquæ, eamque servat ad asperisionem locorum, domorum, & aliarum rerum, & præcipuè in sequentem diem pro asperisione populi ad Missam.

VIII. Postquam Celebrans infuderit Oleum, & sanctum Chrisma in aquam benedictam, extergit diligenter manus suas, & accedit ad fores Ecclesiæ, ibique recipit Catechumenos, & eos comitatur

cum Patris, & Matris ad fontes, sive sit unus, aut plures, prout in Rit. Rom. & paulò ante Baptismum, depositis paramentis violaceis, accipit stolam, & etiam, si sit consuetudo, Pluviale albi coloris, & reliqua peragit, ut in Rituali Romano. Finito verò baptisate, deponit paramenta alba, & iterum accipit prædicta violacea. Et potest habere sermonem brevem, si velit, & si tempus permittat, de effectu baptismi.

IX. Si propter locorum distantiam, aut rationabili causa non possint adhuc haberi Olea sacra, nullum hinc adhibeatur ad fontes, nec ad baptismum, sed infusio, & unctio differantur, donec fuerint recuperata, & ideo Parochi in libris Baptistarii diligenter inscribant hunc defectum, ut quando ea recuperaverint, suppleant tunc circa baptizatos, & in libris annotent quòd tali die N. Rector adhibuerit unctiolem Olei sancti, & Chrismatis; non enim sunt amplius usui post annum elapsum, nisi fortè Oleum infirmorum ex necessitate tantum promissistrando Sacramento Extremæ Unctionis infirmis.

## ARTICULUS V.

*De Litanis, Missa solemnè, & Vesperis hujus diei.*

I. **P**ost benedictionem Fontium, & post collatum baptismum, si qui fuerint baptizandi, Cantores stant inchoant Litanias ibidem ex Missali recognito. Tunc celebrans, ministri, & universus Clerus inde discedunt eo ordine, quo venerant, Litanias prosequentes. Interim Sacrista aut alius præparat hinc inde super secundum gradum altaris tres cussinos prædictos, supponendos capitibus Celebrantis, & ministrorum. Cum autem ad altare pervenerint, Celebrans, & Ministri, depositis Pluviali, & Planetis plicatis, si iis utantur, ante altare genuflexi in plano procumbunt, superponentes capita sua prædictis cussinis.

II. Interim duo Cantores in medio chori genuflexi Litanias ex libro ante eos posito cottis induti prosequuntur, cæteris de choro genuflexis in locis suis respondentibus ea omnia, quæ dicantur à Choristis sive cantoribus.

III. Si vero Ecclesia non habet fontes, finita ultima Prophetia cum sua Oratione, Celebrans deponit Planetam, & ministri cri suas, & interim parantur prædicti cini, & statim ipse Celebrans, & ministri procumbunt. Tunc, & non prius, Cantores genuflexi incipiunt Litanias, utroque choro eisdem integrè respondente, ut supra, mediocri pausa. Ad eos versus *Per sanctam Resurrectionem tuam* non debet geminari, ut quidam non rectè existimant.

IV. Acolythi manent interim genuflexi tantum, & non prostrati, & Cæremoniarius præpè gradus altaris, nisi forte occupentur. Et circa medium earum, videlicet cum dicitur *Propitius esto*, amovetur de credentia, & de altari per ministros inferiores ea, quæ non sunt amplius usui; & si quæ desint pro Missa solemnè, Cæremoniarius curat ea per Sacrificiam, aut alios apponi, qui etiam parat sedem Celebrantis, quæ antea erat nuda.

V. Cum autem perventum fuerit ad versus *Peccatores*, &c. Cantores lentius cantant reliqua, si opus sit, ut ea, quæ sequuntur, fiant tempore congruo, & ne mora, aut silentium interponatur inter Litanias, & Missam. Celebrans vero, & ministri surgunt, & facta Cruci altaris debita reverentia, sumptuose biretis, eo modo, quo sunt, tecto capite, in Sacrificiam, si vicina sit, alioquin in locum viciniorem altari, sive post illud, sive ad latus recedunt, ibique depositis paramentis violaceis, induuntur albis pro Missa solemnè, non enim debent parare se ad altare. Cær. Ep. l. 2. cum sit Episcopi solius accipere paramenta ad altare, atque ita tempestivè finiri debent Litanie, ut Celebrans, & ministri sint statim parati ad finem earum.

VI. Finitis Litanis, vel potius circa finem earum removersur cussini, candelæ altaris per Acolythos accenduntur, qui etiam suas statim accendunt. Alius Acolythus removel pallium altaris violaceum, extendit velum Tabernaculi in parte anteriori, amovetur Missalia violacea, & ponuntur alba. Thuriferarius apponit ignem in Thuribulo Sacrificia, aut alii detegunt imagines per Ecclesiam, si fieri potest: aut si hoc tempore hoc fieri non possit, detegantur mane, vel post Officium.

VII. Tum Celebrans, & ministri parati, & paratis aliis ad altare, & credentiam,

*Mat. Sacr. Cærem.*

procedunt ad altare, ut in Missa solemnè, posito prius incenso benedicto in thuribulo de more.

VIII. Cum ad altare pervenerint, cantatur in choro solemniter *Kyrie eleison*, cum pausa convenienti, ut detur tempus Celebranti faciendi confessionem, & postea incensandi altare, & illud *Kyrie* cum ministris dicendi etiam, antequam ipse chorus cesset à cantu.

IX. Cantores vero, si talis est consuetudo, accipiunt Pluvialia alba in choro per quosdam Acolythos asportata, pro cantandis Missa, & Vesperis solemniter, vel potius, & decentius, dum cantatur *Kyrie*, procedunt in Sacrificiam, ut ea ibi accipiant, statim in chorum reverfuri, vel, si fieri potest, cantores Litaniarum sint alii ab iis de Missa, ut commodius circa finem Litaniarum cantores Missæ parent se in Sacrificia statim reverfuri, ut incipiant sic parati *Kyrie eleison* de more.

X. Incensato altari, & dicto *Kyrie*, ut supra, Celebrans incipit solemniter *Gloria in excelsis*, tuncque, & non prius, pulsantur omnes campanæ festiviter, modò in Ecclesia Cathedrali, aut Matrici, prius pulsatæ sint, ex decreto Sac. Congr. Rit. 21. Mart. 1609. si fieri possit.

XI. Quòd si forte nondum pulsatæ sint, tunc pulsantur tantum campanulæ, quæ sunt in Ecclesia, & Capellis, vel quæ serviunt ad elevationem SS. Sacramenti, vel quæ sunt in Sacrificia. Postea verò dato signo à Matrice, pulsantur majores, quæ sunt in Campanili, licet longè post *Gloria in excelsis*. Similiter Organa, si sunt, pulsantur, nec debet cessare sonitus campanarum, donec omninò absolvatur hymnus prædictus.

XII. Cantata Epistola à Subdiacono, ipse Subdiaconus osculatur de more manum Celebrantis, & accipit benedictionem ab eodeinde, & non prius, contra multos, ipse Celebrans incipit gravi voce cantando *Alleluja* in cornu Epistolæ omnibus in Ecclesia stantibus, Cær. Papæ l. 2. sect. 1. c. 57. idemque ter decantat, in unaquaque vice vocem gradatim altiùs elevando, quod chorus similiter facit, ad singulas vices respondens, & illud *Alleluja* ter repetens; quo cantato tertio à Celebrante, & dicto ibidem versu *Confitemini* à seipso post repetitum *Alleluja*, ac in medio Altaris *Munda cor meum*,



meum, dicit Evangelium in cornu Evangelii de more, quo finito thus, & Subdiaconum benedicit, ut moris est.

XIII. In quibusdam Ecclesiis præintonatur *Alleluja* Celebranti, postquam dedit benedictionem Subdiacono, ab aliquo ex cantoribus; quæ consuetudo probatur, cum præintonetur Episcopo ab aliquo cantore ex officio, idè videtur servanda. Cær. Ep. l. 2. c. 27. Proceditur ad Evangelium more solito.

XIV. Ad Evangelium non deferuntur luminaria, sed stant Ceroferarii manibus junctis à lateribus Subdiaconi, & tunc se signant cum Diacono. Incensum tamen, ut aliàs, defertur, & in fine Celebrans osculatur librum, & incensatur. Non dicitur *Credo*, nec *Offertorium*. Subdiaconus simul cum Calice defert corporale. Ad *Lavabo* Celebrans dicit *Gloria Patri, &c.*

XV. Nemo regulariter communicat in hac Missa, excepto Celebrante, quia est Missa noctis, etiam si ipso die occurrat festum Annunciationis B. Mariæ. Si verò in Parochia velint aliqui pro Paschate communionem accipere, id fiat non in Missa, sed post & non ad altare, sed ad locum, vel Capellam remotam ab altari majori.

XVI. Facta ablutione à Celebrante, Subdiaconus de more reportat Calicem tectum velo suo ad credentiam; & dum Celebrans se purificat, primus cantorum paratus, ut supra, accedit, cum debitis reverentiis, ad digniorem de choro, eique de more præintonat Antiphonam *Alleluja* pro Vesperis, quam statim sine signo Crucis repetit, & chorus eam prosequitur. Cantores verò prædicti, vel alii, ut ad Vesperas solemnes parati, subdunt Psalmum *Laudate Dominum omnes Gentes*.

XVII. Celebrans verò sumpta ablutione loco Antiphonæ, quæ dicitur *Communio*, submissa voce incipit prædictam Antiphonam, *Alleluja*, & prosequitur eundem Psalmum cum Ministris stantibus in cornu Epistolæ, ut in Introitu Missæ. Deinde repetita eadem Antiphona, Celebrans alta voce incipit, & cantat Antiphonam *Vespere autem Sabbati*, quam chorus prosequitur, & Celebrans cum Ministris submissa voce. Si chorus non multum distet ab altari, primus cantorum comite Cæremoniario præintonat Celebranti eandem Antiphonam cum debitis reverentiis Altari, & Celebranti ante, & post.

XVIII. Cantata Antiphona intonatur *Magnificat* à cantoribus in choro paratis, illudque chorus prosequitur. Interim Celebrans dum inchoatur *Magnificat*, se signat, & accedit ad medium Altaris, quod imposito, & benedictio thure ministerio Diaconi, & Thuriferarii, incensat de more, ut initio Missæ, sacris Ministris hinc inde stantibus, illumque adjuvantibus. Eoque incensato Celebrans etiam à Diacono in cornu Epistolæ incensatur, stante Subdiacono à sinistris ejus, ut in introitu Missæ; & præterea chorus ab eodem Diacono, ut ad Oblata, comite Cæremoniaro, & postea Subdiaconus stans à dextris Celebrantis vertens faciem ad Diaconum stantem etiam ad cornu Epistolæ, duplici ductu, qui statim postea convertit se, ut prius. Deinde ipse Diaconus dat Thuribulum Thuriferario, qui etiam eum incensat in eadem parte. Caveant autem, ne terga vertant Celebranti. Postea incensat *Acolythos*, & populū.

XIX. Celebrante incensato, ipse cum Subdiacono incipit, & prosequitur *Magnificat* usque ad finem alternatim. Diaconus verò completa incensatione stat à dextris Celebrantis. Et Thuriferarius incensato populo redit in Sacristiam, ubi deponit Thuribulum, & naviculam, & redit ad altare: Cæremoniarius etiam stat in cornu Epistolæ, dum Celebrans dicit Orationem.

XX. Repetita à choro Antiphona, Celebrans versus populum in medio Altaris dicit *Dominus vobiscum*, & Missam de more prosequitur, in cuius fine Diaconus versus populum cantat *Ite Missa est* cum duplici *Alleluja*, & Missa finita redeunt in Sacristiam, ubi facta imagini debita reverentia, mutua sibi gaudia Paschalia annunciant, factis sibi invicem mutuis reverentiis, & quasi amplexibus, & idem fit ab omnibus de choro. Ita praxi Urbis.

XXI. Post Missam Celebrans, vel alius paratus stola alba cum clericis faces deferentibus, ut supra Feria quinta, reportat Pyxidem, ubi sunt Hostiæ consecratæ, in Tabernaculum solitum, nec inde amplius moveatur, nisi necessitas ad id cogat; tuncque, & non prius, cereus Paschale extinguitur, & alii, qui sunt ad altare, cum aliis tribus prædictis in prædictæ arundinis cuspidè positus, & amplius non accenduntur, sed omnino amoveantur.

XXII. Ad Completorium servetur Breviarium, & Celebrans intonet solemniter Antiphonam *Vespere autem*, quæ tamen non duplicatur, & in fine etiam altiori voce incipit in cantu Antiphonam *Regina cæli*, quam chorus profequitur.

XXIII. Cereus Paschalis congruenter, & ex peritorum sententia ardere debet in latere Evangelii à Sabbato Sancto usque ad Dominicam in Albis inclusivè ad Missam, & ad omnes Horas, quia est unicum Resurrectionis festum. In diebus autem Dominicis, à primis Vesperis usque ad Completorium Dominicæ etiam inclusivè, ad Horas scilicet, & Missam, quia Dominica est repetitio Festi Resurrectionis Christi etiam per annum, nedum Paschali tempore. Item in Festo Ascensionis ad omnes horas usque ad finem Evangelii ejusdem diei inclusivè.

XXIV. Quodd si dicatur Missa Parochialis, seu Conventualis non solemnis, ad eam etiam diebus Dominicis accendi potest: in aliis diebus minimè. Sacra tamen Congreg. 19. Maii 1607. censuit regulariter debere accendi ad Missas, & Vesperas solemnes in triduo Paschæ, Sabbato in Albis, & Dominicis usque ad Ascensionem: in aliis diebus, & præcipuè festivis, servandam esse consuetudinem. Hic modus etiam placet, & videtur conveniens, ut accendatur in Festis Apostolorum, Patroni, & Titularis, & Dedicacionis Ecclesiæ, & in Missis votivis solemnibus pro re gravi, modò non adhibeatur color violaceus; unde non accendi debet in Missis luctuosis, & pro Defunctis à fortiori. Accenditur etiam Sabbato Pentecostes ad benedictionem fontium.

XXV. Qui recitaturi sunt Vesperas extra Missam, dicunt, *Pater noster*, *Ave Maria* absolute, sine *Deus in adiutorium*, facto signo Crucis incipiunt Antiphonam *Alleluja* reliqua, ut in Breviario, dicentes in fine *Benedicamus Domino* cum duplici *Alleluja*, & subdunt versum *Fidelium anima*, tum Orationem Dominicam tantum sine ulla Antiphona. Gav. sect. 4. tit. 10.

XXVI. Si quis rationabili tantum de causa, secluso omni scandalo, in aliquo loco secreto, de licentia Superiorum, celebrare desideret, non id faciet, nisi post inchoatum solemne Sacrificium, & tunc deposito luctu, & moerore Ecclesiæ incipiat Missam à con-

fessione cum Psal. *Judica me Deus*, &c. & aliis quæ sequuntur, & finita confessione ad altare, statim post Orationem *Oramus te Domine* dicat *Kyrie eleison*, & reliqua profequatur etiam Vesperas usque ad finem Missæ. Sed hæc potius tolerantur, quam probantur, sicut nec Missæ votivæ, ullo modo, etiam pro re gravi, Gav. p. 4. tit. 10. quia hac die nullo modo dici debent; ad quod Superiores Ecclesiarum attendere etiam debent, est enim contra intentionem Ecclesiæ.

XXVII. Si Celebrans habeat Presbyterum assistentem, servit ad librum, & incipit tantum assistentiam suam initio Prophetiarum: sedente Celebrante sedet in loco consueto propè eum. Ad benedictionem fontium procedit cum aliis ordine suo; ad Litanias genuflectit in plano à latere Epistolæ propè credentiam. Circa finem earumdem collocat Missale cum cussino albi coloris ad cornu Epistolæ, amoto prius violaceo. Incensatur ad Vesperas, ut ad Missam, in cornu tamen Epistolæ; sed caveat, & Subdiaconus, ne se invicem impediunt, neque terga Celebranti, & altari vertant; nullas cantat Prophetias; alia de more peragit. Si utitur Pluviali, non assumit illud, nisi ad Missam, & ante eam assistit tantum cum cotta.

XXVIII. Toto tempore Paschali, scilicet à Missa Sabbati Sancti usque ad Completorium post Vesperas secundas Dominicæ SS. Trinitatis inclusivè, non sicutur genua ad Horas, quæ cantantur in choro, neque ad Salutationem Angelicam, quæ ter in die dicitur ad signum campanæ. Ad preces tamen, quæ fiunt, ad Litanias quascumque, dum dicuntur in choro, & ad preces pro necessitatibus genuflectendum est omnibus, excepto Celebrante, dum solus Orationes dicit. Et ad ea, quæ adorationem continent, v. g. ad versum, *Et incarnatus est*, &c. *Et Verbum caro factum est*, *Ave maris stella*, *Veni Creator*, & alia hujusmodi. Celebrans tamen, dum dicit Orationes, stat, & omnes alii genuflectunt.

XXIX. Ex Rituali Romano hodie debent domus fidelium aspergi aqua benedicta, post meridiem, quod fit in plerisque locis secundum antiquam, & laudabilem locorum consuetudinem, certè ubique, aut receptam, aut recipiendam, servatis iis, quæ in Rit. Romano præscribuntur.

## ARTICULUS VI.

De eodem Sabbato Sancto in minoribus Ecclesiis.

I. **Q**uando in Ecclesia pauci, vel forte unus est Sacerdos, & pauci Clerici, hæc observanda à peritis videntur. Paratur credentia paulò parcius, quàm cum ministris, altare, cereus Paschalis in suo candelabro, Legile paratum, ut supra, pro Præconio, Pes marmoreus, aut ligneus pro arundine, ignis in vase paratus excussus è filice, vel crystallo extra Ecclesiam, thuribulum, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, aliud vas cum quinque granis incensæ. Missalia duo, aut tria si fieri possit, quæ sint violacea, & alba, vel saltem suo tempore sint his coloribus tecta. Arundo cum tribus candelis, & alia, ut supra, respectivè.

II. Si sint Catechumeni aliqui, Celebrans omninò ante Officium eos catechizare debet ante portam Ecclesiæ cum cotta, & stola violacea, quibus catechizatis Celebrans introducit eos in Ecclesiam, ubi expectant, nisi necessitas alia urgeat, donec post benedictionem fontium baptizentur, ut supra.

III. Hora competenti excutitur novus ignis de filice, ut supra, per aliquem Acolythum, vel Celebrantem, qui tempore congruo procedit, Cruce præcedente, & aliquibus Clericis, si adsint, paratus etiam Pluvialis, si haberi potest, vel tantùm stola violacea ante pectus in modum Crucis posita, ad locum, ubi est prædictus ignis.

IV. Cum illuc pervenerit vertens faciem ad Crucem Processionalem, benedicit novum ignem, tum absolute quinque grana incensæ, aspergens, & thurificans ea in sine, posito priùs à Thuriferario igne novo in thuribulo, statim post ejus benedictionem, tum depositis paramentis violaceis capit manipulum, stolam, & Dalmaticam albi coloris, sicut aliàs Diaconus.

V. Interim aliquis Acolythus accendit de novo igne candelam, quam ponit, si opus est, in laterna. Tum Celebrans capit arundinem cum tribus candelis, & præcedente Cruce, & aliis cum granis incensæ, & thuribulo fumigante, in quo Celebrans priùs imposuit thus, ingreditur in Ecclesiam, & accensa una ex tribus candelis, dicit genu-

flexus *Lumen Christi*, & chorus respondet *Deo gratias*, & alia peragit, ut supra, donec ad altare pervenerit.

VI. His peractis, & deposita arundine ante Altare sine *Munda cor meum*, genuflexus dicit *Jube domne benedicere*, & ipse subdens dicit, *Dominus sit in corde meo*, &c. Tum accedit ad Legile cum Acolytho ferente Crucem, curatque, ut grana incensæ, thuribulum, & arundo, per alios Acolythos, si fieri potest, teneantur, ut opportuno tempore eis uti possit, vel saltem ponantur in aliquo loco congruo; Acolythi ibi se collocant, ut supra. Celebrans incensat librum, infigit grana incensæ, & accendit cereum, quando opus est, aliquo tenente arundinem, & Acolythus aliquis lampades, quando opus erit.

VII. Finito Præconio omnes recedunt in Sacristiam, ubi Celebrans, depositis albis paramentis, accipit manipulum, stolam, & planetam violacei coloris, & accedit ad altare, ubi Lectiones, Orationes, & Tractus legit, vel cantat, genuflectens, dum dicit *Flectamus genua*, cui respondet aliquis Acolythus *Levare*. Si tamen sint aliqui Acolythi Lectiones decantant, & Celebrans eas submissa voce recitat.

VIII. Finitis Lectionibus, si Ecclesia habeat fontes, deponit Planetam, & manipulum, & accipit pluviale, si habeat, vel remanet tantùm in Alba cum stola, & sic procedit ad fontes cum Cruce, & cereo Paschali, cum aliquo alio Acolytho portante librum Missalem, & mappulam pro extersione manuum ipsius, dicitque procedendo Responsorium, *Sicut cervus*, &c.

IX. Ad Fontes omnia peragit, ut supra, mutando vocem, licet non cantet, ut in Missali, & ipsemet aspergit populum de aqua, quam benedixit, quando opus est. Similiter Catechumenos baptizat, si qui sint in paramentis albis eo modo, quo supra diximus.

X. Finita benedictione Fontium, incipit Litanias, & vadit ad altare, ubi depositis pluviali, genuflexus, & non prostratus, recitat, & prosequitur Litanias, vel aliqui de choro eas decantant, & eo casu ipse procumbit, ut supra, ad altare.

XI. Dictis Litiis deponit omnia paramenta violacea, & alba accipit. Missam incipit, incensat altare, si fieri potest. Di-

cit ter *Alleluja*, post Epistolam, & Vesperas, ut in Missali, & incensat altare, si fieri potest.

XII. Finita Missa, reponit SS. Sacramentum in Tabernaculo cum luminibus. Denique omnia peragit meliori modo quo potest, observans respectivè alia, quæ supra diximus.

## C A P U T XII.

## De Festo sancto Pascha, &amp; tempore Paschali.

I. **P**AUCA occurrunt dicenda in hoc festo, cum aliàs non sint difficilia. Decet ut Matutinæ solemniter saltem ante Auroram celebrentur, qua hora Christum resurrexisse credimus. Ad Primam ante pronuntiationem Calendarum, dum Lector annuntiat tono solemniori, & altiori Paschalem solemnitatem dicens *Hæc dies, quam fecit Dominus, &c.* omnes in Choro stant nudo capite. Cum verò Calendæ dicuntur, omnes sedent more solito.

II. Ex antiqua traditione nihil hac die assumebatur à fidelibus manducandum, quod non fuisset priùs à Presbyteris benedictum. Ideò inhærendo tam laudabili consuetudini, sacerdotes, aut unus, parati stola alba cum libro, & aspersorio, benedicere debet Panem, Agnum Paschalem, si quis sit, Ova, Carnem, & alia id genus cum benedictionibus in Rit. Rom. præscriptis.

III. Decet etiam, ut Parochus, & Ecclesiarum Rectores propria manu clericis non Sacerdotibus Communionem præbeant, Magistratibus, & Nobilioribus. Alii verò de Parochia utriusque sexus communicari poterunt in alio loco commodiori, ad id parato, & à conspectu majoris altaris remoto, ne qui majori sacro inserviunt, continuò genuflectere cogantur propter reverentiam SS. Sacramenti. Cærem. Episc. l. 2. c. 30.

IV. Hac etiam die fit aspersio populi ante Missam, cum aqua pridie benedicta, sicut etiam in die Pentecostes, exceptis Ecclesiis Regularium, & aliis, in quibus non sunt Fontes Baptismales; fit enim in iis aspersio cum aqua benedicta hac die, ad quam Celebrans genuflexus dicit, *Vidi aquam.*

V. Ad Laudes, & Vesperas Hebdomadarius, vel alius qui celebrat, intonat solemniter Antiphonam, *Hæc dies.*

VI. Hac die etiam, & duobus sequentibus diebus non fit commemoratio de quolibet Sancto, sed à feria quarta ad Laudes, & ad Missam fit commemoratio de festis simplicibus occurrentibus, & in Missa dicuntur tantum duæ Orationes, quarum secunda est de festo.

VII. Missæ votivæ, nec privatæ, nec solennes debent dici regulariter, ex Missali recognito. Si verò dicerentur, in iis non dici deberet Graduale, sed tantum duo *Alleluja*, licet dicatur Graduale in Missa de Octava; nec dici deberet *Ite Missa est*, cum duplici *Alleluja*, ex Gavanto.

VIII. Quando festum habens Officium juxta ritum temporis Paschalis transfertur post tempus Paschale, fit tunc Officium, ut extra idem tempus, exceptis iis quæ sunt propria, & utrique temporis convenientia, & sine *Alleluja*, vide Gavant. par. 2. hic.

IX. Festo Sancti Marci occurrente in die S. Paschæ, festum ejus transfertur post Octavam: Litanæ verò, & Processio in feriam secundam proximam, ex Missali recognito in Rubrica propria. Si occurrat in alio quocumque die, semper eodem die fit Processio, & Litanæ dicuntur ipso die ita, ut Litanæ dicantur vigesima quinta Aprilis, idest die S. Marci.

X. Litanæ majores in festo S. Marci, à duobus clericis regulariter decantantur choro respondente, & eisdem repente, si longior sit Processio, aliàs non repetuntur integrè, & in fine dicitur Psalmus *Deus in adjutorium*, alternatim à Choro, incipientibus ipsum Cantoribus. Deinde dicuntur Preces ab Hebdomadario genibus flexis, respondente Choro, & Orationes, ad quas solus ipse surgit.

XI. In quibusdam locis clerici initio Processionis eundo ad Ecclesiam, aut Capellam designatam solent cantare Responsorialia, & Hymnos, prout illis placet, & redeundo incipiunt Litanias, quas prosequuntur, donec redierint ad Ecclesiam, unde priùs discesserant. Sed hoc est expressè contra Rituale, quod omninò prohibet Responsorialia, & Cantica, & Hymnos lætitiæ in hujusmodi Processionibus, ut patet; & favet ratio, & finis Litaniarum harum. Ideò convenit, ut semper inchoen-

inchoentur Litanix initio Proceffionis . Si verò Proceffio longior fuerit, præftat ut repetantur, vel cum ad Pfalmum prædictum *Deus in adiutorium* pervenerint, decet ut cantentur Pfalmi Pœnitentiales, & præterea Graduales, fi neceffe fuerit, vel alii ad pœnitentiam excitantes, non verò alia. Si dicatur Miffa in loco, ad quem dirigitur Proceffio, cum illuc pervenerint, ceffabunt à cantu Litaniarum, & Miffa celebrabitur; qua finita Litanias refument; nam quamvis longior fit Proceffio, tamen prædictæ Litanix, & Pfalmi femper fufficient; ideo femper ftandum præceptis Ritualis, cum hæc omnia hoc modo commodè fieri poffint fine alio additamento.

XII. In prædicto fefto Sancti Marci, fi proceffio procedat ad Ecclefiam ipfi Sancto dicatam, dicatur Miffa de Sancto, non de Litanis. Sac. Rit. Cong. 13. Martii 1603.

XIII. In Litanis nominandi funt Sancti eo ordine, quo cantantur, ita ut ordo præfcriptus inverti non debeat, etiam fi funt Patroni, & Titulares, unde non rectè nominandi funt, verbi gratia, SS. Laurentius, aut Auguftinus ante SS. Stephanum, aut Sylveftro, contra quofdam, qui sæpè nominant nomen Patroni Epifcopi verbi gratia ante nomen sancti Petri, aut alterius Apoftoli, antequam exeant de Ecclefia. Hoc enim pugnat contra ordinem Ecclefia. Immo non debent nominari sancti Patroni, neque Titulares omninò, nifi nomina eorum expreffa funt in Litanis. Hoc enim statutum eft à Sac. Congr. Rit. 22. Martii 1632. ex Gav. feff. 9. c. 4. & rectè.

XIV. Litanix minores, quæ dicuntur in Rogationibus, eodem modo ordinantur, dicunturque minores ad diftinctionem majorum, has enim instituit S. Gregorius Magnus Papa, & Doctòr, major Mamerto Epifcopo Viennenfis minore, harum Litaniarum ut creditur institutore. In quibusdam tamen locis Litanix in fefto sancti Marci duplicantur, in Rogationibus verò non, ad diftinctionem; fed certè videtur omnes duplicandas effe, fi Proceffio longior fuerit, ut fuprà, alias non.

XV. Qui non interfunt Litanis Clerici debent eas recitare privatim poft Laudes, & flexis genibus ob mœrorem, quem color violaceus repræfentat.

XVI. Feria 2. Rog. fit commemoratio

de ea etiam in fefto Patroni ad Laudes, & Miffam. Si tamen dicuntur duæ Miffæ, in folemni non fiet commemoratio, fed tantum in privatis.

XVII. Feria tertia Rog. fi accidat feftum novem Lectionum, fiat tantum commem. in Miffa de Rog. privata. Si verò simplex Miffa poteft dici de eo cum commem. de Rog. vel Miffa de Rog. cum commem. fefti. Et tunc in Ecclefiis Cathedralibus, & Collegiatis videntur dicendæ duæ Miffæ, una de Sancto, & altera de Rogat.

### C A P U T XIII.

*De Vigilia, & fefto Afcenfionis Domini*

I. **I**N Vigilia Afcenfionis, fi occurrat feftum simplex, in Miffis privatis fit commem. tantum de eo in fecunda Oratione, & tertia erit de Rogationibus, quæ in Officio nullam habet commemorationem. In Miffis privatis de fefto novem Lectionum fit commemoratio prima de Vigilia, & poftèa de Rogationibus. Si occurrat hac die feftum Patroni, nulla fit commemoratio de Vigilia. Semper autem dicitur Præfatio de tempore Pafchali in Miffis de Rogationibus.

II. Si occurrat feftum novem Lectionum, non Patroni, dicuntur in hac vigilia tres Miffæ in Ecclefiis Collegiatis: Prima poft Tertiam de fefto, fecunda poft Sextam de Vigilia, tertia de Rogationibus poft Nonam, & in unaquaque earum, fecunda Oratio erit de beata Maria, fi dicenda fit, tertia Ecclefia, vel pro Papa.

III. In fefto Afcenfionis Domini extinguitur Cereus Pafchalis poft Evangelium, dictis his verbis *Assumpfus eft in caelum, &c.* ad repræfentandum Chrifti difceffum ab Apoftolis. In fecundis Vesperis diei Octavæ Afcenfionis fit tantum commemoratio de fefto fequenti, nifi fit feftum primæ, aut secundæ classis.

IV. Feria sexta poft Octavam ejufdem Afcenfionis, occurrente fefto femiduplici, fit de eo, & commemoratio de Octava in Laudibus, & hujufmodi feftum habet Vesperas integras hac die occurrens, etiam translatum, cum commem. de Afcenfione.

V. Si aliquod feftum occurrat habens Octavas, quæ nondum finita fint feria fexta poft Octavam Afcenfionis, finiuntur ad Nonam hujus diei incluſivè, nec ampliùs etiam ad Veſperas ſequentes fit ulla commem. de Octava.

## C A P U T XIV.

De Vigilia, & die Pentecoſtes.

I. **I**N Vigilia Pentecoſtes, quoad Catechiſmum Baptizandorum, Prophetias, fontes baptifmales, baptifinum Catechumenorum, Litanias, paramenta violacea, cuſſinos, ſedem nudam pro Celebrante, & alia hujusmodi, vide quæ ſuprà in Sabbato ſancto ſatis fuſè diximus, ea enim omnia ferè ſunt ut in ipſo Sabbato. Non dicitur tamen *Flectamus genua*, quia eſt tempus Paſchale. Ad Miſſam etiam privatam, licèt dicatur matutino tempore ante Nonam, apponitur color rubeus: ad *Gloria in excelsis*, pulſantur campanæ, non dicitur Introitus in Miſſa ſolemni: nec ulla fit comm. licèt forte facta fuerit ad Laudes, & ſemper unica dicitur Oratio in Miſſis privatis, ad quas dicitur Introitus ut in Miſſis.

II. Officium Horarum eſt de Afcenſione, uſque ad Nonam incluſivè, ad quam etiam altare eſt paratum pallio albo, & finita Nona, violaceo, facile removendo poſt Litanias, ut appareat pallium rubeum.

III. Celebrans cùm pervenerit ad altare cum paramentis violaceis, oſculatur illud, & Miniſtri ſacri parati Planetis plicatis ante pectus, ſi iis utantur, genuſclectunt de more, & dicuntur Prophetiæ eodem ritu, quo Sabbato ſancto, ad quas ſedet Celebrans ut eodem die poſt finem earum.

IV. Dictis Litaniiſ Celebrans parat ſe paramentis rubeis in loco deſtinato, ut ſuprà, & ita Chorus lentè decantet *Kyrie eleiſon*, ut eo dicto ſtatim Celebrans poſſit inchoare *Gloria in excelsis*. Ad Evangelium non portantur luminaria, ſed tantum incenſum: ſclectuntur autem genua tantum ad elevationem SS. Sacramenti, qua facta Clerici ſurgunt.

V. In feſto Pentecoſtes, & tota Octava hymnus *Veni Creator* dicitur ad Tertiam, &

temper a Primam ſtropſam hymni prædicti genuſclectitur, ut aliàs diximus. Videtur Hora tertia dicenda ſolemniùs, accenſis omnibus cereis altaris; ad eam etiam omnes clerici de Eccleſia adſint.

VI. Ad Miſſam ſolemennem Celebrans dicto à ſe Evangelio, & dum cantatur in choro verſus *Veni ſancte Spiritus*, &c. cum miniſtris genuſclectit ſuper ſupremum gradum altaris. Ideo Chorus ita lentè debet decantare verſum præcedentem *Emitte Spiritum*, & Celebrans ita tempeſtivè dicere Evangelium ſuum, ut poſſit ipſe genuſclectere ad prædictum verſum; quo dicto poteſt ſedere, ſed tempeſtivè redeat ad altare, ut benedicat incenſum, & Diaconum pro Evangelio.

VII. Quod ad Miſſas votivas, ſive ſolemnes, ſive privatas, ſpectat, vide quæ ſuprà in Octava Paſchæ diximus: ſicut de commemoratione de feſto occurrenti à feria quarta incluſivè uſque ad finem Octavæ.

VIII. Ad Miſſam, quæ dicitur in quatuor Temporibus, non ſclectuntur genua ad Orationes, ut aliàs diximus. Miſſæ ſolemnes dicuntur poſt Nonam, faces reportantur in Sacriſtiam poſt elevationem SS. Sacramenti utramque.

IX. Sabbato ſequenti non dicitur verſus *Veni ſancte Spiritus*, ante ſequentiam, ſed ubi notatur, & tunc Celebrans genuſclectit.

X. Terminatur poſt Miſſam, quæ dicitur poſt Nonam, tempus Paſchale, & ideò ad cœnam benedictio, & gratiarum actiones dicuntur ut alio tempore, cum Pſalmo *Miferere mei Deus*, vel *Laudate Dominum omnes gentes*.

## C A P U T XV.

De feſto SS. Trinitatis.

I. **P**rimæ Veſperæ dicuntur de feſto SS. Trinitatis cum commem. Domini-cæ temper, licèt feſtum ſit Patroni, aut Titularis Eccleſiæ, contra quoſdam.

II. Si Completorium ſeparatim dicatur à Veſperis ſolemniſ, certè convenit, ut Antiphona *Salve Regina*, quæ hodie incipit, in Choro decantetur poſt Veſperas, non verò poſt Completorium, ut Antiphona

phona prædicta, ficut aliæ fimiles, inchoentur per cantum femper.

III. Poft fecundas Vesperas hujus fefti dicitur Officium Defunctorum, nifi fit Patronus, aut nifi fequenti die occurrat feftum duplex, aut femiduplex.

IV. Si SS. Trinitas eft Patrona, aut Titularis, fit de Oétava, fed non dicitur Symbolum S. Athanafii, nifi in die ipfo, & ejus die Oétava. In die Corporis Chrifti nulla fit Commemoratio de Oétava, neque etiam ad fecundas Vesperas; feria verò sexta, & Sabbato fequenti fit de Oétava ejusdem fefti de Trinitate, & commemoratio tantum de Oétava Corporis Chrifti, ut patet in Oétavario, ubi reperiuntur Lectiones fecundi & tertii Nocturni hujus Oétavæ.

V. Si occurrat feftum Sancti Joannis Baptiftæ in fefto Corporis Chrifti, in hujusmodi Ecclefiis feria quarta dicitur Miffa de Vigilia, & commem. de Oétava SS. Trinitatis. Si verò occurrat feria sexta poft prædictum feftum Corporis Chrifti, feria quarta præcedenti dicitur Miffa de Oétava, non de Vigilia, & hoc factum eft anno Domini 1639. quia Vigilia non anticipatur, nifi quando feftum habens Vigiliam occurrit feria fecunda, & tunc dicitur Miffa Sabbato præcedenti. Si verò Sabbato occurrat iftud feftum sancti Joannis, in hujusmodi Ecclefiis, Miffa feriæ sextæ erit de Oétava Corporis Chrifti, non de Oétava SS. Trinitatis, nec de Vigilia sancti Joannis, ut colligitur ex Miffali nuper recognito; fiet tamen commemoratio de Oétava SS. Trinitatis prius, & poftea de Vigilia, & in fine Miffæ dicetur Evangelium de Vigilia. Videntur tamen dicendæ duæ Miffæ in Ecclefiis Collegiatis, una fcilicet de Vigilia poft Nonam, fine commemoratione de Oétavis, fed tantum dicendæ fecunda Oratio de B. M. & tertia Ecclefiæ, vel pro Papa; altera verò de Oétava Corporis Chrifti cum comm. SS. Trinitatis. Hoc tamen à Superioribus definendum relinquitur, quia non caret difficultate.

VI. Si feria fecunda occurrat feftum Patroni, aut Dedicacionis Ecclefiæ, etiam translatum, Vesperæ erunt integræ de hujusmodi fefto, cum commemor. fefti SS. Trinitatis tantum, & non Dominicæ. Si tamen SS. Trinitas effer Patrona, Vesperæ effer integræ de ea, & fieret commemoratio de aliis feftis fequentibus, & non Dominicæ.

## C A P U T XVI.

De Feflo Corporis Chrifti.

## A R T I C U L U S I.

De hujusmodi Feflo in genere.

I. **H**Oc feftum eft folemniffimum, & præcipuè Proceffio, quæ fieri folet & debet effer folemniffima, quæ ided dicitur *Mirabilis*.

II. Ad Primas Vesperas hujus fefti, fi Tabernaculum SS. Sacramenti fit fuper altare, ante quod dicuntur, tunc omnes genuflectunt ad verfum *Tantum ergo*, ufque ad alium verfum *Genitori Genitoque* exclusive; alias verò non genuflectitur. Cærem. Epifc. lib. 1. cap. 28. Quod etiam fieri debet ad verfum *O Salutaris Hofia*, eadem ratione.

III. Hoc feftum habet Oétavam privilegiam, quæ nulli cedit nifi Oétavæ SS. Trinitatis, ut fuprà. Admittit quidem fefta duplicia, fed non femiduplicia, neque duplicia translata, nifi fint fefta primæ claffis, aut fecundæ, unde fit de fefto Sancti Joannis etiam translato, verbi gratia, fi occurrat in fefto Corporis Chrifti, & tunc transfertur in feriam sextam proximam, nifi impediatur aliquo fefto duplici, quia tunc transfertur in Sabbatum. Dominica infra Oétavam non dicitur *Sequentia Laudæ Sion Salvatorem*, dicitur tamen Præfatio, *Quia per incarnati*, &c.

IV. In die Oétava ejusdem fefti fit tantum de fefto Duplici primæ Claffis, & non alterius fefti. Et fi fit de fefto primæ Claffis, fit tamen femper commemoratio de Oétava in utrifque Vesperis, Laudibus, & in Miffa.

V. Si fequenti die occurrat feftum duplex, Vesperæ integræ erunt de Oétava, nifi fit feftum primæ, aut fecundæ claffis, & tunc fit commemoratio tantum de Oétava.

VI. Indulgentiæ conceffæ funt à Summis Pontificibus iis, qui Officio hac die, & tota Oétava interfunt, eaque etiam confequuntur, qui interfunt Officio de Sanctis, qui infra hanc Oétavam occurrunt, licet Officium non fiat de Corpore Chrifti; quod Joannes XXII. confirmavit.

## ARTICULUS II.

De præparandis pro ſolemni Proceſſione  
SS. Sacramenti.

I. **U**T Proceſſio, quæ hac die ſolemniffima debet eſſe, ſecundùm ſolemnitatem, & reverentiam tanto Sacramento debitas, fiat, omnia ſedulò, maturè, & ſuo tempore debent præparari, & ſuo ordine, ac ſitu diſponi, per Præſectum chori, Cæremoniariorum, Sacriſtam, & alios ad id deputatos.

II. Parietes viarum, per quas tranſeundum eſt, ornari debent tapetibus, piſturis, aulæis, & ſacris imaginibus, & non profanis penſuris; ſicut viæ floribus, frondibusque arborum virentibus, ſecundùm locorum, & perſonarum facultates. Arcus item, quos Triumphales vocant, ſi locis congruis aptè diſponantur cum verſibus, emblematicis, & myſticis figuris, erit admodùm laudabile.

III. Ipſa Eccleſia egregiè fit ornata & parata, ita ut nihil fordidi, ludicri, neque indecori proſus appareat; & præcipuè omnes actus ſcenicis, & profanos prohibet Cærem. Episc. lib. 2. c. 33.

IV. Item fiat rotulus, ſeu catalogus eorum omnium, qui ex conſuetudine debent intereſſe Proceſſioni, & opportunè per curſorem, aut plures, ſi opus fit, ut tempore conſtituto convenienter, & ſuo ordine, advocentur, quò poſteà quilibet ſuo loco vocatus ſtatim procedat.

V. Præterea Sacriſta congruum, & ſufficientem numerum funalium, ſeu candelarum ceræ albæ præparat; omnes enim tam Clerici, quàm laici utriuſque ſexus, ſi non funalia, ſaltem candelas ceræ albæ, ſi fieri poteſt, manibus geſtare debent, & præſertim Clerici, aptatis ad eaſdem candelas, ſi opus fit, vaſculis quibuſdam ad modum extinctiorum inverſorum, ut in iis recipiatur cera effluens ex candelis, ne veſtes, & paramenta eorum inſuciantur, cera effluente. Parat etiam aliquod ſcabellum piſtum, ſuper quod Diaconus, aut ipſe Sacriſta, aut alius deputatus aſcendat quando collocandum erit SS. Sacramentum in loco eminenti, vel quando erit inde removendum, habeatque gradus aliquos, videlicet tres, aut quatuor commodos, & non nimis altos, per

quos facile aſcendant ad Tabernaculum.

VI. Hora competenti manè idem Sacriſta præparat Baldachinum, ſeu umbellam pulchram coloris albi cum haſtis egregio opere factis, ac benè ornatis ſuper SS. Sacramentum deferendam, & ponatur in loco non procul remoto ab altari, modò non impediatur; & ſi non ſint qui ex officio, vel de more deſtinentur ad deferendum prædictum Baldachinum, debent nobiliores, & inſigniores tempore còvenienti ad id rogari per Superiorem, aut ex ejus ordine per Sacriſtam, aut alium.

VII. Super altare, in quo SS. Sacramentum exponi debet, erigatur aliquis locus eminentior, ſeu Tabernaculum aliquod pulchrum & altum, in quo poni debet Corporale, ſeu palla benedicta paulò amplior ſuppōnenda SS. Sacramento, & velum oblongum ſuperponi debet eidem loco, ſeu Tabernaculo, quod hinc aptè cadat ſuper latera altaris, & in parte poſteriori, aut poſtergali ipſius loci ſuperaddatur Tapes pretioſus, & deſuper totum Tabernaculum, umbella, ſeu aliud Baldachinum. Totus verò ille locus ita diſponi debet, ut ſuper locum Reliquiarum totus ſupereminet: locus tamen iſte non debet eſſe ita altus, & eminentis, ut Diaconus, aut alii cogantur aſcendere ſuper altare, & ei pedes ſuperponere (licèt tapes aliquis, aut aliud deſuper ponatur) cum ibidem SS. Sacramentum collocare debet, ut adoretur, vel inde remove, cum hoc indecens omnino videatur, & indecorum. Sed ſi aliter fieri non poteſt, ſi ita fit, conſternatur ſcabellum, quod aliquot gradus contineat ſufficientes, ut ad illum locum facilis fit aſcenſus, citra indecentiam.

VIII. Idem Sacriſta præparat etiam duo thuribula cum totidem naviculis plenithure boni, & ſuavis odoris, ſicut & Thimiamata per Eccleſiam, & in locis ubi SS. Sacramentum debet quieteſcere in Proceſſione. Parat etiam Crucem Proceſſionalem. Item parat ſcabellum aliud decentiffimè pretioſis velis, & aliis paramentis, ſi opus fit, ut aliquando ponatur deſuper Tabernaculum Oſtenſorium; quod ſcabellum, ſaltem poſt celebrationem Miſſæ, poni ſolet ſuper medium altaris per Octavam ad Veſperas, & alia Officia, ſecundùm morem locorum, & ſuper illud fit Corporale.



IX. Item parat Credentiam more solito, super quam, præter alia consueta, ponit velum oblongum humeris celebrantis imponendum ad Processionem, pretiosum, & albi coloris, cum aliquot aciculis, ad prædictum velum firmandum. Præterea super Patenam Calicis duas Hostias magnas, quarum una ita sit aptata, ut facile in Lunula collocari possit postea. Item super eandem Credentiam ponit Tabernaculum gestatorium, seu Ostensorium, cum sua Lunula aurea, vel argentea benè munda intus, facilè removenda, sitque pellucido vitro, seu christallo tam in parte anteriori, quàm posteriori ornatum, unde Hostiæ prospectus esse possit, Acta Mediolanensis Ecclesiæ; cooperiaturque velo convenienti, donec portetur, ut infra, ad altare. Præterea buccalem cum bacili parat, & manutergium. Ponit etiam aliud velum oblongum non ita pretiosum pro Subdiacono de more.

X. Parantur insuper per vias, aut alia loca, per quas transeundum est, una, aut duæ, aut ad summum tres mensæ in modum Altarium, quæ decentissimè cum luminibus, & positis paramentis, & mappa munda contegantur, cum palla, aut Corporali desuper in ejus medio, nisi fortè burfa cum Corporali deferatur ab aliquo, ut inserviat, prout opus erit: & non est necessarium, ut super eadem mensa ponatur Altare portatile contra quosdam. Gavantus.

XI. In Sacristia parantur ornamenta pretiosa pro celebrante, & Ministris, & præterea Tunicella alba pro Subdiacono Crucem Processionalem delaturo. Item, si sit consuetudo, Vexillum, in quo figura SS. Sacramenti sit egregiè depicta, deferendum ab aliquo Clerico, vel laico. Parantur etiam paramenta pro Cantoribus. Et si sit consuetudo, quæ laudabilis est admodum, parantur etiam Pluvialia, Planetæ, Dalmaticæ, & Tunicellæ pro Clericis, ut in Urbe, & multis aliis locis insignibus, qui sic parati, ut infra, procedant suo ordine, præcedentibus iis, qui Tunicellas, sequentibus aliis, qui Dalmaticas, postea aliis, qui Planetas, denique aliis, qui Pluvialia deferant, ut Dignitates, Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, appareant cum paramentis Ordini suo convenientibus coram suo Rege, à quo eorum tota gloria, splendor, & decor emanat, in suo folio residente. Item

parantur quædam alia Pluvialia secundum numerum hastarum Baldachini, pro iis, qui fortè delaturi sunt illud, ut infra.

XII. Hæc autem omnia debent, Sacrista, & alii quibus ex officio incumbit, mature præparare, ne quid eorum prorsus desit, de quibus supra. Thuriferarii etiam semper paratum ignem habeant, & caveant ne omnino deficiat, curentque, ut deferatur in Processione, vel apponatur propè prædictas mensas, ut novus ponatur in thuribus quando opus erit.

### ARTICULUS III.

*De Missa, & Processione SS. Sacramenti.*

I. **P**ost Tertiam, quæ dici debet hora convenienti, & assignata, & fortè matutino tempore propter nimios calores ex Cærem. Episc. l. 2. c. 33, secundum locorum consuetudinem, dicitur Missa solemniter de more, in qua celebrans, ut in feria 5. in Coena Domini, consecrat duas Hostias magnas, quarum unam tantum elevat, & alteram relinquit super Corporale à parte sua sinistra, cavens ne manipulo suo eam tangat, dum elevat SS. Sacramentum, aut aliud agit. Post sumptionem pretiosi Sanguinis, deferitur prædictum Ostensorium cum velo, quo tegitur à Cæremoniario, vel Subdiacono per gradus laterales Epistolæ, facta debita genuflexione in recessu, & accessu.

II. Tum Diaconus, qui stat ab librum, accedit ad dexteram celebrantis cum genuflexionibus solitis, recedente Subdiacono cum iisdem genuflexionibus, ad latus Evangelii, tunc stat ad librum, ibique ipse Diaconus Calicem celebrantis collocat versus cornu Evangelii super Corporale, & palla tegit illud, tum Ostensorium detectum aperit, ac statim calebrans, facta genuflexione, propria manu dextera, adaptat Sacram Hostiam in prædicta Lunula, quæ est in medio prædicti Ostensorii, adjuvante eodem Diacono, qui illud statim claudit, in medio Corporalis collocat reverenter, & velo suo cooperit. Postea tam Celebrans, quàm ministri genuflectunt.

III. Tum Celebrans Communionem dat iis, qui sunt communicandi, si opus sit, cū solitis, & debitis reverentiis; sed præstat, ut fiat

Com-

Communio ante Missam, vel ut differatur in aliam horam commodiorem; convenit tamen, ut communicet Diaconum, & Subdiaconum, si non sint Sacerdotes. Tum Subdiaconus accedit ad dexteram Celebrantis, ubi ministrat vinum, & aquam ad purificationem, & ablu-tionem celebrantis, & Diaconus ad librum, qui eum reportat cum debitis genuflexionibus ad cornu Epistolæ. Si autem neminem communicat, capit purificationem, & ablu-tionem de more cum genuflexionibus debitis, & absolvit Missam, servatis iis, quæ supra capite de Missa coram SS. Sacramento expo-sito notavimus, & etiam iis, quæ feria 5. in Coena Domini diximus. Subdiaconus post ablu-tionem Celebrantis extergit Calicem Missæ, & ad Credentiam cum debitis genuflexionibus reportat.

IV. Circa finem Missæ parantur in Sacri-stia, si sit consuetudo, Clerici cum Cottis, & Pluvialibus, qui hastas Baldachini delaturi sunt, vel deficientibus Pluvialibus, Cottis tantum sine stolis, nisi prius alii, ut supra, invitati fuerint clari, aut nobiles viri. Item alter Subdiaconus Crucem delaturus cum Tunicella sine manipulo, & alter thuriferarius, ut feria 5. in coena Domini. Candelæ quoque distribuuntur tunc in Choro, vel prout ibidem etiam diximus, post Missam.

V. Finita Missa, ipse celebrans, & non alius, nisi sit Episcopus proprius, qui velit SS. Sacramentum deferre, ex Sac. Congreg. Rit. per gradus laterales se retrahit ad cornu Epistolæ, & ministri sacri cum eo, factis debitis genuflexionibus in medio super suppedaneum altaris, ibique in plano deponit semper Planetam, & manipulum, & capit Pluviale album, adjuvantibus Ministris sacris, qui etiam suos manipulos deponunt: celebrans enim non debet esse paratus Planeta in hac Processione. Tum per planum inter Ministros sacros elevantes Pluviale ejus, si commodè fieri potest, accedit ad medium altaris, ubi cum eis in plana terra utrumque genuflectit, & se profundè inclinat ante, & post: tum surgit, & ascendit ad secundum gradum, ubi aliquantulum orat cum ipsis Ministris.

VI. Interim distribuuntur candelæ, si prius non fuerint distributæ, deferunt baldachinum ante altare, ubi qui illud deferre debent, manent genuflexi, ut supra diximus; duo thuriferarii cum suis thuribus cum igne, & na-

viculis accedunt ad altare, quos sequitur Subdiaconus cum Cruce, quam duo Ceroferarii excipiunt obviantes ei cù candelabris accensis ad ingressum Presbyterii, vel extra, si fieri potest, ibique stant hinc inde à lateribus Subdiaconi directè ante SS. Sacramentum, habentes ante se Baldachinum, ut primi postea facilius procedant. Ibi autem, nec alibi quamdiu sunt simul cum Cruce, & candelabris nunquam genuflectunt. Thuriferarii tamen genuflectunt, & accedunt ad cornu Epistolæ, ubi expectant donec celebrans surgat. Interim etiam Diaconus facta genuflexione surgit, discooperit ostensorium, facta prius, & post genuflexione.

VII. Interea si Chorus distat ab Altari, aut si sit post ipsum, vel si Processio non debeat per ipsum transire, Clerici accedunt de eo ad altare, ut supra feria 5. in coena Domini diximus c. 9. art. 3. n. 6. & sequentibus, ad quos mittendi sunt Lectores, multa enim ibi reperietur hic penitus respectivè faciendâ. Si chorus sit retrò post Altare, Clerici exeant ex eo, ad Altare, ut supra diximus eodem articulo.

VIII. Facta oratione à celebrante, ipse surgit, imponit de more thus in duo thuribula, ut eodem articulo, & cum primo thuribulo genuflexus incensat SS. Sacramentum, & tunc, & non prius, Cantores inchoant versum *O Salutaris hostia*, ut in instructione Romana pro Oratione quadraginta Horarum edita, aut aliquid aliud, modò sit breve; itaut relinquatur tantum temporis celebranti, & ministris, quantum sufficit usque ad initium Processionis, quæ etiam non debet prius inchoari, quin hæc prius absolvantur.

IX. Incensato SS. Sacramento, Diaconus reddit thuribulum primo thuriferario, qui cum debita genuflexione vadit ad cornu Evangelii in plano, ut ibidem diximus, sicut jam prius secundus se receperat ad cornu Epistolæ. Diaconus verò accedit ad Altare, ubi facta genuflexione, capit Ostensorium: & interim Subdiaconus imponit velum, adjuvante Cæremoniario, humeris celebrantis, ut ibidè diximus, & aciculis firmat: ipse verò Diaconus tradit Ostensorium Celebranti, qui illud capit dextera nuda per nodum, sinistra verò nuda per pedem; itaut imago Christi, quæ est in Hostia, Crucem Subdiaconi, dum fiet processio, respiciat; quod faciliè fiet, si dum est super altare respiciat populum, &

tunc

tunc Diaconus fic accipiet Offenforium, & immediatè tradet Celebranti, eo ferè modo quo diximus de Calice ibidem. Quo facto manus celebrantis tegit extremitatibus veli oblongi, itaut nullo modo appareant, fed tantùm SS. Sacramentum pateat in fole, itaut etiam velo, vento, aut alio nõ poffit amoveri.

X. Minimè probatur illa confuetudo deferendi SS. Sacramentum humeris Sacerdotum, fed potiùs abufum eife, & corruptelam declaravit Sac. Congr. Rit. 2. Junii 1618. unde ea confuetudo penitus abroganda videtur.

XI. Tum ipfe Celebrans furgit, ministris mutantibus loca fua, ut ibidem diximus, & fic erectus convertit fe ad populum; & Cantores parati, fi fit confuetudo, adhuc genuflexi, non priùs, intonant devotè Hymnum *Pange lingua.*

XII. Tum ordinatur Proceffio, in qua, fi fieri poteft, ex laudabili more, ut fuprà diximus capite præcedenti, aliqui Pluvialibus, alii Planetis, alii Dalmaticis, & alii Tuniceis albi coloris parati procedant. Si tamen hæc fieri non poffunt, faltem fiant duo, aut quatuor, aut fex parati, quantum fieri poteft, Pluvialibus, qui Cantorum, aut Affiftentium officium expleant fecundùm confuetudinem.

XIII. Præcedit omnes ille, qui vexillum quadratum, in quo eft imago SS. Sacramenti depicta, defert ambabus manibus, fi fit confuetudo, cotta indutus, fi fit Clericus, aut habitu honefto, fi laicus; eumque fequuntur laici aliqui, aliàs non, portantes faces, aut in torticia. Deinde Subdiaconus cum Cruce medius inter duos Ceroferarios, poftèa clerici parati, ut fuprà, cum candelis, aut facibus, quas qui à dextris funt deferunt dextera, qui à finiftris, finiftra, altera librum rituales, vel fi non librum teneant, alteram infrà pectus admotam habeant, aut etiam decenter demiffam: fed in his fervanda eft uniformitas.

XIV. Caremoniarius nullum locum certum habere poteft, nec candelam deferre, fed omnibus debet providere modèftè, ut debitis modo, ordine, & ea, qua parèft reverentia, fiant.

XV. Poft clericos aliqui cottis parati deferunt faces, de quibus diximus feria 5. prædicta, quas accendere debuerunt ante elevationem SS. Sacramenti. Poft eos procedunt Thuriferarii moventes thuribula fua, ut eo

loco diximus: fimul autem greflus fuos dirigant, ac pariter fua thuribula elevent, & thus fimiliter in iis imponant, & ignem, quando opus eft, pedemque proximiorum Tabernaculo priùs moveant: convenit etiam ut unus ex Clericis, fi fieri poteft, cum iis incedat cum navicula, ut miniftrèt incenfum utrique quando opus erit. Item ut aliquis etiam Clericus fecum deferat burfaam cum Corporali, ut extendat illud fuper altaria per vias parata, qua it Proceffio, nifi jam priùs parata fint, ut fuprà diximus. Similiter convenit ut unus, aut duo, aut plures maxerrii præcedant, ut vias præparent, & alii hinc inde procedant, ut Proceffio rectè dirigatur.

XVI. Cantantur hymni à clero cum ultimo verfu, & in fine Amen. Si verò hymni illi, & cantica non fufficiant, poffunt alii cantari, fcilicet *Pange lingua gloriofè lauream, &c.* de Paffione, & *Luftra fex, qui jam peregit*, & hymni de fefto Transfigurationis, qui proceffioni maximè conveniunt, & Pfalmi Vesperarum, vel *Quàm dilecta tabernacula*, aut alii. Item Refponforia aliqua, fed tamen non ita conveniunt ac prædicta.

XVII. Celebrans, & miniftri recitant fubmiffa voce, & non cantando, hymnos, & cantica convenientia: neque cantare debent quidquam cum aliis, nifi fortè efferent pauci admodùm clerici, & neceffitas maxima ad id cogat.

XVIII. Ad verfum *Tantum ergo*, intra Ecclefiam genufleñtunt, fi fieri poteft, nifi concursus populi, aut multitudo Clericorum id impediatur, aut aliud.

XIX. De baldachino, & de haftarum ejus distributione fatis fer. 5. prædicta diximus: convenit autem, ut nobiles deputati priùs ensem, & arma deponant, antequam haftas accipiant, fi iis utantur. Poffunt tamen aliqui capellani deputari ut fuprà, qui deferant haftas ab altari ufque ad portam Ecclefie, cum pluvialibus, vel cum cottis tantùm, non verò cum ftolis, planetis, vel dalmaticis, ibique extra eam tradant eafdem haftas prædictis nobilibus, & mox redeant ad loca fua cum fuis collegialibus, ex Car. Epif. l. 2. c. 33.

XX. Si etiam fit confuetudo, aliquis vir illuftris poft celebrantem incedens fimbriam pluvialis ejus pofteriorem eleve, procedens fub baldachinum. Car. Ep. l. 2. c. 33. Sed fortè hic honor defertur tantùm Epifcopis, aut

**Prælatis.** Si adfint Prælati, & Nobiles laici, accedunt poft celebrantem, & fi velint faces deferunt, ut decet.

**XXI.** Continuare, uniformiter, & fine ulla interruptione omnes incedant, itaut non fiftant fe Clerici, ut SS. Sacramentum à Thuriferariis incenferetur, nifi neceffitas id poftulet, nec ut SS. Sacramentum expectent. Et fi contingat eos tranfire ante SS. Sacramentum quòd forte defertur ab aliis, non propterea debent firmare fe. Si itè accidat, ut celebrans per aliquos gradus afcendat, aut defcendat Caremoniarius, aut alius, Albæ extremitates & veftes interiores celebrantis elevet. Advertant utem Sacerdotes qui pofteriores funt, ne nimium elongent fe à SS. Sacramento.

**XXII.** De circulo, & via procedendi fervetur locorum confuetudo; rectius tamen proceditur à latere Evangelii ad latus Epiftolæ, fi id patiatur locorum fitus, & hic modus videtur conformis Pontificali Romano, in quo præcipitur, ut in Dedicatione Ecclefiæ Proceffiones fic inchoentur. Item Abfolutio defunctorum fic debet fieri ex Miffali, & Rituali.

**XXIII.** Si longior fit Proceffio, poteft celebrans in locis, aut altaribus paratis, ut fuprà deponere SS. Sacramentum fuper Corporale priùs explicatum, fecundùm locorum confuetudinem: ibi autem Diaconus genuflectit, accipit SS. Sacramentum, illud ponit fuper Corporale, miniftrat incenfum celebranti de more celebrans genuflexus illud ter incenfat; interim, & non priùs Cantores, dum inchoat incenfationem, cantant, *O Salutaris, Panis Angelicus*, aut aliud. Quo dicto, Cantores fubdunt verfum *Panem de caelo, &c.* celebrans dicit Orationem, & alia, eo modo quo infrà in fine Proceffionis. Ideò videnda quæ ibi annotantur. Hoc tamen paffim non fiat ad fingula altaria, vel loca ornata in viis, fed femel tantùm, ac iterùm arbitrio celebrantis; frequentes enim ftationes videntur importunæ, & fæpè ordinem Proceffionis pervertunt. Cantores autem ita hymnos prædictos, aut alia dimetiantur, ut quando Sanctiffimum Sacramentum erit incenfandum, ftatim incipiant aliquem verfum convenientem incenfationi, videlicet *O Salutaris Hoftia*, vel *Panis Angelicus*, aut aliud fimile; nec priùs illos incipiant, donec celebrans incenfationem incipiat; quod in fimilibus obfervandum femper videtur.

*Man. Sacr. Carem.*

**XXIV.** Ium fit Proceffio, femper pulfantur campanæ Ecclefiæ principalis & aliarum etiam ante quas tranfitur, quarum Superior five fit Sæcularis, five Regularis, Pluviali indutus obviam ire poteft (præfertim fi eft confuetudo, quæ certè in hoc laudabilis eft) & alii de Clero eufdem Ecclefiæ, nifi interfint Proceffioni, candelas accenfas habentes. cum Thuriferario, & Ceroferariis, & alio Acolyto fimbriam Pluvialis ejus elevante; & ipfe Superior Sanctiffimum Sacramentum genuflexus, etiam cum profunda capitis inclinatione ante, & poft, thurificare debet, Clero fuo, fi adfit, ad fores Ecclefiæ fuæ genuflexo manente, & celebrante deferente Sanctiffimum Sacramentum, ftante. At fi Proceffio fecundùm locorum confuetudinem ingreditur in Ecclefiam, celebrans accedet ad majus altare, quem Clerus hujus Ecclefiæ comitabitur ordine fuo, vel ibid. expectabit ad fores Ecclefiæ, donec Proceffio difcedat. Poterit etiam ibidem aliquid decantari, & Sanctiffimum Sacramentum thurificari, ut fuprà, & eodem ritu quo infrà, cum verfu, & Oratione.

**XXV.** Poftquam Proceffio Ecclefiam ingreffa fuerit, ille qui vexillum fupradictum reportat, illud deponit in loco parato, & congruenti, extra tamen Cancellis altaris; & laici geftantes faces poft eundem vexilliferum dividunt fe hinc inde formantes duas lineas in longum, inter quas tranfeat Clerus. Ceroferarii, depositis candelabris fuis fuper Credentiam, genuflectunt, & Subdiaconus, Cruce etiam deposita, ad cornu Epiftolæ propè Credentiam etiam genuflectit, ufque ad benedictionem poftèa dandam.

**XXVI.** Si verò qui ex Clericis incedunt, priores, fcilicet juniores, dum funt in Ecclefiâ in loco ad id deftinato à Caremoniario bini fiftere fe debent, hinc inde ita diftantes à cancellis altaris verfus latera Ecclefiæ, ut qui fequuntur tamquam digniores ultra procedant, & firment fe ante eos, & fic deinceps, ufque ad duos poftremos feniores, ita ut hi poftèa genuflexi proximiores fint Sanctiffimo Sacramento; quod femper videtur obfervandum in fimili cafu, modò relinquant tranfitum celebranti.

**XXVII.** Quòd fi circa altare efficiant quafi femicirculum, ut in quibusdam locis, feniores fint quafi directè ante SS. Sacramentum, & quafi in medio plani hinc inde

& juniores versus cornua altaris intra vel extra Presbyterium. Laici verò hinc inde cum facibus manent genuflexi circumcirca extra cancellos. Dum verò celebrans transit per medium eorum, omnes genuflectunt, & sic manent donec data sit benedictio. Thuriferarii cum ad gradus altaris pervenerint, ibi sistunt cessantes ab incensatione, & interim portatur Baldachinum à deputatis in locum congruum extra Presbyterium, & remotum prorsus à conspectu populi, ita ut non appareat nisi quando necesse erit.

XXVIII. Si chorus sit propè Altare, Clerici ibidem genuflectunt, & laici post eos.

XXIX. Celebrans verò cum ascenderit ad secundum gradum altaris, deponit SS. Sacramentum stans in manus Diaconi genuflexi in plano suppedanei ad cornu Epistolæ quasi vertentis renes eidem cornu, & hic surgit, & reverenter illud collocat super medium Corporalis extensi super altare, non omnino renes vertens celebranti ob ejus reverentiam, nec statim illud ponit super altare, sed tantillum expectat, ut celebrans illud adoret. Sic autem illud ponit, ut imago Christi in Hostia sacra expressa populum respiciat. Tum Diaconus genuflectit, & accedit erectus ad dexteram celebrantis, cujus non adhuc velum removetur ab humeris ejus, quia infra daturus est benedictionem.

XXX. Postquam Celebrans dederit SS. Sacramentum Diacono, statim genuflectit, & illo deposito super altare ab eodem Diacono, ibidem stans ponit thus in thuribulum primi Thuriferarii, alio genuflexo in cornu Evangelii, ministrante Diacono naviculam, & genuflexus SS. Sacramentum incensat de more.

XXXI. Interim Cantores statim ac celebrans incipit suam incensationem, & non prius, incipiunt versusum *Tantum ergo*, & prossequuntur eisdem cum sequenti versusu *Genitori*: celebrans verò ita metiri debet suam trinam incensationem, ut ipsa duret, quamdiu hi duo versiculi cantantur, scilicet *Tantum ergo Sacramentum venerationem cernui*.

XXXII. Dicto versusu *Genitori*, cantatur versus *Panem de celo*, &c. à duobus Cantoribus genuflexis, & numquam à celebrante ut fit in quibusdam Ecclesiis, sed contra Ritum Romanum. Chorus verò respondet, *Omne delectamentum* &c. Tum celebrans surgit,

& dicit *Dominus vobiscum*, & Orationem *Deus qui nobis* &c. ex libro quem sacri ministri genuflexi sustinent hinc inde ante eum. Vide Rit. Rom. In fine Orationis dicitur tantum brevis conclusio *Qui vivis & regnas per omnia secula seculorum*, & non adhibetur longior, quia tantum additur ad Missam, & ad Horas.

XXXIII. Responso à Choro *Amen*, Celebrans nihil addens, ascendit ad altare, genuflectit, & sine alterius ministerio accipit velatis manibus; ut prius, Tabernaculum, & vertens se ad populum per latus suum dextrum, ut ad *Dominus vobiscum*, tenens manu dextra nodum, & sinistra pedem Tabernaculi, ut prius, ante pectus, benedicit populum semel tantum, nihil dicens, in modum Crucis, facie Hostia ad eundem versa, & gyrum perficiens, Ostensorium collocat super altare.

XXXIV. Hoc autem ritu celebrans cum SS. Sacramento populum benedicit. Cum stat ante populum, Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora non super caput, sed tantum ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum reecta attollit usque ad pectus, & deinde ad sinistram humerum ducit, & reducit ad dextrum, & rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes partes mundi Cruce, eam etiam venerandam omnibus præbeat, tum gyrum perficit ut supra.

XXXV. Interim dum celebrans benedicit, Ministri hinc inde genuflexi, & inclinati facie versa ad Sanctissimum Sacramentum, elevant partes anteriores Pluvialis illius, quod & faciunt Assistentes in pari casu.

XXXVI. Dum autem celebrans benedicit, nihil dicit prorsus, nec alii Cantores, aut Musici. Potest tamen organum pulsari suavi sono, & gravi, ut ad elevationem Sanctissimi Sacramenti. In quibusdam Ecclesiis dum cantatur versus *Genitori Genitrici*, celebrans accipit Sanctissimum Sacramentum, & cum dicitur *Sit & benedictio*, Populum benedicit semel, sed hoc videtur nimis rusticum, & est expresse contra Rituale Romanum, idè mos iste non videtur permittendus.

XXXVII. Deposito Sanctissimo Sacramento à celebrante super altare, ipse statim, genuflexione facta, descendit ad secundum

gradum ut prius, ubi genuflexus manet. Tum ponitur, si opus sit, scabellum supradictum ante altare pro Diacono, qui statim, amoto velo ab eo per Subdiaconum, vel Cæremoniarium, ascendit ad altare, ubi facta genuflexione, reponit sanctissimum Sacramentum in majori Tabernaculo, vel in loco eminenti, ut supra diximus, parato decentissimo ornatu, & umbella, & aliis, ita ut locus ille emineat super Reliquias quascumque, ut eo die colatur à populo, pro locorum consuetudine, manentibus interim Celebrante, & aliis Ministris genuflexis, & amplius non incensatur: sufficit enim unica incensatio statim post reditum Processionis, ut supra, contra multos qui multoties absque ratione valida illud incensant; & semper eidem Ostensorio supponatur Corporale, seu Pala benedicta, ut supra diximus.

XXXVIII. Ardeant faces, & candelæ usque ad depositionem sanctissimi Sacramenti in loco suo, inclusive. Si includatur in Tabernaculo, clavis ipsius semper sit in promptu, & parata, quando aperiendum, aut claudendum erit, ut exponatur, aut recludatur, tota hac Octava, sicut & prædictum scabellum à latere Epistolæ; consignetur verò clavis inter manus Sacristæ, qui semper his actibus præsens esse debet; vel Cæremoniarium, aut alterius, qui vices ejus suppleat.

XXXIX. Diaconus, postquam reposuerit sanctissimum Sacramentum, facta genuflexione, descendit ad dexteram Celebrantis, ubi genuflectit; mox omnes surgentes, acceptis biretis, recedunt in Sacristiam, Thuriferariis præcedentibus, & Subdiacono cum Cruce, quam prius recepit de loco suo, in medio Ceroferariorum; quos sequuntur Cæremoniarium, Ministri sacri, & Celebrans.

XL. Si Sanctissimum Sacramentum maneat expositum, eo casu, nec Celebrans, nec ministri, nec alii tegunt capita intra Presbyterium, sed extra tantum; nec candelæ extinguuntur, nisi etiam extra illud. At si includatur, Celebrans, & ministri eo incluso, acceptis biretis tegunt capita sua ante altare; & tunc omnes extinguunt candelas.

XLI. Tum dicuntur in choro, Sexta & Nona, ad quas omnes stant, nudo capi-

te, & non sedent, si Sanctissimum Sacramentum sit expositum; aliàs verò celebrantur more solito.

## ARTICULUS IV.

*De Processione SS. Sacramenti in minoribus Ecclesiis, & quando Missa privata tantum dicitur, vel etiam non dicitur.*

I. **A**lio modo in minoribus Ecclesiis defertur Sanctissimum Sacramentum, quo in majoribus, & alio modo quando privata tantum Missa celebratur.

II. Hic autem modus in hoc casu observari potest, & certè probatur à peritis Cæremoniarium. In Missa privata celebrans consecrat duas Hostias magnas, unam pro Missa, aliam in Processione deferendam. Ideò ante Missam super Patenam ponuntur duæ Hostiæ. Celebrans procedit cum ministro solito ad altare, aut pluribus. Post Communionem non extinguuntur cerei, qui ad elevationem accensi sunt.

III. Sumpro à celebrante pretioso Sanguine, Cæremoniarium, aut alius portat ad altare Ostensorium tectum velo, illudque ponit propè celebrantem, nisi jam ante Missam super altare positum fuerit inter candelabra, ad cornu Epistolæ, quod fieri convenit quando sunt pauci Clerici. Tum celebrans, antequam sumat purificationem, collocat, ut supra, Hostiam (adjuvante Cæremoniarium, qui tamen eam tangere minimè debet) in lunula parata. Deinde idem celebrans ponit Tabernaculum in medio Corporalis, illudque parvo velo tegit, & omnia peragit ut prædicta feria in Coena Domini, deponitque Calicem suum à parte Evangelii post ablutionem digitorum suorum, & extersionem ipsius Calicis extra Corporale, & genuflectit, ut supra notavimus.

IV. Finita Missa, convenientius est, ut redeat in Sacristiam; quod facere debet cum debitis genuflexionibus, & nudo capite intra Presbyterium, deferens Calicem suum; ibique deponit Planetam, & manipulum, non stolam, & accipit Pluvialem; tum redit ad altare, præcedentibus duobus Thuriferariis, si fieri potest (vel uno) cum duobus thuribus

bulis igne plenis . Sequuntur Subdiaconus nudo capite paratus cum Cruce medius inter duos Ceroferarios, tum Clerus, fi adfit ex more, deinde Miniſtri ſacri, ſi adſint, habentes medium celebrantem, cujus ſimbrias Pluvialis elevant. Ad cancellos altaris, vel in aditu Presbyterii, deponunt bireta, eaque tradunt Cæremoniario ſi adfit, & ante infimū gradum genuſcctunt in plano ambobus genibus, caputque inclinant genuflexi. Mox aſcendunt ad ſecundum, ubi genuflexi parumper orant. Interim Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferarii ſtant in plano, & Clerus accedit ( niſi prius acceſſit cum celebrante ut ſuprà ) cum accenſis cereis, qui etiam interim illis fuerunt diſtributi, ibique circa altare genuſcctunt. Reliqua ſiunt ut ſuprà reſpectivè, cum debitis genuflexionibus, thurificationibus, impoſitione veli, benedictione, & aliis huiusmodi. Dum verò celebrans parat ſe in Sacriſtia Pluviali, aliquis Clericus remanere debet ad altare, aut duo qui genuflexi orant ante Sanctiſſimum Sacramentum, non enim decet, ut ibi ſolum relinquatur. Interim portatur baldachinum ante altare. Si autem ibi ſint Miniſtri ſacri, poterit celebrans deponere paramenta in cornu Epistolæ, ibique accipere Pluviale, ut ſuprà diximus, ne grave ſit populum multum expectare.

V. Si verò Miſſa non celebratur, celebrans & miniſtri procedunt de Sacriſtia eo modo quo mox dicemus, advertentes ut ſemper caput detegant ingrediendo Presbyterium.

## ARTICULUS V.

*De Proceſſione que aliquando fit ante Miſſam.*

I. IN multis locis Galliæ fieri ſolet Proceſſio SS. Sacramenti ante Miſſam. At hoc repugnat Rituali Romano, Miſſali, & Cæremoniali Episcoporum, praxi Urbis, & aliarum Eccleſiarum inſignium; & ratio eſt, quia convenit, ut qui conſecravit Hoſtiam, eam deferat in Proceſſione, & quia dum fit ante Miſſam Proceſſio, & poſtea eadem celebratur Miſſa, ſæpiſſimè genuſcctendum eſt, & numquam ſedendum, quod fortè valde oneroſum eſſet

Celebranti, & aliis quibus federe permittitur. Sed tamen quia aliquando aliter fieri non poteſt propter diverſorum ſenſum, aut conſuetudinem, quæ vix tolli poſſet, hæc ſunt obſervanda.

II. Summo mane, vel aſſignata hora celebrari debet Miſſa, vel privata, vel etiam ſolemnis, ut in pluribus locis, in qua conſecrantur duæ Hoſtiæ, quarum unam celebrans, ſumpto pretioſo languine, ponit in Lunula Oſtenſorii, ut ſuprà, adjuvante Cæremoniario, vel Miniſtris ſacris, ſi dicitur Miſſa ſolemnis, ut ſuprà dictum eſt, vel alio Miniſtro in ſacris.

III. Finita verò Miſſa, redit celebrans in Sacriſtiam, ſed remanent aliqui Clerici per vices orantes coram SS. Sacramento incluſo in Oſtenſorio, velo ſuo cooperto, donec fiat Proceſſio.

IV. Si tamen unus eſſet Presbyter, eo caſu, pridie, iſdeſt feria quarta præcedenti, ipſe Sacerdos debet conſecrare duas Hoſtias, unamque earum aptare in lunula Oſtenſorii poſt Communionem, & ſtatim illud coopertum ante Purificationem includere in majori Tabernaculo, cum debitis genuflexionibus.

V. Hora autem convenienti poſt Tertiam, ſi dicatur, ordinatur Proceſſio eo modo quo diximus capite præcedenti. Dicta enim Tertia celebrans, & miniſtri, & omnes alii qui ſuprà, parant ſe pro Proceſſione ſolemniſſima, ſed tamen ſine manipulis, & ſtolis; & ſic parati accedunt ad altare, genuſcctunt exceptis Subdiacono, & Ceroferariis, & ſiunt omnia quæ ſuprà.

VI. Facta Proceſſione de more, SS. Sacramentum ponitur in loco ſuo miniſterio Diaconi, incenſatur, cantatur *Tantum ergo*, & ſtatim celebrans accedit ad cornu Epistolæ, ubi in plano deponit Pluviale, capit manipulum, & Planetam, & interim Subdiaconus Crucem portans deſert Crucem Proceſſionalem in Sacriſtiam, vel eam deponit ad partem Epistolæ, quod eſt decentius, & deponit Tunicellam in Sacriſtia, & redit in Chorum cum aliis; ſimiliter ſecundus Thuriferarius deponit ſuum thuribulum in eadem Sacriſtia, & Ceroferarii, & primus Thuriferarius remanent ad Credentiam; removetur Baldachinum, & Celebrans accedit ad Altare cum duobus tantum miniſtris ſacris uno poſt alium, & nudo capite; ibique

utrumque genuflectunt in plano, & Celebrans incipit, & prosequitur Missam solemnem, servando ea, quæ supra diximus par. 3. cap. ult. quod est de Missa solemni coram Sanctissimo Sacramento exposito.

VII. Finita Missa, Celebrans in medio suppedanei altaris, facta prius genuflexione, imponit thus in thuribulo, sine benedictione, & osculis, & genuflexus in secundo gradu, accipit thuribulum, & incensat sanctissimum Sacramentum de more. Interim canitur à Clericis *Tantum ergo*, dictis que versibus, & Oratione ut supra, acceptoque velo oblongo benedicat populum modo supradicto. Tum Sanctissimum Sacramentum reponitur à Diacono, vel in Tabernaculo, vel in loco eminenti, ut supra.

VIII. Si verò molestum sit populo diutius expectare benedictionem cum Sanctissimo Sacramento, fiant hæc prædicta, statim ac Processio pervenit ad Ecclesiam, ac si non diceretur Missa, dataque benedictione ponitur SS. Sacramentum in loco eminenti, vel in Tabernaculo majori, ut supra, & dicitur Missa solemnis.

IX. In Ecclesiis ubi pauci admodum adfunt Clerici, servantur ea, vel plurima quæ prædicta feria quinta in Coena Domini notavimus in minoribus Ecclesiis, sed loco Calicis operi celebrans utatur Ostensorio in quo est Sanctissimum Sacramentum, & in fine Processionis non deponat velum oblongum nisi post datam benedictionem. In cæteris observat ea, quæ loco citato dicuntur.

## ARTICULUS VI.

*De Vesperis solemnibus, & Processione post Vesperas coram SS. Sacramento.*

I. IN multis Ecclesiis hac die, & per totam Octavam, saltem in festis de Præcepto, solent Vesperæ solemnius cantari coram Sanctissimo Sacramento exposito, & ideo convenit ut omnes tunc stent nudo capite, & non sedeant: quòd si propter aliquam rationabilem causam, videlicet Officium longius, sedere Clerici cogantur, numquam tamen caput tegant. Idem faciendum est ad omnes Horas etiam ad Missam, non sedere debent ad Hymnum Angelicum, Epi-

*Man. Sacr. Cærem.*

stolam, Graduale, *Alleluja*, Sequentiam, Symbolum, Offertorium, Postcommunio-nem, & alia hujusmodi, etiam ad Concionem. Convenit etiam, ut tunc Cantores qui fortè per Chorum deambulare solent ad Vesperas solemnes, & Missam secundum morem multarum Ecclesiarum, abstineant hac tota octava, quamdiu Sanctissimum Sacramentum erit expositum, ab hujusmodi deambulatione, ut jam cap. de Vesperis solemnibus 2. par. diximus. A fortiori intra cancellos, seu Presbyterium nemo caput tegit. Vide Cærem. Episc. l. 2. c. 33. nec omitti debent genuflexiones requisitæ à celebrante, Assistentibus, & aliis quibuscumque. Celebrans autem habeat stolam, & regulariter quoties Sanctissimum Sacramentum tractare debet.

II. Ad Canticum *Magnificat*, celebrans accedens cum suis Assistentibus, & aliis ad altare nudo capite, facta genuflexione utroque genu in plano, ascendit ad illud, & facta iterum genuflexione, illud etiam osculatur, & ibidem de more ponit thus in thuribulum sine osculis, sed cum benedictione, quia etiam est illud altare incensaturus, & tunc stat aliquantulum ad cornu Evangelii facie versa ad latus Epistolæ, tum descendit statim ad secundum gradum, ubi genuflexus, accepto thuribulo, ter Sanctissimum Sacramentum incensat, inclinans se profundè ante, & post, tum ascendit ad altare, & facta genuflexione incensat Reliquias, si sint super illud, & altare, & redit ad medium altaris. Quo facto descendunt in planum, celebrans quasi per latus Evangelii, sicut & secundus Assistentis, primus verò per latus Epistolæ versa facie quasi ad medium altaris, ita ut terga non vertant Sanctissimo Sacramento.

III. Si sit sufficiens Clericorum numerus in Choro, decet certè, ut aliqui ex dignioribus habitu tantum choralis induti, duo scilicet, aut quatuor, aut sex, bini sequantur Celebrantem dum ad incensandum altare procedit, atque cum eo genuflectant, & stent dum illud incensat versa facie ad altare, non tamen cum eo genuflectentes dum transit ante Altare, illud incensando, & finita incensatione redeant eo modo quo venerant, factis debitis reverentiis Sanctissimo Sacramento, Celebranti, & aliis, tum loca sua repetant. In praxi Urbis,



& aliarum Ecclesiarum; in quibusdam etiam Magistratus sequuntur Celebrantem. Si adsint Canonici, ipsi possunt, & debent illuc accedere.

IV. Si Celebrans, & Assistentes, dictis Vesperis dum recedunt in Sacristiam, transeant propè altare majus, genuflectere debent coram sanctissimo Sacramento, & orare aliquantulum ibidem, ut initio; at facta genuflectione recedere debent in Sacristiam.

V. Si ante Vesperas hujus diei, & ante alias solemnes sanctissimum Sacramentum non sit expositum, & tamen exponi debeat ad hujusmodi Vesperas antequam inchoentur, Celebrans stola paratus, & Pluviali cum Assistentibus paratis Pluvialibus procedit ad Altare, præcedente omnes Thuriferario cum thuribulo non fumigante, & Ceroferariis. In infimo gradu tradunt bireta Ministro, seu Cæremoniario, qui illa deponit in loco congruo, quia non erunt usui ad Vesperas, ibique genuflectunt unico genu, quia sanctissimum Sacramentum non est expositum, ascendunt ad altare, & celebrans illud osculatur. Tum celebrans sine alia genuflectione descendit ad secundum gradum Altaris, ubi genuflectit cum aliis Assistentibus, & tunc Sacrista cum stola, & Cotta, aut primus Assistens deficiente Sacrista, cum debitis genuflectionibus aperit ostium Tabernaculi majoris, & facta genuflectione, statim primus Assistens descendit ad dexteram celebrantis ubi ministrat de more ei, sine oculis, naviculam, de qua ponit thus in thuribulum sine benedictione stando, hinc genuflexus sanctissimum Sacramentum ter incensat, ut moris est, Choro interim cantante *Tantum ergo, &c.* aut *O salutaris Hostia, &c.* vel potius Organista tangente Organa, & tunc cessat campanarum sonus. Deinde reddito thuribulo Assistenti, qui illud reddit Thuriferario, ipse primus Assistens iterum ascendit ad altare, genuflectit & collocat SS. Sacramentum in loco eminenti super Corporeale, aut Pallam ibi substratam, Ceroferarii relinquunt candelabra sua ibidem accensa, & Thuriferarius thuribulum suum statim in Sacristiam defert, & in Chorum nudo capite redeunt, ubi dicuntur Vesperæ ut supra. Advertant autem omnes, ut non terga vertant SS. Sacramento.

VI. Aliqui præcipiunt, ut primus Assi-

stens, aperto ostiolo Tabernaculi, statim facta genuflectione, Ostenforium extrahat, & ponat prius in suo loco præparato, ut postea ibidem incensetur, non verò in majori Tabernaculo: sed in Cærem. Ep. lib. 2. c. 25. & 26. in pari casu, præcipitur ut Episcopus incenset SS. Sacramentum in capsula aperta, antequam inde extrahatur, & tradatur Episcopo. Idem Missale ordinat feria sexta in Parasceve. Ideò prius incensandum est in Tabernaculo majori, antequam inde extrahatur.

VII. Collocato verò sanctissimo Sacramento ibidem non debet amplius incensari, primus verò assistens claudit ostiolum majoris Tabernaculi, & omnia fiunt ut supra.

VIII. Si post Vesperas, & Completorium facienda sit Processio sollemnis, ut in multis locis, circa finem earum ministri sacri parant se, Diaconus alba stola, & Dalmatica, Subdiaconus alba, & Tunicella, & alter Subdiaconus, si fieri possit, pro ferenda Cruce, alia Tunicella alba, celebrans verò stola solita, & Pluviali, sicque parati procedunt ad altare præcedentibus Thuriferariis, Subdiacono cum Cruce, & Ceroferariis; postea sequitur celebrans medius inter duos ministros elevantes Pluviale ejus de more, & si sit consuetudo, post Crucem procedent Assistentes parati. Ad altare genuflectent in plano, quo facto, ipsi Assistentes procedent in Chorum nudo capite, celebrans verò ascendit ad secundum gradum altaris, ubi facta genuflectione imponet thus in thuribulis de more, & incensabit Sanctissimum Sacramentum in loco suo, deinde Diaconus ascendit ad altare, Ostenforium accipiet, & tradet de more Celebranti, cui interim imponitur velum oblongum super humeros ejus, & fit Processio ut manè intra Ecclesiam vel extra, si sit consuetudo, & in fine benedictio cum Sanctissimo Sacramento datur à celebrante habente adhuc velum oblongum.

IX. Si tamen immediatè post Vesperas facienda sit Processio prædicta de more, convenit, ut Ministri sacri circa finem earum parent se paramentis sacris, ut supra, ut statim post finem earum sint parati ad procedendum ad altare, & tunc è Sacristia præcedent Thuriferarii, & Subdiaconus cum Cruce; ad illud verò è Choro se recipient Cero-

ferarii præcedentes, poft eos Cæremoniarium, tum Affiftentes, quorum duo ultimi elevabunt fimbrias anteriores Pluvialis celebrantis, & immediatè poft *Benedicamus Domino*, fine *Fidelium anima*, quia hæc Proceffio eft veluti continuatio Officii: Sed convenientius videtur, ut Proceffio fiat poft *Completorium*, & hoc immediatè dicatur poft *Vesperas*, & Proceffio poft ipfum *Completorium*. Si facta Proceffio fuit matutino tempore, ut fuprà, hæc prædicta non videtur facienda, quia fatis eft unica, nifi forte in die Octava, ut recludatur Sanctiffimum Sacramentum pro ultima vice. Servanda tamen videtur in his laudabilis conftitudo ab Epifcopis approbata.

## ARTICULUS VII.

*De Oratione publica, qua in multis Ecclefiis fit in fefto Corporis Chrifti circa folis occafum.*

I. **S**I circa folis occafum pro locorum conftitutine non fiat Proceffio, fed tantum publica Oratio, in cujus fine debet dari benedictio, hæc obfervanda videntur.

II. Hora competenti paratur velum oblongum fuper cornu altaris, vel alio loco, femper thuribulum, & paramenta neceffaria, & ignis, & fcabellum, & pulfatis campanis, quæ femper in pari cafu pulfari debent, ut moneatur populus, Celebrans paratus ut fuprà ftola, & Pluviali procedit ad altare præcedentibus Thuriferario, & Ceroferariis cum Sacrifta, & Cæremoniario.

III. Ad cancellos celebrans nudat caput, & genuflectit utroque genu cum omnibus aliis in plano, quafi lineam formantibus. Celebrans furgit, & omnes alii, etiam & Ceroferarii genuflectunt fuper infimum gradum, celebrans ascendit ad altare, genuflectit, & illud ofculatur. Tum imponit thus in thuribulo ministrante Cæremoniario naviculam fine ofculis, & Thuriferario thuribulum, defcendit ad fecundum gradum, ibique genuflexus accepto tunc thuribulo à Cæremoniario ter incenfat sanctiffimum Sacramentum, Cantoribus ftatim, & non prius incipientibus verfum *O Salutaris Hoftia*, aut

aliud fimile. Finito verfu *Uni trinoque* &c. aut alio, Cantores inchoant hymnos, aut Refponforia, aut Cantica, fecundum ordinem designatum à Præfecto Chori. Ad hæc autem omnia videtur genuflectendum ab omnibus, etiam Celebrante, propter adorationem. Finitis verò prædictis, duo Cantores genuflexi cantant verfum *Panem de caelo*, &c. & Celebrans ftans dicit Orationem *Deus qui nobis*, &c. Qua dicta, accepto velo, capit sanctiffimum Sacramentum, & cum eo benedicit populum, habens velum fuper humeros; illud poftèa reponit in Tabernaculo majori.

IV. Si sanctiffimum Sacramentum fit inclufum in Tabernaculo, poftquam ad altare pervenerint, facta genuflexione unico genu, Sacrifta indutus alba, & ftola Diaconali, fi fit conftitudo, vel ipfe Celebrans aperiet illud, & mox accepto thuribulo incenfabit illud genuflexus fuper fuppeditaneum altaris antequam inde extrahatur, & mox incenfatum collocabit in loco parato, & reliqua peraget, ut fuprà.

V. At quia Oratio prædicta publica, non eft regulariter proluxa; ideo, fi extrahendum eft SS. Sacramentum, convenit ut in hoc cafu non ponatur in loco eminenti, fed tantum fuper aliquod fcabellum decentiffimè fuper altare paratum, & removendum poft finem Orationis, ibique reponendum quando opus erit.

VI. In majoribus tamen Ecclefiis, & infignioribus ob multitudinem Clericorum, & populi, poterunt parati Miniſtri facri Dalmaticis in Sacriftia, qui comitentur Celebrantem hinc inde, ut fuprà. Item poterunt parari duo, vel quatuor Cantores Pluvialibus, qui in Choro Pfalmos, & alia, ut fuprà, inchoabunt, ut omnia fiant ea qua convenit devotione, & folemnitate, ad excitandam erga Sanctiffimum Sacramentum pietatem, & reverentiam. Idem etiam poteft fieri fingulis diebus per totam Octavam, & præcipuè diebus feftivis five manè, five vefperi, paulo tamen parcius ut infra, quia Miniſtri facri non videntur neceffarii.

## ARTICULUS VIII.

De expositione SS. Sacramenti initio  
Officii per Octavam.

I. **Q**uia solitum est ex Cærem. Ep. lib. 2. cap. 33. per totam hanc Octavam exponere Sanctissimum Sacramentum super Altare discoopertum, dum Vesperæ, & Officia divina recitantur, ad quæ magna populi frequentia adesse solet; convenit, ut aliqua dicamus de expositione Ostensorii, in quo est SS. Sacramentum.

II. Igitur ad Vesperas solemnes hujus diei festi, fiant omnia ut supra dictum est.

III. Ad Vesperas verò infra Octavam parcius dicuntur, quàm die festo; sed tamen altare sit decenter ornatum velis, floribus & aliis, & si non adsint Assistentes, saltem adsit Sacrista, & Cæremoniarius cum Celebrante parato alba, stola, & Pluviali. Procedunt ad altare præcedentibus Thuriferario, & Ceroferariis, & ante illud unicum genuflectunt. Celebrans ascendit ad secundum gradum, ubi genuflectit, & Sacrista, aut Cæremoniarius aperit ostiolum, quo aperto, Celebrans imponit thus in thuribulo ministerio Cæremoniarum, aut Thuriferarii, ter incensat sanctissimum Sacramentum cantantibus interim in Choro Clericis, *Tantum ergo*, aut aliquid aliud. Tum Sacrista, aut Cæremoniarius, extrahit Ostensorium è Tabernaculo majori, illudque collocat in loco eminenti, vel super scabellum prædictum, cum debitis genuflexionibus ante, & post. Deinde celebrans surgit, & facta in plano genuflexione recedit in Chorum nudo capite, ubi de more incipit, & profequitur Vesperas, incipiens primam Antiphonam Psalmorum, principium Hymni, Antiphonam ad *Magnificat*, ad quod incensat SS. Sacramentum, & Altare, ministrante Cæremoniarum, vel alio Acolyto naviculam, & Thuriferario thuribulum, & postea incensatur ipse, tum Chorus, & populus, & perficit Vesperas. Hæc autem facienda videntur ubi est præsertim consuetudo, & pauci Clerici; sed si multi sunt, decet ut præsentem SS. Sacramento exposito Vesperæ dicantur solito solemnius: hæc tamen meliori, & saniori judicio submitto.

IV. Ad Missam eadem cæremoniæ ref-

pectivè servandæ videntur. Cum tamen immediatè ante Missam exponi debet, Diaconus majus Tabernaculum debet aperire, tum ministrare incensum sine oculis: quo facto celebrans illud incensat paratus Planeta, Choro cantante *Tantum ergo*. Tum Diaconus illud extrahit, & collocat in suo loco cum debitis genuflexionibus, ante, & post.

V. Deinde celebrans surgit, & in medio ministrorum incipit Missam, si dicatur solemniter. Si verò non dicitur solemniter, Cæremoniarum, vel Sacrista efficiunt, quæ Diaconus, vel ipse celebrans, si aliter fieri non potest.

VI. At si dicatur Tertia ante Missam, hæc observanda videntur: Celebrans tunc cum stola, & Pluviali, procedit ad Altare cum Thuriferario, Ceroferariis, & Cæremoniarum, aut Sacrista, ubi Ceroferarii ipsi deponunt candelabra super Credentiam, & Celebrans ipse incensat Sanctissimum Sacramentum in Tabernaculo, ut supra, cantante Choro, *Tantum ergo*, aut aliud, & postea ipsemet in loco congruo deponit. Tum factis genuflexionibus procedit ad Chorum ubi dicit Tertiam cum Pluviali, si sit consuetudo; qua dicta redit in Sacristiam, & ibi, deposito Pluviali, accipit manipulum, & Planetam, & interim Ceroferarii accipiunt sua candelabra de Credentia, & redeunt in Sacristiam, unde procedunt ad Altare, præcedentes Ministros sacros de more, si dicenda sit Missa solemniter. Si tamen sit consuetudo, ut Diaconus, & Subdiaconus assistant ad Tertiam sicut Celebrans, ut in multis Ecclesiis, convenit ut ipse Diaconus extrahat de more Ostensorium è majori Tabernaculo, ministrans etiam incensum, ut supra. Si autem Celebrans non solet assistere ad Tertiam, convenit ut Sacrista, si sit Sacerdos, aut alius, Sanctissimum Sacramentum exponat ut supra, & adhuc infra dicemus, eoque collocato in loco suo recedat in Sacristiam cum solitis ministris, & tunc eo casu Ceroferarii non deponunt candelabra super Credentiam, sed remanent genuflexi hinc inde super infimum gradum altaris reverfuri post expositionem.

VII. In fine verò Missæ, Celebrans omnia respectivè peragit, quæ supra de repositione Sanctissimi Sacramenti in Tabernaculo, respe-

respective: & tunc vel Diaconus, aut Sacrista, vel ipse celebrans, si aliter fieri non potest, id præstat, & accepto bireto redit in Sacristiam.

VIII. Si tantum SS. Sacramentum est exponendum ad ostiolum Tabernaculi, & non alibi, Diaconus, vel Assistent, aut ipsemet celebrans, si aliter fieri non potest, ostiolum Tabernaculi tantum reinvet, vel aperit cum solitis reverentiis, & mox SS. Sacramentum incensat. Tum dicitur Tertia si sit consuetudo, & postea Missa vel solemnitas, vel privata, quæ finita, servantur ea quæ supra.

## ARTICULUS IX.

*De Expositione SS. Sacramenti in minoribus Ecclesiis.*

I. **U**bi pauci sunt Clerici, hæc videntur observanda circa expositionem Sanctissimi Sacramenti. Sacerdos cotta, aut alba cum stola, aut etiam Pluviali indutus procedit ad altare, cum duobus Acolythis saltem, uno scilicet portante clavem Tabernaculi, & bursam corporalium, altero Rituale, vel Missale; & interim duo cerei altaris accenduntur, vel plures per alium, vel prius per eisdem Acolyths, & pariter ii, qui sunt in majoribus candelabris ante altare, secundum morem Ecclesiarum.

II. Cum ad altare pervenerit, genuflectit & parum orat; tum idem Celebrans, accepta bursa, extendit corporale, & extrahit Ostensorium, amoverque velum desuper, quod plicatum ponit in loco apto, & cum solitis genuflexionibus idem Sanctissimum Sacramentum ponit in loco parato super altare, modo non dicatur Missa postea, quia tunc ponit illud in loco eminenti, vel illud relinquit ad ostiolum Tabernaculi aperti, etiam si dicantur Vesperæ, quo casu non deferretur bursa prædicta, sed sufficit si aperiatur Tabernaculum, & aliquantulum ad portam admoveat, & interim aliquid in choro cantatur.

III. Postea Celebrans descendit ad medium altaris gradum, ubi genuflexus expectat finem cantus, quo finito, & dicto à cantoribus, vel ab ipsomet versu *Pavem de celo, &c.* dicit *Dominus vobiscum,*

& Orationem de more ex libro, quem tenent duo Acolythis genuflexi ante eum, vel ipse eundem tenet, si aliter fieri non potest: tum sumpto velo oblongo, quod ei aptatur per aliquem ex ministris, dat benedictionem, ut supra.

IV. Si verò post expositionem aliquod Officium celebrandum est, & non statim Sanctissimum Sacramentum reponendum sit, celebrans non dicit Orationem, sed Missam, aut Vesperas, aut quid aliud celebrat.

V. Quando autem reponendum est Sanctissimum Sacramentum post Officium in prædictis minoribus Ecclesiis, Sacerdos vadit, ut supra, ad altare, duobus prædictis ministris præcedentibus, altero cum Missali, alio cum velo oblongo plicato, ibi genuflectunt utrumque in plano, celebrans ascendit ad secundum gradum: ubi parumper orat submissa voce, tum incipit alta voce, *Tantum ergo, &c.* aut quid aliud. Postea hymnum aliquem, aut Canticum conveniens. Deinde dicit versus, & Orationem stans ex libro, ut supra, qua dicta, nihil addens, iterum genuflectit, capit velum, accedit ad altare, genuflectit, surgit, capit Ostensorium, populum benedicit, Ostensorium reponit in Tabernaculo, genuflectit, claudit illud, descendit in planum, ubi unicum genuflectit, capit biretum, & recto capite recedit in Sacristiam. Si possit haberi Thuribulum, potest Sanctissimum Sacramentum incensari, & recte quantum fieri potest, tam in expositione, quam in repositione.

VI. Si duo non possint haberi Clerici, unus sufficit, qui prius deferat ad altare quæ necessaria sunt, ut supra.

## ARTICULUS X.

*De Processione solemnè SS. Sacramenti in quibusdam Ecclesiis infra Octavam Corporis Christi.*

I. **I**ntra hanc Octavam in multis civitatibus, & locis præcipuis, solet fieri Processio per diversas Ecclesias, Parochias, Monasteria, & alia loca civitatis, aut Oppida, præsertim quando Clerici civitatis convenerunt ad Processionem solemnem Matris

eis Ecclesiæ, quæ fieri solet in festo corporis Christi, qui idè certum, & assignatum diem infra prædictas Octavas habent, ut ipso die fiat ab eis Processio speciali, & solemnisi; fieri autem debet hujusmodi Processio solemnissima eo modo quo in festo, quantum fieri potest.

II. Valvæ Ecclesiarum, in quibus die ipso fit Processio, habeant imaginem SS. Sacramenti appensam in superlimine, sintque floribus, tapetiis, & aliis hujusmodi decenter ornata, sed præcipuè Ecclesiæ sint mundissimæ.

III. Ante fores Ecclesiarum, per quas transire contigerit, si sit consuetudo, Altare, seu mensa paretur ornata convenienter cum luminibus, & aliis, cum umbraculo, si fieri potest, & super mappam ipsius mundam ponatur in medio corporale, super quod Celebrans deponet, & incensabit Sanctissimum Sacramentum, ibique dicet de more Orationem, ut supra in Processione, si fortè ibi fit Sanctissimum Sacramentum reponendum.

IV. Pulsantur campanæ Ecclesiarum, ante quas transitur, quarum clerici, sive sæculares, sive regulares, præsertim si sit consuetudo, officio suo fungentur, sit eorum Superior Pluviali indutus, genuflexus cum Ceroferariis, & Thuriferario, & omnibus clericis suis, incenset ter Sanctissimum Sacramentum ex more, quibusdam Acolythis, seu aliis clericis, simbrias Pluvialis illius elevantibus, & interim celebrans deferens Sanctissimum Sacramentum, stat coram Sacerdote incensante, & non se movet.

V. In iis etiam Ecclesiis, quibus fit Processio, etiamsi Officium non fiat de Octava, sed de festo aliquo duplici, aut etiam de Dominica infra Octavam, debet Missa celebrari de festo SS. Sacramenti cum Sequentia (quia non est votiva, sed de Octava) cum commemorazione Dominicæ, aut festi, nisi sit festum primæ, aut secundæ classis, quia fit de hujusmodi festo; sed tamen in fine Missæ, Processio de Sanctissimo Sacramento: at si fieri potest, præstat transferre, aut anticipare Processionem in alium diem, non verò si Dominica fieri solet. Si enim in Oratione Quadraginta Horarum dicitur Missa de SS. Sacramento, à fortiori dici debet infra Octavam.

VI. In multis Ecclesiis Urbis cum occurrat festum duplex per annum; verbi gratia S. Basilii die Dominica infra hanc Octavam, in qua fit Processio solemnisi, eo die fit Officium de Octava, & transfertur festum prædictum; quod accidit annis Domini 1626. & 1637. & aliis sæpe.

## ARTICULUS XI

*De Oratione publica, & solemnisi indicta pro re gravi coram SS. Sacramento, quæ dicitur Quadraginta Horarum.*

I. **U**T hæc tam sancta, tamque laudabilis actio ubique nunc recepta, & à sanctæ memoriæ Clemente VIII. instituta laudabiliter, vel potius, & summa cum devotione continuata, ritè, & ut æquum est, celebretur, de qua uberrimos fructus, & infinita commoda fidelium mentes Orationis pabulo refectæ mirabiliter colligunt, hæc observanda videntur præter ea, quæ capite sequenti dicenda sunt. Hæc autem actio passim fieri non debet ad voluntatem cujuslibet Superioris, sed tantum Ordinarii, videlicet Episcopi, aut alterius habentis quasi jura Episcopalia, nisi fortè maxima necessitas, quæ differri non possit, id urgeat, aut distantia locorum ab Ordinario, aut aliud hujusmodi, ne ob frequentiam illius vilescat, & parvi momenti videatur.

II. Igitur antequam fiat, die festo, vel Dominica præcedente hujusmodi Oratio, à Rectoribus Ecclesiarum, vel etiam à Concionatoribus, prius indici, & commendari debet in Ecclesiis secundum præceptum Clem. VIII. ut populus ibi frequens conveniat, & pridie hujus solemnitatis hora meridiana, & vespertina, & ipsa die summo mane post signum salutationis Angelicæ, ter solemniter campanæ pulsenter per aliquod temporis spatium, sicut iis diebus quibus celebratur illa solemnitas, usque ad finem.

III. Sanctissimum Sacramentum debet semper, quamdiu durat prædicta Oratio, esse expositum super altare majus, aut aliud, si commodius videbitur. Ideoque parari debet ut in festis præcipuis solemnisi, & magnifico ornatu, adhibitis velis, & candelabris pretiosis cum cereis ceræ albæ, vasculis, floribus,

ribus, vel naturalibus, vel arte factis, inter dicta candelabra, ac circumcirca bene difpofitis, facræ imagines, fi fieri potefl, cum aliis Ecclefiasticis ornamentis apponantur, necnon vafa odoramentis plena.

IV. Alia etiam altaria per Ecclefiam decenter parentur, atque pretiofiora ornamenta pro celebratione Miffarum, etiam privatarum, adhibeantur. Vitetur tamen omnino apparatus omnis profanus, & qui devotionem non facit: Ecclefiæ etiam parietes pannis pretiofis, & tapetibus convenientibus decentiffimè ornentur.

V. Paratur fcabellum fupradictum ad exponendum Sanctiffimum Sacramentum, & locus altus, ut fuprà diximus, in quo collocetur, cum umbella, corporali, & aliis pretiofis ornamentis. Parantur etiam alia quæ fuprà in Feflo Corporis Chrifti, & pro proceffione folemnifacienda, ut infrà; in fuperliminari oftii Ecclefiæ appendatur etiam imago Sanctiffimi Sacramenti, ut capite præcedenti.

VI. Miffa dicatur de SS. Sacramento, etiam fi fit dies Dominica, vel Feflum duplex per annum, cum albis paramentis. In Cathedralibus tamen Ecclefiis, & Collegiatis, diebus privilegiatis, & aliis assignatis in Miffali recognito titulo de Translatione Feflorum, dicantur duæ Miffæ, una poft Tertiam de die, nifi fit dies jejunii privilegiatus, alia de Sanctiffimo Sacramento folemniter poft Nonam, vel ante Proceffionem, fi Nona non dicatur, ad quam dicitur, *Gloria in excelsis, & Credo*, & unica Oratio. Si tamen dicatur pro gratiarum actione, dicentur duæ fub unica conclufione. Poftunt etiam dici alie Orationes fi præcipiantur à Superioribus, idefl Epifcopis.

VII. Si verò unica tantum Miffa celebretur, ut in feftis, & Dominicis primæ, aut fecundæ claffis, ea quidem erit de fefto, aut Dominica in paramentis Officio convenientibus, cum commemoratione SS. Sacramenti. At verò Proceffio fiet in paramentis albis, ut fuprà. De proceffione agetur fequenti articulo.

VIII. Quamdiu durat Officium, & Sanctiffimum Sacramentum manet expositum, femper duo Clerici, aut faltem unus illius Ecclefiæ cottis induti manent ante altare jugiter orantes, coram eo genuflexi, & nudo

capite in genuflexoriis decenter ad id ornatis. Convenit autem ut fuper genuflexorium ponatur liber facræ Scripturæ decenter ornatus, in quod deftinati ad orandum dicant, fi velint, Pfalterium, & quatuor Evangelia, & alia hujusmodi; qui dum exhibent notent locum in quo Lectionem fuam finierunt, & illum indicent fuccedentibus. Et fi Epifcopus velit ibi orare, paretur ei genuflexorium conveniens. Presbyteri autem habeant præter Cottam ftolam albam è collo pendentem. Ubi verò habeatur Confraternitas SS. Sacramenti, vel alia devota, confratres habitu confraternitatis induti, fi ea fit confuetudo, bini etiam per vices ibidem Orationi vacent.

IX. Præterea multum decet, fi commodè fieri potefl, ex ipfa doctrina Clem. VIII. præfertim in Parochialibus Ecclefiis, ut populus invitetur per fchedulas à Reftoribus, aut aliis deputatis, qui fingulis familiis fuam horam defignent hoc, vel alio fimili modo: *Dominus N. cum fua familia hora N. accedat ad Ecclefiam, ad orandum coram SS. Sacramento per horam integram.* Mulieres tamen noctu non admittantur; viri verò poftunt admitti prout videbitur.

X. Si noctu maneat expositum Sanctiffimum Sacramentum, Ecclefiâ undique luminum numero fufficienti illuftratur: fores tamen illius claufæ manent, ut ipfa Ecclefiâ tuta fit à furibus, & aliis.

XI. Collocetur loco confpicuo horologium, quo orantes temporis fpacium fibi præfixum poftint advertere, horaque elapfa rurfum invertatur horologium, feu clepsydra, & alter ex affiftentibus figno campanulæ det fignum Campanario horæ tranfactæ, qui ftatim majoris campanæ fonitu per ordinem fuccedentes vocet ad orandum; qui ftatim relictis omnibus, accedere debent ad Orationem.

XII. Toto tempore Orationis nullus fæcularis intra Presbyterium ingrediatur, quacumque caufa, five ad emungendos, vel accendendos cereos; hoc enim ad folos Clericos pertinet. Præterea nullus Clericorum ingrediatur, nifi habitu Choralis, aut faltem cotta indutus.

XIII. Si celebretur in ipfo altari Miffa, quod regulariter fieri non debet, nifi urgente neceffitate, etiam fi fit Miffa priva-

ta, ex Cær. l. 2. c. 12. ferventur, quæ supra proprio capite diximus, p. 3. c. ultimo.

XIV. Si item Concio habeatur, Sermocinator cotta, & stola, si ea sit consuetudo, indutus, vel habitu suo regulari, si sit Religiosus habens peculiarem habitum, etiam cum stola, nudo capite, dovètè, reverenter brevi sermone affectus auditorum moveat, stando, ut supra p. 1. diximus, capite de Concionatore. Decet autem ut in principio orationis ante, vel post Processionem, ac etiam pluries in die, prout pietas populi, aut concursus illud requisierit, sermones habeantur.

XV. Ad Horas Canonicas convenientes nudo capite semper stent, nisi propter longitudinem Officii sedere cogantur, ut ad Psalmos, & Lectiones, & etiam in Missa ad Epistolam, & alia; sed eo casu semper nudum caput habeant.

XVI. Ad Vesperas si dicantur, Celebrans saltem sit stola, & pluviali indutus, coloris Officio convenientis. Incensum ad *Magnificat* benedicitur sine oculis, & SS. Sacramentum incensatur genibus flexis ut supra, & postea altare.

XVII. Ubi verò solet fieri publica Oratio solemnem coram Sanctissimo Sacramento per dies plures, pro qualibet causa, exponetur quidem prima vice, & ultima, eo modo quo dicemus infra; aliis autem diebus intermediis, & ultima vice, si non sit processio, exponetur summo mane ut supra diximus; Vesperis verò, ob concursum populi, ut etiam ibidem diximus, adhibebit etiam Celebrans Pluviale album supra stolam, & cottam cum ministris paratis, si sit consuetudo, vel non, ubi scilicet sunt pauci clerici; tunc cantabuntur, vel Litaniam, aut Psalmi, aut Hymni, prout videbitur, vel aliam precem dicentur; incensabitur etiam Sanctissimum Sacramentum de more à Celebrante, qui & in fine solemnem, accepto velo longo, dabit benedictionem cum Sanctissimo Sacramento, & postea recludetur.

XVIII. Quod si Musicis fortasse sacris cantionibus, & concionibus populus fuerit satis detentus, omitti poterunt huiusmodi preces, quarum loco dici poterunt versus *Tantum ergo*, aut *O Salutaris Hostia*, aut *Ave verum corpus natum*, cum versu *Pa-*

*nem de caelo*, & Oratione quæ dicta fuit in expositione eiusdem.

XIX. Si non dicatur Missa initio Orationis ex rationabili causa, sient ea, quæ supra diximus, quando exponitur Sanctissimum Sacramentum sine Missa; vel ante eam deferatur in Processione.

## ARTICULUS XII.

*De Processione Sanctissimi Sacramenti in ipsa Oratione Quadragesima Horarum.*

I. **P**arantur ferè omnia pro ipsa Processione, quæ parari solent in processione solemnem Corporis Christi, & Ecclesia decenter ornatur, ut supra.

II. In Missa consecrantur duæ Hostiæ magnæ, quarum unam ponit celebrans in Ostensorio post summptionem Dominici sanguinis, eo modo quo in Festo Corporis Christi supra diximus; & relinquitur operum velo usque ad finem Missæ.

III. Finita Missa celebrans deponit Planetam in cornu Epistolæ, & manipulum, Ministri sacri suos in plano ad cornu etiam Epistolæ. Idem accipit Pluviale album, & cum ministris ipsis redit ad altare, flectit utrumque genu, & cum iis in plano accedit ad secundum gradum ubi orat genuflexus. Interim Subdiaconus alius cum Cruce, & Thuriferarii præcedentes accedunt ad altare, cui obviam eunt Ceroferarii propè cancellos; Thuriferarii soli genuflectunt, & accedunt de more ad cornu Epistolæ, ut supra; distribuuntur cerei clericis, qui accedunt ad altare, si chorus distet ab eo, aut si Processio non transitura est per eum, vel si est post Altare, ut supra, ibique genuflectunt donec inchoetur Processio. Diaconus verò ascendit ad altare, discooperit Sanctissimum Sacramentum cum debitis genuflexionibus ante, & post, tum descendit ad dexteram celebrantis, ministrat incensum celebranti, qui illud ter incensat cum uno ex thuribulis de more, tum accipit velum oblongum, & postea Sanctissimum Sacramentum ministro Diaconi, ut supra. Deinde

IV. Processio ordinatur, ut supra, intra Ecclesiam, incipiendo regulariter à parte Evangelii ad partem Epistolæ, si loci situs id

patitur, aut si sit consuetudo; & eo casu, dum in Processione transitur ante majus altare, vel aliud, in quo fortè est Tabernaculum SS. Sacramenti, non fit genuflexio, quia ipsummet deferitur; nec opus est, ut naviculæ cum incenso deferantur, nisi Ecclesiæ sint spatiosæ, aut ex majoribus, quia tunc deferri debent.

V. Aliquando in Urbe fit Processio circa atrium ipsius Ecclesiæ, quod etiam alibi fieri potest, præsertim si sit consuetudo. In hujusmodi tamen Processionibus Clerici non deferunt paramenta, videlicet Pluvialia, Planetas, & Dalmaticas, ut in Processione festi, nisi fortè Assistentes, & cantores parati Pluvialibus, aut nisi aliter ordinetur.

VI. In reditu Processionis, deposito Sanctissimo Sacramento supra locum præparatum sub umbella parva in medio altaris posita, eo modo quo supra, à Diacono removeatur velum ab humeris Sacerdotis, & Subdiaconus relinquit Crucem propè credentiam, quam postea resumet, ut infra; tum ipse Diaconus ministrabit thus in uno ex Thuribulis, & iterum ipse SS. Sacramentum thurificabit, cantantibus interim cantoribus *O salutaris Hostia, &c.* aut aliquid aliud breve; eoque finito, statim, sine versibus, & Oratione, duo Clerici in medio Capellæ, vel chori, si est propè altare, genuflexi incipiunt Litanias Sanctorum, quibus finitis, Celebrans adhuc genuflexus dicit *Pater noster, Et ne nos inducas*, dictoque Psalmo *Deus in adjutorium*, etiam genuflexus addit preces, & Orationes, ad quas stat manibus junctis sine conclusione, nisi in ultima, ut in Brevariario, aut Rituali, quod ministratur à Diacono, & Subdiacono hinc inde genuflexis; & tunc dicit majorem conclusionem ut in fine Litaniarum.

VII. Quod spectat ad numerum, & qualitatem Orationum, Superioris est ordinare quid in his expediat pro temporum necessitate; prima tamen semper debet esse de SS. Sacramento, secunda de B. M. pro varietate temporis, ultima pro vivis, & defunctis, intermediæ arbitrio Superioris, aut Præfecti chori, nisi aliter à majoribus ordinetur.

VIII. Si non sit paratus locus editus, quod tamen decet, Diaconus collocat super altare, vel super scabellum aliquod decenter or-

natum, SS. Sacramentum, & potest extendere super Ostensorium velum oblongum Celebrantis, ita ut concinnè hinc inde decidat, & duas veluti alas efficiat, ut diximus supra art. 2.

IX. Denique his omnibus ritè completis, sine benedictione, Celebrans, Ministri, & Clerici facta genuflexione, præcedentibus Thuriferariis, & Subdiacono cum Cruce, quam accepit de loco ubi erat, & Ceroferariis, qui tres non genuflectunt, in Sacristiam redeunt nudo capite ob apertam præsentiam SS. Sacramenti, donec extra Presbyterium egressi fuerint.

X. Si absque Missa dicenda est Oratio prædicta, videlicet post meridiem, ferventur ea quæ diximus de ingressu Sacerdotis ad altare, quando Missa non cantatur.

XI. Quamdiu autem durat hujusmodi Oratio, ferventur etiam ea, quæ superiori diximus articulo.

XII. In fine Orationis regulariter cantari debet Missa solemnis, nisi aliquid impediat; qua dicta, celebrans, ut supra, deponit Planetam, & manipulum, & capit Pluviale juvenibus ministris, qui etiam deponunt suos. Accedunt ad altare, accedentibus etiam Thuriferariis, Subdiacono cum Cruce, & Clericis de more, nisi Chorus sit propè altare ut supra; & tunc sine incensatione inchoantur Litanie à cantoribus genuflexis cum aliis de Clero, & de populo, quibus finitis usque ad *Pater noster* exclusivè, Celebrans posito incenso in duobus thuribulis SS. Sacramentum incensat genuflexus (choro cantante *O salutaris*, & non *Tantum ergo*) accipit velum oblongum, & fit Processio, ut supra; qua facta, Diaconus collocat SS. Sacramentum non in loco eminenti, sed super Corporale extensum in medio altaris, vel super scabellum prædictum paratum; incensatur, posito thure in thuribulo de more à celebrante, qui non deponit velum, & interim cantatur *Tantum ergo, &c.* eoque cantato, celebrans dicit *Pater noster, Et ne nos inducas, &c.* Psalmum *Deus in adjutorium*, versus & Orationes, ut supra, cum conclusione longiori, ut in fine Litaniarum; quibus dictis, benedicit populum cum SS. Sacramento, quod postea aservatur. Denique eo incluso omnes genuflectunt exceptis Subdiacono de Cruce, & Ceroferariis,



riis, & recto capite, exceptis tribus ipsis, discedunt de more.

XIII. Si Sanctissimum Sacramentum non exponitur ad majus altare, & ibi non celebretur Missa, tot ritus in Missa non sunt adhibendi. Paratur illud altare ubi debet exponi, decenter, & convenienter ante Officium. Initio Orationis post Missam in majori altari celebratam fit Processio de more, eaque finita, post ingressum in Ecclesiam, si fiat in atrio, itur recta ad locum designatum ibique deposito Sanctissimo Sacramento ad Diacono, eoque incensato, (Clericis cantantibus *Tantum ergo*) dicuntur Litanie, ut supra.

XIV. In fine vero, finita Missa, itur etiam Processionaliter cum cereis extinctis ad Capellam, in qua est expositum, ubi accenduntur cerei, incensatur, dicuntur Litanie, & fit Processio; qua finita, itur adhuc processionaliter ad prædictum locum, ubi perficitur Oratio ut supra. Et eo casu si dicantur Vesperæ solemnes, SS. Sacramentum in prædicto altari expositum prius incensatur, & altare ejus, deinde majus, & alia fiunt de more respectivè.

### ARTICULUS XIII.

*De Processione SS. Sacramenti faciendâ singulis mensibus à Sodalibus Confraternitatis SS. Sacramenti. Et de expositione ipsius, quæ fit aliquando pro infirmis, vel aliis necessitatibus.*

I. **P** Aratur altare pallio convenienti Officio, sex cerei ardere debent super altare: ordinatur Processio intra Ecclesiam tantum, ut supra, & non genuflectitur transiendo ante majus altare in Processione hujusmodi: & si fieri potest, ad versum in Processione, *Tantum ergo*, genuflectitur.

II. Si de Sanctissimo Sacramento non dicitur Missa, saltem in ea fit commemoratio de eo ultimo loco, quia est votiva Oratio. Si tamen est festum primæ, aut secundæ classis, non fit commemoratio. Si vero dicatur Missa de eo, semper adhibeatur pallium album.

III. Celebrans paratus Pluviali albo super stolam, & cottam, exit de Sacristia, nisi fe-

cerit sacrum; & si recerit, depositis planeta, & manipulo in cornu Epistolæ, capit etiam Pluviale semper album, sine Ministris sacris paratis, cum uno Thuriferario, aut duobus, quem sequitur Clericus cum Cruce inter duos Ceroferarios. Cæremoniarius, aut Sacrista gerit vices Diaconi, qui tamen non tangit Pyxidem, sed solus Celebrans, qui eam extrahit, & eam incensat de more, choro interim cantante, *O salutaris Hostia*. Tum accepto velo oblongo, & aciculis firmato per aliquem Acolythum, ordinatur Processio eo modo quo supra, cum incenso, & debitis genuflexionibus, & interim cantatur Hymnus *Pange lingua*, aut alii Hymni, & celebrans recitat submissa voce Hymnos, aut alia, procedens sub Baldachino solus. Sacramentum fit semper in Pyxide, & occultum, nisi infra Octavam Corporis Christi, aut tempore Orationis Quadraginta Horarum, quia tunc est in Tabernaculo gestatorio, quod portat Celebrans manibus velo coopertis. Non defertur navicula, nisi in majoribus, & amplioribus Ecclesiis.

IV. Cum reversi fuerint ad Altare, Celebrans deposito Sacramento, & non velo, super corporale, ut supra, & facta genuflexione, imponit thus in Thuribulum ministrante Thuriferario, & genuflexus illud incensat, Cæremoniario, aut alio elevante simbriam Pluvialis ejus, & choro cantante *Tantum ergo*, aut aliud, ut supra, eoque dicto, Clerici duo genuflexi cantant versum *Panem de cælo*, & extra tempus Paschale sine *Alleluja*, quibus chorus respondet *Omne delectamentum*, &c. & Celebrans stans junctis manibus *Dominus vobiscum*, & Orationem *Deus qui nobis* cum sua conclusione ut in Rit. & nihil aliud addens benedicit populo, cum velo, & reponit Sacramentum in majori Tabernaculo, quod velo suo tegit, & redit in Sacristiam, deposito prius suo velo oblongo ad altare, quod dat alicui ministro.

V. Si tamen Processio fit post Missam solemnem, aut Vesperas solemnes, aut in majoribus Ecclesiis ubi sunt multi Clerici, potest fieri solemnius, ut par est, cum Ministris sacris post Missam, & præterea cum Assistentibus, tam ad Missam, quam ad Vesperas. Possunt etiam ad Vesperas adhiberi sacri Ministri, si ea sit consuetudo. Item ad-

adhibeantur faces, genuflexiones solita, tam à Celebrante, quam à Ministris; benedictio cum velo, & alia quæ fieri debent cum majori apparatu.

VI. Aliquando gravis causa occurrat, forte non prævisa, propter quam exponi debet ad aliquod modicum tempus Sanctissimum Sacramentum, verbi gratia ob infirmitatem alicujus Magnatis. Tunc autem exponitur, sed clausum in pyxide, & albo velo tectum super portam Tabernaculi, candelis sex, aut paucioribus secundum locorum facultatem ardentibus super altare, pallio ornatum convenienti Officio. Sacerdos verò sine precibus cum duobus Acolythis, ut supra, illud exponit, & deponit, paratus stola, & Pluviali, si opus sit, scilicet festis diebus tota die, ferialibus autem mane tantum; & duntaxat dicuntur Vesperæ, etiam exponi debet, & tunc semper adsint Clerici genuflexi, aut saltem unus, continuo coram Sanctissimo Sacramento per vices orantes, ut diximus art. 10. de Orat. 40. horarum.

VII. Qui verò ostiolum majoris Tabernaculi aperit, eo aperto potest incensare cum debitis genuflexionibus Sanctissimum Sacramentum de more. Item quando illud deponit, & tunc adhibetur Cæremoniarius, & alius minister. Possunt etiam aliqua cantari, verbi gratia, Litanix SS. & alia convenientia.

#### ARTICULUS XIV.

##### De Octava Corporis Christi.

I. **H**Ac die fit Officium solemne in multis Ecclesiis, ut in die, paucis exceptis: & certe quodcumque festum, nisi fit duplex primæ classis, occurrens hac die, transfertur in alium diem, & dicitur Missa ut in die, & eodem modo fit Processio in multis locis Galliæ.

II. In aliis etiam locis post Vesperas solet fieri Processio solennis, ex Cær. Ep. l. 2. c. 33. & tunc

III. Vesperæ cantantur solemniter, quantum fieri potest, ut in die festo; & dum dicitur Completorium, Ministri sacri parant se Dalmatica, & Tunicella, & alius Subdiaconus cum Cruce, & Assistentes, aut Cantores Pluvialibus. Deferentes Balda-

chinam aut nobiles, aut viri insignes, ut supra, aut Clerici cum Pluvialibus, aut cum cottis tantum, & omnia fiunt respectivè, ut in Processione solemnissima cum cereis, Thuriferariis, & benedictione, quæ datur cum SS. Sacramento, dum recluditur in majori Tabernaculo, ut supra, pro ultima vice.

IV. Si autem non fiat Processio post Vesperas, aut Completorium, sed tantum Oratio publica pro reponendo Sanctissimo Sacramento circa Solis occasum, Clerici omnes adsint saltem cum facibus, & candelis, & fiant alia ut supra de Oratione publica coram Sanctissimo Sacramento art. 10.

V. Potest decantari hymnus *Pange lingua* aut alius, & devotius versus *Tantum ergo*, & celebrans si initio non incensavit Sacramentum, tunc illud incensat, & alia ut supra. Sed tamen multum convenit, ut saltem fiat Processio intra Ecclesiam, ad quam non omittantur genuflexiones, incensationes, velum, thuribula, & alia. Aliæ Processiones SS. Sacramenti faciendæ per annum, ex consuetudine, vel ob causam gravem, fieri debent respectivè eo modo quo supra in festo Corporis Christi.

VI. Postridie mane Sacrista, vel alius Sacerdos, in Missa sumpto pretioso Sanguine, sacram Hostiam, quæ in Ostensorio asservabatur, ante purificationem assumet, nec communicandis ministrabit; Lunulam verò Ostensorii diligenter purificabit, atque etiam, si videbitur, vino lotam purificatorio exterget, & cum aliis sacris vasis asservabit; vel potius, & securius in ipso Ostensorio deponet, & reservabit.

#### CAPUT XVII.

De quibusdam notandis circa festa à festo Corporis Christi usque ad Commemorationem omnium fidelium Defunctorum.

I. **F**estum Sanctorum Joannis, & Pauli Martyrum Fratrum hoc habet speciale, ut habeat Vesperas secundas integras.

II. Si Commemoratio Sancti Pauli Apostoli transfertur in diem 4. Julii ratione Octavæ Corporis Christi, aut in aliam non

non impeditam, totum Officium à primis ad secundas Vesperas inclusivè fit, ut in propria Ecclesia, omiſſa commemoratione Octavæ S. Joannis. Ita in Breviario recognito.

III. Si dies trigesima Junii fuerit Sabbatum, in secundis Vesp. quæ sunt in Antiphona commemorationes communes ambobus Apostolis, commemoratio Dominicæ debet fieri post Apostolos, non ante, quia hæ Vesperæ sunt duplices, & per consequens nobiliores Dominica; quod male notaverat aliquis.

IV. Si Octava Apostolorum occurrat in Dominica, in qua occurrit etiam fortè Dedicatio Ecclesiæ, aut Festum Patroni, Nona Lectio erit de homilia Dominicæ, quæ in alia feria deberet esse de Octava propria.

V. Si Sancti Machabæi sint Patroni, aut si fiat eorum festum alicubi, Lectiones primi, & secundi Nocturni sumantur de Dominica 5. Octobris, & mutantur quædam, quæ in Communi Martyrum non eis conveniunt, quia non pro Christo passi sunt.

VI. Conceditur Missa, & Officium de Sancto Rocho in ejus festo, in Ecclesiis tantum, & Eremitoriis habentibus requisita Ecclesiarum in honorem Deo dicatis, non extra dicta loca. Sacr. Congr. Rit. 4. Julii, & clarior 26. Novembr. 1629.

VII. Festum Angeli Custodis est tantum ad libitum, & Duplex tantum minus. Ideò si celebretur Calendis Octobris dividit primas suas Vesperas cum sancto Hieronymo, & à Capitulo fit tantum de Sancto Angelo Custode. Si fiant Octavæ de Sancto Michaelæ, aut Hieronymo, aut alio Sancto respectivè, prædictum festum Angeli Custodis post Octavam transfertur completam. Ad octavam Lectionem dicitur *Quorum festum* &c. Si fiat Officium prima die Octobris, Octavæ Lectioni junge Nonam, quæ est magis propria festi, quia ultima est sancti Remigii.

VIII. Festum Rosarii debet ubique celebrari in Ecclesiis ubi est confraternitas Rosarii, seu altare ei dicatum, ritu dupl. majoris, prima Dominica Octobr. Convenit ut fiat totum Officium de B.M. ut in festo ad Nives, exceptis Lectionibus secundi Nocturni,

quæ debent lumen ex secundo Nocturno diei Octavæ Nativitatis B. M. quæ incipiunt, *Hilarem video carum*. Si in ipsa Dominica occurrat dies Octavæ alicujus festi, fit de festo, & comm. de Octava. Si aliud duplex majus, aut minus, transferatur. Si festum primæ, aut secundæ classis, nihil fit eo anno de festo Rosarii. Ita periti.

## C A P U T XVIII.

### De Commemoratione omnium fidelium Defunctorum.

I. **A**ntequam Vesperæ de festo omnium Sanctorum dicantur, sacrificia præparat in Sacristia Pluviale nigrum pro Celebrante, vel tantum stolum, si pluviale haberi non possit; & si sit consuetudo, duo alia Pluvialia, aut plura pro Assistentibus, quod tamen non est necesse, ex Cær. Ep. l. 2. c. 10. quia hujusmodi Officium est feriale, quod etiam imitatur Officium tridui ante Pascha, in quo Ecclesia celebrat exequias Domini.

II. Item parat altare majus pallio nigro, super quod tamen aliud album festivum ita disponat, ut dictis Vesperis de festo statim possit amoveri facile, & post Vesperas Defunctorum possit etiam ipsum album reponi.

III. Dicto *Benedicamus Domino*, Celebrans alba paramenta deponit, quibus usus est ad Vesperas festi, quæ tradit Sacristæ, aut alteri ministro asportanda in Sacristiam: & statim per eundem, vel potius per alium, stola, & Pluviale nigri coloris afferuntur, eisque induitur. At si Assistentes uti debent Pluvialibus, ut supra, dicto *Benedicamus Domino*, deponunt paramenta alba, & nigris induuntur. Interim ponuntur super altare sex cerei ceræ communis in candelabris illius, amotis prius cereis albis, & accenduntur. Item amoveantur duo etiam ceræ albæ qui sunt in candelabris Ceroferariorum, & ponuntur duo alii ceræ communis, qui extincti remanent usque ad finem Cantici *Magnificat*, ut infra.

IV. Si sit consuetudo, apponitur lectica in medio Ecclesiæ statim post finem Vesperarum festi, circa quam sunt quatuor saltem intortitia, aut faces, & super eam pannus nigri

gri coloris, in cuius medio potest esse Crux acu depicta, serico rubeo & violaceo in-texta, & non Crux similis illi, quæ super Altare ponitur, scilicet opere sculptili.

V. Tabernaculum SS. Sacramenti tegatur, si fieri potest, velo violaceo; nec ullæ sint Mortis, aut Ossium, aut Lacrymarum, aut aliorum similium imagines in paramentis; nec Cruces albæ in iis apponantur; nisi in paramentis quibus apponi solent, ex Cær. Ep. l. 2. c. 11.

VI. Hæc autem omnia necessaria ita tempestivè fiant, ut statim post: *Benedicamus Domino*, post quod celebrans non addit verbum: *Fidelium anima*, nulla vel brevissima mora interposita, inchoentur Vespere Defunctorum.

VII. Dum respondetur in Choro: *Deo gratias*, Ceroferarii deferunt candelabra sua ad Altare, ibique suis cereis albis amotis, ponunt alios duos cereæ communis, ut supra.

VIII. Et interim dignior ex Assistentibus, vel aliquantulum post, si prædicta non sint parata, cum cortæ solum, vel Pluviali, ut supra, accedit ad celebrantem, cui cum debitis reverentiis præintonat Antiphonam: *Placebo*, ut in Matutinis Tenebrarum, & aliis Vesperis; qua repetita, & duplicata, Cantores inchoant Psalmum: *Dilexi*; quo inchoato omnes tecto capite sedent usque ad Canticum: *Magnificat*, nisi surgant, dum unus ex Clericis intonat Antiphonas, ut alias diximus.

IX. Celebrans incipit Antiphonam ad *Magnificat*, à primo Assistente præintonatam; stat, & omnes alii de Choro, eaque inchoata, sedent; sed stant ad prædictum Canticum, & sedent, cum eo expleto ipsa repetitur.

X. Circa finem Cantici, Ceroferarii accendunt suos cereos cum debitis reverentiis, & cum eis accedunt ante celebrantem, cui se inclinant; ipse verò finita Antiphona, incipit alta voce: *Pater noster*, quod secretò compler; quo completo, dicit: *Et ne nos, &c.* profequitur non Psal. *Lauda anima*, sed tantum versus, & Orationem, ut in Brevariario; in cuius fine Assistentes cantant: *Requiescant in pace*. Ad preces, scilicet: *Pater noster*, & alia, & Orationem, Celebrans, Assistentes, si sint, & Ceroferarii stant, sicut & Cæremoniarius, & ille, qui

*Man. Sacr. Cærem.*

fortè librum tenet ante Celebrantem, ceteris de Choro genuflexis; his omnibus finitis, recedunt cum silentio, debitis reverentiis Altari factis, in Sacristiam.

XI. Dicitis Vesperis pro Defunctis, remonentur nigra paramenta, & reponuntur alba usque ad Matutinum pro defunctis diei sequentis post Laudes festi, vel post Completorium, si post illud dicantur Matutinæ Defunctorum immediatè.

XII. Matutinæ non statim dici debent post Vesperas, quia prohibuit Sac. Congr. Rit. 1. Septembr. 1607. ne pridie Vesperis Matutinæ Defunctorum recitentur; sed hodie manè. Hoc tamen conceditur Episcopis tantum, Cær. Ep. l. 2. c. 10. Consuetudo verò quarundam Ecclesiarum illas recitandi post Completorium pro die sequenti, non videtur improbanda, cum non pugnet contra Rubricas Brevariarii, ex Gavanto.

XIII. Si dicantur Matutinæ post Compl. dicitur priùs: *Pater, Ave, & Credo*, pro fine Completorii, non verò pro principio, quia absolutè Matutinæ inchoantur, non præmissis *Pater noster*.

XIV. Dicto ergo post Completorium: *Pater, Ave, & Credo*, vel post Laudes festi, responso a Choro: *Deo gratias*, statim duo cantores in medio Chori cantant de more Invitatorium: *Regem cui omnia vivunt, & Psal. Venite exultemus*. Quo dicto, Celebrans incipit Antiphonam: *Dirige*, & alii post eam sequentes Antiphonas, ut ad Matutinas solemnes. Primo verò versu primi Psalmi inchoato, omnes sedent, donec dicatur ab Assistentibus versus ante Lectiones; quo dicto, omnes stantes dicunt secretò: *Pater noster*, quo etiam dicto, omnes sedent, & Lector incipit absolutè Lectionem suam; cætera fiunt respectivè, ut in aliis Matutinis, & præcipuè Matutinis Tenebrarum; nec opus est, ut Celebrans dicat Nonam Lectionem.

XV. Ad Laudes celebrans potest assumere Pluviale, ut ad Vesperas, & non alii; & omnia fiunt respectivè, ut ibidem, dictoque à cantoribus: *Requiescant in pace*, & responso: *Amen*, omnes, ut supra, discedunt.

XVI. Missæ omnes privatæ dicuntur pro omnibus fidelibus Defunctis, neque fit injuria iis, pro quibus quotidiana fortè extat obligatio Missæ, cum hæc sit intentio Ecclesiæ Gav. p. 4. tit. 15. Dicitur tamen una Missa

de Octava poft Tertiam in Collegiatis Ecclefiis, & Miffa principalis poft Nonam dicitur pro omnibus Defunctis à Superiore, fi fieri poffit.

XVII. Quia hodie fit Abfolutio folemnis Defunctorum, & omnes fideles folent circumire fe pulchra, illud notent Clerici, ut ultima Abfolutio faciendâ fit ad Lecticam mortuorum cum Refponforio, *Libera me Domine de morte, &c.* & Oratione: *Abfolve*, in numero plurali. Ad alia verò fe pulchra diftribuant Refponforia, quæ in Nocturnis dici folent, ad quæ poft verfum Refponforii cantatur, etiam à Cantoribus, verfus: *Requiem æternam*, integrè; eoque repetito, & finito Refponforio, Cantores fubdunt de more: *Kyrie eleifon*, & primus chorus refpondet: *Chriſte eleifon*, & fecundus: *Kyrie*. Celebrans fubdit: *Pater noſter*, *Et ne nos inducas*, verfus, & Orationem convenientem pro viris, vel pro foeminis, in cujus fine celebrans addit verfum: *Requiem æternam, &c.* & Chorus refpondet: *Et lux perpetua luceat eis*, & nihil aliud. Deinde alia Refponforia inchoantur fecundùm numerum fe pulchrorum, circa quæ fit Proceffio.

XVIII. Fit etiam afperſio, & incenfatio ad fingula fe pulchra in uno, & eodem loco, non verò circumdando ea, ut in abfolutione generali; unde deferri debet ante Crucem vas aquæ benedictæ, & Thuribulum, & tunc poni in tanta quantitate, ut celebrans non cogatur de novo illud imponere, quantum fieri poteſt, niſi in ultima, quæ fit ad Lecticam communem, in qua prædictum Refp. *Libera me Domine*, dici debet, & Oratio: *Abfolve*; poteſt tamen dici Oratio: *Fidelium Deus omnium, &c.*

XIX. Ultima Abfolutio dicitur ſicut poſt Miſſam, in cujus fine Cantores fubdunt: *Requieſcant in pace*. Si verò hæc fit poſt Veſperas Defunctorum, non aſſunt Miniſtri ſacri parati, ſed tantùm duo Aſſiſtentes Cantores. At certè decet, ut differatur poſt Miſſam ſolemneſem, vel ut fiant duæ, una ſcilicet poſt Veſperas Defunctorum, & alia poſt Miſſam; hæc enim hodie numquam eſt omittenda. Convenit, ut dum fit Proceſſio, non pulſentur campanæ, præſertim majores.

XX. Si habendus fit Sermo de more,

habeatur finita Miſſa, ſumpto priùs Pluviali à Celebrante, & fiant, quæ ſuprà p. 4. diximus.

XXI. Si aliis diebus infrà Octavam dicatur Miſſa pro Defunctis Sacerdotibus, Canoniciſ, Clericis, aut Religioſis (quod debet fieri in unaquaque Eccleſia) dicatur pro Sacerdotibus Oratio: *Deus qui inter Apoſtolicos*, vel alia, ſcilicet: *Præſta*; pro alijs verò Oratio: *Deus venia largitor*. Si alio die dicatur Miſſa pro benefactoribus, eadem Oratio dici debet, & addatur: *Noſtra Congregationis benefactores*. In Eccleſiis tamen Collegiatis ſemper dici debet Miſſa Conventualis de Octava, aut de feſto, præter Miſſam prædictam pro Defunctis.

## C A P U T XIX.

### De feſto Patroni, & Dedicationis propriae Eccleſie.

I. **E**ſt feſtum principale primæ claſſis, & ſolemniffimum; ideò Eccleſia debet elegantiffimè parari, ut docet Cær. Ep. l. 1. c. 12. Suprà fores Eccleſiæ, floribus, frondibusque auro intextis ornatas, apponatur imago Sancti Patroni, aut Titularis, cum alijs devotis imaginibus, non profanis.

II. Si in Eccleſia fuerint Indulgentiæ plenariæ, eo die poterit ſecundùm conſuetudinem laudabilem locorum, deferri Breve Apoſtolicum circum, & intra Eccleſiam ſolemniter, tamquam vexillum haſtili appenſum, ante primas Veſperas; & qui illud deferret, procedet poſt Thuriferarium portantem Thuribulum fumigans, in quod celebrans ad Altare poſuerit incenſum, præcedens Subdiaconum ferentem Crucem. In hac Proceſſione poteſt decantari Hymnus Veſperarum, vel *Te Deum laudamus*, ſolo Celebrante capite teſto. Non deferuntur luminaria, niſi à Ceroſerariis. Ex Cær. Cler. Reg. ſancti Pauli l. 2. c. 1. c. ult. 1607.

III. Cum Clerus redierit ad Altare, deponitur Breve in loco parato, non multùm ab Altari remoto, in parte Evangelii. Cantores cantant verſum convenientem, & Celebrans poſteà Orationem de Sancto; qua dicta, cum reverentijs debitis procedunt

dunt in Chorum, ubi dicuntur Vefperæ. Prius tamen Subdiaconus Crucem defert in Sacriftiam. Item eo cafu, tabella, aut plures, fi opus fit, pulchrè elaboratæ appendantur ad fores Ecclefiarum cum hac infcriptione: *Indulgentia plenaria.*

IV. Nemini autem novum videri debet, fi tantus honor Brevi Apoftolico deferatur, cum S. Carolus Borromæus, Cardinalis Eminentiffimus, numquam literas Apoftolicas, nifi nudo capite, & genibus flexis, cum tota fua familia receperit, & legerit, ut probant acta vitæ ejus.

V. Feflum Patroni loci, aut Ecclefie Cathedralis, eft quidem primæ claffis in tota Diœcefi, in civitate cum Octava; & extra, ficut apud Regulares, fine ea: non eft tamen tantæ folemnitatis, ac feflum Patrofi proprii loci.

VI. Feflum Patroni minùs principalis eft duplex majus tantum, ex Brevariario recognito, nifi ex fe fit altioris gradus in Brevariario. Notandum eft, quòd fi Ecclefia duos, aut plures Patronos habeat, unus debeat tantum principalis dici, alter ve-

rò minùs principalis; & de hoc Regulares non tenentur Officium recitare, nifi fit in Kalendario Romano, quia nulla lex ad id obligat. Laudabile tamen eft, fi illud recitent in gratiam populi, & multò magis, fi fit Officium de præcepto.

VII. Feflum Dedicacionis propriæ Ecclefie, & Cathedralis, eft feflum primæ claffis. De hac fit Octava tantum in civitate, de illa in propria Ecclefia. Ad illam etiam Octavam non tenentur Regulares, neque ad Officium recitandum de Dedicacione ipfa, nifi ex congruentia. Gav. feft. 8. c. 5. Ad Matutinas in Pfalmo, *Qui habitat*, dicta Antiphona integra initio, cantatur immediatè verfus, qui fequitur, fcilicet, *Dicet Domino*; nifi tempore Pafchali, in quo propter, *Alleluja*, dicta Antiphona, *Qui habitat*, &c. Pfalmus denuò inchoatur à principio.

VIII. In Dedicacione propriæ Ecclefie folent ardere candelæ ad Miffam, & omnes Horas, ante omnes duodecim Cruces, quæ in ejus Consecratione facro Chrifmate inunctæ funt; & probatur à peritis.





# M A N U A L I S

## SACRARUM CÆREMONIARUM

Juxta Ritum Romanum

P A R S Q U I N T A .

### DE SACRIS CÆREMONIIS SERVANDIS ab Episcopo, & aliis Prælatiſ Superioribus, & eorum Miniſtris ſpecialibus.

**H**ucusque de miniſtris Eccleſiæ inferioribus, & Officiis divinis in genere, & ſpecie, quæ celebrantur in Eccleſia, tam diebus privatis, quàm feſtiviſ; nunc autem æquum eſt, ut agamus etiam de Sacriſ Cæremoniis, quæ à majoribus Prælatiſ, videlicet Episcopis, & eorum Miniſtris, obſervari debent, in hac quinta parte. Opus enim noſtrum mutilum videretur, & imperfectum, ſi tantum de Miniſtris Eccleſiæ inferioribus ageremus, relictis capite, & ejus præcipuiſ membriſ.


Igitur de Episcopo primùm, deinde de ejus Miniſtris, tum de aliis ritibus, qui ad eos pertinent, intendimus tractare; ſecuturi Cæremonialia, Romanum, Episcoporum, Cardinalium, & doctrinam in hujusmodi ſacriſ functionibus peritorum, quos ex industria conſulimus.

Hanc autem materiam admodum difficilem, ſed maximè ſublimem, nunquam auſi fuiſſemus pertractare, niſi auctoritas Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum Archiepiscopi Tolofani, & Episcoporum Silvanectenſiſ, Cadurcenſiſ, Convenarum, Abrincenſiſ, Maſilienſiſ, & aliorum, ad id impulſiſſet, quibus nos obtemperare, ſummo ſemper honori duximus. Non intendimus autem de ſinguliſ ritibus particularium Eccleſiarum Cathedralium tractare: hoc enim vix fieri poteſt propter diverſas illarum conſuetudineſ, & varioſ uſuſ; ſed tantum de iis, qui in illiſ Eccleſiis exercentur, in quibus Cæremoniale Episcoporum exactè obſervatur.

Ex libro primo Cæremonialis  
Episcoporum.

## CAPUT PRIMUM.

De Episcopo, ejus habitu, & aliis agendis  
per eundem nuper electum.

I.  Piscopus, quem Spiritus Sanctus posuit regere Dei Ecclesiam, in memoriam semper habeat, constitutum se esse Patrem populi, Pastorem Ecclesiæ, locum Apostolorum tenere, & dispensatorem esse Mysteriorum Dei. Unde eum non tantum inferiores, sed etiam omnes Ecclesiastici ordines, imò & omnes Principes summa reverentia prosequi debent: ipseque super cæteros gradus constitutus, ubique primum locum obtinere debet; & præcipuè in ritibus Ecclesiæ observandis, cæteris præbere debet exemplum.

II. Cum igitur aliquis certior factus fuerit, se alicui Ecclesiæ Cathedrali, vel Majori, à Summo Pontifice in Consistorio præfatum, sive sit in Curia Romana, sive non, statim curabit, sibi amplam coronam in capite decenter formari. Tunc, & non prius, super vestem inferiorem talarem, cum extra domum exibat, induet aliam vestem brevioris sine manicis apertam, ut per scissuras, brachia extrahi possint; quod genus vestis Mantelletum vocant. Vestes autem hujusmodi erunt, vel ex lana, vel ex camelotto coloris violacei, nullo autem modo sericæ.

III. Sic induti, in Curia statim adibunt Summum Pontificem, & ei gratias agent de promotione, merita sua extenuando, & dignitatis gradum amplificando; & tunc è Sanctitatis suæ manibus Rocchetum accipient.

IV. Visitabunt postea Eminentissimos Cardinales in eorum domibus, ejusque officiosè gratias agent.

V. Absentes verò, seipsos Rocchetto, & aliis vestibus induent, ut supra, & gratiarum actiones per litteras, tam ad Summum Pontificem, quam ad Eminentissimos Cardinales peragere studebunt. Et si erunt in propria Provincia, vel Diocæsi, cum de sua promotione certum nuntium habuerint, poterunt domi, & foris uti Mozzetta, loco Mantelleti ejusdem coloris supra Rocchetum; & tam præstes in Curia, quam absentes,

Man. Sacr. Cærem.

utentur cum opus erit, pileo nigro laneo; serico viridi suffulto, cum cordulis, ac floccis viridis coloris.

VI. Hæc, quæ de vestibus diximus, Clericis, seu Presbyteris sæcularibus, seu Regularibus electis tantum conveniunt. Regulares verò promoti non utuntur Rocchetto, sed retinent in vestibus colorem habitus suæ Religionis, & deferre possunt ubique terrarum Mozzettam ejusdem coloris, & biretum nigrum, Gallicè *bonnet querre*, pileo tamen viridi ornato, prout alii non Regulares utuntur.

VII. Sed Canonici Regulares utuntur etiam Rocchetto, prout ante promotionem utebantur in sua Congregatione, & colore violaceo, sed non Mozzetta; & Presbyteri Sancti Spiritus, & Militiarum S. Joannis, S. Jacobi, & aliorum; qui tamen sui Ordinis insignia non deferunt in vestibus, sed ejusdem Ordinis Crucem ad collum intus pendentem.

VIII. Attamen diebus quibusdam Episcopi uti debent vestibus laneis nigri coloris, videlicet in Adventu, & à Septuagesima per totam Quadragesimam, in vigiliis, quibus jejunatur, & in omnibus sextis feriis totius anni; excipiuntur tamen dies, qui incidunt à die Nativit. Domini, usque ad Octavam Epiphaniæ, inclusivè, & à Dominica Paschæ, usque ad Dominicam Sanctissimæ Trinitatis. Ideò in Vigilia Pentecostes, & Quatuor Temporibus ejusdem festi, utuntur colore violaceo. Item per Octavas SS. Sacramenti, Assumptionis B. M. Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, ac Sancti Patroni Civitatis, ac Dedicacionis propriæ Ecclesiæ. Item in Anniversariis Electionis, & Consecrationis ejusdem Episcopi. In aliis verò Octavis minoribus, ut Nativit. B. M. S. Joan. Bapt. S. Laurentii, dies tantum Octavarum excipiuntur, & aliarum minorum, quæ in diversis Ecclesiis fiunt. Festa verò duplicia occurrentia in Adventu, & à Septuagesima per totam Quadragesimam, non excipiuntur, sed tantum festum Annunciationis, & omnes publicæ celebritates, quæ cum lætitia celebrantur, ut in ingressu alicujus Magni Principis, in Consecratione Episcopi, in traditione Pallii Archiepiscopo, Coronatione Regis, & aliis hujusmodi solemnitatibus, in quibus uti debent colore violaceo.



IX. Episcopi galerus est duplicis formæ, alter qui dicitur Pontificalis, quo in solemnibus equitationibus utitur, ejusdem formæ præter colorem, quo DD. Cardinales utuntur equitantes; alter verò simplex: uterque ab exteriori ex lana nigra, ab interiori verò serico coloris viridis suffultus; uterque etiam cordulis viridibus exornatus, additis Pontificali floccis sericeis etiam viridibus, ab eo pendentibus.

X. Domi eodem habitu utitur Episcopus dum sit aliqua Congregatio coram eo, vel ordinandorum examen, superinduta supra Rocchetto Mozzetta; ac etiam quoties erunt Congregationes coram Metropolitanano, dum celebratur Concilium Provinciale; quo habitu, scilicet Mozzetta cum Rocchetto discooperto, in dictis Congregationibus utetur, tam ipse Metropolitanus, quam alii Episcopi Provinciales, qui ibidem pro Synodo celebranda convenerint, licet sint extra suam Diocesim.

XI. Eodem quoque habitu Episcopus indutus erit, quoties per civitatem, & terras, & oppida suæ Diocesis incedet.

XII. Quoad cappas verò, quibus Episcopi in suis Diocesibus utuntur, id erit observandum, ut regulariter sint lanæ, & violaceæ, & non alterius coloris. In festis tamen, quæ in Breviario vocantur primæ classis, excepto triduo ante Pascha, poterit uti Episcopus cappa ex camelotto violacei semper coloris; quibus quidem cappis, circa collum pelliculæ albæ, & ante pectus consutæ sint, quæ deinde Vigilia Pentecostes, aut citius, aut tardius pro diversitate locorum, aut pro ut Episcopo videbitur, præintimatis etiam Canonicis, qui cappis utuntur, quo die mutari debeant, remonentur, & loco pellicularum, sericum rubrum apponitur; Canonici verò regulariter in Ecclesiis, ubi illis utuntur, eas omnino deponunt, & loco earum assumunt cottas super Rocchetto, ita ut numquam sint cum Rocchetto discooperto.

XIII. Quod autem dicitur de hujusmodi habitu Episcoporum, tam capparum, quam cæterarum vestium, non intelligitur de Episcopis Regularibus, qui non mutant colorem sui habitus, neque induunt Rocchetto; sed in Ecclesia propria uti debent cappa coloris suæ religioni cõvenientis, pellibus, seu serico ejusdem coloris suffulta. Excipe tamen Ca-

nonios Regulares, qui Rocchetto utuntur.

XIV. Extra Diocesim, & extra Ecclesiam suam, Episcopus non utitur cappa, præterquam in Romana Curia, cum in divinis, Pontifice Maximo, vel Sacro Cardinalium Collegio præsentem, assistit.

XV. Dum iter agit, utitur brevioribus vestibus, cum manicis sub genu per palmum, vel ultra protensis, coloris temporum diversitati convenientis; circa collum verò fasciam sericeam coloris nigri, latitudinis duorum palmorum, vel circa, longitudinis ferè ad mensuram vestium pendentium habere consueverunt; in Diocesi autem, vel Provincia, Mozzetta illi est superinduenda sine prædicta fascia.

XVI. Episcopi autem de familia Pontificis Maximi viventis, numquam mutant colorem violaceum in habitu. Castaldus?

XVII. Cum Episcopus solemniter equitat, cappam violaceam de camelotto super Rocchetto habebit, pileum Pontificalem, ut supra, gerens in capite; mula, super quam ascendit, Pontificalibus ephippiis, & stragula violacei coloris ornabitur. Tempore pluvioso, pallio magno, & lato, quod Mantellonum vocant, ejusdem coloris cum ornamentis mulæ, & pileo destinato ad pluviam utitur, scilicet in solemnibus equitatione.

CAP. II. & etiam 3. lib. 1. Cærimonialis.

*De primo accessu Episcopi, vel Archiepiscopi, vel ad suam Diocesim, vel Provinciam.*

I. **A**ccessurus Episcopus ad suam Diocesim, vel Archiepiscopus ad suam Provinciam, ante accessum poterit aliquas gratias, seu facultates à D.N. Papa obtinere, præsertim Indulgentiam plenariam pro populo suæ primæ Missæ ad futuro.

II. Insuper præparabit, quæ in itinere, & ingressu suo usui esse possunt; ut vestes Episcopales ordinarias, cappam Pontificalem violaceam, vel si sit Regularis, coloris habitus sui, Pontificalem Pileum cordulis, ac floccis sericis coloris viridis ornatum, equi etiam, sive mulæ ornamenta opportuna. Item libros necessarios, uti Pontificale, & Cærimoniale, ac paramenta etiam sacra pro ingressu

gressu necessaria, ut Pluviale album cum stola, & Mitra pretiosa, amictum, albam, cingulum, anulum, & baculum pastoralem, & alia, nisi ea sumat à propria Ecclesia ad cantorum commoditatem.

III. In discessu, vel in Ecclesia, vel antequam equum ascendat, in hospitio suo cum suis Clericis recitabit Itinerarium, quod faciet quotidie post Missam, vel antequam equum ascendat, dum erit in itinere; & si erit Archiepiscopus, cum suam provinciam intraverit, faciet ante se deferri Crucem per aliquem è suis Capellanis, imagine SS. Crucifixi ad se conversa, & sibi occurrentes subditos, semper genuflexos, benedicit signo Crucis. Eos etiam Episcopus benedicit, cum suam Diocesim intraverit.

IV. Cum autem erit unius diei, vel bidui spatii propinquus propriae civitati, significabit Vicario suo, Canonicis, & Capitulo, nec non Magistratui, & Officialibus civitatis, diem, & horam sui ingressus, ut possint omnia præparare, ut ei obviam eant, eumque debito honore prosequantur.

V. Præmittet etiam aliquem è suis domesticis, qui Clerum, & alios, ad quos spectat, admoneat, ut Processionem in hujusmodi ingressu habendam indicent, Baldachinum parari faciant in porta civitatis, & deputari qui illud portent supra Episcopum, ut infra; vias etiam mundari, & parari frondibus, & aliis hujusmodi, curent.

VI. Die præfixa Canonici, & Capitulum cum toto Clero Processionali ritu accedere debent ad portam civitatis, ibique consistere; Magistratus verò, & alii, & populus obviam Episcopo extra portam ire.

VII. Episcopus interim in aliquo facello, seu loco honesto parum distante à porta civitatis, descendat de mula, vel equo, ac deposito itinerario habitu, induet cappam Pontificalem, iterumque ascendet mulam ornatum Pontificalibus ephippiis, & stragula violacei coloris, ac pileum Pontificalem solemniolem in capite geret, atque ita equitabit, suis domesticis ipsum comitantibus, usque ad portam civitatis, ubi descendens è mula genuflectet super tapete stratum, & pulvinum ibidem paratum, & devotè osculabitur Crucem, sibi per digniorem ex Capitulo Pluviali indutum oblatam.

VIII. Mox surgens, in aliquo facello, vel

loco parato honesto capiet, deposita cappa, paramenta sacra, videlicet amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, Pluviale album, anulum, ac demum Mitram pretiosam, conscendetque equum serico albo undique tectum, & decenter ornatum.

IX. Ordo autem procedendi hic erit. Equitabunt primò cives omnes, tum familiares Episcopi, postea Magistratus, & Officiales civitatis, Barones, & Principes, si qui aderunt: mox Clerus omnis pedibus incedens, præcedente sua Cruce, quem Cantores subsequenter cantantes, ut in Pontificali. Post hos Canonici, & Capitulum Ecclesie; & si sit Archiepiscopus, antecedit Crux Archiepiscopalis, inter quam & Archiepiscopum nemo erit, nisi Dignitates, & Canonici; demum Archiepiscopus, seu Episcopus equitabit sub Baldachino delato per eos, quibus ex consuetudine, vel privilegio id convenit. Ipse Episcopus benedicit populo manu dextra extensa, & retenta Mitra. Post Episcopum equitabunt Prælati, si qui erunt, & reliqui togati.

X. Ante portam Ecclesie Episcopus descendet ex equo, & super tapetem ibidem stratum, & extensum, retenta Mitra, capiet aspersorium de manu prædicti dignioris de Capitulo, quo se & alios asperget aqua benedicta, incipiendo à digniori; ac eodem digniori ministrante naviculam, ipse Episcopus imponet, & benedicit thus in thuribulo, quod Thuriferarius ministrat; ac ipse etiam ab eodem digniori ter incensabitur de more, cum inclinationibus ante, & post.

XI. Tum præcedentibus Clero, ut supra, & Hymnum, *Te Deum*, &c. cantantibus, ad altare Sanctissimi Sacramenti, si est aliud à majori, consistet ibi Episcopus, & remoto tunc Baldachino, & deposita Mitra per aliquem Capellanum, aut Canonicum, ac facta genuflexione usque ad terram ante ipsum Sanctissimum Sacramentum, genuflectet iterum super pulvino ibidem parato genuflexorio, & orabit; tum surget, & facta iterum genuflexione usque ad terram Sanctissimo Sacramento, capiet Mitram, & procedet ad altare majus, ubi ante infimum gradum, deposita Mitra, ut supra, Cruci Altaris faciet reverentiam profundam; tum genuflectet, & orabit super pulvino, & genuflexorio parato.

XII. Et interim dignior ille, ut supra indutus, accedit ad altare, & in cornu Epistolæ stans versùs Episcopum, sed conversus paululum ad cornu Evangelii, finito Hymno, *Te Deum*, cantabit ex libro super altari posito Versus, *Protektor*, & alia, ut in Pontificali. Cum dicitur, *Per Dominum*, &c. post Orationem, Episcopus surget, & facta altari reverentia, sumpta Mitra, ibit ad sedem suam, ubi sedens recipiet omnes Dignitates, Canonicos, & alios de Capitulo ad osculum manus; Cantoribus interim Antiphonam, aut aliquem Psalmum cantantibus, vel Organista Organum pulsante.

XIII. Tum accedet Episcopus ad altare, quod, Mitra deposita in infimo gradu, & facta iterùm reverentia, in medio osculabitur; & cantata Antiphona Sancti Titularis Ecclesiæ, vel Patroni civitatis, cum suis Versibus, & Responsoris, à Choro, vel cantoribus, cantabit ipse in cornu Epistolæ Orationem ipsius Sancti; qua dicta, capiet Miram, & ad medium Altaris ibit, ubi dabit benedictionem solemnem, cantando, ut in Pontificali; & cum dicet, *Benedicat vos*, &c. capiet sinistra baculum, & si fuerit Archiepiscopus, benedicet capite nudo, renibus altari versis, nisi altare sit ad Orientem, habens ante se Crucem, cui reverentiam priùs faciet. Benedictione data, publicentur Indulgentiæ per aliquem Canonicum alta voce iuxta forma infra descripta, scilicet, *Reverendissimo*, &c. ut in fine hujus partis.

XIV. Deinde Episcopus, facta priùs Crucis reverentia, sumpta Mitra, & apud sedem depositis paramentis, & sumpta cappa, & bireto, procedet ad locum suæ habitationis; quem dignior ille de Capitulo, deposito Pluviali, & alii Canonici in habitu Canonicali comitentur, si habitatio sit vicina Ecclesiæ; si verò distantior, usque ad portam ipsius Ecclesiæ.

XV. Quod si esset aliquis magnus Princeps, qui vellet Episcopum comitari usque ad portam hospitii, debet Episcopus parùm resistere; non tamen hujusmodi pietatis officium omninò recusare, præsertim si hospitium non multùm distet; sed ei pro tali humanitate gratias agere.

XVI. Si contingat, Episcopum, dum ad suam civitatem accedit, transire per aliquem locum insignem suæ diœcesis, vel in eo hos-

pitari, & Clerus, & Magistratus ejus loci eum honorare cupiant, permittet quidem, ut obviam eant, etiam extra locum, & eum comitentur usque ad primariam Ecclesiam ejus loci, & facta ibi Oratione, usque ad locum, ubi hospitaturus est, non mutato habitu itinerario; sed nulla fiet Processio.

XVII. Quando verò Episcopus post ingressum in civitatem propriam voluerit alias civitates, vel oppida insignia suæ diœcesis visitare, convenit, ut prima vice recipiatur cum sacra Cleri sæcularis, & regularis Processione. Ipse verò non erit Mitra, & Pluviali indutus, sed equitabit mulam ornatam Pontificalibus ephippiis, cum cappa, & pileo Pontificali, & offerretur ei in porta Crux osculanda; & alia omnia fient etiam in Ecclesia, prout de civitate propria, & primaria suæ Diœcesis dictum fuit.

XVIII. Si ipse Prælatus in loco suæ jurisdictionis, cum ad concionem accedit, velit uti Baldachino, paretur ei à latere Evangelii, vel alio loco commodiori, prout Ecclesiæ structura, aut situs id postulaverit; debetur enim ei in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis.

#### C A P U T IV.

*Quomodo Episcopus, vel Archiepiscopus se gerere debeat circa benedictiones, & alia Episcopalia munia in sua Diœcesi, vel Provincia. Et quid si Legatus Apostolicus, aut Cardinalis quilibet, vel Nuncios, aut aliquis Prælatus ibidem sit.*

I. **D**UM Episcopus ambulat per suam Diœcesim, vel civitatem, vel equitat, manu aperta benedicet; & si est Archiepiscopus, Crucem etiam ante se deferri facit; & in Ecclesiis suæ Diœcesis, etiam exemptis, solemniter benedicet, & alia faciet Pontificalia, ut infra.

II. Si tamen adsit cum Episcopo ipso Cardinalis quilibet Episcopus, & etiam Archiepiscopus, non benedicet, neque privatè, neque solemniter; nec Archiepiscopus ullatenus permittet ante se deferri Crucem, licet sit Cardinalis, & remittet omnia exercenda ipsi Cardinali præfenti.

III. Et si celebrat fortè Episcopus, debet per aliquè ex suis Capellanis Cardinali præfenti significare, ut omnia prædicta exercere dignetur. Quod si Cardinalis facere ex urba-

nitate noluerit, poterit ea Episcopus exercere

IV. Si verò Episcopus ipse sit etiam Cardinalis S. R. E. non celebrans, & præsentem alio Cardinali, debet ipse Cardinalis Episcopus alium Cardinalem præsentem rogare, ut omnes benedictiones thuris, & ministrom faciat, ac in fine populo benedicat. Quod si Cardinalis præfens facere, ut supra, recusaverit, Cardinalis Episcopus poterit omnia remittere ad celebrantem, vel ipse exercere, modò benedicat non in sede, nec in faldistorio, sed ad altare.

V. At si Cardinalis ipse Episcopus celebret præsentem alio Cardinali non Legato omnes benedictiones, & alia exercebit celebrans; præsentem verò Metropolitano, cessabit Episcopus à benedictionibus privatis. Si verò præfens sit Legatus, semper hic benedicet.

VI. Sed propter Adventum alterius Episcopi non cessabit obire sua munia, nec relinquet sedem, nec sua insignia, licet in cæteris honorificè eum tractare debeat, ac domi ponere eum à dextris, secus extra domum.

VII. Si sit præfens Nuntius Apostolicus habens ibidem facultatem Legati à latere, ipse Episcopus se geret, ac si esset Cardinalis Nuntius; secus verò, vel si sit tantum Collector Generalis, vel etiam si habeat facultates Legati, non tamen ibidem, Episcopus sua munia non intermittet.

VIII. Ut autem Episcopus sua munia Episcopalia commodè valeat exercere, verbi gratia Ordinationes facere, consecrare olea, & alia hujusmodi; Legatus, seu Cardinalis, seu Nuntius, aut Metropolitanus præfentes hujusmodi actibus intervenire non curent.

IX. De Gubernatoribus verò civitatum præsentibus, præminentia sit semper Episcopi, tam intra, quàm extra Ecclesiam. Magistratus verò, & Magnates, & præcipuè Principes magnos, Episcopus pro eorum qualitate honorabit; non tamen ob eorum præsentiam cessabit ab officio suo, neque illis se submittet ob dignitatem suam.

X. Sed si Episcopus obviam iret cuicumque Cardinali ad ejus civitatem advenienti, usque ad portam, vel extra eam, vel etiam cum eisdem incederet, induet supra Rochetum Mantelletum, & abstinere à delatione Crucis ante se, si erit Archiepiscopus. Et si erit Cardinalis Legatus, abstinere

etiam ab usu Mozzettæ, nisi alia fuerit universalis illius Provinciae consuetudo. Secus si aliqui maximo Principi, vel dignissimo Prælato, vel Nuntio Apostolico obviam iret; quo casu non mutat habitum.

XI. Equorum autem, seu mularum stragulae, & phaleræ, & ornamenta, Episcopo equitante, ex panno laneo nigro, seu violaceo, ut supra, plus minùsve erunt composita, prout ipse Episcopus solemnius, aut simplicius paratus Pontificaliter equitabit.

## C A P U T V.

*De Officio Magistrorum Cæremoniarum.*  
Vide art. 1. & 2. primæ partis de Magistris Cæremoniarum.

## C A P U T VI.

*De Officio Sacristæ.* Vide Articulum primum, & secundum Capitis secundi primæ partis, in quibus etiam fuscè de Sacrista agitur.

## C A P U T VII.

*De Officio Presbyteri assistentis.*

## A R T I C U L U S I.

*De ejus Officio ad Vesperas, Episcopo celebrante.*

I. **D**ignior esse debet, tam ex Dignitatibus, quàm Presbyteris, ipse Presbyter Assistens, qui cum aliis sedere debet, quocumque nomine appelletur, sive Archidiaconus, aut Archipresbyter; & debet esse in Sacerdotio constitutus, & in Sacerdotalibus officiis expertus, ut Episcopo ministrare possit.

II. In Vesperis induitur super Rochetum, aut Cottam, Amictu, ac Pluviali coloris Officio convenienti, sine pectorali, aut formalio ad pectus; & cum fuerit Episcopus paratus, ipse anulum in digito annulari dexterae manus imponit, ipsum prius, & manum ejus osculando: initio post, *Pater noster*, stans se signabit cum Episcopo dicente, *Deus in adjutorium.*

III. Locus ejus, nisi aliter sit ratio requiratur, est ante faciem Episcopi aliquantulum ad

ad ejus dexteram semiverfus, ita ut non terga vertat altari, neque Episcopo, ibique quando sedendum erit, super scabellum pictum quidem, sed nudum, sedebit.

IV. Cum verò Episcopus primam Antiphonam erit intonaturus, ipse librum supra caput sustinebit, quem Ministri de libro, & de candela adjuvabunt, duobus Diaconis hinc inde manu librum ipsum tangentibus.

V. Tertiam Antiphonam ipse Presbyter stans ad sedem, ac præintonante sibi illam Ministro destinato, intonabit voce intelligibili. Librum etiam sustinebit, ut supra, dum Episcopus erit intonaturus Hymnum, & Antiphonam, ad *Magnificat*; qua intonata, & Episcopo sedente, capiet naviculam de manu ministri, illamque cum cochleari prius deosculato, ac manu Episcopi quoque deosculata, porriget ipsi Episcopo, ut ex ea imponat thus in thuribulum, dicens more solito, *Benedicite Pater Reverendissime*, vel si sit Cardinalis, *Eminentissime*, cum debitis inclinationibus ante, & post. Tum reddet naviculam Ministro, & ibidem stans, non sedens, expectabit nudo capite, donec inchoetur, *Magnificat*. Quo cantico inchoato, sequetur manibus junctis nudo capite Episcopum ad altare euntem, ubi postquam osculatus fuerit altare, offeret ei thuribulum, ut diximus, cum debitis osculis, & reverentiis. Tum recedat ad cornu Epistolæ, ubi expectabit finem incensationis, quia ex Sac. Cong. Rituum, referente Barbosa in suis Collectaneis, duo Diaconi assistere debent Episcopo, hinc inde elevantes Pluviale ejus. Et incensatione facta, thuribulum in cornu Epistolæ altaris ab Episcopo acceptum, Thuriferario tradet, & sequetur Episcopum euntem ad solium, eo modo quo venit, junctis manibus & nudo capite.

VI. Cum autem Episcopus redierit ad sedem suam, tunc ipse stans ante infimum gradum solii Episcopalis, recipit thuribulum de manu Acolythis, & thurificat Episcopum triplici ductu stantem cum Mitra, cui Episcopus benedicit; ac rursus reddito thuribulo ministro, ipse stans in suo loco, facta prius primo Diacono inclinatione, duplici ductu thurificabitur à Ministro solito. Tum cum repetitur Antiphona, sedet, si facta sit incensatio Diaconorum, quia alias stare debet.

VII. Dum Episcopus cantaturus est Orationem, sustinebit librum, ut prius, & ad alias, si dicendæ sint. Deinde redibit ad locum suum, & post benedictionem, ad quam stabit, expletis Vesperis, deposito Pluviali, Cappa sua, vel alio habitu indutus, comitabitur Episcopum cum aliis.

## ARTICULUS II.

### De ejus Officio in Missa.

I. **A**D Missam, quam celebraturus est Episcopus, ejus præcipua cura erit totam Missam prævidisse, (sed prius ante diem Missæ, ex Paride Crasso lib. 1. c. 7, debet sibi barbam, & coronam tonderi fecisse, quia daturus est osculum pacis Episcopo facie ad faciem) omnesque caeremonias, & actus, quos Episcopus facturus est, observasse, ac signacula in Missali disposuisse, ut illi præsto esse possit, suggerendo voce submissa, vel modeste nutu indicando, si in aliquo fortè deficeret, præsertim apud altare, dum Missam peragit.

II. Igitur ipse die, hora congrua, Canonicali habitu indutus, Episcopum ad Ecclesiam venientem, unâ cum aliis comitabitur ad Ecclesiam, & Secretarium, ubi opportunè aderit apud eum, ut initio Vesperarum, & inchoata hora Tertia, stabit, atque Episcopo incipiente legere Psalmos, *Quam dilecta, &c.* ipse ad ejus dexteram, vel sinistram stans in habitu Canonicali, alternatim respondebit, duobus quoque Diaconis assistentibus, & stantibus pariter cum ipso respondentibus. Et cum Episcopus sederet post acceptum Pluviale, & Mitram, potest ipse sedere, & alii Diaconi.

III. Ad manuum lotionem, antequam Episcopus sacris se induat, porrigit ei mantile, osculans illud prius, & ejus digitis annulos ordinarios, si quos ante lotionem ipse deposuerat, cum debitis osculis reponit. Et circa finem Psalmorum induit se amictu, & Pluviali, ut ad Vesperas (extra solium Episcopi, si fieri possit) & sic paratus librum sustinebit super caput, ut supra, dum Episcopus cantabit Orationem.

IV. Episcopo omnibus sacris paramentis induto, ac sedente, ut suo loco dicemus infra dum agemus de Missa solemnî, nudo capite

imponet anulum Pontificalem in digitem annularem dexteræ manus, illius annulo, & manu prius deosculatis; mox naviculam ministrabit, ut ad Vesperas. Tum cum Episcopus procedit ad Altare, ipse ante illum incedet ad dexteram Diaconi de Evangelio ( nudo capite, & manibus junctis, ) & facta Altari profunda reverentia, ad Confessionem stabit ad dexteram Episcopi, cui stans respondebit, se signans, & inclinans cum eo, & pectus percutiens; & cum dicit in Confessione: *Tibi Pater, & Te Pater, & Misereatur tui*, profundius se versus Episcopum inclinabit.

V. Post Confessionem, dum Celebrans ascendit ad Altare, elevat vestes anteriores illius à parte sua, nisi id præstet Cæremonarius; & statim recedit ad cornu Evangelii, ubi osculato Altari ab Episcopo, ipse adjuvat Subdiaconum, dum ministrat librum osculandum eidem Episcopo, apponendo manum ad eum, quem statim capit, & retrahit se extra cornu Evangelii usque ad finem incensationis; tum redeunte Episcopo ad sedem suam, ipse eum sequitur, & apud eum stat ( tradito prius libro, quem tenebat, ministro, ) dum legit Introitum, ac cum eo se signat.

VI. Cum Episcopus, lecto Introitu, dicit: *Kyrie*, illud idem dicit cum duobus Diaconis. Sedente verò Episcopo, & ipse sedet super scabellum paratum, vel à dextris, vel à sinistris, ut ad Vesperas. Si verò fortè sit in faldistorio propter Cardinalem, aut alium Superiorem, sedebit in aliquo scamno propè Altare ad partem Epistolæ, simul cum Diacono, & Subdiacono.

VII. Episcopo dicente *Gloria in excelsis Deo*, librum super caput sustinet, mox reddito libro ministro de eo, prosequitur Hymnum cum ipso simul submissa voce. Idem præstabit ad Symbolum. Quo dicto, capite recto sedebit, & ad Orationem librum sustinebit, ut ad Vesperas, sicut & ad alias Orationes. Si Episcopus eget ocularibus, vel sudariolo, illa observabit, & ministrabit illi, prout opus erit, nisi id efficiat Cæremonarius. Si Episcopus celebret in faldistorio, poterit ante Evangelium auferre Mitram ab Episcopo, si Minister de ea non possit id efficere. Ad Evangelium stabit nudo capite, manibus junctis, se signans initio Evangelii.

VIII. Adjuvabit eodem modo, prout de

prima lotionem dictum est, ad lotionem manuum, quoties opus erit in Missa, si fieri potest commodè, post Offertorium scilicet, post Oblationem, & post Communionem. Non videtur tamen necesse, ut adjuvet ad lotionem post Offertorium, & alias, quia est in aliis occupatus, ut infra.

IX. Si habeatur Sermo per Episcopum ad Altare in faldistorio ibidem allato, sedebit à dextris Episcopi cum Diacono Evangelii à dextris ejus; si in propria sede, sedebit in scabello, vel sede assistentiæ suæ; & finito Sermone, ac confessione per Diaconum decantata, ipse publicabit Indulgentias in forma consueta, ut in fine Cæremonialis.

X. Si verò Sermo habetur per ipsum Presbyterum, vel per alium Canonicum, qui eo casu assistet Episcopo in hujusmodi Officio cum Pluviali, licet non sit ex dignioribus Canonicis, finito Evangelio, accedet ad osculum manus Episcopi, & profundè inclinatus petet ab eo benedictionem, & Indulgentiam, & sic paratus ascendet pulpitum, & Sermone habebit; ac finita Confessione per Diaconum, ipse adhuc stans ibidem publicabit Indulgentias in forma. Si fortè alius concionaretur, ipse concionator publicaret ipsas Indulgentias, ut suo loco dicitur.

XI. Lecto per Episcopum Offertorio (ante quod tenet librum coram Episcopo, dum dicit: *Dominus vobiscum*, ) ac lotis manibus ab Episcopo, ut supra, ipse portabit librum ad Altare, comite Cæremonario, cum pulvino, hoc modo, ex Paride Crasso. Prius capit librum ante pectus, & super eum ab extra ponit pulvinum, & facta reverentia celebranti Episcopo, vadit ad Altare; tum librum super Altare in cornu Evangelii deponit cum debita reverentia, deinde recedit post cornu Evangelii expectans Episcopum, vel præmittit Ministrum de eo servientem, ut præsto sit ad lotionem manuum Episcopi, si opus sit.

XII. Cum Episcopus redit ad Altare, ipse à sinistris illum gradus Altaris ascendentem adjuvat; & cum erit apud Altare, opportunè indicabit manus dexteræ indice dicenda, sinistra tenens librum Episcopo.

XIII. Dum autem Episcopus Oblata, & Altare thurificabit, ipse sumpto libro cum pulvino, retrahet se extra cornu Evangelii, ne thurificationem impediatur, & finita thurificatione Altaris, deponet Missale super eo

osten-

ostendens successivè dicenda ab Episcopo, & cum Diaconus est eum incensaturus post Episcopum, seipse vertet ad eum; & facta inclinatione primo Diacono, qui debet incensari post eum, duplici ductu thurificatur, inclinans se thurificanti, ante, & post.

XIV. Ad Præfationem submissa voce dicit, *Sanctus*, cum Episcopo, & Diacono, idemque præstabit ad *Agnus Dei*, &c. & ad elevationem tantum genuflectit, neque à libro discedit, nisi quando danda est Pax.

XV. Dicto *Agnus Dei*, cum debitis genuflexionibus accedit ad dexteram Episcopi, & Diaconus ad librum; ibique dum celebrans dicit, *Domine Jesu Christe*, &c. genuflectit, ut in Missali; quo dicto, eo tempore quo celebrans osculatur Altare, illud etiam osculatur extra Corporale manibus junctis, & statim Episcopus sinistram genam cum sinistra ipsius Assistentis jungens, dat ei pacem dicens: *Pax tecum*, cui ipse respondet: *Et cum spiritu tuo*. Et iterum genuflectens ante Sacramentum, & statim surgens, recedit cum Cæremoniario ad pacem dandam in Choro, ut aliàs diximus, advertens, ne cuiquam reverentiam faciat, nisi post datam pacem; & tunc Canonicis, & Magistratui, & Principibus se inclinat tantum, cum ipse sit dignior Canonicus. Dum autem eundo, & redeundo ad Chorum, transit ante Altare, aut Episcopum, debitas servet reverentias, vel genuflexiones, prout à Cæremoniario monstrabitur.

XVI. Data pace, quibus per ipsum danda est, scilicet prædictis, non autem beneficiariis, nisi sit consuetudo, dat eam in choro ultimo loco Cæremoniario, qui eam aliis distribuit; & redit ad Altare, ubi transfert librum à cornu Evangelii ad cornu Epistolæ cum debitis reverentiis, nisi jam translatus sit per Diaconum, qui ejus curam habebat; & ministrat mappam, si fieri potest, ad lotionem manuum Episcopi, ut aliàs; tum redit ad librum, ostendens Episcopo cætera, quæ supersunt. Cærem. Episc. lib. 2. c. 25. præscribit, ut Presbyter ipse infundat vinum in Calicem pro purificatione Episcopi, quod fieri debet ab eo post sumptum pretiosum Sanguinem, & datam pacem in Choro, quod notandum est; idem etiam docet Cærem. Papæ l. 2. in Missa Nativitatis Domini, & in Missa diei Paschæ.

XVII. Data benedictione, ad quam profundè se tantum inclinat, ex Sacr. Congreg. Rit. si Indulgentiæ non fuerint publicatæ, quod contingit, quando sermo non fuit habitus, eas tunc, petita prius licentia ab Episcopo, publicat in forma, ut infra dicitur.

XVIII. Si dicendum est peculiare Evangelium ab Episcopo, ipse transfert librum, & ministrat ei ad cornu Evangelii, illud ei indicans.

XIX. Finita Missa, sequitur Episcopum ad sedem, ubi deponit Pluviale, & Episcopum comitatur cum aliis.

XX. Quando verò Episcopus non celebrat, sed alius ab eo, præsentè ipso Episcopo, tunc Presbyter Canonicus dignior post Dignitates, Canonicali suo habitu tantum indutus, suo loco Assistentis munus exerce-re debet, naviculam incensi, quoties erit imponendum thus in thuribulum, ministrabit cum debitis osculis, & Episcopum incensabit ad Vesperas, & in Missa post Oblata tantum, nisi Episcopus sit paratus.

XXI. Post *Agnus Dei*, accedit ad Altare, ubi cum debitis reverentiis accipit Pacem ab Episcopo, ut supra; qui Episcopus dat eam statim duobus Diaconis assistentibus; ipse verò Presbyter in loco suo cum aliis Canonicis stans illam dabit Subdiacono, qui eam cæteris deferat. Quòd si celebraret ante Episcopum loci aliquis Prælatus habens suum Assistentem, eo casu Canonicus Assistentem, data pace proprio Episcopo, eam dabit Capellano celebrantis, qui eam distribuet aliis; non enim est Subdiaconi id præstare.

XXII. Locus eo casu Presbyteri Assistentis est in scabello nudo propè Episcopum, ut supra, ibique stabit usque ad Præfationem; nam tunc recedit in Chorum ad locum sui ordinis, (& tunc removetur scabellum ejus per aliquem Acolythum,) nec inde recedit nisi cum fiunt circuli, ad quos ipse cum aliis accedit; cum etiam fit Sermo, accedit in Chorum ad locum suum. Ad Vesperas non paratus accedit ad locum assistentiæ suæ, dum cantatur prima Antiphona ante Psalmos, stat enim in Choro cum aliis ad *Deus in adjutorium*. Si tamen locus esset arctior, federet in loco suo cum aliis in Choro usque ad *Magnificat*: comitatur tunc Episcopum ad incensationem Altaris, & ante infimum gradum

dum eum thurificat, & ipse thurificatur, & data benedictione, redit cum aliis collegialibus in Chorum. Cærem. Papæ lib. 3. c. 10.

XXIII. In Processionibus procedit, sive paratus, sive non ordine suo cum aliis Canonicis.

XXIV. Si aliquando Episcopus velit celebrare Missam solemnem in festis minoribus, aut feriis, non est necesse, ut prima Dignitas ei assistat, ut supra, sed sufficit alius, præsertim ubi ordines Canonicorum sint distincti, videlicet prior Presbyterorum; ut in Dominicis Adventus, in secundo, & tertio die post Nativitatem Domini, in die Cinerum, in Dominicis Quadragesimæ (præterquam in Palmis) in Parasceve, in Sabbato Sancto, & Albis: in secunda, & tertia feria Paschatis, & Pentecostes, in Ordinationibus, & quando in Vigiliis, aut pro Defunctis celebrat. Item in absolutionibus Defunctorum, & in omnibus benedictionibus, & quoties Episcopus interest divinis, & non celebrat principaliter. Hic numerus est desumptus ex Cærem. Papæ lib. 3. c. 8. in pari casu.

## C A P U T VIII.

*De assistentia duorum Canonicorum in habitu Diaconali, Episcopo celebrante, vel eo non celebrante, in habitu ordinario.*

**I.** Episcopo, sive Missam, vel Vesperas celebret, vel si illis tantum sit præfens, convenit duos Canonicos assistere; qui si in Ecclesia sint distincti ordines, seu Præbendæ Presbyterales, & Diaconales, erunt duo primi Canonici ex Ordine Diaconali. Quod si forte nulla est distinctio, tunc erunt duo primi Canonici, vel Dignitates, immediate post primam sedentes Dignitatem, vel primum Canonicum.

II. Hi autem, si Episcopus celebret, induti esse debent habitu Diaconali, hoc est Dalmatica supra Amictum, & Rocchetum, vel Cottam; ac sedente Episcopo in sede, ipsi sedent in scabellis nudis hinc inde, & sedenti in sede Mitram imponunt, & auferunt, & nullus alius, quidquid dicatur, neque Cæremoniarius; est enim propriè eorum officium, & in Altari, aut faldistorio ad Missam hoc præstat Diaconus Evangelii, nisi impe-

diatur, ut infra; & tunc per primum Diaconum assistentem imponitur, & auferitur, si adsit. Imponitur autem à Diacono assistente à dextris, osculato priùs, & imposto bireto, altero à sinistris Assistente adjuvante, atque vittas à tergo defluentes aptante: auferitur verò à Diacono à sinistris Assistente, qui illam dat Capellano servienti de Mitra; & tunc qui est à dextris, biretum auferit, leviter cum illo complanando capillos, & illud observat apud se, illud priùs osculando. Hoc autem commodè fiet à Diacono, si capiat biretum Episcopi ambabus manibus per extremitates ejus hinc inde, & complanet capillos ejus à vertice ad frontem ipsius. Ipsi verò semper profundè se inclinant, ante, & post.

III. Semper autem sedenti in solio Mitram ipsam imponere, & auferre debent; secus quando genuflectit pro Oratione faciendâ, quia tunc stanti imponitur, & genuflexo auferitur.

IV. Dum Episcopus Pluviali indutus ad altare procedit, hinc inde eum comitantur, nudo capite, fimbrias Pluvialis elevantes; & cum ante Altare supra faldistorium genuflectit, ipsi decenter latera Pluvialis super eo adaptant.

V. Quoties apud sedem suam elevat manum suam dexteram, ut se, aut alias personas, seu res quascumque signet signo Crucis, sive ut pectus percutiat, aut alia de causa, toties Diaconus à dextris parum elevat Pluviale à latere suo. Cum autem elevat ambas manus, quando est aliquid lecturus ex libro, seu daturus benedictionem solemnem, ambo Diaconi hinc inde elevat fimbrias Pluvialis; & cum Episcopus cantat, vel legit aliquid ex libro, ipsi Diaconi hinc inde apponunt manus super eo, & primus solum volvit, alter digito indicat textum legendum. Sed celebranti Missam, quia non habet Pluviale, sed Planetam, non est necessarium fimbrias elevare; sed ei servire in aliis necessariis, & specialiter in ponendo, & auferendo Mitram, ut dicemus infra. Observent etiam, ut cum unus ex assistentibus surgit facturus aliquod ministerium ad rem divinam spectans, alii surgant pariter, Cum autem sessuri sunt, nutu capitis se invicem ad sedendum invitent.

*Ad Vesperas.*

VI. Ipsi Diaconi Episcopum venientem ad Ecclesiam, in habitu Canonicali comi-



tantur, & dum sacris induitur, eum adjuvant Amictu, & Dalmatica induti; & Episcopo omnibus paramentis induto, Mitram ei imponunt, ut supra.

VII. Dum Episcopus dicit: *Deus in adiutorium*, primus elevat partem Pluvialis dexteram sinistra, se signans dextera; & inchoato primo Psalmo, primus imponit ei Mitram simplicem, adjuvante secundo. Ad Psalmos sedent tecto capite, illud nudantes ad verbum, *Gloria Patri*, & alios similes, ut aliàs in pari casu diximus, & sedentes se inclinant. Primus inonat secundam Antiphonam, alio erecto; secundus quintam, primo etià stante.

VIII. Ad Capitulum stant nudo capite, & responso à Choro, *Deo gratias*, secundus aufert Mitram levioiorem; sed prius præintonatur ei stanti cum Mitra principium Hymni, & repetita ab eo Antiphona ante *Magnificat*, stant cum Presbytero assistente ad Antiphonam, & benedicto incenso, primus imponit Mitram pretiosam, quam Episcopus defert ad altare, procedens medius inter eos, caput nudatum habentes; ibi statim, ac accesserunt ad illud, secundus aufert Mitram, & statim ambo adjuvant, dum ad altare ascendit, & similiter hinc inde procedunt dum altare thurificat, nudo semper capite, non enim est Presbyteri assistentis Episcopo dum thurificat, assistere, ex Sac. Cong. Rit.

IX. Altari incensato, primus imponit ei Mitram in parte Epistolæ, & ambo comitantur eum redeuntem ad folium suum; ubi postquam incensatus fuerit, secundus aufert Mitram, & ambo thurificantur post Presbyterum assistentem duplici ductu, cum invitationibus prædictis; sed tamen secundus neminem invitat ad incensationem.

X. Cum repetitur in Choro Antiphona sedenti Episcopo primus imponit Mitram, & ea finita, secundus aufert. Ad Orationem stant, & primus à dextris vertit folia, & secundus à sinistris indicat Orationem. Responso à Choro, *Deo gratias*, post, *Benedicamus Domino*, Episcopo Mitram imponit primus; cum qua in sua sede, ipsis semper stantibus, & inclinantibus se tantum, benedicit populo, & si sit, Archiepiscopo, accedente Cruce, Mitram ei auferunt. Finitis Vesperis dum Episcopus paramenta deponit in sua sede, ipsum adjuvant; tum depositis Dalmaticis, in habitu Canonicali eum comitantur. Si

benedicat ad altare, eum illuc comitantur eundo, & redeundo ad sedem.

*Ad Missam solemnem.*

XI. Episcopum solemniter celebraturum, in habitu Canonicali, ad Ecclesiam procedentem, cum aliis de Capitulo comitantur, deinde ad sedem, ubi stant in habitu Canonicali initio Tertiarum, & ad Hymnum; & dum Episcopus dicit Psalmos, *Quàm dilecta*, & alios, respondent ei cum Assistente; & dum alii Ministri sacri induunt celebrantem stantes eos adjuvant, unusquisque à parte sua.

XII. Circa finem Tertiarum, paulò ante Orationem, prædicti Diaconi recedunt, & capiunt sua paramenta, idest Amictus, & Dalmaticas super Rocchettum, aut Cottam; & dum parantur, assistunt Episcopo duo alii Diaconi illis proximi in habitu Diaconali; vel iis deficientibus, duo ultimi Presbyteri. Cærem. Ep. lib. 2. c. 13. Qui etiam manus ad librum ponunt, ut supra, ad Orationem.

XIII. Finita verò Tertia, præfati duo Assistentes parati tunc redeunt ad Episcopum, aliis recedentibus cum debitis reverentiis; & demum primus accepta Planeta ab Episcopo, Mitram pretiosam ei imponit; & si Episcopus habeat annulos, eos prius ex ejus digitis extrahunt ante lotionem, & manibus exterfis, eos reponunt cum oculis.

XIV. Tum Episcopo parato, procedunt ad altare manibus junctis, nudo capite, hinc inde à lateribus Episcopi, salutantes Chorum cum eo, factaque reverentia altari, stant primus, scilicet, post Presbyterum assistentem, & secundus post Diaconum Evangelii, cedentes tunc eis hæc loca; nec auferunt ibi Mitram, ibique remanent, donec Episcopus altare thurificet; & tunc primus facta altari reverentia, accedit per planum ad cornu Epistolæ, ubi imponit Mitram Episcopo, ut thurificetur cum ea: Diaconus enim Evangelii id præstare deberet, quia est ad altare; sed quia occupatus est in incensatione, primus Diaconus id efficere debet.

XV. Post incensationem altaris, comitantur Episcopum ad sedem redeuntem, facta debita reverentia altari, ibique Mitram pretiosam secundus aufert Episcopo, antequam legat Introitum; & ad *Kyrie*, alternatim respondent; deinde iterum primus pretiosam Mitram ei imponit, & secundus Gremiale

acceptum à ministro de eo servienti, super Episcopi genua ponit, & Episcopo sedente ipsi pariter sedent recto capite.

XVI. Cantato *Kyrie*, secundus aufert Gremiale ab Episcopo, illudque tradit ministro, tum Mitram etiam aufert, & cum Episcopus dicit: *Gloria in excelsis*, illud submissa voce simul, & non alternatim, complent; quo finito ab eis, primus leviozem Mitram imponit Episcopo sedenti, & secundus postea Gremiale imponit ipsi Episcopo. Et circa finem ipsius à Choro cantati, secundus aufert Gremiale, & Mitram, ex eodem Cærem. lib. 1. cap. 11. licet aliter notetur lib. 2. cap. 8. Primus verò aufert biretum complanatis cum eo capillis, quod biretum penes se retinet; & dum Episcopus dicit: *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, ambo elevant partes anteriores Pluvialis ipsius; tum erecti ad Orationem ostendunt Episcopo dicenda. Dictaque oratione, primus imponit prius Mitram, & secundus Gremiale, & sedent, donec Episcopus benedicat Diaconum, quia tunc stant; & paulò ante Evangelium prædictum, secundus aufert ab Episcopo Gremiale, & Mitram; nec reponit ei, nisi post à se recitatum Symbolum, ad quod genuflectunt, cum Episcopus genuflectit; eoque dicto ab eis, secundus imponit Gremiale; sed tamen primus Mitram prius imponit; eo verò finito à Choro, vel Musicis, secundus aufert Gremiale, & Mitram, ut supra. In Cæremoniali lib. 1. cap. 11. præscribitur, ut secundus Diaconus auferat Gremiale, & lib. 2. c. 8. præcipitur, ut primus auferat. Ideò parùm refert, si primus, aut secundus Diaconus id efficiant; sed ut sit in hoc uniformitas, id semper assignavimus secundo Diacono, ita ut semper imponat, & auferat Gremiale.

XVII. Dicto Offertorio ab Episcopo, secundus imponit Gremiale, & primus Mitram pretiosam, ut lavet manus; & anulum, & Chirothecas auferunt ex ejus manibus, iisque lotis, & extersis, anulum reponit primus, & ambo reddunt Chirothecas, & Gremiale Ministris, quia non sunt amplius usui.

XVIII. Dum Episcopus procedit ad Altare, illum comitantur, ut prius, & stant in locis suis in plano ante Altare; ut prius, habentes post se Subdiaconum, quasi tamen in medio eorum; & nihil ministrant, nisi primus, qui imponit Mitram, & statim post lotio-

nem manuum eam auferit, cum Diaconus Evangelii, & Subdiaconus sunt impediti.

XIX. Post incensationem Presbyteri Assistentis, ipsi immediatè ante omnes incensantur successivè dum Diaconus genuflectit; & ad elevationem SS. Sacramenti tantùm genuflectunt, deinde surgunt post eam.

XX. Postquam Presbyter Assistens pacem accepit, ipsi pariter ad dexteram Episcopi accedentes, pacem accipiunt, ante, & post genuflectentes; non tamen osculantur Altare, vel datur eis pax, ut supra diximus, 2. p. cap. de Pace.

XXI. Si facienda sit Communio, eam accipiunt post Diaconum, & Subdiaconum; vel si sint Presbyteri, & Missam celebrent, hinc inde collocant se in plano stantes ad latera Altaris, ne communicantes impediunt.

XXII. Completa Missa, Episcopum comitantur, ut initio, ad sedem, sacrasque deponentem vestes adjuvant; & Episc. recedentem, unà cum aliis in habitu Canonicali associant.

XXIII. Hæc, quæ diximus, observanda sunt Episcopo celebrante solemniter. Quia si non celebret, sed Officio divino intersit, præfati Assistentes Diaconi erunt apud Episcopum in habitu Canonicali, & omnia facient, & observabunt secundum regulas supradictas.

XXIV. Sciendum est autem, quòd hujusmodi assistentia facienda est tantummodo Episcopo loci ordinario, & nulli alteri, etiamsi sit Legatus, qui in sede Episcopali federet.

XXV. Si tamen consuetudo sit in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus, ut præfati Diaconi ministrent, ut supra, Episcopo extraneo non videtur omnino improbandum. Sed Majoribus, & Superioribus id definiendum relinquimus, cum id prohibeatur expressè in Cærem. Episc. lib. 1. cap. 8.

XXVI. In quibusdam aliis Officiis non solent assistere, ut ad Matutinas omnes, Officium Defunctorum, excepta Missa, & Matutinas tenebrarum, & alia. Regulariter verò ad Processiones procedunt cum Episcopo Celebrante, elevantes Pluviale ejus, aut fimbrias cappæ ejus. Non autem assignavimus eis omnes actus reverentiales, quos prædicti Altari, & Episcopo exhibere debent, sibi invicem, & aliis, quia ex supradictis in aliis partibus hujus operis, & aliis

aliis infra dicendis fatis patebit, quando eos præstare debent. Idem de Presbytero assistente, & aliis ministris dicendum est.

### C A P U T IX.

*De Officio Diaconi in Missa solemni, Episcopo celebrante.*

I. **C**um ipse Diaconus sit ex Canonicis Diaconis, sive ex antiquioribus, sive non (quod parum refert,) quia tale onus per vices inter ipsos, vel arbitrio Episcopi, vel secundum consuetudinem Ecclesiæ, distribui debet, ipse cum aliis Canonicis in habitu Canonicali Episcopum ad Ecclesiam comitari debet, ut supra de aliis diximus; at dum accipient alii paramenta sua, ipse quoque accipiet, aliquo ex Clericis adjuvante; sed prius debuit prævidere Evangelium, & ea, quæ sunt sui muneris. Parat autem se eo modo, quo ordinarius Diaconus, de quo r. p. diximus suo loco; manipulum verò non hic; sed postea accipiet; Dalmaticam verò accipiet, nisi sit accipienda Planeta plicata, ut infra; & sic paratus, stabit in loco suo in plano initio Tertiarum juxta sedem propè faldistorium Episcopi, si ibi paramenta sua capiat; vel propè sedem Episcopi, si in Sacratio, aut Secretario induit se nudam ibidem positam, ut dicemus infra, & etiam dum Episcopus recitat Psalmos: *Quàm dilecta*, & alios. At postquam ipse Episcopus laverit manus; ipse accedet ad ejus dexteram cum debitis reverentiis, & simul cum Subdiacono stante ad sinistram capiet Episcopi paramenta de manibus Acolythorum, ea suo ordine ferentium, videlicet Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolum, & Pluviale, modo, & ordine explicato infra de Missa solemni; & iisdem Episcopum induet, adjuvante Subdiacono, & postea sedebit cum aliis.

II. Finita verò Oratione Tertiarum, induet iterum eundem Episcopum, juvante sibi Subdiacono, Dalmatica, & Tunicella, & imponet Chirothecam dexteram in ejus dextera, quam prius osculatur, & postea eandem Chirothecam. Denique imponit ei Planetam. At si sit Archiepiscopus, ei Pallium imponet, ut infra dicemus; parato verò Episcopo, manipulum suum accipiet.

III. Advertat autem diligenter, ut quando induere debet Episcopum paramentis, partem eorum posteriorem habeat ad extra, & anteriorem versùs se; quod facillè fiet, si Capellani ea adferentes habeant partes posteriores versùs seipfos, & anteriores ad extra; quod notandum est pro Cæremoniaro, & Ministris.

IV. Episcopo parato, procedit ad Altare nudo capite, & junctis manibus, à sinistris Presbyteri Assistentis. Ad Altare facta reverentia, stabit ad sinistram Episcopi, faciens confessionem cum eo; & dicens: *Et tibi Pater, & Te Pater, & Misereatur tui, &c.* conversus ad Episcopum, profundè se inclinabit.

V. Dum Episcopus ascendit ad Altare adjuvat eum, & transit ad dexteram Episcopi, & osculato ab Episcopo libro Evangeliorum, cum debitis reverentiis, & osculis, ministrabit incensum, de more, dicens, *Benedicite Pater Reverendissime*, vel *Eminentissime*, si sit Cardinalis; eumque adjuvat ad incensationem Altaris, ut de Diacono diximus; qua finita, ipsum Episcopum etiam thurificabit ter, inclinans se profundè ante, & post; & accepta benedictione ab eo inclinatus, reddet thuribulum ministro.

VI. Recedente Episcopo de Altari, ipse ibi remanet in plano cum Subdiacono à dextris ejus proximior Altari, & cum eo submissa voce dicit: *Kyrie eleison*, alternatim, facie interim conversa ad Episcopum, si sit in sede à parte Evangelii. Et cum Episcopus sedet in sua sede, ipse pariter in suo scamno, seu scabellulo nudo, picto tamen, ibidem parato sedebit, ita ut non sit omninò è regione Episcopi, sed paulò post eum, quasi è regione primi Diaconi; & cum Episcopus intonaverit Hymnum: *Gloria in excelsis Deo*, ad quem stat, illum etiam stans unà cum Subdiacono simul, & non alternatim, recitabit submissa voce.

VII. Dicto: *Gloria in excelsis*, sedebit capite tecto, & ad Orationes stabit junctis manibus, & ad Epistolam sedebit; qua cantata, accipit maturè librum Evangeliorum de manu Cæremoniarum, & illum ad Altare defert ante pectus de more, debitas faciendo reverentias Episcopo, & Altari in infimo gradu. Tum ponet illum in medio Altaris, & inde facta Altari ibidem reverentia, per gradus laterales Evangelii accedit ad Episcopum, comite Cæremoniaro, cum debitis re-

verentis, ejusque manum deosculatur. Deinde ad Altare rediens, genuflexus in infimo gradu, tunc, & non in supremo, dicit: *Munda cor meum, &c.* & statim surgens, capit librum de Altari, & expectat ad partem Epistolæ, donec tempus sit eundi; tunc rediens ad Episcopum post omnes comministros, ut alibi dicemus, profunde inclinatus, quia est Canonicus, petit ab eo benedictionem, dicens: *Jube domne benedicere.* Sed si Episcopus in faldistorio celebraret, Diaconus posito libro super Altare, ut supra, ministrabit incensum, cum oculis, suo tempore, & postea redibit ad Altare, ubi dicit: *Munda cor meum;* quo dicto, redibit ad Celebrantem Episcopum, à quo petit benedictionem; qua accepta, osculabitur tunc, & non prius, manum ipsius.

VIII. Accepta benedictione, omnium postremus vadit ad locum Evangelii, ubi illud dicit, incensans librum de more; eoque dicto, & facta reverentia Episcopo, redibit ad locum suum, debitam faciens reverentiam Altari. Sed si Episcopus celebrat ad faldistorium, ipse finito Evangelio, & non alius, incensabit eundem Episcopum.

IX. Si post Evangelium statim fit Sermo per Episcopum sedentem in faldistorio ante Altare, statim finito Sermonem, ipse stans ad ejus sinistram, inclinatus recitabit Confessionem, in tono, prout notatur in fine Cæremonialis, profundius se inclinans ad ea verba: *Et tibi Pater, Et te Pater.* Si autem Sermo per alium habeatur, tunc, quia Episcopus sedet in folio, ipse stans apud infimum gradum folii facit Confessionem; qua facta, & publicatis indulgentiis, cum debitis reverentiis Episcopo, & Altari redit ad suum locum.

X. Cum Episcopus incœperit cantando: *Credo in unum Deum,* ipse cum Subdiacono illud voce submissa prosequetur, stans apud Altare, ita tamen, ut non præire, sed subsequi debeat Episcopum, genuflectens cum eo ad versum: *Et incarnatus est.* Et cum à Choro recitatus fuerit, ad quem profunde se inclinatur sedens, accedit, facta mediocri reverentia Subdiacono, quod semper facit in casu simili, ad Credentiam, seu Abacum, & capit bursam ipse cum Corporalibus, quam ob oculos usque elevatam ambabus manibus portat ad Altare, incensans solus, gravi, & decoro incessu, & re-

verentias faciens Choro, Episcopo, & Altari; ibique extrahit ex bursa Corporale, quod explicat, & extendit in medio Altaris, collocans à parte Evangelii bursam, itaut Altare non impediatur; & facta reverentia Altari ibidem, & Episcopo, redit via breviori ad sedem, ubi facta etiam mediocri reverentia Subdiacono, sedet.

XI. Finito Symbolo, si Episcopus sedet in faldistorio, aufert ei Gremiale, & Mitram; & lecto per eum Offertorio, imponit eidem Mitram pretiosam, & Subdiaconus Chirothecas, sed prius anulum; non verò si sedet in folio, quia id præstant Diaconi Assistentes.

XII. Episcopum redeuntem ad Altare excipit in infimo gradu, & aufert ei Mitram, ex Cær. Papæ lib. 3. c. 15. & à dextris eum adjuvat ascendentem gradus, & cum eo ascendit, se retrahens ad cornu Epistolæ, ubi discooperit Calicem de more, & accepta una ex duabus Hostiis, quæ sunt super Patenam, cum illa tangit alteram, & Patenam, & Calicem circumcirca, intus, & foris, & dat illam prægustandam Sacristæ ibidem præsentem. Idem facit de vino, & aqua, modicum simul de illis infundens in cyathum ad id paratum, seu pateram, quæ pariter dat eidem Sacristæ prægustanda. Tum porrigit Episcopo Patenam, quam osculatur, cum altera Hostia inter manus Episcopi, cujus dexteram osculatur.

XIII. Dum Episcopus dicit: *Suscipe Sancte Pater, &c.* ipse Diaconus extergit Calicem (in Missali tamen Subdiaconus Calicem extergit,) & ex ampullis mittit vinum in Calicem pro Consecratione; & post admixtas illi per Subdiaconum paucas guttas aquæ, tunc per Episcopum benedictas, offert Calicem Episcopo cum debitis osculis, ut supra, cum quo tangens & ipse Calicem, dicit: *Offerimus tibi Domine, &c.* ut aliàs diximus, & posito per Episcopum Calice super Corporali, ipse illum palla cooperit, & Patenam de more tradit Subdiacono, tegens eam extremitate veli ab ejus humeris pendens.

XIV. Tum accedente Thuriferario, ministrat naviculam, & adjuvat Episcopum thurificantem Oblata, & Altare, supponendo sinistram brachio illius, & tenendo pedem Calicis dextera, quem removet, & eum reponit, quando opus est, in loco suo, ut suo loco diximus 1. part.

XV. Finita Altaris incensatione, & accepto thuribulo, incensat Episcopum de more cum debitis reverentiis, & cum benedictione ab eodem Episcopo; mox incensat Presbyterum assistentem, duos Diaconos, Dignitates, Canonicos, & Subdiaconum, & alios ex more. Quo facto, dato thuribulo Thuriferario, ipse stans inter duos Diaconos assistentes thurificatur in loco suo, ubi stat usque ad finem Præfationis.

XVI. Et circa finem illius Præfationis accedit cum debitis reverentiis ad dexteram Episcopi, ubi dicit cum eo: *sanctus*, de more, & statim redit ad prædictum locum, facta Cruci reverentia, post Celebrantem.

XVII. Cum Celebrans incipit Canonem: *Te igitur*, &c. attentè advertat, ut opportunè partem Dalmaticæ ad brachium ejus sublevet, & discooperiat & cooperiat Calicem, quando opus fuerit, ut in Missali.

XVIII. Et paulo antequam Episcopus elevet SS. Sacramentum, genuflectit ad ejus dexteram, & sinistra elevat aliquantulum Planetam. Reposita Hostia super Corporale, & post genuflexionem Episcopi, surgit, detegit Calicem, & statim genuflectit, & iterum Planetam sublevat, dum Episcopus Calicem elevat, quem super Corporale repositum palla tegit, genuflectit, surgit, & post Celebrantem redit; advertens tamen, dum Celebrans signat super Hostiam, & Calicem, ut partem Dalmaticæ circa brachium ejus semper aliquantulum sustineat, si opus sit.

XIX. Cum Episcopus dicit verba Canonis: *Benedic, & presta nobis*, &c. ipse accedens detegit Calicem, & quoties Calicem detegit, toties, ut aliàs, genuflectit. Et cum Celebrans signat Calicem cum Hostia dicens: *Per ipsum, & cum ipso*, &c. retinebit duobus digitis manus dexteræ pedem Calicis; & reposita Hostia super Corporale, tegit Calicem palla, & redit ad locum suum, & non ad librum.

XX. Cum Episcopus dicit: *Et dimitte nobis*, facta genuflexione, ascendit ad cornu Epistolæ, & accipit Patenam de manu Subdiaconi, cum purificatorio deterfam, osculatamque ab ipso, videlicet paulò antequam dicat: *Libera nos*; ponit eam in manu dexteræ ipsius, quam etiam osculatur, & discooperit Calicem, & postea tegit eundem, & ad locum suum redit.

XXI. Dicto per Celebrantem: *Pax Do-*

*mini*, iterum accedit, & cum eo dicit: *Agnus Dei*; & postea cum debitis genuflexionibus accedit ad librum, ubi supplet locum Presbyteri assistentis, donec redeat ab osculo pacis; & tunc redit, ut supra, & infundit vinum in Calicem pro purificatione Celebrantis, & ablutione ejus.

XXII. Si facienda sit Communio generalis, postquam Episcopus se, & eundem Diaconum, & Subdiaconum communicaverit, ante purificationem ipse Diaconus inclinatus in cornu Epistolæ facit Confessionem de more, ut infra.

XXIII. Et notandum, quòd etiam si non fiat Communio generalis, semper à Diacono, & Subdiacono, nisi sint Sacerdotes, & velint celebrare, sumenda est Communio ab Episcopo celebrante; à quo postea inmediate osculum pacis accipere debent, ut dicemus aliàs.

XXIV. Postquam Episcopus digitos abluerit, Diaconus translato libro cum pulvino ad cornu Epistolæ, imponit Mitram pretiosam in capite Episcopi, qui abluit manus; mox eandem auferit, & vadit post eum, & dicto: *Dominus vobiscum*, post ultimam Orationem, ipse ad populum dicit: *Te Missa est*, de more, vel: *Benedicamus Domino*, non se vertens.

XXV. Et si Celebrans daturus est benedictionem, imponit ejus capiti Mitram pretiosam, nisi sit Archiepiscopus, qui sine Mitra, ob reverentiam Crucis, benedicit; & dum Episcopus dat benedictionem, si sit Canonicus, inclinatur se tantum profundè, ex S. Congreg. Rituum, ex Barbosa, & Gavanto in suo Manuali Episc.

XXVI. Si Celebrans sit Archiepiscopus, & cum Pallio celebraverit, data benedictione, & publicata indulgentia, Diaconus extrahit illi Pallium, & super Altare illud deponit. Denique comitatur Episcopum ad sedem, ubi illum exiit sacris paramentis; quo exuto, & non prius, etiam ipse sua deponit, & recedit in pace.

XXVII. Si celebratur pro Defunctis, observabit, quæ in Missa Defunctorum dicuntur infra.

XXVIII. Quædam fortè hic desiderantur circa quosdam alios ritus servandos à Diacono, sed satis abundè capite de Diacono in communi explicuimus ea, quæ ibi videri possunt, ne eadem repetantur.

XXIX. Hæc

XXIX. Hæc autem prædicta servantur, si Episcopus celebret in sede sua; nam si in faldistorio federet sine assistentia Diaconorum, tunc Diaconus, & Subdiaconus ei tantum assisterent, & Mitra tantum à Diacono imponeretur, & auferretur, nisi esset impeditus, quia tunc aut Subdiaconus, aut alter id præstaret, prout fit Episcopo existente ad altare. Cum Episcopus sedebit, ipse etiam Diaconus Mitram Episcopo imponet sedenti, & postea gremiale; quando verò surgendum erit Episcopo, prius gremiale, & postea Mitram.

## C A P U T X.

## De Officio Subdiaconi in eadem Missa Pontificali.

I. Subdiaconus eodem loco, & modo, & tempore, quo Diaconus, qui & ipse de numero Canonicorum debet esse, & (si inter Canonicos distinctus erit ordo Subdiaconalis) antiquior, seu dignior, comitari debet Episcopum ad Ecclesiam procedentem, & accipiet sua paramenta, quæ eadem ferè sunt, quæ superius Diacono conveniunt, excepta stola; & accipiet super alba tunicellam quæ habet manicas strictiores, & longiores Dalmatica Diaconi.

II. Stat cum Diacono initio Tertie, & cum Episcopus incipit legere Psalmos, *Quam dilecta &c.* affert illi de Abaco, aut Credentia, caligas, & sandalia, quæ portat cum debitis reverentiis usque ad oculos super bacili, vel super velo, alio velo sericeo operta, ambabus manibus; & adjuvantibus duobus scutiferis Episcopi, induit, detractis prius calceis ordinariis ejus, quos tradit ad locum congruum deferendos alicui ministro, nisi scutiferi Episcopi id efficiant, primo tibiam, & dextrum pedem Episcopi, mox sinistrum genuflexus sub cappa illius, & suo tempore adjuvat à parte sua Diaconum dum Episcopum induit, cum opus erit, quia præcipuè id Diaconus operatur, ut infra de Missa solemnè agemus; eique à sua parte auferet annulos, si Diaconi assistentes non id efficiant, si opus sit, ad lotionem manuum ejus, & Chirothecam ponet sinistram cum osculis solitis, & dicet Capitulum ad Ter-

tlam si sit consuetudo, ut infra, in loco, ubi est Epistola cantanda.

III. Episcopo parato, capiet manipulum, & non prius, & procedet ad altare immediate ante Diaconum, librum Evangeliorum clausum ante pectus portans, in quo erit inclusus manipulus Episcopi, cum debitis reverentiis; & Episcopo facienti confessionem, ipse parum retrò stans post Diaconum Evangelii, respondet simul cum Presbytero assistente, & Diacono, & interim deponit prædictum librum in manibus Cæremoniarii propè se genuflexi; & cum Episcopus dicit, *Indulgentiam*, accipit ex dicto libro manipulum, illumque à latere osculatur, & dicto, *Indulgentiam*, ab Episcopo, illum (quem prius osculatur propè Crucem) eidem Episcopo, ubi est signum Crucis, osculandum porrigit, osculando etiam prius manum ejus. Tum ascendit cum Episcopo ad altare per partem Evangelii, & eidem, adjuvante Presbytero assistente, porrigit dictum librum Evangeliorum apertum, ubi est principium Evangelii illius Missæ, osculandum, sed prius Episcopus osculari debet altare; tum tradit librum Cæremoniarario, aut alteri, & stans in cornu Evangelii, adjuvat Episcopum, sicut Diaconus, dum incensat altare; & dum Diaconus Episcopum thurificat, stat à sinistris ejus de more, & remanet ad sedem paratam cum Diacono, ubi cum eo stat, vel sedet, dicens, *Kyrie*, & *Gloria in excelsis*, ut supra diximus. Et dum Episcopus dicit Orationem, surgens, stat ibidem. Ideò legat caput præcedens.

IV. Circa finem Orationis, seu plurium, accipit de manu Ceroferarii, feu alterius, librum Epistolarum; & factis reverentiis altari, & Episcopo, postea, comite Cæremoniario, in loco consueto cantat Epistolam; qua completa, cum debitis reverentiis accedens ad Episcopum, profundè inclinatus librum super ejus genibus ponit, & ejus manum super librum positam osculatur; & accepta ab eo benedictione, redit ad altare, ubi expectat tempus eundi ad Evangelium, stans, vel sedens, prout alii.

V. Ad Evangelium immediate ante Diaconum procedit, ut infra, manibus junctis; & illi legenti Evangelium, librum solito more ambabus manibus tenet ante pectus apertum, ut jam diximus alias, vel legile manibus per latera ejus superiora tenet, aut adhæret

Diacono, stans à dextris ejus, si in ambone aut pulpito Evangelium legatur; & tunc hoc ultimo casu genuflectit cum Diacono, pro ut opus erit; alias non genuflectit.

VI. Finito Evangelio, tenens adhuc librum apertum, nulla prorsus facta reverentia, illum offert osculandum Episcopo, in loco, ubi est principium Evangelii; quo osculato, & clauso libro, parùm retrahit se, & inclinat se profundè Episcopo, & redit ad locum suum, ubi stat, aut sedet ad Symbolum, ut Diaconus, illudque dicit eum eo; & dum ipse Diaconus defert bursam corporalium ad altare, ipse stat nudo capite, donec redierit.

VII. Si Episcopus concionem habeat, sedet in loco parato cum aliis, ut suo loco dicemus.

VIII. Postquam Episcopus lavit manus post Offertorium, ipse accedit ad abacum, & extenso sibi, adjuvantibus Acolythis, circa humeros velo longo, quo calix, & alia cooperiebantur, ita ut à latere dextro longiùs pendeat, acceptum Calicem de more defert ad cornu Epistolæ, eo tempore quo Episcopus illuc pervenerit, & alia peragit, ut in Missa communi; dicens tamen Episcopo, *Benedicite Pater reverendissime*, dum offert aquam benedicendam, vel *Eminentissime*, si sit Cardinalis.

IX. Post oblationem panis, & vini factam, accipit de manu Diaconi patenam quam veli extremitate, juvante Cæremoniarario, contegit, eamque elevatam sustinet in loco suo, usque ad *Pater noster*, ut infra; ubi etiam incensatur, idest, in plano retrò post Episcopum, & post duos assistentes Diaconos, quasi tamen in medio eorum; nec movet se, nisi cum ad elevationem SS. Sacramenti genuflectit; quo elevato, statim surgit; & cum Episcopus dicit: *Et dimitte nobis*, &c. cum debitis reverentiis accedit ad altare, ubi tradit Patenam Diacono, qui eam à Cæremoniarario, vel à seipso discoopertam accipit. Tum ipse, deposito velo, redit ad locum suum, & ad Orationes ante Communionem, & ad sequentia supplet à dextris Episcopi pro Diacono, dum hic stat ad librum, discooperiendo Calicem, donec Episcopus Communionem sumpserit; quo communicato, Communionem accipit, si non est Presbyter, cum Diacono, & postea pacem ab Episcopo accipit cum

osculo; & si nondum redierit Presbyter assistens de Choro, vinum purificationis infundit in Calicem, & ablutionem digitorum in eundem. Videtur tamen ex Cær. Ep. lib. 11. c. 25. & ex Cærem. Papæ multis in locis colligendum, quòd Presbyter assistens debeat infundere vinum in Calicem purificatione manuum Episcopi. Deinde tergit Calicem de more, dum Episcopus lavat manus, & eum ad abacum reportat sine velo, nisi ministraretur ei aliquod velum parvum per Cæremoniararium; mox redit post Episcopum, ad cujus benedictionem profundè se inclinat, & finita Missa, comitatur Episcopum eum præcedendo sine libro ad sedem suam, ibique adjuvat Diaconum in exuendo Episcopum.

X. Si celebret pro Defunctis, ea præstat quæ in Missa pro Defunctis præscripta sunt. Idem dicitur de Missis, quæ celebrantur in Dominicis Adventus, Quadragesimæ, & in quibusdam feriis, ut infra dicitur: in Collegiatis verò, & Episcopo absente, ipse servit loco Assistentis in danda pace, etiam Episcopo præente, si celebratur Missa ab aliquo Canonico, vel alio, qui non habet Presbyterum assistentem.

XI. Quæ fortè hic desiderantur ab aliquibus, poterunt intelligi ex iis, quæ de Subdiacono prima parte diximus, quoad reverentias, & alia.

## C A P U T XI.

*De Ministris inferioris ordinis, Episcopo celebrante.*

### A R T I C U L U S I.

*De eorum functionibus in genere.*

I. **U**T Episcopales functiones præferre in Ecclesia digniùs valeant exerceri, plures sunt necessarii Ministri, qui Episcopo Cortis induti ministrare debent, quorum munera singulis distribuere oportet suo ordine, ut infra.

II. Omnia Pontificalia paramenta, cum ipsis indui debet Episcopus, ordine sibi præscripto à Cæremoniarario, singuli unus post alium deferre debent ministranda ministris, cum debitis altari & Episcopo

genuflexionibus, prout à Cæremoniario docebuntur; in reliquis suum quisque munus debet exequi.

III. Cùm Episcopus lavat manus, omnes circum circa astantes genuflectunt, nisi forte aliquis eo superior adsit; nam tunc à genuflexionibus abstinere debent, non tamen à profunda inclinatione.

IV. Dum sedere possunt, sedeant, maxime tempore Concionis, vel in gradibus Sedis Episcopalis, vel in gradibus Altaris; cùm verò sedendum erit, vel surgendum, semper ultimi sedeant, & primi surgant, ut decet.

V. Episcopus extra suam Ecclesiam celebrante in faldistorio, iidem Capellani, seu Ministri, semper assistent ad cornu Epistolæ, & sedebunt in gradibus Altaris à sinistris Episcopi ad longum, ita ut digniores sint versus caput, & minus digni post eos, quasi in linea recta. Paris Crassus lib. 1. cap. 4.

VI. Ad Vesperas, pauciores ministros Episcopus habet, quàm ad Missam; ad hanc enim ad minus debent esse novem, & ad Vesperas septem. Ad Vesperas, ultra prædictos tres, idest Presbyterum assistentem, & duos Diaconos, septem habere convenit habitu, aspectu, & tonsura decentes, ac cottis mundis indutos. Primus est de libro, secundus est de candela, tertius de baculo pastorali, quartus de Mitra, quintus de thuribulo, & navicula, 6. & 7. de candelabris, & cereis.

VII. Ad Missam verò, ultra prædictos, ac Diaconum, & Subdiaconum, ut supra, habebit alios sex, quorum, duo habitu Clericali & cottis induti servient, alter de gremiali, & alter de ampullis. Reliqui quatuor erunt cubicularii, sive familiares Episcopi Clericali habitu, attamen sine cotto, stantes ad abacum, sive magnam Credentiam. Et hi omnes Ministri, si non de gremio Ecclesiæ possint haberi, jussu Episcopi convocentur ex vicinis Ecclesiis; & ubi commodè fieri potest, sint in ordine Acolythatus, saltem Ministri de baculo, Mitra, thuribulo, candelabris, & de ampullis vini, & aquæ; de quibus singulatim nobis est agendum.

## ARTICULUS II.

De Acolycho de Libro.

I. **M**inister de Libro primum omnium curabit, ut liber, quem ipse custodire debet, cooperatus veste coloris convenientis signaculis ritè disponatur; tum loco congruo illum reponet, ne cum aliquid erit dicendum, indecenter huc illuc folia vertere cogatur: & cum eo utendum erit, unà cum Acolycho de candela, facta genuflexione Altari & Episcopo, ad ipsum accedens, eundem librum apertum ante ejus faciem ambabus manibus super caput ab inferiori parte sustinebit, genuflexus quidem, cum Episcopus sedebit, vel stans ipse stante; prout tamen Episcopi legentis commoditas postulaverit; sed regulariter stare debet, nec tunc loco movere se debet unquam, nec genuflectere cum aliis; nam legile immobile tunc præsentat: cum verò recedendum erit, prius librum claudit, mox facta Episcopo genuflexione, ad locum sui ordinis cum libro clauso redibit.

II. Cum Presbyter Assistens librum super caput sustinet, ipse stans à sinistris Episcopi adjuvat ipsum Assistentem, sustentans librum, videlicet, cùm Episcopus dicit Orationem ad Tertiam, & ad Vesperas, & in Missa ad *Gloria in excelsis*, Orationem, seu plures, & ad *Credo*. At cùm verbi gr. Episc. intonaverit *Gloria in excelsis*, statim recipiet librum de manibus Assistentis, & illum super caput sustinebit usque ad finem, ut supra. Idem dicendum ad *Credo*.

III. Episcopo assistente tantum ad Vesperas, vel Missam, & non celebrante, semper Cotta indutus librum ministrabit, ipsum tenens super caput, stans, vel genuflexus, ut supra; scilicet in principio Missæ, primò ad Introitum, & *Gloria in excelsis*; secundò ad Epistolam usque ad Evangelium inclusivè; tertio ad Offertorium, & abolutionem, si fiat Sermon; quartò ad Postcommunionem.

IV. Si tamen adsit Cardinalis aut eo major, abstinebit Episcopus à libro in omni Officio, si ipse non celebrat.

V. In sacris Ordinationibus, & omninò in Pontificalibus, quando Episcopus aliquid ex libro extra Altare conversus ad Ordinandos



legere debet, eodem modo, ut supra, librum super caput sustinere debet, non verò alius; & tunc aliquantulum stat ad cornu Epistolæ, quasi ad sinistram Episcopi, ut commodius Episcopus dextera benedicat ordinandos, & alios; sed tamen ad eum facie conversa.

VI. Dum accedit, aut recedit, semper cum socio de candela pari disciplina procedet. Ejus locus regulariter est à parte Celebrantis, sive sit in folio, sive in faldistorio; & sedet super gradum Altaris, si sit consuetudo, & stat post Episcopum propè parietem, itaut non sit ante eum, dum ipse est conversus ad Altare, nisi librum sustineat.

### ARTICULUS III.

#### De Ministro de Candela.

I. **A**colythus iste candelam accensam deferens dextra, ex instrumento argenteo, quod *Bugia* dicitur, sit Cotta indutus cum socio suo de libro; & cum eo pari disciplina procedet, nisi fortè cum Episcopo lecturus est ad Altare, ut infra.

II. Dum Episcopus legit Psalmos: *Quàm dilecta, &c.* Orationes ad paramenta, & Orationem Tertiarum, Introitum, Orationem, Epistolam cum Graduale, Offertorium, & Sequentia; item Præfationem, Canonem, &c. Orationem, & Postcommunionem, semper lumen ministrabit, & regulariter cum socio suo à dextris Episcopi Celebrantis, etiam si aer sit lucidus, & Episcopus lumine non egeat ad legendum. Cum verò Episcopus est ad Altare, Minister de libro ad illum non debet accedere, cum eo non opus sit; sed sufficit ille de candela.

III. Ad Vesperas, cum Episcopus intonabit primam Antiphonam, Hymnum, Antiphonam *Ad Magnificat*, & cantabit Orationem, vel plures, candelam etiam sustinere debet à dextris Episcopi.

IV. Quando Episcopus de sua sede ad Altare procedit, aut ad faldistorium descendit, semper eum sequitur cum Ministro de libro, si eo opus est; & quando redit, eum sequuntur, hoc est initio Missæ, & post Offertorium, non verò quando ad Vesperas thurificaturus est Altare; & cum Assistentes Episcopi

sedent, ipsi possunt sedere, ut supra, super gradum infimum Altaris; & cum accedunt, vel recedunt ab Episcopo, ei semper genuflectunt.

V. Quando Episcopus legit aliquid ex libro, semper lumen ministrat, etiam si non celibret, sed tantum assistat.

VI. Dum Episcopus privatim celebrat, ipse qui de libro inservit, lumen ministrare debet, cum opus est, videlicet dum legit Introitum, *Gloria in excelsis*, Orationem, Epistolam, Graduale, Evangelium, Symbolum, Offertorium, Orationes, Præfationem, Canonem, &c. & alter ampullas ministrabit, & Calicem aptabit, eum cooperiendo, & discooperiendo, cum opus erit, si est in Sacris. Ambo ministrabunt ad lotionem manuum, mantile hinc inde sustinendo; & etiam ministrabunt, cum sacris induitur, vel exiit vestibibus Episcopus. Item cum genuflectit hinc inde, ut surgat, manum præbendo, & adjuvabunt eum sustentando; & cum ascendet, vestes ejus elevabunt, & depositis sacris vestibus, communes dabunt, & adjuvabunt, cum eas accipit; sicut etiam, dum iis se exiit, eas loco congruo deponent.

### ARTICULUS IV.

#### De Ministro de Mitra.

I. **Q**uoties Episcopus est solemniter celebraturus cum Pluviali, & Mitra, semper Capellanus, seu Acolythus, qui de ea inservit, Cotta munda indutus assistere debet: mappulam, seu velum oblongum, quod de collo pendeat, habebit, qua Mitram capiet, & sustinebit, ne illam manibus tangat.

II. Cum eam recipit, & sustinet, advertat ut infulas versùs se teneat; & cum illam deponit super Altare, vel super Credentiam, infulæ, seu vittæ semper exterius pendeant. At cum illam præbere debet Diacono, aut alteri, qui eam Episcopo imponat, advertat ut tali modo præbeat, quo illam facile possit Episcopo imponere; & similiter advertat modum, quo ab eodem, cum ipsam amovet, eam debeat recipere, & semper ipse adhareat lateri illius, qui eam imponit, aut auferit; ad quod debet diligenter attendere.

III. Mox ut Mitram accepit ab aliquo, statim facta Episcopo genuflexione, ad locum suum redit, eam tenens ambabus manibus ante pectus elevatam; sed si brevi temporis spatio esset Episcopo reponenda, tunc non petit locum suum, sed paulisper expectat, donec Mitra sit imponenda, stans à latere illam imposituri, si commodè fieri potest.

IV. Locus ejus est regulariter à parte Episcopi, & à parte, in qua imponi, aut auferri debet, ut initio Missæ, à parte Epistolæ genuflexus manet, donec Episcopus recedat ad sedem suam, quæ est ad partem Evangelii, & ibi locus ejus erit versus sinistram partem Episcopi propè parietem altaris; & sedet, quando contingit, in inferiori gradu sedis Episcopalis, si fieri possit, à sinistris Ministri de baculo. Item ad lotionem manuum, & cum ad altare redierit post Offeritorium, & dum lavabit Episcopus manus post Communionem, stabit à parte Epistolæ; & cum Episcopus, finita Missa, redibit ad sedem suam, ipse eum sequetur, ut initio, & sumpta Mitra, eam super abacum reponet.

V. Locus Mitræ regulariter est super altare à latere Epistolæ, vel si sint plures, hinc inde à lateribus altaris, vel meliùs super mensam, aut Credentiam, quia fortè impedirent altaris incensationem.

VI. Ut autem sciat ea, quæ sui sunt muneris, notet triplicem esse Mitram: una est enim pretiosa, serico auro intexta, ac gemmis, & margaritis ornata; altera auriphrygiata sine gemmis, & laminis aureis, vel argenteis, sed vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo intermixto, vel ex tela aurea simplici sine laminis, & margaritis: tertia ex serico albo Damasceno margaritis ornata cum laciniis ex serico rubeo in infulis, ex vittis pendentibus, dicta simplex, qua utuntur DD. Cardinales in Capella, alii verò Prælati utuntur etiam Mitra simplici ex lino tantum purissimo, ac tenuissimo, albi tamen coloris, pariter dum laciniis rubris, ex vittis pendentibus. Numquam autem Mitra debet esse alterius coloris, quam albi, contra multos, qui in his contra Cæremionale agunt, habentes Mitras rubeas, aut virides, aut alterius coloris, ad libitum.

VII. Igitur dum Episcopus accedit ad Ecclesiam, vel recedit, si sit consuetudo, datur

ei Mitra pretiosa; qua etiam utitur ad Vesperas in principio, donec inchoetur primus Psalmus, & ad *Magnificat*, usque ad finem. At in Missa solemnè, à principio Tertie, donec dixerit Hymnum, *Gloria in excelsis*, dum lavat manus, & ad benedictionem, & reliqua, quia dum recedit, eadem utitur pretiosa. Tempore autem intermedio, dum scilicet dicuntur Psalmi ad Vesperas, & ad Missam dum dicitur in Choro, *Gloria in excelsis*, ad Epistolam, & alia usque ad lotionem manuum ejus post Offeritorium exclusivè, potius ad commoditatem potest uti, si velit, auriphrygiata, vel simplici.

VIII. Utitur autem auriphrygiata in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, idest à Dominica Septuagesimæ usque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ inclusivè, exceptis tamen Dominica tertia Adventus, & Dominica quarta Quadragesimæ; nam tunc potest uti pretiosa in signum lætitiæ. Item utitur auriphrygiata in omnibus vigiliis, quæ jejunantur, in Quatuor Temporibus, demptis illis Pentecostes, quia iis utitur pretiosa; in Rogationibus, Litanis, aut aliis, quæ ex causa poenitentiae fiunt. Item in festo Innocentium, nisi venerit in Dominica. Sicut etiam in benedictionibus, & consecrationibus privatis, quibus diebus debet abstinere ab usu Mitræ pretiosæ. Cum verò his diebus Episcopus Mitra auriphrygiata inter celebrandum utitur, potest etiam uti Mitra simplici, ne nimis gravetur, eodem modo quod de pretiosa diximus. In consecrationibus autem publicis, & in Ordinationibus quæ fiunt Sabbato Sancto Paschæ, & Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes, utitur pretiosa.

IX. Simplici autem utitur feria 6. Parasceves, & omnibus Officiis Defunctorum, & cum assistit Episcoporum consecrationi, & in Capella Papæ Mitra utitur simplici ex purissimo, ac tenuissimo lino, serico rubeo intexta in infulis, ut supra.

X. Dum sermonem habet, potest etiam uti simplici, si nolit uti auriphrygiata; & interim, si sermo habeatur in pulpito ab eodem, minister illam, scilicet pretiosam, aut auriphrygiatam, teneat super ambonem, si fieri potest, ita ut vitæ tunc versus populum pendeant.

XI. Ad Processiones, quibus Episcopus interest, procedit à sinistris baculum deferentis,

tis, vel Acolythus de Mitra auriphrygiatam deferet.

XII. Acolythus ipse pileoli, seu subbireti Mitralis curam habebit, & ipsum primo Diacono prius porriget; debet esse autem ex ferico nigri coloris, pro Cardinalibus rubei.

XIII. Generaliter autem utitur Episcopus Mitra pretiosa in solemnioribus festis, & quandocumque in Officio dicitur Hymnus, *Te Deum*, & in Missa, *Gloria in excelsis Deo*.

## ARTICULUS V.

### De Ministro de Baculo.

I. **Q**uoties Episcopus utitur Mitra in sua Dioecesi, & etiam alibi, cum scilicet Consecrationes, aut Ordinationes, seu etiam Benedictiones auctoritate Apostolica facit, toties debet uti baculo; regulariter autem extra Dioecesim, licet Mitra utatur, non tamen uti potest baculo, contra usum multorum, qui in hoc Cæremonialibus contradicunt.

II. Minister autem de Baculo, semper Cotta debet esse indutus, vel etiam Pluviali, si sit consuetudo; quando eum tenet, manu dextera, extremitate Cottæ testæ, illum sustinet, vel ambabus manibus testis; nulloque panno, seu velo ab ipso pendente, quia Abbatum est, & aliorum inferiorum gestare baculum cum velo: nudum, cum opus fuerit, Episcopo offeret, cum osculo ipsius, & manus Episcopi: ita Crassus lib. 1. c. 8. parte curva baculi ad populum conversa.

III. Cum Episcopus in Pontificalibus procedit, sive à Sacrastia, sive à faldistorio ad altare, aut redit, minister deferat baculum ambabus manibus, cottæ manicis coopertis; à terra elevatum, ac si Crucem deferret; nisi Episcopus illum deferat, aut nisi fiat Officium Defunctorum, quia usus baculi tunc semper cessat.

IV. Item in Processionibus solemnibus, si longiores sint, baculum idem minister deferet eo modo ante Episcopum; ubi tamen est consuetudo, ut aliqua dignitas cum Pluviali illum deferat, servari debet. Si tamen Processio sit brevis, convenit, ut Episcopus eum deferat sinistra, dextera sua benedicens: quod semper facit, dum deferat

baculum, nisi præsentibus majoribus se:

V. Defertur ad Vesperas primò cum Episcopus paratus accedit ad sedem de Sacrastia, si ibi paramenta cepit. Secundò, cum procedit ad altare incensandum, & inde ad sedem; & dum incensatur, & perficitur *Magnificat*, eum ipse sustinet ambabus manibus simul junctis, ut dicemus alibi. Tertio, cum in fine dat benedictionem solemnem.

VI. At in Missa soleinni, utitur baculo Episcopus, primò dum paratus Pontificaliter procedit è Secretario, vel Sacrario ad altare, vel à sede ad altare, & quando ad locum eundem redit, & accedens ad altare in principio Missæ; & illum minister accipiet à sinistris Episcopi, & in plano ibidem genuflexus eum sustinebit: secundò, altari thurificato, ibidem Episcopo eum reddet, si Episcopus velit accipere; aliàs eum deferet minister ad sedem procedens ante Episcopum: tertio, ad Evangelium Episcopus eum ambabus manibus tenebit junctis, sed minister sustinebit, si opus sit, partem inferiorem sinistra: quarto si Episcopus sermonem habeat, vel aliud ad ejus præsentiam intra Missarum solemnia concionetur, semper minister stare debet à sinistris Episcopi, vel genuflectere, tenens baculum per partem infimam, si opus sit, adjuvando Episcopum: quinto in benedictione, quæ datur, vel post sermonem, vel in fine Missæ, minister cù baculo adesse debet, ipsumque tunc Episcopo debet porrigere cum incipiet producere signum Crucis versùs populum, & prius: sexto dum procedet post Offertorium de sede ad altare: ultimo cum in fine Missæ recedet.

VII. Denique omninò Episcopus utitur baculo in omni actu Pontificali, in quo paratus est Pluviali, & Mitra, vel saltem Mitra, & stola; nisi in Officio Defunctorum.

VIII. Item in Ordinibus conferendis, ad Litanias: cum dicitur: *Ut hunc Electum*, & similia, videlicet in consecrationibus, & benedictionibus, dum in Litanis verba benedictionis proferuntur.

IX. Convenit autem, ut minister de baculo non eum manu nuda contrectet, etiam si sit Sacerdos; sicut ille qui deferat Mitram, non eam tangit manu nuda, sed manibus Cotta involutis. Paris Crassus lib. 1. c. 8. Et si fortè aliquis alba esset indutus, convenit, ut habeat velum pendens de collo ejus.

## ARTICULUS VI.

De *Antypho*, seu Ministro de Gremiali.

**I. E**pisopus, cum Planeta est indutus Gremiali utitur. & non extra Missam pronus; contra multos, qui utuntur eo etiam ad Vesperas, & cum Episcopus procedit ad altare, expressè contra Cæremonialem. Unde ad Vesperas, & Processiones nunquam adhibetur, sed tantum ad Missam; sive coloris paramentorum.

**II.** Minister de Gremiali, ipsum ambabus manibus tenet complicatum, postquam illud è Credentia, seu Abaco ceperit, dum Episcopus legit Introitum, & illud defert ad partem Evangelii, & cum opus est illud offert Diacono secundo, aut Subdiacono, qui illum sedenti imponet, ut supra diximus postquam capiti ejus Mitram imposuerit. Sed antequam ei auferatur Mitra, prius Gremiale est ei auferendum ab ipso Diacono, & tradendum Ministro; qui quoties illud tradit, aut recipit, toties illud osculari debet propter reverentiam Episcopi: Ex Castaldo l. 1. sect. 5. c. 6. Advertat autem diligenter, quando eo utendum erit. Præcipuè in conferendis Ordinibus, & inunctionibus, seu consecrationibus, eo uti debet Episcopus sæpè; sed istud tunc propriè est mappa lineæ, non Gremiale sericum. Similiter eadem mappa lineæ Episcopus utitur, dum tradit candelas, ramos, & distribuit cineres, & ungit Ordinandos.

**III.** Utitur autem eo in Missa, quando sedet dicto, *Kyrie*; post Hymnum Angelicum sedens; ad Epistolam, donec Diaconus cantet Evangelium; ad Symbolum; ad Sermone, seu Concionem; & dum Episcopus recipit Oblationes, si quando offerri contingit. Demum cum lavat manus post Offertorium, quibus lotis, ipsum Gremiale Minister recipit, & plicatum defert ad credentiam, quia eo non est opus amplius.

**IV.** Dum Episcopus lavat manus, antequam capiat paramenta, ipse convenienter mappulam, seu mantile de credentia accipit, & eam plicatam defert à dextris Scutiferi, cum debitis reverentiis, eamque subministrat, vel Presbytero assistenti, vel iis

qui eam tenere debent; & post extersionem eamdem ad locum suum reportat; ipsam credentiaris tradens complicandam: non autem probatur, ut deferatur à Scutiferis contra usum quorundam. Id verò præstare non potest, quando lavat manus in sede sua ante Oblata; idèò convenit, ut tunc alius id efficiat.

## ARTICULUS VII.

De Ministro de Chirothecis.

**I. P**rædictus minister de Gremiali potest ministrare Chirothecas coloris paramentorum, præparatas in aliqua pellicula argentea, vel alterius pulchræ materiæ super altare, vel prout videbitur Cæremionario; alter tamen minister specialis, de quo hic agitur, potest assignari ad id munus.

**II.** Antequam Planeta imponatur Episcopo, ipse accedet cum dicta pellicula ad eum, ministrabit Chirothecas ministris, dexteram scilicet Diacono, alteram Subdiacono cum debitis altari, & Episcopo reverentiis ante, & post.

**III.** Lecto Offertorio, accedit cum pellicula prædicta ad Episcopum, factis debitis reverentiis, & Chirothecas in eadem recipiet, sicut & annulum ibidem ponet, dum Episcopus lavabit manus; quibus lotis, illum restituet, & Chirothecas ad Credentiam deferet, nec amplius sunt usui.

**IV.** Dum conferuntur sacri Ordines, paulò antequam Episcopus incipiat Hymnum, *Veni Creator*, accedit ad Episcopum, & ab ejus ministris in dicta pellicula recipiet annulum, & Chirothecas, antequam inungat ordinandos; & iis inunctis, & tersis manibus, eas restituet; acceptis verò Oblationibus ab Ordinandis post Offertorium, eas iterum recipiet, & reportabit ad credentiam cum debitis reverentiis. Idem dicendum est de Consecratione Episcopi, paulò antequam hymnus prædictus, *Veni Creator*, inchoetur.

**V.** Item in hujusmodi solemnibus collatione Ordinum, si prius consecrandi sunt Calices, vel aliquis confirmandus, ante inunctionem Calicis, & Confirmandi, extrahuntur Episcopo Chirothecæ; & facta consecratione reponuntur ad manus Episcopi, & cum ip-

si offertur Missam Episcopus, inque ad  
 inuentionem Presbyterorum, vel usque ad  
 Offertorium, si non sunt consecrandi Sa-  
 cerdotes.

## ARTICULUS VIII.

## De Ministro de Ampullis.

I. **E**jus munus erit assistere Episcopo  
 dum paratur, & suo ordine, ac  
 tempore, prout à Cæremoniarario docebitur,  
 paramenta ministrare.

II. Locus ejus est regulariter ad Cre-  
 dentiam, seu Abacum, nisi in aliis sit  
 occupatus; potest enim, si placet Cære-  
 moniarario, ministrare Gremiale suprà di-  
 ctum, & etiam Chirothecas, præsertim  
 si pauci sint ministri, ita ut si numerus  
 ministrorum sit exiguus, ipse possit tria  
 hæc munia exercere.

III. Præcipuè post Offertorium Subdia-  
 conum sequetur, deferens ambabus ma-  
 nibus urceolos vini & aquæ, in aliqua  
 pellicula argentea dispositos, ablatis prius  
 operculis eorum, & velo tectos, ad al-  
 tare, ubi eisdem opportunè Subdiacono  
 ministrabit, primò vini, mox aquæ; eos-  
 que receptos, cum debitis reverentiis re-  
 portabit ad Credentiam.

IV. Facta communione, eosdem de cre-  
 dentia accipit, & in cornu Epistolæ eos  
 Subdiacono, aut Diacono ministrat, &  
 reportat ad Abacum.

V. Ejus locus, si non servit de Gremia-  
 li, est ad Abacum, & stat propè primum  
 Ceroferarium.

VI. Potest etiam ministrare vas aquæ  
 benedictæ, quando opus erit, cum as-  
 perforio, si tot ministri non possint in-  
 veniri.

## ARTICULUS IX.

De Officio Thuriferarii celebrante  
 Episcopo.

I. **I**psè debet aliquantò robustior esse cæ-  
 teris, quò pondus thuribuli, & na-  
 viculæ sustentare possit; illaque deferre  
 debet, ut in ejus Officio communi dixi-  
 mus i. p. capite proprio.

II. Advertat autem, quòd si celebret E-  
 piscopus in propria Ecclesia, ministratur  
 incensum in fede; si in aliena, in faldisto-  
 rio. Semper ministrat Presbytero assistenti,  
 si Episcopus sit in fede; Diacono verò, si in  
 faldistorio, aut ad altare in Missa.

III. Ad Vesperas initio Cantici, *Ma-  
 gnificat*, ministratur in folio. In proces-  
 sionibus antequam procedatur, in folio,  
 vel ad altare.

IV. Initio Missæ, ad altare, & ad E-  
 vangeliolum, in folio. Ad Offertorium,  
 ad altare. In Absolutione ad tumulum,  
 vel in folio ab Assistente, vel in faldis-  
 torio à Diacono.

V. Episcopo præsentè ad Vesperas, &  
 non celebrante, etiam in folio. Ita ad  
 Missam.

VI. Altari incensato ad Vesperas, Thu-  
 riferarius accipit thuribulum ab Assistente,  
 quod eidem reddit, dum accessit ad infimum  
 gradum folii, à quo Episcopus incensatur.  
 Tum Thuribulum acceptum tradit ministro  
 ad id deputato, vel Subdiacono; si adsit,  
 parato sua Tunicella; à quo Ministro Assis-  
 tentes, Dignitates, & Canonici parati  
 thurificantur; quibus incensatis, Thurife-  
 rarius ipse reliquos more solito incensabit.  
 Si tamen talis non sit Subdiaconus, aut  
 alius deputatus, ipse Thuriferarius id præ-  
 stabit. Si adsit Legatus, Cardinalis, Me-  
 tropolitanus, Rex, aut Princeps magnus,  
 ille qui incensavit Episcopum, eos incen-  
 sare debet, primò Celebrantem, secundò  
 Cardinalem, tertio Metropolitanum, quar-  
 to Episcopum loci ordinarium, si non  
 celebret. Post ipsos alii Episcopi suo or-  
 dine incensantur.

VII. Post eos à Subdiacono dicto, vel  
 à Thuriferario, thurificantur Prothonota-  
 rii participantes, tum Dignitates, postea  
 Canonici per ordinem; tum, si aderunt,  
 Abbates Benedictini, & postea Prothono-  
 tarii non participantes, & Generales Or-  
 dinum; at verò Vicarius Episcopi secun-  
 dum morem locorum.

VIII. Quoad Laicos verò, Imperator, &  
 Rex ante Episcopum non Celebrantem ab  
 Assistente, & Proreges, & Gubernatores  
 Regnorum, ac Provinciarum ab eodem,  
 sicut & Magistratus majores perpetui ante  
 Canonicos non paratos etiam ab Assistente

Presbytero; Magistratu verò Civitatum, nisi sint de majoribus, post Canonicos non paratos: Barones sine titulo, post Canonicos, & Magistratus, & ipsi Magistratus non majores, & alii, postea à Thuriferario ex more locorum.

IX. Regina, vel Principissa eo loco, & modo, quo vir ejus, debet incensari, ut de his suo loco egimus, & aliis similibus.

## ARTICULUS X.

De Ceroferariis celebrantæ  
Episcopo.

**I.** HI duo Ministri Ceroferarii possunt paramenta Episcopi ministrare suo ordine, cottis induti, prout placebit Cæremoniario, ut infra dicemus; & dum celebrat Episcopus, assistunt ante gradus solii versa facie ad Episcopum, dum dicit Orationem ad Vesperas. Et possunt hi ad *Magnificat*, conduplicare partem anteriorem veli, dum Episcopus illud incensare debet, ut infra dicemus; & eoque incensato, eandem partem veli revolvunt, ut prius, & recedunt de Altari cum debitis reverentiis, sumpturi candelabra sua pro Oratione postea ab Episcopo dicenda; regulariter enim non deferunt candelabra ad *Magnificat*, quia regulariter sedes Episcopi est propè Altare. Si verò longè distat ab Altari, ut quando Altare est in medio Ecclesiæ, tunc convenit, ut Ceroferarii Episcopum præcedant, ut in aliis Vesperis. Item ad Vesperas Defunctorum accedunt ad Episcopum ad Orationem, ut suo loco dicemus.

II. Ad Missam deferunt candelabra ad Orationem Tertiar, & ad Altare pro Missa, si Episcopus in Secretario, vel Sacrario, ut in Cæremoniali, celebravit Tertiam. Si verò celebravit in sede, seu folio, non deferunt candelabra, quia sedes est in Presbyterio regulariter. Si item Episcopus celebrat longè ab Altari, ut supra, ea etiam deferunt; ita ad Evangelium de more: in fine Missæ non recedunt cum candelabris, nisi Episcopus recedat in Sacrarium, aut alium locum distantem ab Altari.

## ARTICULUS XI.

De Ministro de Pallio Archiepiscopi,  
seu Patriarchæ.

**I.** Pallium debet asservari serico velò involutum, in aliqua decemta capsula intus, & extra pulchre ornata.

II. Diebus, quibus ut licet, minister de eo illud præparat cum tribus spinulis in aliquo bacili argenteo.

III. Paratur verò super Altare ultimo loco cum aliis paramentis. Minister de illo, (nisi Subdiaconus adsit, qui id præstet, ut infra dicitur) accipit illud a nabus manibus, & ita illud desert graviter velo connectum ad Diaconum, ut ipse Diaconus partem duplicem illius recipiat dextera, simplicem sinistra; tum idem Diaconus eandem partem duplicem commodè ponit super humerum sinistram, ut infra dicitur suo loco.

IV. Tum idem minister, vel alius, si fieri potest, desert tres spinulas in aliqua pelvicula, seu bacili, cum debitis genuflexionibus, ante Altare, & Archiepiscopum, & pulchriorem offert Diacono infingendam Cruci anteriori Pallii, postea secundam sinistro humero, tertiam verò offert Subdiacono infingendam à tergo Archiepiscopi: tum cum debita reverentia recedit cum velo, & bacili ad credentiam, super quam hæc prædicta reponit.

V. Finita Missa omninò, idem Subdiaconus, vel Minister qui curam habet illius, cum eodem velo, & bacili ad Altare accedens coram Archiepiscopo, recipit à ministris spinulas, & Pallium ipsum, quod reportabit ad locum paramentorum, & in sua capsula illud observabit; & advertat, ut semper Pallium ad Altare deponatur ab Archiepiscopo, licet alia paramenta deponat in sede, vel faldistorio; & ut non inde asportetur, nisi post finem Missæ.

## ARTICULUS XII.

*De Ministro Crucem ante Archiepiscopum deferente.*

I. Ipse Crucem defert ante Archiepiscopum, imagine Crucifixi semper & ubique conversa ad ipsum, (quod est proprium Summi Pontificis, Patriarchæ, & Archiepiscopi tantum) non solum ad divina Officia, verum etiam ad alia negotia, semper præcedens habitu Clericali indutus; & si Archiepiscopus sit Cardinalis, violaceis utitur vestibus; si verò Archiepiscopus sit paratus, cotta indui debet. Crux autem defertur immediatè ante Canonicos, ac Dignitates semper, ita ut Archiepiscopus, & Canonici unum tantum corpus efficiant; unde non rectè defertur à quibusdam inter Archiepiscopum, & Canonicos; nec debet fieri distinctio, quando Archiepiscopus præcedit, vel sequitur, aut quando est paratus, vel non.

II. Cum Archiepiscopus ad Ecclesiam pervenerit, vel Capellam, ipse deponet Crucem loco congruo, & parato; & postea ad locum suum cum aliis se recipiet.

III. Cum Archiepiscopus daturus est solemnem benedictionem, minister deferens Crucem ante Archiepiscopum, ipsam tenebit, Crucifixi imaginem ad eum convertens, & Archiepiscopo benedictionem incipiente, cum aliis genuflectet.

IV. Post datam benedictionem surget, & reponet Crucem in suo loco; & si sit recedendum, procedet ante ipsum usque ad locum suæ habitationis, & in loco solito cameræ sub Baldachino Crucem deponet, ligneo, vel lapideo suppedaneo innixam.

## ARTICULUS XIII.

*De Caudatarii Episcopi Officio.*

I. Caudatarius Episcopi, Clericali veste sine cotta, sed tantum veste honesta talari indutus, caudam vestimentorum Episcopi ad Ecclesiam procedentis deferre debet.

II. Cum Episcopus cappam, aut Rocchetum, & Mozzettam induere debet, ea

præparat, ut tempestivè eis induatur: Cum verò eandem cappam induerit, minister caudam ejus super brachium sinistrum revolvit, eamque sic defert, ut partes anteriores cappe Episcopi incedentem impedire non possint; & cum Episcopus genuflectere debet, statim caudam ad terram extendit, ipseque etiam genuflectit post ipsius extremitates; & Episcopo surgente, eandem colligit, & adaptat brachio sinistro, ut prius.

III. Dum Episcopus in seles manet, prius extendit caudam super eam; & cum Officiis divinis intraret, stat, vel sedet in intimo gradu sedis Episcopi, à parte sinistra ipsius Episcopi; & quando opus est, adaptat super pedes Episcopi partes anteriores cappe ipsius, & ultimus sedet, & ante omnes surgit.

IV. Episcopus autem cappa utitur ad Ecclesiam, cum divinis Officiis assistit sine Pluviali; nec debet esse indutus Rocchetto aperto tantum, ut docet Paris Crassus, & alii. Consuetudo tamen in Gallia nostra alia est: Episcopi enim multi non utuntur prædicta cappa, sed tantum Rocchetto, & Mozzetta; quod tamen est contra Cærimoniale. Convenit, ut curam habeat cappe, Mozzettæ, & bireti Episcopi; & quando Episcopus ea deponit celebraturus, ipse ea accipit, & loco deponit congruo; & quando ea indui debent, semper parata habeat. Item habeat etiam curam Rocchetti.

V. Si Episcopus sit Cardinalis, ejus caudatarius indutus erit veste talari violacea, & dum paratus erit, cottam accipiet; & observet, quando Cardinalis uti debet cappa rubea, aut violacea: utitur autem regulariter rubea, quando Episcopus non Cardinalis utitur cappa violacea.

## ARTICULUS XIV.

*De Ministro de Faldistorio.*

I. Minister iste aliis debet esse robustior, ac diligentior; & sedis humilioris, quæ faldistorium dici solet, in qua ad Altare sæpe Episcopus sedet, vel dum sermonem habet, aut Ordines confert, aut alia peragit, curam habere debet. Faldistorium istud debet esse opertum integumentum

coloris aliorum paramentorum, unde quaque pendente usque ad terram, cum duobus pulvinis ejusdem coloris, uno ad sedendum subtus prædictum integumentum, altero ad genuflectendum paratis.

II. Advertat autem sedulo, quando Episcopus sedere debeat, aut genuflectere, ut opportunè illud deferat; & cum eo non opus erit, loco congruo deponat. Quoties Episcopus genuflectere debet ad Litanias, & Hymnum, *Veni Creator*, in collatione Ordinum, aut in aliis hujusmodi, supponat prædictos pulvinos paratos, aut alios, si prædicti sint subtus integumentum faldistorii.

III. Quando Episcopus celebrare debet in faldistorio ad Vesperas, & Missam, ut quando adest Cardinalis, paratur illud faldistorium à latere Epistolæ è regione sedis Episcopalis, ita ut non habeat omnino altare post se, nec nimis ante faciem suam, sed ut à populo commodè videri possit; sitque infra gradus altaris, quasi inter eos, & Abacum in plano, ex Paride Crasso l. 1. c. 32. eamque partem Episcopus respiciat in eo sedens quam anterior pars altaris respicit, sive illa sit ad tribunam versa, sive ad reliquum corpus Ecclesiæ, secundum varios situs altarium; Episcopus tamen regulariter non in eo, sed in sua sede, seu folio celebrat; sub ipso autem sint panni strati viridis coloris, vel sit sub eo tapetium; & si altare habeat plures gradus, ita ut tunc faldistorium esset nimis depressum, possit tunc apponi suppedaneum, vel bradella æqualis altitudinis cum infimo gradu altaris, maxime quando ibidem proprius Episcopus celebrare debet; nec inde debet amoveri, nisi quando eo uti debet Episcopus ad altare.

IV. Si Episcopus non celebraturus est Tertiam ante Missam in Secretario, ut præscribit Cæremoniale Episcoporum, quia fortè tale Secretarium non est in quibusdam Ecclesiis præsertim Galliæ, vel quia non est talis consuetudo; tunc Episcopus sacris induitur vestibus in faldistorio, si velit, alias in sede sua, ibique incipit Tertiam, & dicit Orationes præparatorias, & finita Missa, eas ibidem exiit. Sed si in propria Ecclesia celebret, intra Missarum solemniam celebrat in folio parato, & gradibus elevato, ut infra; sed cum sermonem est habiturus post Evangelium, sedebit in eodem faldistorio

ante altare parato, ut dicemus suo loco.

V. Si verò Episcopus celebret in aliena Dioecesi, debet ad Vesperas, & Missam sedere in faldistorio prædicto ad partem Epistolæ, non verò in sede ad partem Evangelii.

VI. Ad collationem Ordinum, faldistorium in eodem cornu Epistolæ præparari debet in plano, ut supra; numquam verò super suppedaneum altaris, ut non rectè quidam faciunt, apertè contra Cæremoniale; & ibi capiat paramenta: non enim Episcopus conferens Ordines, aut dicens Missam privatam, debet sedere, sed stare ad altare ad Introitum, & alia, ut infra, nisi faldistorium portetur ad medium altaris, quando opus erit.

VII. Facta confessione, & ea parte Missæ completa, quæ immediate ante collationem Ordinum dici debet, minister deputatus, de plano cornu Epistolæ deferre debet ipsum faldistorium ad medium altaris super suppedaneum, & illud removere completis iis, quæ ad collationem ipsius Ordinis spectant, & referre ad suum locum. Quod facit, quoties opus est, ut in Pontificali præcipitur.

VIII. Semper autem in Missa ponendum est, quando facienda est oblatio, vel ab ordinandis, vel ab aliis, & ea accepta, removendum. Si ordinandus sit Presbyter, defertur post Communionem, ut ibi sedeat Pontifex impositurus manus super Ordinandum, donec Missam prosequatur, & postea removetur. In fine ejusdem Missæ reponitur, dicto, *Placeat*, ut Episcopus faciat exhortationem; qua facta, amovetur.

IX. Dum consecratur Episcopus, sumptis paramentis à Consecratore à latere Epistolæ, defertur faldistorium ad altare; & factò juramento, & expleto examine Electi; ante confessionem removetur, ut supra. Sed dicto Graduali usque ad, *Alleluia*, vel usque ad Versum ultimum Tractus exclusivè, iterum defertur, & facta consecratione Episcopi, post osculum Consecrati, removetur. Lecto verò Offertorio, iterum defertur, & facta oblatione intortitorum, & Panis, & Vini, removetur. In fine Missæ, data à Consecratore Benedictione, iterum defertur, nec inde amovetur, donec consecratus daturus est benedictionem; & tunc ante eam statim removetur.

X. Quia autem debent assistere duo Episcopi Assistentes, tunc etiam debent deputari alii duo, aut tres Ministri, qui curam gerant



gerant sedium eorum: non enim utuntur faldistorio, & etiam sedis Electi, scilicet ut eas ponant in locis suis, ut in Pontificali habetur, scilicet ante examen supradictum, ante Evangelium, & ante Oblationem; non tamen deferre debent tunc sedem Consecrati, non enim sedere debet; sicut nec ad benedictionem reponendæ sunt pro iis, sed tantum faldistorium pro consecratore.

XI. Cum Episcopus ad Ecclesiam accedit semper intra Presbyterium ante Altare majus præparari debet in medio plani cum pulvinis supradictis faldistorium prædictum, ad quod genuflectat, panno viridi opertum, seu violaceo; sed si Episcopus sit Cardinalis, panno serico violacei, vel rubei coloris, prout vestes erunt Cardinalis.

XII. Si Sanctissimum Sacramentum est in alio altari, debet aliud faldistorium etiam præparari ejusdem formæ, ante quod etiam genuflectat prius quam accedat ad majus altare; quod diversum esse solet ab eo, in quo aservatur Tabernaculum SS. Sacramenti, ut infra.

XIII. Item in omnibus consecrationibus, & benedictionibus, præcipue dum dicuntur Litanæ, præparatur faldistorium. Sicut in Synodo, in omni Sermone, in benedictione primarii Lapidis, in consecratione Ecclesiæ, vel Coemeterii, in reconciliatione poenitentium, faldistorium adhibetur ante fores Ecclesiæ, & ubi notatur in Pontificali dicemus infra, quando parandum est faldistorium ad medium altaris in plano ad Missam fericæ privilegiatæ, ad Orationes, & Postcommunionem, & alia.

#### ARTICULUS XV.

##### *De Scutiferis, seu familiaribus Episcopi.*

I. **H**I assistere debent decenter induti Clericali habitu, ergo & veste talarî, ex Cær. Ep. l. r. c. 11. non autem brevi habitu, nec cum calcaribus, & armis; nec induti esse debent ad modum laicorum diverso colore, sed tamen sine cottis, ut ibidem præcipitur; & regularitur ad credentiam stant semper inter eam, & parietem, & nudo capite, facie ad Episcopum conversa; nec inde discedunt, nisi quando Episcopum exiunt, & calceant communibus indumentis,

& calceamentis. Ad minus duo, & ad summum quatuor assistere debent, ut idem Cæremoniale; & serviunt ad lotionem manuum Episcopi, incipiendo à junioribus, unusquisque per ordinem vice sua. Quater enim Episcopus in Missa solemni lavat manus, primò sedens, antequam capiat paramenta, deposita cappa, & tecto capite; secundo post Offertorium in sua sede cum Mitra, sedens; tertio post incensationem Oblatorum ad altare cum Mitra; quartò post Communionem stando, & cum Mitra.

II. Si celebrans esset S. R. E. Cardinalis, vel Archiepiscopus, vel etiam Episcopus aliquis insignis, possent ad hujusmodi ministerium lotionis manuum ipsius celebrantis invitari aliqui ex Magistratibus, vel ex proceribus, & nobilioribus civitatis; qui tunc ipsi, non Scutiferi, velo serico circum spatulas extenso, duas argenteas lances, seu fontes, si commodum erit, cum aqua odorifera, & alia communi, ejusdem veli extremitate coopertos, suo tempore ministrent, præunte clavigero, seu Mazzerio cum clava argentea, si sit Cardinalis; quo casu convenit etiam prægustationem dictæ aquæ fieri prius ad Abacum à ministris, vel scutiferis, illam ipsis nobilibus exhibentibus. Omnesque prædicti, sive ex familiaribus Episcopi, sive ex nobilibus civitatis sint, eundo, & redeundo genuflectunt usque ad terram ante altare, & Episcopum; sed præfente Legato, Cardinali, vel Metropolitanò, non ita profundè ante Episcopum genuflectunt. Qui verò sunt de Magistratu, vel Nobilioribus civitatis, sedere debent in loco pro ipsis deputato, unde suo tempore à Cæremoniarario vocabuntur, & associabuntur euntes, & redeuntes; non verò stare debent ad credentiam.

III. Advertant autem, ne aquam lotionis in terram projiciant, sed in pelvi propè credentiam ad id præparata effundant.

IV. Non debent isti ministrare mappam ad extergendas manus Episcopi, ut non rectè quidam; sed semper, aut Presbyter assistens, aut alii Clerici id præstare debent, ut infra suis locis explicatur; nec valet in his consuetudo, tam expressè contra Cæremoniale.

V. Si adsint nobiles, facta genuflexione Episcopo ante pedes ejus genuflexi supposita lan-

lance aquam infundunt. Si familiares, dextera manu tenent urceum, sinistra lanceam, & genuflexi parum aquæ super labium calicis infundunt, eamque præfente Episcopo degustant; tum supposita lance, aquam super manus Episcopi infundunt; & detractis priùs Chirothecis à Diaconis, & annulis cum annulo Pontificali à Presbytero assistente, si adsit, lavat manus, & interim duo Capellani genuflexi, & omnes alii non Canonici, hinc inde mappam tenent sub lance pro tergendis manibus Episcopi, nisi Presbyter assistens ministrat prædictam mappam. In Car. enim Ep. præscribitur aliquando, ut Presbyter assistens ministret manutergium, alibi autem præscribitur, ut Clerici alii illud ministrent. Curam etiam habere debent discalceandi Episcopum calceis communibus ante Missam, & eum calceandi post eam, & calceamenta debent in loco congruo servare.

## C A P U T XII.

*De Ornatu Ecclesie, & preparandis in ea ante adventum Episcopi.*

**I.** IN ornatu Ecclesie habenda est ratio temporis, loci, ac personarum. Decet enim, ut in diebus festis splendidior appareat, quàm in aliis, & eò magis, quò dies isti sunt solemniores. Unde major est adhibenda cura in ornatu Ecclesie Cathedralis, aut Collegiatæ, quæ numerosiorem habet clerum, populum, & suppellectilem ampliorem quæve congruè situata, & suis partibus aptè distincta, commodiorem ornandi habeat facultatem.

**II.** Personarum etiam, quæ ad Ecclesias conveniunt, & divinis Officiis præfunt, aut interfunt, dignitas, prout erit, major, vel minor, majorem, minoremve apparatus exposcit.

**III.** Si ergo festivitas sit ex majoribus, illius Ecclesie valvæ à parte exteriori ornandæ sunt floribus, ramis, & frondibus virentibus, bracteolis, ac fasciis diversi coloris, appensis, vel colligatis, quò splendidius pro locorum more fieri poterit: & supra portæ superliminare, imago Sancti, vel Sanctorum, quorum dies agitur, pariter ornata, & sub ea insignia Summi Pont. Legati, Cardi-

nalium, aut Nuntii Apostolici, Episcopi, Reipublicæ, Principis, aut civitatis, prohibito ponentur, servato ordine Dignitatis; non verò inferiorum insignia, maxime laicorum, sunt apponenda.

**IV.** Si Ecclesia habeat porticum, decet illam pannis pulchris ex honesta materia confectis exornari; in quibus tamen non sint imagines profanæ; quod semper observandum est, & maxime ut non ponantur ibidem ullæ effigies, nisi Sanctorum, vel Summorum Pontificum.

**V.** Intùs quoque, si fieri potest, parietes Ecclesie aulais, tribunæ verò holosericis, coloris cæterorum paramentorum, pro qualitate festi.

**VI.** In primis verò sedes Episcopalis aliquantò etiam pulchrioribus indumentis ornatur, coloris festo convenientis. Similiter & sedes Legati Apostolici, aut Cardinalis, qui fortè Officio interesse debet.

**VII.** Subsellia item pro Prælatibus, Canonicis, Magistratu, & aliis Magnatibus laicis, pro locorum laudabili more.

**VIII.** Parantur etiam duo faldistoria, ut supra capite præcedenti art. 14. unum ad Altare Sanctissimi Sacramenti, aliud ad majus Altare. Nam majus Altare debet esse diversum ab eo Altari, ubi est SS. Sacramenti Tabernaculum.

**IX.** Quia licet SS. Sacramento, omnium Sacramentorum fonti, nobilissimus locus in Ecclesia conveniat, neque illud venerari unquam valeamus, quantum decet; tamen convenit, ut illud non collocetur in majori Altari, vel in alio, in quo Episcopus, vel alius celebrare debet Vesperas, aut Missam solemniter; sed in alio Sacello, vel loco ornatissimo reponatur.

**X.** Quòd si in majori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperitur, ab eo Altari omninò transferendum est, ne propterea ritus, & ordo Cæremoniarum inturbetur; quod eveniret certè, si ibi remaneret; nam nec Altaris thurificatio, nec celebrantis actio, nec Ministrorum, ritè fieri, aut servari possent, cum necesse sit, quoties ante illud transimus, genua ad terram flectere, nec deceat Celebrantem ante illud stare, aut sedere cum Mitra.

**XI.** Quòd si aliquando contingeret coram Episcopo celebrari, vel per ipsum Episcopo

scopum existente SS. Sacramento super Altare, ut feria 5. in Cœna Domini, & aliis diebus, vel cum ponitur Oratio Quadraginta horarum, tunc omnes genuflexiones, ut jam supra diximus, ad unguem observari debent, & Episcopus numquam sedere, sed stare sine Mitra; & idèd non incongruè, sed maximè convenit, ut in ipso Altari non celebrentur Missæ, ut antiquitùs observatum esse videmus; aut saltem Sacerdos celebrans quascumque Missas, sive privatas, sive solemnes, jam explicatas observare debet genuflexiones.

XII. Ante ergo Sanctissimum Sacramentum Episcopus genuflectens, in plana terra priùs, tum super faldistorio ibidem parato, nudo capite, cum genuflectit, ut supra, orabit, antequam ad majus Altare se conferrat, & surgens, iterùm genuflectet in plana etiam terra, ut priùs. Deindè sumpta Mitra procedat ad majus Altare, ad quod profundè se inclinabit Cruci; tum genuflectet, auferetur ei Mitra, & orabit; deindè surgens imponetur ei, factaque reverentia, ad sedem se recipiet.

XIII. Faldistorium quoque, si Episcopus eo uti debet, parari, & locari debet. De quo supra, capite de Ministro de faldistorio, diximus.

XIV. Ipsum autem Altare majus in festivitatis solemniis, aut Episcopo celebrato, quò splendidiùs poterit, pro temporum tamen varietate, & exigentia ornabitur; & si à pariete disjunctum sit, circumquaque apponentur pallia pulchra coloris convenientis, eaque sectis, quadratisque lignis, quæ Telaria vocantur, munita, ut explicata decentiùs conspiciantur. Tum supernæ lineæ mappæ mundæ saltem tres explicentur, quæ totam Altaris planitiem, & latera contegant. Nullæ autem coronides lignæ circa angulos Altaris ducantur, sed loco earum apponi possunt fasciæ ex auro, vel serico laboratæ, quibus ipsa Altaris facies aptè redimita ornatior appareat.

XV. Supra verò in planitie Altaris adsint sex candelabra argentea, si haberi possint, sin minus ex aurichalco, aut cupro aurato pulchrè elaborata, & aliquantò altiora, & spectabiliora his, quæ cæteris diebus apponi solent, non festivis; & super illa sex cerei: in quorum medio locabitur Crux ex eodem metallo, & opere, præalta, itaut pes Cru-

cis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, & Crux ipsa tota candelabris superemineat; unde si non sit ita alta, apponi debet pes argenteus, aut alterius materiæ, super quem apponatur, cum imagine Crucifixi versa ad faciem anteriorem Altaris, ad cujus pedem apponatur tabella, quam Secretarum vocant.

XVI. Ipsa candelabra non sint omninò inter se æqualia, sed paulatim quasi per gradus ab utroque Altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint hinc inde immediatè à lateribus Crucis posita.

XVII. Celebrante verò Episcopo Missam tantùm, & non alia Officia, candelabra septem super Altare ponuntur, non tamen in Missis Defunctorum; quo casu Crux non erit in medio eorum, sed ante altius candelabrum in medio cæterorum positum locabitur, à quibus lateribus, si haberentur, Reliquiæ Sanctorum, vel Sanctorum imagines argenteæ, seu ex alia materia staturæ competentis, congruè apponi possent. Quæ quidem Sacræ Reliquiæ, vel imagines, cum sex tantùm candelabra erunt super Altare, disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra, modò ipsa Altaris dispositio id patiat; sed & vascula cum flosculis, frondibusque odoriferis, seu contextis serico, stудиòse ornata, adhiberi poterunt.

XVIII. Quòd si Altare parieti adhæreat, applicari poterit ipsi parieti super Altare pannus aliquis cæteris nobilior, ubi intextæ sint Domini Nostri Jesu Christi, aut B. M. vel SS. imagines, nisi jam essent in ipso pariete depictæ.

XIX. Supra verò in altum appendatur Baldachinum, formæ quadratæ, cooperiens Altare, & ipsius scabellum Altaris, coloris convenientis. Quod etiam statuentium erit, licèt sit à pariete disjunctum, nec supra habeat aliquod Ciborium, seu Tabernaculum ex lapide, aut ex marmore confectum. Quòd si tale ciborium adsit, non est opus umbraculo, modò ornatur floribus, aut aliis rebus.

XX. Cum autem Episcopus celebraturus erit Missam solemnem, super illud Altare ponentur paramenta ordine retrogrado: videlicet, annulus inclusus in aliqua capsula seorsim ab aliis; Planeta, cujus posterior pars mappæ Altaris sit contigua; Chirothecæ

in aliqua pelvicula, si fieri potest, ut supra; Dalmatica, & Tunicella, quarum partes posterioræ earum sint subtus; Stola, Crux pectoralis seorsim etiam in aliqua capsula; cingulum, alba, cujus etiam pars posterior fit subtus, & amictus; manipulus verò ad partem ibidem ponetur, vel includetur in libro Evangeliorum, itaut extremitates illius sint extrailum, & replicentur ad partem superiorem ipsius libri.

XXI. Sed in Ecclesiis, ubi esset Secretarium, quod decet, sive locus alter à Presbyterio, ubi Episcopus paretur, post paramenta prædicta possunt ibidem præparari, eo modo quo supra, non autem super Altari, ut suo loco dicetur.

XXII. Missale verò, & libri Evangeliorum, & Epistolarum tecti serico ejusdem colofis, quo alia paramenta, nisi eorum opercula sint argentea, aut alterius prætiosæ materiæ, cum pulvino ex eodem serico, & colore, super gradu Altaris, sub cornu Epistolæ ponuntur.

XXIII. Gradus omnes Altaris cooperiantur aliquo amplo, & pulchro tapete, ut si fieri potest, sint magis ornati, & conspicui, quàm reliqua pars Presbyterii, quæ pannis viridibus contegitur.

XXIV. Si verò talis tapes haberi non possit ita capax, saltem scabellum, seu suppedaneum quod est proximum Altari, sit aliquo tapete coopertum.

XXV. Locus pariter, qui in plerisque Ecclesiis sub Altari majori esse solet, ubi SS. Martyrum corpora requiescunt, qui *martyrium*, seu *confessio* appellatur, debet ornamento convenienti decorari, scilicet floribus, pannis, & aliis.

XXVI. Cætera Altaria per Ecclesiam pariter palliis cum coloribus decentibus ornentur, absque coronide, & cum fascia, ut supra dictum est de majori; & habeant quælibet duo candelabra cum cereis, & in medio Cruce cum imagine Crucifixi argentæam, vel ex alio metallo, aut cupro aurato, eorumque scabella, si fieri possit, tapetibus, vel saltem pannis operiantur.

XXVII. Altare verò, & locus, ubi est repositum Sanctissimum Sacramentum, præ cæteris sumptuosius, ac nitidius ornandum est. Lampades quoque ardentes numero impari in Ecclesiis, tum ad cultum, & orna-

tum, tum ad mysticum sensum, ut & multa ex superius allatis pertinent. Hæ verò sunt in primis adhibendæ ante Altare, vel locum ubi asservatur Sanctissimum Sacramentum, & ante Altare majus; quibus in locis lampadarios pensiles esse decet plures sustinentes lampades, ex quibus, qui ante Altare majus erit, tres ad minus; qui ante Sacramentum, saltem quinque lucernas habeat. Ante verò reliqua singula Altaria, singulæ possunt lampades accendi; quæ quidem in præcipuis festis, dum Vesperæ, & Missa solemniter decantantur, continuè ardeant. Ante Sanctissimum Sacramentum, si non omnes, ad minus tres accensæ tota die maneant. Vide quæ i. p. de Sacrista diximus.

XXVIII. Sed & ante locum confessionis supradictæ, ubi consuetudo est lampadem ardere, servanda est. Possunt etiam in Altari majori, vel aliis, quæ habent ciboria, circumcirca lampades accendi.

XXIX. Ambones, ubi Epistolæ, & Evangelia decantari solent, si qui erunt, nec non & pulpitum, ubi sermo, vel concio haberi solent, convenit, ut pannis sericeis ejusdem coloris ornentur, ita tamen, ut locus Evangelii pulchrius præparetur.

XXX. Restat ut de mensa, seu Abaco, vel credentia dicamus pauca. Ea verò in Missis tantum solemnibus præparari solet à latere Epistolæ in plano Presbyterii, si loci dispositio patiat, atque à pariete parumper disjuncta, itaut inter illam, & parietem stare possint familiares, seu Scutiferi Episcopi supradicti, nisi ubi propter loci angustiam id fieri non possit; quo casu fiet prout melius poterit.

XXXI. Mensura ejus regulariter erit palmorum octo in longitudine, in latitudine quatuor, vel circa, in altitudine quinque, vel modicum ultra, lineoque mundo mantilli super strato, usque ad terram circumcirca pendenti, contegitur.

XXXII. Super eam ponentur duo candelabra cum duobus cereis albis, altitudinis, & formæ, prout duo minora ex iis quæ sunt super Altare, & in ipsius medio calix cum patena, palla, purificatorio, & bursa corporalia continens, atque ibi proximè Hostiaria cum Hostiis, & pelvicula cum ampullis vini, & aquæ; eaque omnia coope-

riantur velo pulchro, quo utetur postea Subdiaconus cum Patenam tenebit.

XXXIII. Item super eam deponetur Mitra pretiosa, vel auriphrygiata, & altera simplex cum bireto parvo, quod Mitra supponitur, & vocatur propterea submitrale; nec non velum pro Capellano de Mitra, bacile, & buccale argentea, cum aqua pro manuum lotionem, quatuor mappulæ ad tergendas manus, thuribulum cum navicula, cochleari, & thure, ut alias diximus; gremiale, caligæ, & sandalia in aliqua pelvi posita; liber pro Psalmis legendis, ac denique omnia, quæ usui esse possunt Celebranti, præter paramenta, Missalia, quæ super Altare, vel in Secretario ponuntur, ut supra diximus, & baculum pastoralem, qui manu Ministri ad id constituti tenebitur.

XXXIV. Si verò Celebrans parat se in Secretario, & ibi dicit Tertiam, super credentiam, quæ ibi præparata est, non ponentur nisi Caligæ, & sandalia, ac Mitra; & quædam alia, quæ spectant ad Episcopum, dum ibi paratur, ut infra dicitur.

XXXV. Vasa quoque argentea, ampla, & magnifica, si habeantur, possunt adhiberi, maximè celebrante aliquo S. R. E. Cardinale: sed neque Crux, neque Sanctorum imagines adhiberi possunt in ea.

XXXVI. Propè mensam paratur ignis, ut supra diximus, in loco remoto à conspectu populi. Item funalia in eo loco etiam, ex cera alba, ad minus quatuor, & ad summum octo, pro elevatione Sanctissimi Sacramenti. Item sex, & ad summum septem alia funalia poni possunt in loco alto in frontispicio tribunæ, maximè si sit Cardinalis, & locus sit aptus.

XXXVII. Hæc, ut diximus, observanda sunt in solemnioribus festis, ac celebrante Episcopo; plus autem, vel minus, pro celebrantis qualitate. Non celebrante Episcopo, sed præsentem, simpliciori ornatu erit agendum.

XXXVIII. In Collegiatis Ecclesiis, eadem circa ornatum observantur, exceptis iis, quæ sunt Episcoporum propria, ubi scilicet nec Episcopus celebrat, nec præsentem est. Paramenta verò in Sacrificia parari

convenit. Mensa, vel nulla, vel multò brevior, & remissior est adhibenda, cum pauca sint in ea imponenda, nempe pellicula cum urceolis vini, & aquæ, calix cum bursa, & corporalibus, & quandoque alia pro celebrantis usu, & necessitate, ut diximus de Missa solemni par. 3. Pro sede satis erit scamnum oblongum tectum aliquo tapete, aut panno viridi, aptari à latere Epistolæ, in quo Celebrans sedeat cum Ministris sacris.

XXXIX. In majoribus solemnitatibus, quæ ubique per annum occurrunt, videlicet Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes, eadem erunt servanda, nisi quòd valvæ, porticus, & parietes Ecclesiæ non ornantur regulariter. Sed si in aliquibus Ecclesiis consuetudo esset ornandi, erit retinenda, cum semper circa majorem ornatum sit laudabilis.

XL. Id tamen in hujusmodi festis non omittatur, ut saltem tribuna, altare majus, & alia minora, sedes Episcopalis, Abacus, & ambones eadem forma ornentur.

XLI. Dominicis, & aliis festis de præcepto, in ornatu Altarium, & sedis Episcopalis, sedium Canonicorum, & aliorum, eadem, sed aliquandò parcius, fieri debent, videlicet, ut paramenta non sint ita sumptuosa, sed coloris convenientis; sed tamen omninò pretiosiora illis, quæ festis duplicibus minoribus, semiduplicibus, & Octavis, feriis Quadragesimæ, & Adventus, Quatuor Temporum, & Vigiliarum adhibentur; quibus quidem diebus sufficiunt in altari quatuor candelabra, sed in festis simplicibus, & feriis per annum duo. Eadem respectivè & in Collegiatis observantur.

XLII. Erit autem valdè opportunum, ubi fieri possit, præsertim in Ecclesiis majoribus, & opulentioribus, si constitutur Minister aliquis, cui curæ sit, ut Ecclesia continuè ab omni parte munda sit, ut alias diximus i. p. c. i. art. 1. 2. & c. 2. art. 1. & 2.

C A P U T XIII.

De Sedibus Episcopi, Legati, Cardinalium, Prælatorumque, nec non Principum, Magistratum, virorumque illustrium, in Ecclesia collocandis.

I. Sedes Episcopi vario modo collocatur pro diverso situ Altarium, apud quæ statui debet. Nam Altare, aut est in medio Ecclesiæ sub tribuna, ut in Ecclesia Sancti Petri Romæ, & multis aliis, à pariete disjunctum, ita ut in spatio illo constitutus sit chorus; & tunc sedes Episcopalis è regione altaris parieti applicabitur, ut Episcopus in ea sedens respiciat directè Crucem in medio altaris positam, habeatque hinc inde sedilia Canonicorum.

II. Si verò chorus sit in medio Ecclesiæ, & Altare adhæreat parieti, ut ferè in omnibus Ecclesiis Galliæ nostræ, vel ab eo sit modico intervallo separatum, ipsa sedes Episcopalis erit collocanda à parte Evangelii, ut in Capella Sanctissimi, & jam in multis Ecclesiis.

III. Utroque autem casu tribus gradibus ascendatur, qui pannis, aut tapetibus tegantur. Forma sedis sit præalta, & sublimis, sive ex ligno, sive ex marmore, aut alterius materiæ, in modum Cathedræ, & throni immobilis, quales in multis Ecclesiis antiquis vidimus: non sit verò in modum pulpiti, in quo solent Concionatores sermonem habere; hoc enim valdè incommodum videtur, cum in eo casu Ministri Episcopi munia sua exercere commodè non possint circa eum. Construatur ergo tali forma, ut quasi undequaque Episcopus videri possit totus: debet autem tegi aliquo panno serico coloris convenientis, non tamen auro, nisi sit Cardinalis; & super eam baldachinum ejusdem coloris appendatur, modò sit super altare aliud simile, vel sumptuosius; nisi sit super altare ciborium prædictum, quod eo casu sufficit.

IV. Hujusmodi sede utitur ad Vesperas, & Missas solemnes. Cum verò Missis non solemnibus, aut Matutinis, aut alius Episcopus assistit, si fuerit chorus in medio ante altare, poterit in alia sede ad id parata

sedere, secundum morem locorum, sive longius, sive propius ab Altari distet; & certè convenit, ut sedeat propius Altare ad partem Evangelii, si velit.

V. At ubi Altare adhæret parieti, & chorus sit sub tribuna, poterit semper in folio residere, sive in Officiis solemnibus, sive non.

VI. Si fortè Legatus de Latere, & quivis alius Cardinalis Officio divino interfit, convenit ei sedes prædicta; Episcopus verò si celebret, sedebit in faldistorio ad cornu Epistolæ, ut supra; at si non celebret, & chorus sit sub tribuna, in digniore parte chori sedebit.

VII. Quòd si Episcopus sit etiam Cardinalis, & Legatus præsens haberet sedem à latere Evangelii, eo casu Episcopus Cardinalis non celebrans, in eodem loco, & plano, & sedibus æqualibus propè Legatum federet; si verò celebrat, in faldistorio decentissimè ornato sedet.

VIII. Eodem quoque modo sedebunt plures Cardinales, modò Cardinalis Episcopus istius Ecclesiæ sit omnium postremus, etiam si esset ex antiquioribus, imò si esset Decanus Sacri Collegii Cardinalium. Ita Paris Crassus, & praxis. Si tamen ipse esset Legatus, federet ante omnes.

IX. Si verò Legatus esset in sede Episcopali sub tribuna, sedebunt omnes Cardinales propè Legatum. Ipse autem simplex Episcopus, vel ex opposito in sede humiliori, vel in digniore parte chori, aut in faldistorio, ut dictum est de quolibet Cardinali præsentem, pro diversitate situs chori, & Episcopi celebrantis, vel non celebrantis.

X. Quòd si Episcopus sit Cardinalis, & plures intersint Cardinales, poterunt omnes ab eadem parte Evangelii, ubi solet esse sedes Episcopalis, sedere in sedibus æqualibus, vel in digniore parte chori, quando est sub tribuna, modò Cardinalis Episcopus sit omnium postremus, qui Episcopalia munia remittat exercenda Cardinali præsentem, vel si plures sint, priori in ordine. Quæ si Cardinalis præsens facere recusaverit, poterit Episcopus Cardinalis prædicta munia vel remittere ad celebrantem, vel ipse exercere; at in fine, quando benedictionem solemnem est daturus, accedere ad altare, & ibi benedicere.

XI. Metropolitanus absente Cardinale habebit sedem aliam ex opposito in cornu Epistolæ, similiter ornatam, ut sedes Episcopalis.

XII. Alii verò Episcopi hospites sedebunt in digniori loco post Episcopum Diocesanus supra omnes Canonicos. Abbates benedicti, habentes usum Mitræ, & baculi, habebunt locum conducentem pro iudicio, & providentia Episcopi; modo non suprâ, nec inter Canonicos; servata tamen consuetudine locorum, & diversarum Ecclesiarum, in quibus Abbates privilegiis diversis gaudent; non enim Cæremionale Episcoporum tollit Ecclesiarum consuetudines laudabiles, ut sæpè decretum fuit à Sac. Congreg. Rituum. Nam in Gallia, & aliis Nationibus, aliqui Abbates habent locum inter Canonicos, & multi ex iis sunt etiam Canonici.

XIII. Nuntii Apostolici habentes in eo loco facultatem Legati à Latere sedebunt in alia sede ornata, prout de Metropolitanò dictum est, non tamen in sede propria Episcopi; & habebunt honores ante Episcopum non celebrantem. Alii verò Nuntii Apostolici non Legati de latere, vel habentes facultatem talem, sed non in eo loco, & dum sunt in itinere, sedebunt in digniore chori sede, & habebunt honores post Episcopum proprium, sed ante omnes Prothonotarios, & Canonicos.

XIV. Vistator Apostolicus, si sit Episcopus, habebit sedem, sicut Nuntius non Legatus. Nisi talis Nuntius esset præfens, cui tunc cedit, sedens post eum.

XV. Vicario Generali datur locus consuetus: Prothonotarii Apostolici non participantes post Abbates; participantes verò præcedunt Abbates. Post Prothonotarios Generales Ordinum, deinde alii Prælati Apostolici.

XVI. Sedes autem pro Nobilibus, atque illustribus viris Laicis, Magistratibus, ac Principibus, quantumlibet magnis, & excelsis, plus, minusve pro cuiusvis dignitate ornatas; decet extra chorum, & Presbyterium collocari, juxta Sacrorum Canonum præscriptum, laudabilisque antiquæ disciplinæ documenta, jam inde ab exordiis Christianæ Religionis introductæ, ac longo tempore observatæ.

## C A P U T XIV.

*De usu umbraculi, seu Baldachini.*

I. **U** mbraculum duplex est, unum de quo suprâ capite præcedenti, aliud quod supra Episcopum, ac res sacras in Processionibus gestari consuetum est, sex vel octo hastis sublevatum, aut etiam quatuor; quæ quidem per nobiles laicos deferri solent, ita ut cum via est longior, qua procedendum est, primo loco viri illustriores eas deferant, quæ ante Episcopum gradatim primæ conspiciuntur.

II. Ordo eas gestandi descriptus est FERIA y. in Cœna Domini suprâ p. 4. Si via sit longior, distribuendum erit onus ferendi hastas cæteris civibus, & nobilibus civitatis, seu Officialibus, vel Sodalitatibus, aut aliis pro locorum consuetudine, Episcopi iudicio moderanda, ubi opus videbitur, ne rixæ, aut contentiones inde oriantur.

III. Quòd si inter digniores plures esset contentio, aded ut omnibus his primo loco hastæ baldachini dari requirent, relinquuntur his ultimus locus, id est, ubi Processio jam pervenit ad Ecclesiam, ad quam dirigitur, talis enim locus reputatur primo æqualis.

IV. Notandum insuper, ut cum SS. Sacramentum in Processione sub Baldachino deferretur, primo loco deferant hastas Sacerdotes digniores de Capitulo, sive sint Dignitates, sive Canonici, sive sint parati, sive non, prout Processio fit cum paramentis, vel sine eis, ut in Capitulo de Processionibus dicitur.

## C A P U T XV.

*De habitu Ecclesiastico Episcopi, & Canonico-  
rum, & de accessu ad Ecclesiam,  
& reditu eorundem.*

I. **C** Um Episcopus rei divinæ peragenda causa venturus est ad Ecclesiam, sive ipse sit celebraturus, seu alter, debent omnes Canonici in eorum habitu Canonicali, appropinquante hora, ad illum accedere; eumque cappa indutum, ex ea aula, sive camera, quam ad hoc destinaverit, ad Ecclesiam progredientem comitari.

II. Præ-

II. Præibunt familiares Episcopi, Magistratus postea, si aderint, aut alii Nobiles immediatè ante Episcopum: tum ipse Episcopus, deindè Canonici bini, juxta antiquam disciplinam. Quòd si fuerit Archiepiscopus, aut alius utens Cruce, ipsa Crux immediatè semper, & quocumque casu, ante Archiepiscopum per aliquem Capellandum deferetur, imagine Crucifixi versa ad ipsum Archiepiscopum, ita ut nullus omnino incedat inter eam, & Archiepiscopum; est enim insigne ipsius.

III. Eo ordine procedent usque ad portam primariam Ecclesiæ, ubi dignior ex Capitulo porriget Episcopum aspersorium cum debitis osculis, quod prius accepit à Ministro. Episcopus asperget se primò nudo capite; tum Canonicos, & alios circumstantes, incipiendo à dignioribus. Et si fortè quilibet Cardinalis S. R. E. Legatus, vel non Legatus, venturus esset ad Ecclesiam, & rei divinæ interfuturus, Episcopus ei obviam ire debet usque ad portam prædictam, & aspersorium à digniore porrectum illi cum debitis osculis, tradit ipsi Legato, osculando illud, & manum ejus, qui se, & alios asperget; & tunc Canonici se profundè inclinant, alii verò genuflectunt. Interim (nisi celebretur pro mortuis) & diebus ferialibus, campanæ Ecclesiæ pulsantur, & in festis solemnibus etiam organa.

IV. Mox perget Episcopus ad Altare SS. Sacramenti, ubi genuflexus super pulvino, aut genuflexorio, ut supra, orabit, facta prius genuflexione in plana terra absque pulvino; & similiter idem faciet in discessu ob reverentiam SS. Sacramenti; tum accedet ante Altare majus, ubi eodem modo orabit, ut supra.

V. Si fuerit festus, solemnisque dies, & ipsemet Episcopus Vesperas sit celebraturus, dum genuflexus orabit ante Altare majus, vel aliud, ad quod Vesperæ celebrandæ sunt, poterit in genuflexione tantisper morari, dum Canonici capiunt, stantes post Episcopum, paramenta sua sacra ad eos allata, vel ibidem prius præparata, videlicet illi, qui habent Dignitates, Pluvialia, Presbyteri Planetas, Diaconi, & Subdiaconi Dalmaticas, & Tunicellas coloris convenientis, acceptis prius ab iisdem Canonici, & circa collum compositis amictibus. Sed si haberi non possunt paramenta pro omnibus, sal-

tem quatuor, aut sex primi, & digniores habeant Pluvialia; Episcopus autem capiet paramenta in sede sua.

VI. Cum verò Episcopus Missam solemnem celebraturus erit, & paramenta in Secretario sumpturus, postquam fuerit ingressus Ecclesiam, & ante SS. Sacramentum tantum oraverit, non ante aliud Altare; ibit recta ad Secretarium, vel alium locum paramentum intra Ecclesiam, & ibi induet paramenta pro ipso præparata, recitando solitos Psalmos, & alia, stantibus in gyrum, vel sedentibus Canonicis, jam alio loco paratis, prout Episcopus interim stabit, vel sedebit; quo tempore ipsi, vel Musici cantabunt Tertiam, ut infra dicitur.

VII. Deindè finita Tertia, & parato Episcopo, procedetur ad Altare processionali ritu, quo casu Canonici parati antecedunt Episcopum immediatè; Crux verò Capituli deferretur per alium Subdiaconum paratum Tunicella inter duos Ceroferos, præeunte Thuriferario cum turibulo, & navicula ante omnes beneficiatos, & alios de Choro ejus Ecclesiæ.

VIII. Sed si celebrans erit Archiepiscopus, Crux Archiepiscopalis deferretur per Subdiaconum, ut supra, ante Canonicos tantum paratos, non autem ante alios de Clero, imagine Crucifixi ad Archiepiscopum conversa.

IX. Idèd autem Canonici parati antecedunt Episcopo, quia itur sacra Processione; secus quando non sunt parati, nec Episcopus procedit cum Pluviali, & Mitra, vel cum Planeta, sed tantum cum cappa; tunc enim debet ipse præire, Canonici verò subsequi, quia non est Processio sacra.

X. Valdè tamen probandum esset, si in solemnioribus festivitatibus Episcopus etiam non celebraturus procederet ad Ecclesiam; & tam Vesperis, quam Missæ interesset amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, Pluviali, & Mitra paratus.

XI. In redeundo idem ordo servatur, non tamen in sacris paramentis, quæ statim deponuntur à Canonicis, expletis Vesperis, aut Missa, ibidem in Choro.

XII. In Ecclesiis Collegiatis Canonici in eorum habitu Canonicali ad Vesperas diebus solemnioribus (ut decrevit Sacra Congreg. Rituum, ex Gavanto in suo Manua-



li) procedent è Sacrificiis bini, præcedentibus Ceroferañs, & aliis de Capitulo, ultimò Celebrans Pluviali paratus coloris convenientis, & ante eum quatuor, aut sex Pluvialibus parati, ut supra diximus ad Vesperas.

XIII. Ad Missam eodem ordine proceditur, nisi quòd Celebrantem paratum planetam, præcedunt Diaconus, & Subdiaconus parati, vel Dalmaticis, vel Planetis plicatis, ut aliàs diximus, coloris convenientis, manibus junctis; nec alii præter ipsos sint parati.

XIV. Dominicis verò diebus, quia fit aspersio aquæ benedictæ, opportunè Celebrans procedet Pluviali indutus inter Ministros sacros; qui postea facta aspersione, & dicta Oratione, deposito Pluviali, accipiet manipulum, & planetam, & incipiet Missam. Calix verò cum patena, & alia necessaria præparentur super credentiam.

## C A P U T XVI.

### De Pallio, & ejus usu.

**I**N tradendo Pallio extra Romanam Curiam, consuetudo inmemorabilis est, ut Summus Pontifex uni, aut duobus Episcopis committat illius traditionem; qui statuta die debent convenire cum ipso Electo, cui Pallium est tradendum, in Ecclesia Metropolitana, vel in alia suæ Provinciæ magis commoda, nisi necessitas aliud suadeat; ubi Missa celebranda erit, & post Communionem Celebrantis ponetur Pallium extensum serico coopertum super Altare; ac finita Missa Episcopus, sive Commissarii induti amictu, stola, pluviali, & Mitra simplici, sedentes ante Altare super faldistoriis, aut aliis sedibus, juramentum fidelitatis nomine Sedis Apostolicæ accipient ab ipso Electo induto omnibus Pontificalibus paramentis, præter Chirothecas, & Mitram, nisi priùs illud præstitisse legitimè docuerit; juxta formam literarum Apostolicarum Sixti V.

II. Juramento præstito, surgit Episcopus, vel Episcopi cum Mitris, & accipiunt de Altari Pallium; quorum senior super humeros Electi ante se genuflexi illud imponet, dicens: *Ad honorem Omnipotentis Dei, &c.* ut in Pontificali habetur. Quo facto, surget Electus cum Pallio, ascendet ad Altare Cru-

cem ante se habens, & nudo capite populo benedicet, dicens: *Sit nomen Domini, &c.* Deindè dimissis paramentis in Ecclesia, omnes discedunt.

III. Pallio utitur Archiepiscopus in singulis Ecclesiis suæ Provinciæ, non autem extra eam; & tantum cum Missam solemnem celebrat, & etiam tantum præscriptis diebus, qui in privilegiis Ecclesiæ suæ Metropolitanæ exprimi solent.

IV. Quòd si non sint expressi, servetur communis consuetudo, quæ est, ut eo utatur diebus infra scriptis; videlicet, Nat. Domini Nostri Jesu Christi, SS. Stephani, Joannis Evangelistæ, Circumcisionis, & Epiphaniæ Domini, Dominica Palmarum, feria 5. in Coena Domini, Sabbato Sancto, Dominica Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus, Dominica in Albis, in festo Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, duodecim Apostolorum festivitibus; in festo Corporis Christi; in Assumptione, Nativitate, Purificatione, & Annunciatione B. M. in festo Omnium Sanctorum, in Dedicacionibus Ecclesiarum, in principalibus festis Ecclesiæ Metropolitanæ, in Ordinationibus Clericorum, in Consecrationibus Episcoporum & Virginum, in diebus anniversariis consecrationis Ecclesiæ principalis, & etiam ejusdem Archiepiscopi consecrationis.

V. Aliis autem diebus in privilegiis non expressis, vel inter dictos non comprehensis, uti non debet Pallio, etiam si solemniter celebret.

VI. Quando autem Pallium imponitur Archiepiscopo, semper imponitur super Planetam, ita ut pars duplex Pallii super sinistrum humerum ponatur. Modus illud ponendi præscribetur infra in Missa solemnè.

VII. Electi verò ad Patriarchales, & Metropolitanas Ecclesias, non ante Patriarchæ, aut Archiepiscopi appellari possunt, quàm Pallium receperint; sed nec translati de una Ecclesia Metropolitana ad aliam, uti possunt Pallio, quod pro prima Ecclesia acceperant nec Pallio sui prædecessoris defuncti, nec translati; sed opus est, ut iterum pro nova Ecclesia petatur, & habeatur novum Pallium; nec interim licet Electis Pontificalia munia exercere.

VIII. Post obitum debent Archiepiscopi cum Pallio sepeliri, modò sepeliantur in propria

pria Provincia, circa humeros super Planetam; si verò extra Provinciam, ponendum erit Pallium plicatum sub eorum capite.

IX. Curent igitur Archiepiscopi, ut diligenter, decenter, & honorificè Pallium istud, in quo est tanta antiquitatis veneratio, in capsula intus & extra pulchrè ornata conservetur.

## C A P U T XVII.

*De Mitra, & Baculo Pastoralis.*

**H**ic agendum esset de Mitra, & Baculo sicut Cær. Ep. l. i. c. 17. Sed quia capitibus de Ministris Baculi, & Mitræ, satis diximus de Baculo, & Mitra, & quando iis uti debet Episcopus: idèò videnda sunt prædicta capita, nec hìc immorari debemus.

## C A P U T XVIII.

*De reverentiis observandis ab Episcopo, Canonicis, & aliis, sive in Ecclesia, sive extra eam.*

I. **E**piscopus à quo cæteri exemplum sumunt, cum ingrediatur Ecclesiam nudo capite, sumpta aqua benedicta, ut suprà, procedit ad Altare SS. Sacramenti, ubi genuflexus orat, deinde ad Altare majus, ubi etiam, ut suprà diximus, orat.

II. Si Mitram habeat, deponit eam, dum orat, quam finita oratione resumit, & cum ea facit altari majori reverentiam cum inclinatione ante discessum; sed tamen ad altare SS. Sacramenti priùs genuflectit in plana terra, & postea Mitram sumit, & recedit: & cum incipit ascendere ad sedem suam, salutat levi capitis inclinatione Canonicos hinc inde stantes.

III. Ipsi verò Canonici cum pervenerint ad altare majus, profundè ei se inclinant tantum (si non est Tabernaculum SS. Sacramenti; nam ante illud genuflectunt, & orant sicut Episcopus,) & statim accedunt ad sua loca in choro, ubi etiam genuflectunt, & permanent orantes, quamdiù Episcopus orat; quo surgente, & ipsi surgunt, & cum Episcopus eos salutat, nudo capite profundè se inclinant; & regulariter Canonici Altari, & Episcopo profundè se inclinant; cæteri

verò de choro genuflectunt, quando directè transeunt ante Crucem, & Episcopum.

IV. Si quis Canonorum veniat in chorum Officio jam inchoato, oret genuflexus, ut diximus p. 2. initio neminem salutans. Idem observatur, si aliquis Prælatas, aut nobilis laicus inchoato Officio divino supervenerit; non enim priùs ad suum locum ibit, quàm fecerit genuflexus Orationem versùs altare, tum reverentiam Episcopo; & Canonicos, aliosque nobiles laicos, aut Magistratus suosque æquales capitis nutu salutaverit; & si quid recitetur in Missa, ad quod standum, ipse stans expectabit finem: & mox surgentibus iisdem Canonicis, & laicis, quos ipse salutaverit, ab eis resalutabitur, ut etiam suo loco diximus.

V. Beneficiatis verò qui non sunt Canonici, & aliis de Clero supervenientibus, ut suprà, facta Oratione, & debita reverentia Episcopo, & Canonicis, nulli ex Canonicis, aut Magistratibus, vel nobilibus supradictis assurgunt; sed tantum alii mansionarii, & alii Clerici eorum æquales, vel inferiores. Et qui solent gestare almutium, dum assurgunt, à scapulis ad brachia demittant.

VI. Illud quoque pro regula notandum est, ut æqualiter omnes prædicti, qui de eodem corpore sunt, cum sedendum erit, sedeant; cum verò surgendum, surgant. Sunt enim diversa corpora, seu chori ministrantium, dum divina res solemniter celebratur.

VII. Primus enim est Assistentium Episcopo. Secundus Canonorum in suis sedibus existentium. Tertius Magistratum, & nobilium laicorum. Quartus Beneficiatorum, & reliquorum Clericorum.

VIII. Cum ergo aliquis ex Assistentibus Episcopo surgit facturus aliquid ad officium suæ assistentiæ pertinens, pariter & alii consistentes, & Ministri circumstantes surgere debent, non tamen Episcopus; & sic stare, donec ille sedeat: nec idèò tunc reliqui Canonici in Choro sedentes, nec alii de choro surgunt, tamquam diversi Chori.

IX. Similiter aliquo ex Canonicis in choro residentibus surgente, ut aliquid faciat ad publicum, & commune chori officium spectans, putà cum intonatur Antiphona, aut aliquid simile, omnes alii Canonici, ac etiam beneficiati, & Clerici surgunt, præter prædictos qui Episcopo assistunt.

X. Inter laicos; verò, uno surgente ratione officii, ut cum datur illi incensum, aut pax, cæteri quoque surgunt; secus verò surgentibus aliis non sui ordinis.

XI. Si Episcopus non celebraret, sed aliquis suffraganeus, aut alius Episcopus, præfente ipso Episcopo, adhuc efficeretur alius chorus ministrantium celebranti, qui eandem regulam servaret quoad sedendum, & surgendum, prout de aliis dictum est. Vide quæ supra initio p. 2.

XII. Regula observanda est etiam, ut si plures in eodem loco adsint Prælati, ac etiam Cardinales, uni tantum ex ipsis, qui erit major, puta Legato, aut Cardinali celebranti reverentia exhibeatur.

XIII. Cum Episcopus celebrat, familiares, vel nobiles, qui ei ad lotionem manuum ministrant, genuflexi officium suum peragunt, nisi adestet Cardinalis, aut Metropolitanus, quo casu, ob reverentiam illius, non genuflexi, sed inclinati ministrant.

XIV. Et pari modo, si aliquis Suffraganeus, vel alius Episcopus celebraret præfente proprio Episcopo. Quoties autem offertur aliquid Episcopo, osculanda res est quæ offertur, & postea manus ejus, ut supra diximus, excepta Missa Defunctorum. Idem observatur erga alios Celebrantes.

## C A P U T XIX.

*De Ordine, & modo jungendi, ac elevandi manus per Episcopum, vel alterum; & quo modo se vertere debeat ad altare, vel faldistorium, vel è contrâ, & de osculatione altaris.*

I. **Q**UOAD modum jungendi, elevandi, & extendendi manus, satis diximus suo loco, agendo de Missa privata. Quod ad Episcopum spectat, cum sacris paratus vestibus procedit ad Missam, aut Vesperas, nisi baculum pastoralem habeat, semper junctis manibus eat. Interdum tamen illas disjungit, ut populo manu dextera benedicat, sinistra infra pectus posita; ac mox iterum jungit, easque sic junctas semper tenet, dum genuflexus orat, dumque ab altari ad sedem, vel à sede ad altare procedit.

II. Cum autem sederit, sive in sede, sive in faldistorio, paratus Planeta, palmas dif-

junctas apertas, super Gremiali hinc inde positas, quasi illud retinens, habebit.

III. Sed cum surgit dicturus, *Gloria in excelsis Deo, &c. Pax vobis*, seu *Dominus vobiscum*, vel *Credo in unum Deum*, & similia, eandem sic junctas tenens, cum ea verba incipit proferre, aliquantulum disjungit, & mox dum pronuntiat ultima verba ex prædictis, eas iterum jungit. Quomodo item dicere debeat prædicta versùs altare, & similia: Quomodo etiam se signare, & aliquid aliud, sive ad altare, sive extra, & alia exercere debeat circa Missam, declaratur in Rubr. Missalis.

IV. Quando verò, & quomodo vertere, & convertere se debeat; notandum est, ut quando Episcopus, vel Suffraganeus, aut alius Prælati celebrat apud faldistorium, prout occurrere potest, præfente Legato, vel alio Cardinali, aut etiam suo Metropolitanò ut alibi dictum fuit, tunc diversus modus observatur. Si altare sit sub tribuna, ita ut sedes Episcopalis sit è regione altaris, illius parietis adhærens, habens hinc inde Canonicos, eo casu Episcopus sedens in faldistorio terga vertit populo, & tunc surgens salutaturus populum, dicendo, *Pax vobis*, aut *Dominus vobiscum*, vertit se per latus suum dextrum versùs altare ad populum, & per idem latus revolvit se, stans facie versa ad altare, & cantat Orationes, seu legit quæ sunt legenda: idem facit dicturus, *Gloria in excelsis Deo*, vel *Credo*: id est, cum vertit se, convertit renes ad credentiam, eo modo quo alius Sacerdos convertit se ab altari ad populum.

V. Si verò altare adhæret parieti, & sedes Episcopalis sit à parte Evangelii, ut supra diximus suo loco, eo casu, quia Episcopus celebrans in faldistorio sedens habet faciem versùs populum, ut in Capella Sanctissimi; cum surgit, populum salutaturus, non vertit se, sed eo salutato, volvit se per latus suum sinistrum versùs altare, convertens renes ad illud, dum se vertit, & legit legenda ex libro.

VI. Hi autem modi vertendi, ac convertendi se apud faldistorium, secundum positiones diversas altaris, licet videantur inter se diversi, tamen in substantia non differunt; nam utroque casu id fit respectu altaris, quod primo casu supponitur esse ante faciem celebrantis, quod tamen non est: ideo cum se vertit ad populum, vertit se

se per latus suum dextrum, eo modo quo alius celebrans convertit se, dicitur, *Dominus vobiscum*, versus populum. Secundo vero casu, quia Celebrans sedet in faldistorio facie ad populum versa, præsupponitur vertere terga altari; idè salutato populo, vel cum dicitur est, *Gloria*, aut *Credo*, absque salutatione, vertit se ad faldistorium, quasi ad altare per latus suum sinistrum, prout faceret quisque Celebrans stans apud altare, qui celebrans regulariter vertit se ad populum per latus suum dextrum, & per idem latus se revolvit, quod revolvendo est sibi sinistrum; numquam enim facit circulum, nisi dicendo, *Orate fratres*, vel dando benedictionem.

VII. Denique dum Episcopus altare, aut aliud osculatur, nullam crucem manu designat, vel pollice. Et regulariter quando è sede, vel faldistorio accedit ad altare illud in medio osculatur.

## C A P U T XX.

*De libro tenendo apud Episcopum præsentem ad Vesperas, vel Missam, & non celebrantem; & quid ex eo legere debeat.*

I. CUM Episcopus est præsens Missis solemnibus, sive paratus, sive cum cappa, & non celebrat, habendus est propè eum liber Missalis, quem aliquis Minister, ut suprà, cotta indutus custodiet; & cum opus erit, eum supra caput apertum tenens ante Episcopum, offeret cum socio suo de candela tenente Bugiam cum candela defu- per accensa, licèt aer sit lucidus.

II. Ex hujusmodi libro leget: Primò Introitum stans. Secundo Epistolam, Graduale, & cætera usque ad Evangelium inclusivè sedens. Tertiò Offertorium stans. Quartò Communionem etiam stando, vel potiùs sedendo, postquam Chorus finierit cantare, *Agnus Dei*, & etiam purificatione per Celebrantem perfecta. Paris Crass. lib. 2. c. 34. Vel etiam potest legere Hymnum Angelicum, & Symbolum, si velit.

III. Si tamen interest Prælati Episcopo major, videlicet Cardinalis, aut Metropolitanus, tunc hujusmodi libro uti non debet.

Cum vero ipse Episcopus celebrat, omnia dicit, ut alius Sacerdos, sicut in Missali.

IV. In Vesperis autem Episcopus nihil ex libro legit, nisi Orationem, quam in fine Vesperarum decantat, ut dicitur suo loco.

## C A P U T XXI.

*De circulis intra Missam solemnem, quæ coram Episcopo celebratur, faciendis ante eundem Episcopum, qualiter, & quoties.*

I. QUANDO Episcopus capit paramenta in Secretario, vel alibi, ad Missam solemnem, vel ad Processionem iturus, Dignitates, & Canonici debent circa illum stare, dum capit paramenta, nudo capite; quos tamen semel, & iterum invitari ab Episcopo decet, ut caput tegant; cui illi reverenter obtemperant, se cooperiando.

II. Quo casu, dignior ex omnibus, tam Dignitatibus, quàm Canonice, stare debet à sinistris Episcopi, & alii per ordinem apud illum, facientes circulum, usque ad ultimum, qui versùs dexteram Episcopi stare debet; quod ita fiet, ut facilius sit exitus, cum ultimi qui ad dexteram stant, debeant esse primi exeundo de dicto loco; aliàs regulariter digniores semper à dextris Episcopi stare debent, ut in Missa, in qua non fit Processio.

III. In Missa quoque solemnè, quæ non ab Episcopo celebratur, quater fiunt circuli. Primò, quando Episcopus stans dicit Introitum, *Kyrie*, & successivè Hymnum Angelicum, postquam intonatus erit à Celebrante, si dicendus sit; & tunc cum cantatur ultimum, *Kyrie*, Canonici descendentes ab eorum sedibus, procedunt ad medium Chori cum reverentiis debitis altari, & Episcopo, & se sistunt in circulum ante Episcopi faciem: quod diversimodè fit pro diversitate situationis altaris; si enim altare adhæreat parieti, & sedes Episcopalis sit in latere Evangelii, incipiunt procedere juniores Canonici à sedili Diaconorum, ita ut ultimus Canonicus sistat ante faciem Episcopi, quos gradatim alii sequuntur: perficiendo circulum; & dignior Canonicus, sive Dignitas, modicum à suo sedili digressus, stat ad dexteram Episcopi.

IV. Si

IV. Si verò altare est sub tribuna, & sedes Episcopalis ex opposito altaris, tunc Canonici venientes ad circulum, procedunt simul ab utraque parte, non perficientes circulum, ne terga vertant altari, sed facientes semicirculum hinc inde; & sic stantes, dicunt cum Episcopo, *Kyrie*, quo dicto, si dicendum sit, *Gloria in excelsis Deo*, & ipsi cum Episcopo prosequuntur usque ad finem: Quo finito, Episcopo producente super eos signum Crucis (quod sic semper in fine circuli observatur) factaque illi, & altari, reverentia, redeunt ad loca sua; unde licet non dicatur, *Gloria in excelsis*, semper tamen debent venire ad circulum, ut cum Episcopo dicant, *Kyrie eleison*; eundemque ordinem servant, dum veniunt ad circulum, quod.

V. Secundò erit, antequam dicatur Symbolum, si sit dicendum, in quo genuflectunt cum Episcopo ad versum, *Et incarnatus est*, &c. Et si fortè, dum redeunt ad loca sua, idem versus à Choro decantetur, ubicumque erunt, genuflectunt, donec prædictus articulus compleatur.

VI. Tertio loco veniunt ad circulum circa finem Præfationis, ut dicant, *Sanctus*, cum Episcopo, non tamen pectus percipientes. Dicto, *Benedictus qui venit*, & factò super eos signo Crucis ab Episcopo, recedunt.

VII. Et ultimò, paulò antequam Celebrans dicat, *Per omnia secula*, ante, *Pax Domini*, iterùm veniunt ad circulum, ut dicant cum Episcopo, *Agnus Dei*: & tunc dum veniunt ad circulum, & quando discedunt, ambobus genibus ante altare genuflectunt propter reverentiam sanctissimi Sacramenti, quod est super illud.

VIII. Cum Canonici à circulis redeunt ad sedes suas, faciunt contrario modo, quàm faciunt veniendo, quia primò redeunt seniores, postea juniores.

IX. Illud demum sciendum est, hujusmodi circulos fieri tantùm in Missa, non verò in Vesperis. Et eùm Episcopus præsens est Missæ per alium cantatæ, sive diebus festis, sive ferialibus (nunquam autem quando ipsemet Episcopus Celebrat:) nec fieri ante ullum quantumvis Episcopo superiorem, etiam Legatum de Latere, aut etiam suum Metropolitanum; & multo minus ante inferiorem, ut Suffraganeum, vel alium Episcopum; sed tantùm ante ipsum proprium Episcopum; qui

tamen præsentem Legato de Latere, vel Præposito superiore, ob ejus reverentiam omittuntur; sicut nec fiunt in Missis Defunctorum, & feria sexta in Parasceve.

## C A P U T XXII.

*De Concionibus, &c.*

I. **E**gimus satis de Concionatore, & Concionibus r. p. & nihil in hoc capite specialiter tractatur, quòd hoc sit ibidem abundè explicatum, tum quoad Canonicum concionatorem, quàm alium quemcumque.

## C A P U T XXIII.

*De modo imponendi thuris in thuribulum illudque benedicendi, & Thurificatione in Vesperis, & Laudibus.*

I. **C**irca thuris benedictionem, & incensationem altaris, hoc observandum est, ut Episcopus non alio modo benedicat quàm simplex Sacerdos; nec alio etiam modo thurificet, licet Cær. Ep. lib. 1. c. 23. paulò aliter modum incensandi explicet. Idèò videtur standum in his Rubricis Missalis, quæ post Cæremoniale conditæ sunt. Pauca autem hinc tractanda sunt de hujusmodi thurificatione, cum ibidem satis explicata sint. Notandum itaque, quòd facienda sit Thurificatio ad Vesperas semel, Altaris, Celebrantis, quicumque ille sit, Episcopi, nisi ipse celebret, & aliorum, dum dicitur tantùm, *Magnificat*, & non initio earumdem.

II. Sed in Missa solemni. Primò ante Introitum, & tunc incensatur altare, Celebrans, & Episcopus, quando non celebrat, & præsens est cum Mitra, & Pluviali, aliàs non: at si non sit paratus hoc modo, nec Celebrans, nec ipse thurificantur. Secundò, ad Evangelium, & tunc thurificantur tantùm liber ante Evangelium, & post illud Episcopus, si est paratus, aliàs non; & nullus alius, præterquam si adesset Cardinalis, quia tantùm Cardinalis incensaretur; at si non est paratus Episcopus, nullus debet incensari: Episcopus autem non debet esse paratus præsentem Car-

dinali. Tertio post Oblationem, & tunc thurificatur Oblata, Altare, Celebrans, Episcopus, Canonici, & alii, quos 2. p. diximus.

III. Imponitur autem, & benedicitur regulariter thus ab Episcopo apud sedem, vel ad faldistorium, præterquam in principio Missæ, & ad Oblata, quia tunc imponit ad Altare; & apud sedem regulariter sedet cum Mitra, nisi præsentem SS. Sacramento exposito; & apud Altare stat sine Mitra, licet alii, & non rectè, aliter faciant, imponentes thus cum Mitra ad Altare.

IV. Si non celebret, sed adsit etiam cum Cappa, semper imponit ad sedem suam. De modo dandi thuribulum, vide ibidem 1. par.

V. Advertendum autem est, ut Episcopus, aut alius quilibet, licet paratus, semper stans thurificetur, aliquando tecto capite, aliquando nudo. Nam in principio Missæ, Episcopus, si est paratus, stans cum Mitra thurificatur. Post Evangelium sine ea; post Oblata cum Mitra; post illa verò, si non est paratus, sine Mitra stat, dum incensatur.

VI. In Vesperis, si Episcopus celebrat, stans adhuc cum Mitra, reversus ad sedem, thurificatur ab Assistente. Si non est paratus, stat nudo capite; & semper stat nudo capite, dum thurificatur non paratus: nullatenus autem permittat, si paratus, si non, sedentem se ab ullo genuflexo thurificari, quia est sola prærogativa summi Pontificis.

VII. De modo incensandi SS. Sacramentum expositum, diximus satis 2. par. ut supra.

VIII. Cum in Missa post Oblatorum incensationem, Episcopi, & Canonicorum, seu Dignitatum, ad ejus latus assistentium, sit generalis omnium incensatio, omnes, præter Episcopum, & ejus Assistentes, stant. Canonici tamen non stant, sed sedent, dum beneficiati, & item laici inferiores thurificantur; & qui incensandus est, alterum immediatè subsequentem capitis nutu modestè invitet ad incensationem prius capiendam, etiam sæculares. Item si is qui thurificat, sit æqualis thurificando, aut etiam major, invicem capite inclinato sibi reverentiam faciunt, ante, & post. Si verò thurificans minor est, ipse quidem versus majores caput profundè inclinat, ante, & post; illi autem parùm, vel nihil respon-

dent, pro qualitate ipsius thurificantis; qui & ipse thurificando alios post Canonicos, parùm, vel nihil versus eos caput inclinat.

IX. Sed Episcopus, vel Legatus, cum thurificatur, nullatenus versus thurificantem caput, nec modicum quidem inclinet, sed dextera benedicat; videlicet Legatus præsentem Episcopo, non verò Episcopus eo præsentem.

X. Personæ autem, quibus hoc officium thurificandi alios incumbit, solent esse diversæ pro diversitate Celebrantium, & solemnitatum, ac personarum thurificandarum. Nam Episcopus solemniter celebrans Vesperas, post Altare thurificatur in sede à Presbytero assistente, qui statim postea dat thuribulum Subdiacono, qui sequenti die cantaturus est Epistolam, vel Thuriferario, qui thurificat omnes alios.

XI. In Missa verò, cum Episcopus est apud Altare, à Diacono thurificatur; & apud sedem suam, videlicet post finem Evangelii, si celebret, à Presbytero assistente, qui accipit thuribulum de manu Acolythis, qui illud tenebat.

XII. Sed si in faldistorio celebrat, ab eodem Diacono etiam thurificatur, qui & alios de Choro thurificat post Oblata; deinde dat thuribulum Thuriferario, qui ipsum Diaconum primò, mox alios, si qui supersunt in Choro, & reliquum populum thurificat; Diaconus verò redit ad Officium suum.

XIII. Quòd si adestet Legatus, Rex, aut Princeps magnus; nihilominus eadem personæ ipsos thurificarent, quas diximus Episcopum celebrantem thurificare, & non alia, præsertim quæ sunt in dignitate constitutæ, quas nullo modo convenit alios, quantumlibet maximos Principes, thurificare. Non enim Celebrans debet quemcumque thurificare, neque etiam summum Pontificem, nisi Altare, aut SS. Sacramentum, aut Reliquias, aut SS. Imagines.

XIV. Si autem Episcopus non celebrat, sed interest Vesperis, vel Missæ per alium celebratæ, ipse Episcopus semper à primo Presbytero assistente thurificandus est; Canonici verò, & alii de choro in Vesperis à Thuriferario, in Missa à Diacono, qui cantat Evangelium, thurificantur; qui & cæteros omnes thurificat. Antequam inchoetur Evangelium, videlicet lecto per Diaconum titulo

Evangelii, ipse ter thurificat librum Evangeliorum, primo in medio, tum à parte dextera libri, quæ est sinistra Diaconi, mox à sinistra.

XV. Quoad ordinem thurificandi, sive in Vesperis, sive in Missa, & numerum thurificationum, & alia hujusmodi: Vide 2. par. de incensatione, ubi ea, quæ cap. 23. lib. 1. Cærem. præscribuntur, declarantur.

## C A P U T XXIV.

### De Ordine dandi pacem.

I. **E** Piscopo celebrante, post Orationem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti*, dicto priùs: *Agnus Dei*, Presbyter assistens, ut suo capite suprà diximus, osculato Altari, appropinquans sinistram genam sinistræ celebrantis Episcopi, accipit ab eo pacem, dicente: *Pax tecum*, cui ipse respondet: *Et cum spiritu tuo*; factaque iterùm genuflexione, discedit comite Cæremoniario, osculumque prædictum per Chorum ordine distribuit, incipiendo à dignioribus, sicut de incensatione dictum est; hoc excepto, quòd non dat pacem Diaconis assistentibus: ipsi enim statim capiunt pacem ab eodem Episcopo, postquam illam dedit Presbytero assistenti, facta priùs genuflexione ante, & post SS. Sacramento, non tamen osculantes altare. Diaconus verò Evangelii, & Subdiaconus capiunt pacem ab eodem Episcopo, cum ab eo accipiunt Communionem, ut suo loco dicitur. Si autem non accepturi sunt Communionem, quia forte sunt Sacerdotes, & volunt celebrare, faciant quæ aliàs capite de ordine dandi pacem diximus 2. p.

II. Nemini autem Presbyter assistens det pacem, nisi stanti, quicumque ille sit; nec faciat illi ullam reverentiam, nisi post datam pacem; cui etiam, qui pacem acceperunt, pari reverentia correspondent, cum sit ex primis Dignitatibus, vel Canonicis Ecclesiæ. Legatus tamen, aut Princeps supremus, parùm correspondent in reverentia.

III. Regulare est, ut pax detur primo cujusque ordinis, videlicet primo ex Canonicis Presbyteris, primo ex Canonicis Diaconis, & primo ex Subdiaconis Canonicis, modò præbendæ sint distinctæ; sed ubi non

sunt distinctæ, primo ab utroque latere stanti, qui successivè dat pacem subsequenti, & ille dat alteri. Datur autem pax cum instrumento Laicis, si adsunt, Magistratui, & aliis; quod pacis instrumentum Presbyter Assistens debet osculari priùs.

IV. Postquam verò prædictus Assistens dederit suprædictis pacem, videlicet Canonicis, ac Magistratui, eandem pacem dat Cæremoniario, aut alteri comiti suo, ut eam cæteris de Choro distribuat; tum ad Altare redit cum debitis reverentiis.

V. Quando Episcopus non celebrat, sed præsens est, idem Presbyter accipit pacem à Celebrante, cum genuflexionibus ante, & post, & eam defert Episcopo; qui Episcopus eam offert stando duobus suis Assistentibus Diaconis.

VI. Notandum tamen est: si is, qui celebrat, sit Prælatus, ita ut habeat Capellanum assistentem cum Pluviali in Missa, tunc ipse Capellanus Assistens, postquam Episcopus dederit pacem duobus Diaconis, accedit in Choro ad locum Presbyteri assistentis, qui pacem dedit Episcopo, & ab eo accipit pacem, quam ad alios de Choro, ordine dicto distribuit.

VII. Quòd si is, qui celebrat, non sit Prælatus, nec habeat Capellanum Assistentem cum Pluviali, eodem modo Presbyter Assistens Episcopi accipit pacem à Celebrante, & eam ad Episcopum defert, qui dat illam duobus Diaconis Assistentibus, ut suprà; mox stans in loco suo inter Canonicos, illam dabit Subdiacono, qui cantavit Epistolam in Missa, qui eam ad alios defert; nisi adesset major Episcopo, quia eo casu illis semper dabitur pax ab eodem Presbytero Assistente, qui pacem dedit Episcopo. Si Episcopus assistat Missæ solemnè in Ecclesiis Collegiatis, & non habeat Presbyterum Assistentem, nec Celebrans; convenit, ut Diaconus accipiat de more Pacem à Celebrante, & postea hic eam dabit Subdiacono, qui eam distribuet in Choro; sed priùs eam dabit Episcopo cù debita reverentia, sed tamen post datum osculum tantùm.

VIII. Advertant autem Subdiaconus, & Capellanus Prælati, ut, si Presbyter Episcopi sit inter Canonicos, & non primus in ordine suo, dent pacem digniori priùs, deinde eam iterùm dent ipsi, qui immediatè subsequitur ipsum Presbyterum Assistentem, ne ipse, qui

est prior in ordine, ipso Presbytero assistente, cogatur discedere de loco suo, ut subsequenti Presbyterum assistentem pacem distribuatur. Ita Paris Crassus.

IX. In Collegiatis Ecclesiis, & absente Episcopo, serventur quæ in Missali, & ea quæ supra 2. p. diximus circa eandem reverentias, & alia similia.

X. In Missis planis, quæ coram Episcopo dicuntur, adhiberi solet pacis instrumentum ut infra, & jam supra diximus.

## CAPUT XXV.

De forma dandi benedictionem solemnem ab Episcopo, & publicandi Indulgentiam, ubi, quoties, & quando.

I. **D**Uæ sunt formæ, quibus Romana Ecclesia utitur in benedictionibus dandis ab Episcopo in Missa; una est statim post factam Confessionem à Diacono, finito sermone, cujus forma descripta est in fine hujus voluminis; & tunc, cum Episcopus profert verba: *Et Benedictio Dei Patris omnipotentis, &c.* eodem contextu capit baculum pastoralem sinistra à Ministro de eo serviente, dextera autem dat benedictionem, primò signans versùs latus suum sinistrum, videlicet in verbo *Patris*; tum cum dicit *Et filii*, directè ante faciem suam, & demum dum dicit *Et Spiritus Sancti*, signat versùs latus suum dextrum: cum autem dicit *Super vos*, dimisso baculo, manus junctas ante pectus applicat; & dum benedicit, si sit Archiepiscopus, vel alter utens Cruce, stat nudo capite; si verò non utitur Cruce, stat tecto capite.

II. Altera forma benedictionis est, quæ datur in fine Missæ, id est dicto *Placeat tibi sancta Trinitas, &c.* Tunc enim Episc. qui non utitur Cruce, sumpta Mitra, stans in medio altaris, pollice dextræ manus signat se in pectore cantans, *Sit nomen Domini Benedictum, &c.* interim sinistram super altare retinens (fortè tamen sinistram ponere debet infra pectus, ut præscribitur in Missali emendato post editionem Cæremonialis, in pari casu;) & dum à Choro respondeatur, *Ex hoc nunc, &c.* etiam ipsam dexteram manum retinet super altare: deinde dicens *Adjutorium nostrum, &c.* eadem dextera se signat à fron-

te ad pectus, & à sinistro humero in dextrum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet dum dicit *Adjutorium* in fronte, *nostrum* infra pectus, *in nomine* in sinistro humero, *Domini* in dextro, & iterum ipsam manum dexteram super altare ponit, donec à Choro respondeatur, *Qui fecit cælum, &c.* Deinde dicens, *Benedicatur vos omnipotens Deus*, elevat oculos ad cælum (nisi SS. Sacramentum sit super altare, quia tunc non elevat oculos ad cælum, sed ad idem SS. Sacramentum,) & manus quas ante faciem jungit, & capiens sinistra baculum, dum dicit *Pater* vertit se ad latus Epistolæ, & ibi signat populum, & dicens *Et Filii*, vertit se ad populum directè in medio Ecclesiæ genuflexum, signans iterum; dicens verò *Et Spiritus Sanctus*, vertit se totum ad latus Evangelii, & ibi tertio signat populum, perficiendo circumulum, modo non sit SS. Sacramentum expositum, quia non perficit circumulum, nec stat in medio altaris, sed aliquantulum ad latus Evangelii stat.

III. Ubi verò Altare est sub Tribuna, & populus non ante ipsius altaris faciem, sed post stat, Episcopus non vertit se, sed stans ante medium, signat primò à latere Evangelii, tum in medio, demum à latere Epistolæ.

IV. Simili modo, & forma in fine Vesperarum ac Matutinarum, seu Laudum, Episcopus benedicit, cum ipse solemniter Officium facit.

V. Hanc eandem benedictionis formulam servabit Episcopus, quando danda est in fine alicujus Processionis, quæ etiam in usu est in primo Episcopi ingressu, vel Archiepiscopi, postquam ad eorum Ecclesias, vel Provincias pervenerunt.

VI. Quod ad Indulgentias attinet, consuevit, cum datur benedictio solemniter per Episcopum, plerumque, non tamen in Vesperis, concedi etiam Indulgentia pro eorum facultate; ut videlicet si est Episcopus, aut Archiepiscopus, dierum quadraginta de jure communi, si verò esset Episcopus Cardinalis centum, quæ quidem Indulgentiæ, cum datur intra Missam benedictio, post Sermonem, & Confessionem, ab ipso Concionatore publicantur statim finita Confessione, antequam detur benedictio, quo casu non amplius publicantur in fine Missæ.

VII. Cum verò non habetur Sermo, in fine Missæ Pontificalis statim post solemnem bene-



benedictionem publicantur Indulgentiæ per Presbyterum Assistentem, si Episcopus celebret, vel eo non celebrante, per ipsum Praejatum, vel Canonicum celebrantem Episcopo praesente, cujus publicationis formula hæc est.

VIII. *Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus Dominus N. Dei, & sancta sedis Apostolica gratia, Episcopus N. dat & concedit omnibus hic presentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesie consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini N. divina providentia Patre, Dominationis sue Reverendissima, & Sancta Matris Ecclesia.*

IX. Si verò sit Cardinalis Episcopus, additur nomen proprium ipsius, videlicet, *Eminentissimus, & Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus N. tituli Sancti N. Sancta Rom. Ecclesia Presbyter Cardinalis, vel Episcopus N. Cardinalis, & Episcopus N. dat, & concedit &c. ut supra, centum dies, &c.*

X. Ad quem autem spectet has benedictiones, & Indulgentias dare, cum adest simul cum Episcopo Cardinalis, aut Metropolitanus, aut Nuntius, aut alii, supra egimus versus initium hujus partis.

## C A P U T XXVI.

*De supplendis vicibus Canoniorum, & aliorum Ministrorum deficientium.*

I. **A**ccidit sæpè, ut dum Officia divina peraguntur, Ministri qui ex officio, vel alia de causa inservire debent, sint legitime impediti, ut quia sunt absentes, aut infirmi, aut aliqua alia ratione. Quo casu, ne debitum ministerium deseratur, alter alterius onus supplere debet: & quidem regulariter majores minorum non supplent vices, nisi ex necessitate; sed contra inferiores vices superiorum subeunt, præterquam in iis quæ sunt ordini peculiaria; ut si in aliqua Ecclesia gradus, ac ordines distincti sint, nempe Dignitates, Canonici, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, tum Beneficiati, ac Clerici.

II. Deficiente ergo prima Dignitate, seu primo Presbytero Canonico, in officio

Presbyteri assistentis supplebit altare præxi-mus, seu Dignitas, seu Presbyter Canonici-cus, quo etiam deficiente, subintrant alii Presbyteri Canonici proximiores: sic etiam ex duobus Canonicis assistentibus Diaconis, si alter, vel ambo deficiunt, alii subsequentes Diaconi, & Subdiaconi supplebunt. Quòd si unus tantum Diaconus adesset, vel Subdiaconus, tunc ex necessitate, ultimus Presbyter, licet major, supplebit locum Diaconi absentis, vel Subdiaconi: & si Canonici essent sacris vestibus parati, ut quia Episcopus celebraret, ipse ultimus Presbyter induere deberet Dalmaticam more Diaconi, cujus loco servit; sed eo casu Diaconus, qui adierit, sedebit à dextris Episcopi, cui imponet, & deponet Mitram; nempe cum proprium suum officium exercent: at Presbyter Canonici à sinistris loco secundi stabit, & adjuvabit.

III. Quòd si omnes prorsus Diaconi, & Subdiaconi deficerent, duo ultimi Presbyteri eorum locum supplebunt; Diaconi verò nullatenus Officium Presbyterorum assistentium Canoniorum supplere debent.

IV. Si nullus Presbyter adesset Canonici præter Dignitates, tunc aliqui ex Dignitatibus suppleret locum Diaconi deficientis; sed tali casu ipse Dignitatem obtinens, maneret ad dexteram Episcopi, & Diaconus ad sinistram; sed ipse Diaconus à sinistris serviret in ministerio imponendi, & deponendi Mitram Episcopo.

V. Hæc autem, quæ diximus, procedunt, ubi ordines, & præbendæ sunt distinctæ; ubi autem non sunt distincti ordines, duo Canonici immediatè sedentes post Canonicum, qui servit in Officio Presbyteri Assistentis, erunt apud Episcopum loco Diaconorum Assistentium.

VI. Eadem ratione, & regula, etiam alii inferiores de Capitulo, ut beneficiati, & clerici, alterius sibi immediatè præcedentis vices, cum opus erit, supplebunt. Qui tamen si sine justa causa deficiunt, arbitrio Episcopi, vel aliàs mutandi sunt.

## CAPUT XXVII.

De Orationibus, seu Collectis, & diversis eorum tonis.

I. DE hac re legantur Sacerdotalia, & Directorium Chori Romani, & ea, quæ in Cærem. Ep. lib. 1. c. 27. Nota tamen diversos esse tonos Orationum, alterum feriale, & alterum festivum. Cætera facilia.

## CAPUT XXVIII.

De Organo, Organista, & Musicis.

I. VIDE quæ suprâ diximus prima parte capite proprio; nihil enim hic peculiare est, quod ibi non reperiat.

## CAPUT XXIX.

De Missa, quæ sine cantu ab Episcopo celebratur.

I. CUM Episcopus celebrabit Missam privatam, convenit, ut paret se non in Sacristia, sed ad Altare, ubi celebrare debet (nisi ibi sit SS. Sacramentum expositum, quia paramenta tunc sumet in Sacristia) super quod poni debent paramenta ordine retrogrado disposita, postquam aliquo ejus Scutifero ministrante laverit manus.

II. Calix, Missale, & Manipulus super Credentiam, & alia, quæ ibi poni solent; alia verò necessaria super Altare ponuntur per Sacristam, aut aliquem ex Capellanis. Ideo convenit, ut duos Capellanos ad manus habeat cottis mundis indutos, apud se ministrantes, qui ea omnia disponere sciant, & possint, & eum induere cum debitis reverentiis, & osculis rerum, quas ministraturi sunt, ita ut ille, qui induit Episcopum, & accipit paramenta, partem anteriorem eorum habeat versus se, & posteriorem ad extra. Sed si ille, qui accipit ea immediatè de Altari, eadem ministratura est alicui alteri Capellano, seu ministro, partes posteriores tenebit versus se, & anteriores ad extra.

III. Accipiet paramenta coloris convenientis, & ea omnia, quæ pro Prælati in Missali expressa sunt, & non aliis indumentis Pontificalibus, præter Crucem pectoralem & anulum, utetur; quæ duo etiam parantur super Altare.

IV. Altare quoque in quo celebrat, sit mundis tobaleis, & pallio convenienti ornatum pro qualitate festorum, & temporum. Nam in festis solemnibus convenit, ut sint super illud quatuor candelabra cum totidem cereis, & in eorum medio Crux argentea, vel ex alia materia: aliis festis non ita solemnibus, & feriis, sufficiunt duo candelabra. Ante Altare paratur fald. ubi Episcopus orat super cussino, & postea ibi lavat manus Rocchetto indutus, uno Scutifero ministrante aquam, & Capellano mappam, deposita prius Mozzetta. Convenit, ut capiat paramenta nudo capite, quia dicit Orationes ad singula paramenta. Manipulum capit dicto *Indulgentiam*, nisi in Missis Defunctorum. Si dicat *Gloria in excelsis*, dicit *Pax vobis*.

V. Præfati duo Capellani servient ei in Missa hinc inde, in respondendo, in transferendo librum, cooperiendo, & discooperiendo Calicem, cum opus est, in porrigendo mantili (non enim Scutiferi illud ministrare debent, ut multi abusivè directè contra Cærimoniale) cum lavat manus, deferendo Calicem post Offertorium de Credentia ad Altare (si jam fortè non est super illud, quod non decet, cum paramenta Episcopi sint extensa ante Missam in medio ipsius Altaris.) Item unus eorum servit in ministrando candelam, si ea uti velit Episcopus, ut decet.

VI. Si erunt tres Capellani, poterunt duo juniores ex iis ad elevationem SS. Sacramenti, post Episcopum celebrantem genuflexi, à lateribus sustinere duo funalia accensa, tertius verò dignior Episcopo assistere, & cum opus est, tintinnabulum tangere ad *Santus*, & ad elevationem. Cum autem Episcopus surgit à genuflexione, convenit ut hic Capellanus, & alter ejus socius, si adfit, adjuvent eum sustentantes brachia ejus, & cum ascendit ad Altare, convenit etiam ut unus, vel ambo aliquantulum elevent anteriores partes vestimentorum ejus.

VII. Si verò non adsint tres Capellani, poterunt ad funalia supplere duo Scutiferi, aut alii familiares, arbitrio Episcopi, honestè vesti-

vestiti; sed & si copia non esset eorum, qui sustinerent funalia, poterunt eadem funalia, seu cerei majores, positi super duobus candelabris magnis, ad elevationem accendi, & post elevationem extingui.

VIII. Si fortè aliquis Prælatus, Cardinalis, aut Princeps hujusmodi Missæ interfuit, primus ex dictis Capellanis, dicto ab Episcopo: *Agnus Dei*, sumpto pacis instrumento cum velo appenso, genuflexus ad dexteram Episcopi illud ipsi offert osculandum, qui Episcopus dicit: *Pax tecum*, & ille respondet: *Et cum spiritu tuo*; tum idem instrumentum cum pace portat osculandum Prælato uni, aut pluribus, aut Principibus præsentibus, dicens: *Pax tecum*, cui etiam respondet: *Et cum spiritu tuo*; sed advertat, ut nullatenus genuflectat, nec ullum signum reverentiæ faciat alicui ex iis, antequam instrumentum porrexerit osculandum; sed tantum post illud osculatum: quia tunc non habetur ratio ministri, sed pacis, quæ à sacrificio Altaris ad illum deferretur; postea verò, vel illis genuflectit, vel se inclinat.

IX. Liber Evangelii nemini etiam deferretur osculandus, quicumque sit, celebrante Episcopo; sed si adsit aliquis Cardinalis, vel Princeps maximus, potest dari alius liber, non verò unquam liber Episcopi.

X. Episcopus bis manus lavat, scilicet post Offertorium, & post Communionem, semper Scutifero ministrante aquam, & pelvim, & Capellanis mantile; lavat tamen etiam manus prius ante Missam.

XI. In fine Missæ Episc. celebrans, si non pro Defunctis celebret, benedicit, dicens: *Sit nomen Domini*, &c. non utens baculo, nec Mitra: nec Cruce, si sit Archiepiscopus.

XII. Finita Missa, deponit sacra paramenta etiam ante Altare in infimo gradu, & ibi ad faldistorium super cussino gratias agit.

XIII. Ministri, seu Capellani genuflectant ad Confessionem, ad Elevationem, & Communionem. Minister, qui est à sinistris, dat ei manipulum post *Indulgentiam*. Alii omnes genuflectunt in tota Missa, præterquam ad Evangelium.

XIV. Alia omnia Episcopus celebrans servat, prout alii Sacerdotes juxta Rubricas Missalis.

XV. Mozzetta, dum Episcopus celebrat in sua Dioecesi, ponitur expansa super faldistorio, itaut ejus caputium sit versùs Altare, & oræ ejus circum circa defluent; & ibi etiam ponitur ejus biretum: extra Diæcesim mantelletum ejus ponitur plicatum super aliqua mensa, vel alio loco congruo.

## C A P U T XXX.

*De Missa, quæ sine cantu celebratur coram Episcopo in locis sua jurisdictionis.*

I. Episcopus genuflectit in faldistorio parato ante medium Altaris, vel è regione in cornu Epistolæ, nisi aliter situatio loci suadeat; nec surgit, nisi ad Evangelium; quo dicto, genuflexus osculatur librum sibi à Capellano Cotta induto porrectum, & pariter post *Agnus Dei*, defert ei pacis instrumentum osculandum pari disciplina, quæ præcedenti capite.

II. Et si fortè sint cum Episcopo Prælati exteri, aut eo majores, de quibus cap. de Thurificatione 2. par. diximus, liber Evangelii datur osculandus majori; si sint æquales, ut Cardinales, nulli, nec etiam celebranti. Ad Offertorium Episcopus nõ benedicit aquam, nec in fine dat benedictionem; sed celebrans, antequam in fine Missæ benedicat, faciet Episcopo profundam reverentiam.

III. Et hæc intelliguntur existente Episcopo in sua Diæcesi, vel Archiepiscopo, vel Legato in sua Provincia; aliàs fervetur ordo Rubricarum Missalis.

Ex secundo libro Cærem. Episc.

## C A P U T I.

*De Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum celebraturo.*

I. Sacræ solemnitates regulariter à primis Vesperis initium sumunt, unde à Vesperis incipere debemus. Si ergo sequenti die sit celebraturus Episcopus, Vesperæ solemnitus celebrari debent, quam si non esset celebraturus. Quod præcipuè his vigiliis obser-

Observari solet, videlicet Nativit. D. N. Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis B. M. Omnium Sanctorum, Dedicacionis Ecclesiæ, & Sancti Titularis Ecclesiæ, & Patroni Civitatis.

II. Secundæ Vesperæ poterunt etiam per Episcopum eadem solemnitate celebrari, saltem Dominica Resurrectionis, in die Nativitatis Domini, ac in festo Sancti Patroni Ecclesiæ.

III. Parantur duo scabella nuda, sed picta hinc inde à lateribus sedis Episcopi, pro duobus Diaconis ibidem sessuris, & aliud, seu sedes pro Presbytero assistente.

IV. Postquam Episcopus accesserit ad Ecclesiam, ibique de more oraverit ante SS. Sacramentum, & majus Altare (quo tempore Canonici capient paramenta, scilicet amictum super Cortam, aut Rochettum, & alia, ut supra diximus capite de habitu Ecclesiastico) ipse Episcopus paululum sedet in sua sede, tum surgens, deposita cappa, capiet sacra paramenta ordine sumpta ex Altari ab Acolythis, & ministris, qui ea acceperunt à Cæremoniario stante ad Altare propè medium ejus à parte Epistolæ primò amictum, cujus osculatur Crucem, deinde albam, cingulum, Crucem pectoralem, quam etiam osculatur, postea stolam, cujus Crucem etiam osculatur, postea Pluviale cum pectorali in conjunctura illius, & sedens Mitram pretiosam, ac annulum; quibus omnibus paramentis induitur per Diaconos assistentes, paratos amictibus, & Dalmaticis, quorum dignior osculatur Crucem amictus, Crucem pectoralem, & stolam, antequam ea præbeat Episcopo; Presbyter tamen assistens præbeat ei annulum cum debitis osculis. Interim, si adest organum in Ecclesia, pulsatur.

V. Cum Episcopus sic paratus paululum sederit, & alii cum eo, surgit deposita Mitra furgentibus omnibus, & versus Altare dicit secretò: *Pater noster*, & *Ave Maria*, integrè, & sinistra infra pectus posita, dextra se signat, cantans intelligibili voce: *Deus in adjutorium*, tangens ad unumquodque verbum frontem, pectus; humerum sinistrum, & dexterum, deinde jungens manus. Ad versum: *Gloria Patri*, *Or.* Episcopus, & omnes alii inclinant se Cruci Altaris, usque ad versum: *Sicut erat*, *Or. exclusivè.*

*Man. Sacr. Cærem.*

VI. Interim Cæremoniarius ducit Subdiaconum, vel alium, ad quem de more spectat intimare Antiphonas, in habitu, in quo reperitur, ante Episcopum, facta ei, sed prius Altari, debita reverentia; qui dicto à Choro *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine*, *Or.* & non prius, præintonat ei primam Antiphonam, non inde discedens, nec Subdiaconus ipse, donec per Episcopum præintonatio fuerit repetita; ea autem repetita ex libro, quem tenet Presbyter assistens ante eum cum duobus ministris de libro, & candela, ut suo loco diximus, vel memoriter, prout voluerit,ambo cum reverentiis Episcopo, & Altari recedunt ad loca sua ex more Ecclesiarum: Episcopus verò sic persistat, donec inchoatus sit Psalmus, & tunc sedet sumpta Mitra leviori, si placet; & omnes pariter sedent, etiam Ministri inferiores ad gradus Altaris, aut folii Episcopi, vel propè parietem in sedibus inferioribus, si sit consuetudo, ut sedeant.

VII. Psalmi decantari debent à Choro, & ab ipsismet Canonicis, aliisque de Capitulo in cantu Gregoriano cum gravitate, & decore, itaut eorum verba ab omnibus audiantur. Versus tamen: *Gloria Patri*, poterit solemniori vocis modulatione decantari, ad quem Episcopus cum Mitra, & alii nudo capite se inclinant, prout reperiuntur; & si placuerit, finito quolibet Psalmo, poterit Antiphona repeti per organum, modò per aliquos eadem Antiphona repetatur. Et si quis esset, qui cum organo cantare vellet, nihil aliud cantet, quam ipsam Antiphonam.

VIII. Reliquæ Antiphonæ eodem modo per eundem deputatum præintonari debent hoc ordine; secunda primo Diacono assistenti à dextris Episcopi; tertia Presbytero assistenti; quarta digniori Canonicorum in Choro manenti; quinta secundo Diacono assistenti à sinistris Episcopi, cum debitis reverentiis Altari, Episcopo, & ipsi qui præintonaturus est, sed pariori, quam Episcopo.

IX. Eadem omnia etiam in præintonatione aliarum Antiphonarum servari debent, quæ in prima, nisi quòd erga Canonicos parior fiet reverentia, videlicet sola capitis inclinatione. Surgente autem Canonico, cui præintonatur Antiphona, Canonici, & omnes alii præsentés in Choro surgunt; sed quando præintonatur alicui ex

assistentibus Episcopo, surgunt tantum aliis coassistentibus. In quibusdam tamen locis surgunt tantum Canonici de parte illius Chori, in quo est Canonicus, qui debet Antiphonas præintonare.

X. Expleta Psalmorum, & Antiphonarum decantatione (vel potius dum repetitur ultima Antiphona) ducitur idem Subdiaconus per Cæremoniariū, aut alius, cui ex consuetudine Ecclesiarum Capitulum cantare convenit, in habitu, in quo reperitur, factis debitis reverentiis, ad locum, ubi cantari solet Epistola in Missa; qui tenens sibi librum, cantabit Capitulum alta, & æquali voce, ad quod Episcopus cum Mitra, & reliqui omnes nudo capite surgunt; & responso per Chorum: *Deo gratias*, ducitur per eundem Cæremoniariū aliquis Canonicus, seu alius, ad quem de Ecclesiæ consuetudine spectat, qui præintonat Episcopo stanti cum Mitra, Hymnum, & Episcopus statim post præintonantem, deposita Mitra, repetit; quem Chorus prosequitur in cantu plano, vel musicali, prout placuerit, dummodo verba intelligantur; cui organum intermisceri poterit, dum tamen clara voce ab aliquibus deputatis eadem repetantur, vel cum organo cantentur.

XI. Si fuerint Hymni: *Veni Creator Spiritus*, aut: *Ave maris Stella*, dum Episcopus intonat, omnes genuflectunt, & statim ipse Episcopus ibi in genuflexorio, si adsit, sin minus super pulvino, ad id parato, permanens genuflexus usque ad finem primi versus; quo finito surgit, surgentibus omnibus, & statim sine Mitra, quousque perficiatur Hymnus cum suo Versiculo, & Responsorio. Et dum Chorus illud dicit, ducitur per Cæremoniariū idem Subdiaconus, seu alter, qui prius Antiphonas Psalmorum præintonavit, cum iisdem reverentiis ante Episcopum, cui stanti adhuc sine Mitra, præintonat Antiphonam ad *Magnificat*; qua repetita, Episcopus sedet, & capit Mitram pretiosam, & omnes pariter sedent præter Presbyterum, & Diaconos assistentes, qui stant nudo capite, lib. 1. cap. 7. Et dum cantatur Antiphona, imponit thus in thuribulum per Thuriferarium, Presbytero Assistente ministrante naviculam, ut cap. de Thurificatione dictum est, genuflexo Thuriferario semper, quoties Episcopo ministrat thuribulum.

XII. Interim duo Acolythy, scilicet Cero-

terarii, aut alii, præcedunt ad altare, elevantes hinc inde anteriorem partem superioris tobaleæ, seu veli super Altare positi, illamque conduplicant usque ad medium.

XIII. Cum verò Chorus incipit: *Magnificat*, surgit Episcopus cum Mitra, omnibus surgentibus, se signat, & sumpto sinistra baculo, in medio Diaconorum, hinc inde Pluviale elevantium, factaque Choro capitis inclinatione cum Mitra, pergit ad Altare, Cæremoniario præcedente, eumque sequuntur Presbyter assistens, & Ministri de baculo, & Mitra. Ante infimum gradum deposita Mitra, Cruci reverentiam facit, ascendit ad Altare, & eo osculato, capit thuribulum à Presbytero assistente, qui statim recedit extra gradus Altaris; & ipse Episcopus in medio Diaconorum thurificat Altare, ut initio Missæ, & ut capitibus de Thurificatione dictum est.

XIV. Thurificato Altari, Acolythy prædicti velum plicatum reducunt, prout erat super Altare, & Episcopus redit ad medium Altaris, reddito prius thuribulo in cornu Epistolæ Assistenti, qui illud tradit Thuriferario; & ibi facta reverentia, descendit in planum, ibique Mitra, & baculo receptis, factaque iterum Cruci reverentia, redit ad sedem suam eo ordine, quo venerat, salutans Chorum, ut prius; sed post ministros de baculo, & Mitra, procedunt prædicti duo Acolythy, qui tobaleam reduxerunt. Episcopus verò ad sedem stans cum Mitra, & baculo, ab assistente stante in plano thurificatur; ipse verò Episcopus Mitra deposita, retento tamen baculo ambabus manibus simul junctis ante pectus, ut ad Evangelium, ut infra, stat usque ad finem versiculi: *Sicut erat*, inclusive, inclinans se tamen ad versum: *Gloria Patri*.

XV. Interim post Subdiaconum, seu alterum, qui Antiphonas præintonavit, seu Thuriferarium, de more thurificatur prius Presbyter Assistens, postea Diaconi Assistentes, tum Canonici, & alii ordine suo; intermittit verò incensationem, dum dicitur versus: *Gloria Patri, &c.* & eam prosequitur eo dicto, si non sit completa. Et cessat omnino à prædicta incensatione, dum inchoatur ab Episcopo: *Dominus vobiscum*, licet non sit completa.

XVI. Cum à Choro repetitur Antiphona, Episcopus deposito baculo, & retenta

Mitra, sedet. Interim Cæremoniarius duos Ceroferarios sumptis candelabris de plano Presbyterii, ubi erant hinc inde à lateribus infimi gradus, vel de alio loco commodiori, ducit ad Episcopum, incedens in medio eorum, facta altari & eidem Episcopo debita genuflexione, & ante eum stant hinc inde versa ad eum facie. Episcopus verò finita Antiphona, & organo silente, deposita Mitra, surgit, & stans versùs altare, ex libro per Assistentem porrecto cantat *Dominus vobiscum*, & Orationem, vel plures, si sunt dicendæ; & ea finita, vel aliis, dum repetit: *Dominus vobiscum*, Cæremoniarius cum Ceroferariis, factis debitis genuflexionibus, redeunt ad altare, ubi in suo loco reponunt candelabra: si fiant commemorationes, aliqui, duo scilicet cantatores, cantant versus in medio chori, ut aliàs. Dum respondetur: *Deo gratias*, per chorum, vel organum, Episcopus Mitra reasumpta, stans in sua sede, si inde à populo commodè videri potest, sin minus, sumpto baculo pastorali accedit ad altare, & facta ibidem profunda reverentia cum Mitra, dat benedictionem dicens: *Sit nomen Domini, &c.* ut suprà. Si tamen utatur Cruce, allata ei per Capellanum ante se, cum se vertit ad populum, deponitur ei Mitra, & sic sine ea, dat benedictionem coram Cruce ante se allata, cui ante benedictionem profundè se inclinat. Sed Indulgentiæ numquam publicantur in Vesperis.

XVII. Si adefset Cardinalis non Legatus, vel Metropolitanus, Episcopus mittit ad eum Cæremoniarium, seu alium Capellanum, ut placeat illi dare benedictionem; quam Cardinalis non Legatus, seu Metropolitanus ex urbanitate remittit ipsi Episcopo celebranti dandam; eamque dat in eo casu ad altare.

XVIII. Semper autem Cardinalis Legatus à latere eam dat, quocumque alio præsentem Cardinali, sive sit Episcopus proprius, sive non, occupans semper locum digniorem.

XIX. Data benedictione ab Episcopo (sumptaque Mitra, si sit Archiepiscopus, quam ad benedictionem non habebat) factaque reverentia ad altare, & resumpto baculo, redit ad sedem suam, si est ad altare, vel ad faldistorium, ubi adjuvantibus Diaconis paratis, exiit suis paramentis;

& pariter Canonici in locis suis deponunt paramenta sacra, quibus induti erant; sicut & Presbyter Assistens, qui aufert anulum Pontificalem à digito annulari Episcopi, nisi Episcopus eum apud se velit retinere; mox facta brevi Oratione ab Episcopo super genuflexorio, paulò ante allato ante altare, Canonici comitantur eum saltem extra portam Ecclesiæ, ut supradictum fuit, organo interim hilari modulatione continuo personante.

XX. Dum Episcopus exiit se, Acolythi ministri, seu Capellani, deferunt paramenta ejus sacra ad altare, prout ea attulerant, cum debitis genuflexionibus ipsi, & altari.

XXI. Si verò Missam non celebrabit, aut celebraverit, ad Vesp. non in sua sede, sed in Sacrastia, vel alio loco ad id præparato paramenta capiet, facta priùs Oratione ibidem, quibus indutus, ministrante Thuriferario thuribulum genuflexo, & Assistente cum cotta, aut Rocchetto tantum naviculam, thus imponet cum benedictione sedens; deinde surgens, facta iterum Crucis reverentia prout in gressu, procedit cum baculo pastorali in sinistra, parte curva baculi ad populum versa, ac dextera benedicens, ad altare medius inter duos Diaconos habitu suo choralis tantum indutos, non verò paratos, præcedente Presbytero Assistente suo ordine cum aliis Canonicis binis, & duobus Ceroferariis, ac inter eos beneficiato aliquo Crucem ferente, & cotta induto, & ante omnes Thuriferario; subsequen-  
tibus verò eum aliis Ministris, seu Capellanis; & cum pervenerit ad altare, deposito ibi baculo, illi profundè se inclinat, & genuflexus, deposita Mitra super pulvino, aut potius genuflexorio ad id parato, paululum orat, aliis ( præter Assistentes, Cæremoniarium, & ministros de baculo, Mitra, libro & candela, & alios servientes, & quosdam alios) statim recedentibus ad loca sua in chorum, mox surgens, recepta Mitra, & baculo, facit altari profundam reverentiam, & ducente Cæremoniarario cum Assistentibus suis ad Sedem suam Episcopalem, salutans exigua capitis inclinatione Canonicos hinc inde, qui ei nudo capite profundè se inclinant, ibique reddito baculo pastoralis, paululum sedet, & postea incipit Vesperas, ut infra. Ita Jacob. c. 11.

## C A P U T II.

## De Vesperis solemnibus Episcopo in crastinum non celebrato.

**S**I Episcopus ob aliquam rationabilem causam prædictis festis non sit ipse celebraturus, velit tamen sive primis, sive secundis Vesperis interesse, & Officium facere, observabit eadem ferè omnia quoad se, ac si in crastinum esset celebraturus; nam & eisdem sacris paramentis indutus erit, quibus non in sede sua, ut supra dictum est, sed in Sacristia, vel alio loco ad id præparato induetur, ut modò capite præcedenti numero ultimo diximus. In eadem etiam sede residebit, incipiet, & perficiet Vesperas, prout ibi dictum est.

II. Differentia erit tantum in infra scriptis, quia hoc casu non omnes Canonici, sed quatuor tantum, aut sex ad summum, cum Pluvialibus parantur, qui sedere debent in locis suis cum aliis Canonici; Assistentes verò Diaconi hinc inde à lateribus erunt in eorum habitu Canonicali; sic & Presbyter Assistens.

III. Antiphonæ verò non eodem ordine, nec per Subdiaconum, sed per aliquem ex Canonici, aut alium, ad quem de Ecclesiæ consuetudine spectet, intonantur, primum ipsi Episcopo, tum aliis Canonici, incipiendo à dignioribus, prout Ecclesiarum circa hoc usus observabit. Cærem. tamen Papæ lib. 2. cap. 15. præscribit in pari casu, ut Papa, seu Episcopus paratus, incipiat Vesperas; (non primam Antiphonam, neque Hymnum, neque Antiphonam *ad Magnificat*, neque dicat Capitulum) benedicat incensum, Altare incenset, incensetur de more, dicat Orationem, seu plures, & in fine det benedictionem tantum, quod videtur observandum; & ita fit in Capella Sanctissimi, Papa non celebrante crastina die.

IV. Capitulum autem per aliquem ex Cantoribus alta voce recitabitur in loco suo, vel alio solito. Cætera omnia fiunt, & dicuntur, prout in præcedenti capitulo dictum est. Sic & ipse Episcopus incipiet Hymnum, & Antiphonam *ad Magnificat*, quia ex Cærem. hic præscribuntur omnia, ut supra.

V. Quòd si Episcopus velit hujusmodi

Vesperis interesse cum cappa Pontificali; tunc minimè convenit, ut ipse in tali habitu Officium faciat, & etiam ipsemet sibi debet biretum & imponere, & auferre, non verò alius; ex Decreto Sac. Congr. Rit. referente Barbosa in suis Collectaneis. In eo autem casu Canonici hebdomadarius indutus amictu, & pluviali super Cottam, seu Rochettum, si illo utatur, totum Officium faciet, petita prius ab Episcopo licentia, incipiendo *Deus in adiutorium*, &c. usque ad finem stans, vel sedens à latere Epistolæ, assistentibus sibi quatuor, aut sex beneficiatis, non Canonici, pro diversitate festivitatum, prout suo loco dicetur, pariter cum pluvialibus, quibus absque aliis paramentis simpliciter super Cottam, vel Rochettum induuntur; Episcopus verò in sua sede benedicet tantum incensum, & in fine dabit solemnem benedictionem in sede, vel ad altare; ut supra.

VI. Antiphonæ autem præintonantur ab aliquo ex beneficiatis paratis ante dictis, primò ipsi Canonico celebranti, tum aliis Canonici dignioribus, ut supra, juxta morem Ecclesiæ, sicut & Organi sonus potest intermisceri.

VII. Ipse Celebrans Canonici unà cum quatuor, aut sex assistentibus beneficiatis, dum Psalmi repetuntur, sedere poterit operato capite in aliquo sedili, vel scamno præparato, & ornato à latere Epistolæ; Assistentes verò hinc inde, vel alias, prout in Ecclesiâ usitatum est, in medio chori.

VIII. Capitulum non ab eo, sed ab aliquo Cantore cantatur, Hymnus & Antiphona *ad Magnificat* ab eodem Assistente præintonantur ipsi Celebranti.

IX. Dum cantatur per chorum Antiphona, dignior Canonici ministrat naviculam, ut supra, Episcopo, qui ponit incensum in thuribulum cum benedictione more solito.

X. Inchoato *Magnificat*, Celebrans facta reverentia Episcopo, & altari cum Assistentibus paratis procedit ad illud, præcedente Thuriferario, qui rediit ad celebrantem, vel fortè eundem expectavit ad altare; illudque thurificat more solito, accepto prius Thuribulo de manu primi Assistentis, ei à Thuriferario porrecto.

XI. Thurificato Altari, redit in cornu

Episcopi

Epistolæ Thuribulum primo Assistenti, à quo stans ibidem, incensatur duplici ductu, ut ad Introitum Missæ. Mox Thuribulum dat ipse Assistens Thuriferario, qui illud porrigit Presbytero Episcopo Assistenti, à quo ipse Episcopus thurificatur triplici ductu cum debitis reverentiis. & demum omnes alii de more incensantur ab ipso Thuriferario.

XII. Si tamen Celebrans non sedeat in cornu Epistolæ, sed in Choro cum aliis Canonici de more Ecclesiarum, convenit, ut ibidem incensetur, & non alibi, nisi sit alia consuetudo.

XIII. Finito Cantico, & completa Antiphona, Celebrans cantat Orationem, vel plures, stans versùs Altare, duobus Ceroferariis candelabra cum cereis accensis deferentibus, & alio ministro inter eos medio librum tenente, & etiam Assistentibus.

XIV. Finita Oratione, & dicto per Chorum: *Benedicamus Domino*, Episcopus in sede sua statim benedictionem dat, aliàs ad Altare, si non possit videri à populo; & stat in sua sede capite tecto, si non sit Archiepiscopus, ut suprà; non tamen tunc utitur baculo pastorali, quia non est paratus. Reliqua omnia fiunt, prout præcedenti proximè Capitulo dictum fuit.

## C A P U T III.

*De Vesperis in Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, vel in Collegiatis solemniter celebrandis.*

I. **F**usè egimus de Vesperis solemnibus, 2. p. prout de iis hoc capite agitur; unde videtur superfluum illa repetere, cum omnia, & quæ hoc cap. 3. lib. 2. Cæremoniis habentur, sint ibi descripta. Notandum tamen, quòd Celebrans habere debeat Rocchetum cum amictu, & desuper Pluviale, si sit Canonicus, qui uti possit Rocchetto; & quòd Assistentes regulariter non debeant esse Canonici, nisi sit alia consuetudo à longo tempore introducta.

II. Eodem modo, quo hic cap. 3. notatum est, & suprà 2. par. dicuntur Vesperæ solemnnes in Dominicis, & festis, quæ à populo observantur, à Canonico hebdomadario, tam

*Man. Sacr. Cærem.*

in Cathedralibus, quàm Collegiatis Ecclesiis absente Episcopo; ea tamen moderatione adhibita, quòd in festis solemnioribus, ut in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Ascensione, Pentecostes, festo Corporis Christi, Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis B. M. Omnium Sanctorum, Sancti Titularis Ecclesiæ, & Patroni Civitatis, vel Ecclesiæ Dedicacione, sex Pluvialia à Presbyteris, seu Clericis totidem, hebdomadario assistentibus, sumantur. In aliis festis immediate subsequentiibus diem Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes: item in festis Circumcisionis Domini, Purificationis, & Annuntiationis B. M. SS. Trinitatis, & Sancti Joannis Baptistæ quatuor tantum Pluvialia; in Dominicis, & aliis festis, duo.

## C A P U T IV.

*De Completorio.*

I. **S**I Episcopus Completorio interesse, & Officium facere voluerit, erit cum cappa in Choro in loco suo, seu stallò, panno aliquo, vel tapete cum pulvinaribus parato, vel etiam in sede, prout voluerit.

II. Officium verò ipsius erit circa hæc, videlicet, ut dicente Cantore: *Jube Domne benedicere*, ipse stans respondeat: *Noctem quietam, &c.* post Lectionem brevem: *Adjutorium nostrum, &c.* deindè; *Pater noster*; tum Confessionem, & Absolutionem, & alia usque ad *Deus in adjutorium, &c.* inclusivè, & inchoato Psalmo, sedebit. Non verò Antiphonam intonat.

III. Cætera omnia dicuntur per Chorum, & Hebdomadarium, usque ad Orationem, quam ipse Episcopus cantabit; & dabit benedictionem, dicens: *Benedicat, & custodiat, &c.* nulla autem fiet Altaris thurificatio ad Canticum: *Nunc dimittis*, nec organum pulsabitur; nisi fortè in aliquibus Ecclesiis hujusmodi Hora solemnius celebretur, quo casu Organum poterit adhiberi juxta normam superiùs traditam.

IV. Cum verò Episcopus præfens erit, & nõ faciet Officium, omnia prædicta per Hebdomadarium in loco suo fient, habitu Canonicali indutum; observatis tamen reverentiis debi-



debitis versus Episcopum. Nam ipse Hebdomadarius ad versum: *Indulgentiam, &c.* in principio, & ad versiculum: *Benedicat nos, &c.* in fine, inclinabit se profundè versùs Episcopum, antequam ea proferat.

V. In Collegiatis Ecclesiis, vel absente Episcopo, eadem respectivè observabuntur per Hebdomadarium.

## C A P U T V.

### De Matutinis prasente Episcopo.

I. **I**N Matutinis, quando Episcopo placuerit Officium facere, hora competenti cum sua cappa venit, associatus à Canonicis more solito; & factis Orationibus ante Sacramentum, & Altare majus, accedet ad Chorum in loco suo ornato, ut supra; ubi sedebit aliquantulum, cucullo cappæ supra reducto, vel etiam cum bireto, prout magis placebit, aptatis in gyrum fimbriis cappæ per aliquem Capellanum, vel Cæremoniarium, qui regulariter ibi præfens adesse debet, nisi sit alibi occupatus. Apud eum nulli debent esse Diaconi, nec Presbyter Assistens, aut alii, nisi fortè pauci Capellani.

II. Post modicam moram Episcopus surgit, surgentibus omnibus, & stans nudo capite, dicit secretò versùs Altare: *Pater, Ave, & Credo*; quibus completis, signans sibi cum pollice dextræ manus labia parvo signo Crucis, altiori voce dicit cantando: *Domine labia mea, &c.* deindè dicit: *Deus in adiutorium, &c.* ad quod signat se à fronte ad pectus, prout supra ad Vesperas; & sic permanet, stans, donec per Chorum cantatum fuerit Invitatorium cum Psalmo: *Venite exultemus*, ( genuflectens tamen ad verba: *Et procedamus ante Deum,* ) ac Hymnus; quem ipse decenter, aliquo præintonante, incipiet, si erit celebraturus; alias non.

III. Incæpto primo Psalmo, sedebit, ac omnes de Choro, & alii ministri sedebunt: Psalmi cantabuntur à Choro cantu plano, paufante ad puncta, & clara voce, per Canonicos, ac alios de Choro, cum devotione, & reverentia; & ad versiculum: *Gloria Patri*, omnes se inclinabunt, ut ad Vesperas.

IV. Antiphonæ per aliquem Mansionarium, vel eum, cui ex consuetudine Ecclesiæ competit, præintonabuntur Canonicis, incipiendo à dignioribus gradatim. Lectiones autem octo à totidem Canonicis, incipiendo à junioribus, priùs à Cæremoniaro instructis, competenti voce, & tono, apud Legile nudum omnindò in medio Chori positum recitabuntur; quarum septimam, & octavam, ii qui futuri sunt assistentes à lateribus Episcopi in Missa, cantabunt, nona verò & ultima Lectio dicetur ab ipsomet Episcopo stante.

V. Igitur finitis tribus Psalmis primi Nocturni, cum cantatur versiculus, ducitur per Cæremoniarium, cum debitis reverentiis, junior Canonicorum, qui est cantaturus primam Lectionem, ad Legile, paulò ante cum libro Lectionum præparatum in medio Chori, ut supra; & ibi facta profunda reverentia Altari, & Episcopo, respicit aliquantulum in libro Lectionem, quam lecturus est, & sic stans expectat, donec Episcopus stans nudo capite, incæperit alta voce: *Pater noster, &c.* & illud secretò perfecit usque ad versiculum: *Et ne nos, &c.* successivè, ex libro sibi alato, vel memoriter, cantaverit absolutionem, videlicet: *Exaudi Domine, &c.* Cui responso per Chorum: *Amen*, ipse Canonicus stans apud Legile, inclinat se profundè versùs Episcopum, & intelligibili voce petit ab eo benedictionem, dicens: *Jube Domne benedicere, & non Domine*; ad quem sic inclinatum permanentem Episcopus conversus benedicens, respondet stando, videlicet. *Benedictione perpetua, &c.* non tamen manu signans; & responso à Choro: *Amen*, Episcopus sedet coperto capite, aptatis in gyrum fimbriis cappæ, ut supra; & pariter omnes sedent.

VI. Canonici verò tunc, & non priùs, incipit, & prosequitur suam Lectionem altiori voce, distinctè, & modestè, in tono competenti. Qua finita, cum dicit: *Tu autem Domine*, genuflectit solus versùs Altare. Tum surgens, facta profunda reverentia Episcopo, qui versùs eum facit signum Crucis, redit ad locum suum, non osculando manum Episcopi. Sed si fortè non essent Canonici, qui cantarent, oscularentur manum Episcopi, & ab eo postea benedicerentur sicut Canonici, & genuflecterent Altari.

VII. Idem per omnia facit secundus, ac

tertius Canonicus, & alii in secundo, & tertio Nocturno cantaturi Lectiones; & idem observatur per Episcopum, quoad Absolutiones, & Benedictiones, & alia quæ occurrunt, dum Psalmi, & Lectiones cantantur, quod in primo Nocturno servatum fuit, hoc tantum excepto, quod ad primam, quartam, & septimam Benedictiones Episcopus stat, prout stetit cantans Absolutiones; ad alias verò sedet.

VIII. Cum cantatur per Canonicum textus Evangelii pro septima Lectione, Episcopus & omnes alii stant nudo capite, donec dicatur per dictum Canonicum, *Et reliqua*; & incæpta Homilia, sedent. Ipse autem Canonicus non debet recitando textum Evangelii, librum, nec se ipsum signare, nec manus junctas tenere, sed super libro, prout in aliis Lectionibus. Ad octavam Lectionem Episcopus sedens benedicit, ut supra.

IX. Nonam Lectionem Episcopus stans cum cappa, nudo capite cantat versa facie ad altare; ad quem tunc, & non prius, accedunt duo Diaconi in habitu Choralis, & duo ministri de candela, & libro: Episcopus verò, si non aderit in Choro major se, stans, ut supra, dicit cantando versus altare, *Jube Domne benedicere*, & non *Domine*; cui absolute per Chorum respondetur, *Amen*. Si verò esset Legatus, aut aliquis major se, Episcopus versus ad illum, peteret benedictionem, dicens: *Jube Domne*: ille verò stans in loco suo responderet, *Ad societatem*, &c. vel *Per Evangelica dicta*, &c. factis tamen mutuis reverentiis inter Episcopum, & majorem. Et dum Episcopus suam cantat Lectionem, omnes pro ejus reverentia stant nudo capite. Qua finita, Episcopus profundè se inclinans versus altare, dicit, *Tu autem Domine*, &c. & responso per Chorum, *Deo gratias*, accedit cum debitis reverentiis præintonaturus prædictus ante Episcopum, & præintonat ei, *Te Deum* si est, celebraturus. Quo repetito per Episcopum memoriter, vel ex libro, prout placuerit, Chorus illud prosequitur, cui & organum intermisceri poterit, cum regula superius tradita, dummodò versiculus, *Te ergo quæsumus*, &c. exprimitur voce clara; alioqui cum suavi harmonia, sine Organo. Qui versiculus dum decantatur, Episcopus, & omnes alii genuflectunt in locis suis. Si noctu dicantur

Matutinæ, ministretur lumen necessarium, ut alias in pari casu diximus, & dicemus ad Matutin. Nativitatis Domini.

## C A P U T VI.

De Matutinis in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, absente Episcopo.

I. **M** Atutinæ in hujusmodi Ecclesiis dicuntur eo modo, & ordine, quo supra 2. p. diximus. Idem nihil hic novi habemus explicandum hoc capite, quod est sextum lib. 2. Cærem. Episc.

## C A P U T VII.

De Laudibus, reliquisque horis Canonicis.

I. **E** Xpleto Hymno, *Te Deum*, &c. si Episcopus in Matutinis peregit Officium, congruum erit, ut etiam Laudes celebret; in quibus omnia ferè servari conveniet, quæ supradicta sunt de Vesperis solemniter per Episcopum celebratis, ipso in crastinum Missam non celebraturus. Nam statim finito Hymno, Episcopus in sua sede Episcopali capiet Pluviale, & Mitram, & omnia paramenta, prout in dictis Vesperis prædictum est; & cum eo quatuor, aut sex Canonici ex Dignitatibus, & ex dignioribus capient pariter Pluvialia; alii verò Canonici non parantur.

II. Omnibus paratis, Episcopus inchoabit Laudes, absolute cantando, *Deus in adjutorium*, signans se ut ad Vesperas. Antiphonæ præintonabuntur dignioribus iisdem Canonicis, quas etiam eodem modo repetent, ut ad Vesperas. Episcopus etiam primam præintonabit; eademque servabuntur in sessione, surrectione, & reverentiis, dum Psalmi, & Antiphonæ decantantur, quæ ibidem dicta sunt. Sic etiam quoad Capitulum, & Hymnum.

III. Et cum inchoatur Canticum, *Benedictus*, Episcopus, posito prius thure in thuribulum, dum cantatur Antiph. per Chorum,

furget cum Mitra, & baculo, associatus à prædictis Canonicis paratis, & thurificabit altare; & deinde thurificabitur ipse apud sedem suam stans cum Mitra, à digniori ex dictis Canonicis paratis, vel alio cui competit, prout ibidem explicatum fuit.

IV. Organum quoque ad Hymnum, & ad Canticum *Benedictus*, &c. & in fine Psalmorum poterit adhiberi, cum eadem norma superius tradita.

V. Dum repetitur Antiphona per Chorum post finem Cantici, Cæremoniarius cum Ceroferariis accedit ante Episcopum, qui cantabit, *Dominus vobiscum*, *Oremus*, & Orationem, seu plures, & mox dabit benedictionem, & denique omnia fient prout supra dictum est. Pariter absente Episcopo, & in Ecclesiis Collegiatis, eadem omnia ferè servabuntur, prout in dictis Vesperis continetur. Ex his colligitur, Diaconos Assistentes non debere esse paratos ad Laudes, sed satis esse, ut sint in habitu Choralì, seu Canonicali, & sic ministrabunt Episcopo, imponendo, & auferendo Mitram, sicut supra diximus capite secundo hujus secundi libri.

## C A P U T VIII.

De Missa solemnè Episcopo celebrante.

### A R T I C U L U S I.

De preparandis pro Missa solemnè, & de hora Tertia præcedente Missam solemnem.

I. SI Episcopus paramenta sumpturus est in faldistorio ad cornu Epistolæ parato, ut supra diximus, quia fortè non est tale Secretarium in multis locis, ut patet, debent omnia parari, quæ supra lib. 1. diximus c. 12. de Ornatu Ecclesiæ, tam super majus Altare, quàm super Abacum, aut Credentiam; de qua supra eodem capite etiam egimus.

II. Si autem sit tale Secretarium, in eo debet parari Altare, super quod ponenda est Crux in medio, & candelabra cum cereis accensis, & omnia ornamenta pro

Episcopo, suo ordine; nisi fortè ponantur caligæ, & sandalia super aliquam mensam paratam, & duo candelabra pro Ceroferariis, cum totidem cereis accensis. Aderunt etiam ibi sedes pro Episcopo versus cornu dextrum, vel sinistrum altaris pro situatione, & commoditate loci, & sedilia pro Canonicis, & aliis circumcirca; & etiam alia pro Diaconis, & Presbytero assistentibus; sicut etiam sedes, seu scamnum ponitur prope Episcopum pro Diacono, & Subdiacono, ubi loci situs id requiret.

III. Paratur etiam in Ecclesia in Presbyterio altaris ad cornu Epistolæ sedes aliqua nuda pro Diacono, & Subdiacono, qui ad Missam super ea sedeant, & ad eam stent, ut supra diximus, & dicemus infra. Item parantur libri, ut supra, Evangeliorum, & Epistolarum, sub cornu Epistolæ. Item funalia, & alia omnia necessaria, ante adventum Episcopi, ut Calix, hostiaria, & pulpita, seu ambones, de quibus supra eodem capite; & extra hunc locum, si fieri possit, vel ibidem, paramenta pro Canonicis, si ipsi parari debent.

IV. Quo ordine, quoque comitatu Episcopus ad Ecclesiam, sive pro Missa, sive pro Vesperis, aliisque Officiis, debeat accedere superius explicatum fuit. Nunc autem videnda sunt ea, quæ ad Missam solemnem pertinent.

V. Valdè autem consonum est antiquæ disciplinæ Ecclesiasticæ, ut in prædictis Ecclesiis Cathedralibus, Secretarium prædictum deputetur, ad quod Episcopus solemniter celebraturus Missam, postquam sua cappa indutus, ingressus fuerit Ecclesiam, sacrasque preces ante altare SS. Sacramenti tantum, & non ad altare majus effuderit, cum suis Canonicis, & Choro conveniat.

VI. In eum locum ingressus Episcopus, factaque reverentia Cruci super Altari prædicto existenti, sine aliis precibus; sedebit aliquantulum super dicta sede, donec Canonici extra hunc locum capiant sua paramenta congrua (vel ibidem, si aliter fieri non potest) remanentibus interim apud eum duobus Diaconis assistentibus hinc inde à lateribus ejus, & Presbytero assistente cum eorum habitu Canonicali, qui & ipsi postea accipient paramenta sua, ut jam suis locis diximus, & adhuc infra dicemus. Interim etiam parantur Diaconus Evangelii, & Subdia-

conus; ut suprà diximus de eorum officio. Si autem tale Sacellum non habeatur, paratis Canonici in Sacristia, ad altare, ut infra processionaliter procedunt; ubi cum pervenerit Episcopus, in medio genuflexus, aliis pariter genuflexis, parùm orabit.

VII. At si tale sit Sacrarium, Canonici omnibus indutis paramentis, aut quibusdam tantùm Pluvialibus, si alia haberi non possint, atque in eundem locum ingressis, cum debitis reverentiis Altari, & Episcopo, ac apud eorum sedilia stantibus, Episcopus surgit, & stans nudo capite versùs altare, dicit secretò totum, *Pater noster*, & *Ave Maria*; tum signans se altiori voce cantabit, *Deus in adiutorium*; &c. Choro prosequente, *Domine ad adjuvandum me*, &c. quo dictò, cantores, non Episcopus, cantant Hymnum, *Nunc sancte nobis spiritus*; cui organum intermisceri poterit, juxtà formam superiùs traditam.

VIII. Quo Hymno finito, cantor aliquis Antiphonam, non Episcopus, intonat, atque inchoato Psalmo, *Legem pone*, &c. Episcopus sedebit, sedentibus etiàm Canonici, exceptis his, qui Episcopo ministraturi sunt, quorum Diaconus Evangelii stat in aliquo loco, non multùm ab Episcopo remoto. Chorus autem prosequitur Tertiam.

IX. Tunc minister de libro serviens cotta indutus, unà cum alio candelam accensam tenente, accedent cum libro ante Episcopum, qui poterunt esse aliqui ex suis Capellanis, ut suprà; & qui de libro serviet, genuflexus manebit, prout Episcopo placuerit, dum legit sedens; qui sic sedens legit Antiphonam, *Ne reminiscaris*, &c. & Psalmos consuetos, duobus Diaconis, qui debent per totam Missam deservire, & Presbytero assistente stantibus in habitu Canonicali, alternatim respondentibus.

X. Interim Subdiaconus cantaturus Epistolam, qui simul cum Diacono cantaturo Evangelium, & aliis Canonici de Choro erit jam paramentis subdiaconalibus indutus, dempto manipulo, ut in capite de eorum officio dicitur, afferet de Altari, vel de loco ubi sunt, sandalia, & caligas, manibus velo tectis, & alio velo cooperta, ambabus etiàm manibus elevata, ante Episcopum; illaque duobus Scutiferis adjuvantibus, qui ad Abacum solent assistere, genuflexus induet pri-

mò in dextero, deinde in sinistro pede Episcopi, detractis priùs ordinariis calceis à Scutiferis, qui eos aliquo loco congruo, & occulto deponunt, vel alicui deponendos tradunt in prædicto loco: eodemque tempore Capellani, sex, vel octo, seu Acolythi genuflexi, cottis induti, fimbriis cappæ circumcirca elevant, & dilatant, cooperiendo dictum Subdiaconum, & Scutiferos, quò commodiùs, & decentiùs officium suam peragere possint.

XI. Quibus expeditis, Subdiaconus, facta profunda reverentia Episcopo, recedit ad Diaconum stantem in loco suo, & non sedentem; & scutiferi facta genuflexione redeunt ad loca sua, & similiter Acolythi, aptatis priùs in gyrum cappæ Pontificalis fimbriis, ad altare accedunt cum debitis genuflexionibus, ut præsto sint pro paramentis Episcopo deferendis. Episcopus prosequitur Lectionem Psalmorum; quibus dictis cum Antiphona, surgit, dat biretum secundo Diacono, & versùs altare manibus junctis, & nudo capite, dicit, *Kyrie eleison*, Preces, & Orationes: tunc nulli de Clero, sive populo, præter ministros, assurgere solent: sed melius est, ut sedens legat omnes Orationes. Paris Cras. l. 2. c. 1. Chorus autem admoneatur, ut Psalmos Tertie lentè prosequatur, interposito etiàm, si videbitur, sono Organi in fine cujusque Psalmi, ita ut eodem tempore illos perficiat, quo Episcopus suos Psalmos cum suis versiculis, & Orationibus legerit, & paratus fuerit, ut infra.

XII. Lectis Psalmis, & Orationibus, usque ad illam, quæ pro lotionem manuum dicitur exclusivè, Episcopus deposita cappa, incipit legere, vel memoriter dicere Orationes, quæ pro paramentis induendis ordinatæ sunt, dicendo ad singula paramenta Orationes singulas; excepta Oratione, quæ ad manipulum dicitur, quæ statim post alias dicenda erit, cum non possit eo tempore, quo Episcopus capit manipulum. Et certè decentius est, ut ipse Episcopus prædictas Orationes memoriter recitet, quàm ex libro, cum hoc sit valdè incommodum, & ipsi, & Ministris.

XIII. Cum Episcopus exuet cappam, dicit Orationem, *Exue me*, &c. quam cappam Caudatarius Episcopi, aut alius Capellanus deponet in aliquo congruo, & occulto loco; & dicta per eundem Oratione, *Da Domine, virtutem*, &c. pro lotionem manuum, extractisque

per eisdem Diaconos annalis, si quos habet, licet Cær. Ep. l. 1. c. 7. id assignet Presbytero assistenti, quod fortè intelligit promiscuè, id est, ut parùm referat, si Presbyt. ipse, aut Diaconi ipsos detrahant; lavat sedens manus, & tunc laici tantùm, & Clerici omnes, præter Canonicos, & Prælatos, debent genuflectere, nisi adesset Legatus, aut alius dignior Episcopo; quo casu non debet permittere, ut Ministri genuflectant.

XIV. Cum verò sumitur aqua ex Abaco pro lotionem manuum Episcopi ab aliquo viro nobili, poterit fieri prægustatio illius ad Abacum à scutiferis eam suggerentibus, vel aliis ministris, ut supra dictum fuit. Sed si ipsi portantes aquam non sunt ex nobilibus civitatis, sed ex ipsis Scutiferis, seu familiaribus Episcopi, non utique ea forma portabunt, prout isti nobiles; sed dextera manu urceum cum aqua, sinistra verò lancem; & cum fuerint ante Episcopum genuflexi, infundunt paululum aquæ super labium ipsius lancis, eamque præsentè Episcopo degustant; tum aquam, supposita lance, super manus Episcopi infundunt.

XV. Dum autem procedunt, vir iste nobilis, aut Scutiferi prædicti, Cæremoniaris, aut Caudatarius, aut alter designatus Capellanus defert mantile plicatum, quo Episcopus manus extergere debet, illudque dat Presbytero assistenti, vel duobus Capellanis; qui dum Episcopus lavat se, genuflexi hinc inde, tenent illud extensum sub lance, per quatuor cornua, pro tergendis manibus ipsius Episcopi; quibus lotis, tradunt mantile prædicto Presbytero, qui illud extendit super manus Episcopi, ut eas extergat; vel si non ibi sit, ut infra ad Offeritorium, ipsi Capellani extendunt illud mantile cum debitis reverentiis, & osculis illius: & sic videtur intelligendum Cæremoniale, quod l. 1. c. 7. assignat mantile Assistenti, & l. 2. c. 28. duobus Capellanis prædictis, ita ut prædicta loca possint conciliari hoc modo. Lotis manibus, reponuntur ei annuli ab iis, qui illos priùs extraxerant. Et hæc forma lotionis manuum servatur semper, quando Episcopus intra Missarum solemnia, & in aliis sacris quibusdam actibus publicè lavat manus.

XVI. Statim lotis manibus, adsint Acolythi præfati, qui afferant modestè, & decenter ambabus manibus ex altari paramenta Epif-

copi, quæ eis per Ministrum aliquem, sive per secundum Cæremoniarium tradatur per ordinem, efficientes quasi unam longam rectam lineam, unus post alium; videlicet amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stolam, Pluviale, & Mitram; quibus induitur Episcopus per Diaconum à dextris, & Subdiaconum à sinistris paratos præsentè, & inspiciente Cæremoniaris, ut supra, cum debitis reverentiis, hoc modo; videlicet Diaconus, & Subdiaconus capientes singula paramenta de manibus Acolythorum, quisque eorum à latere suo adjuvat vestiendo Episcopum, sed principaliter Diaconus omnia operatur: Subdiaconus verò solummodò coadjuvat, quando opus est.

XVII. Advertant autem prædicti Acolythi, ut priùs genuflectant altari, antequam capiant paramenta; quibus sumptis, facta iterum genuflexione, accedunt ad sedem Episcopi cum iis; & advertant ut dum deserunt paramenta, partes anteriores ipsorum habeant extra se, posteriores versùs seipos, sicut diximus de Ministro de Mitra suo loco, (dempta stola, cujus partem exteriorem, ubi est crux, portant versùs se) ut ea facilius, & decentius ministri sacri accipere, & iis Episcopum induere possint. Episcopus autem tunc sibi ipsi biretum deponit, & tradit servandum, & deponendum in loco, ubi posita est cappa illius; non enim eo opus est amplius, nisi post Missam, licet aliqui contrarium faciant contra Cæremoniale; & quia dicit Orationes ad paramenta, ad quæ debet stare, & nudo capite.

XVIII. Amictum ergo primò offerunt Episc. osculandum in medio, ubi est designata parva crux, quam in parte priùs osculatus etiam Diaconus; mox illam diligenter aptant circa collum Episcopi, ita ut vestium summitates, quæ vulgò collaria vocantur, omninò tegat; deinde cordulas ex eo pendentes, post tergum ductas, & ante pectus reductas, strictè colligant.

XIX. Albam deinde accipiunt, eamque circa collum, humeros, & brachia distendunt, & aptant.

XX. Cingulum postea, quo albam constringunt, incipientes à tergo, & ante corpus illud religantes; tum Albæ extremitates, circum circa Acolythi sublevant, & aptant, ut æqualiter defluat, & vestes contegat.

XXI. Cru-

XXI. Crucem pectoralem postea Diaconus accipit, eamque etiam in parte prius osculatur, ipsi Episcopo osculandam præbet, & eam ejus collo imponit, ita ut ante pectus decenter pendeat.

XXII. Stolum deinde etiam in parte deosculatam propè Crucem offert deosculandam etiam Episcopo, eamque super ejus humeros applicat, ita ut nec ejus collum tegat, nec sit transversa in modum Crucis, sed æqualiter ante pectus pendeat; quod commodius fiet, si ei cordulæ raris, & ante sint annexæ, quibus firmari possit, ne huc, illucque vegetur.

XXIII. Pluviale postea ambo imponunt Episcopo: demùm Mitram ejus capiti imponit Diaconus.

XXIV. Episcopo sic parato, recedunt cum debitis reverentiis, & si Psalmi non sint completi, sedet, aliis postea sedentibus, Episcopus cum Mitra, & Presbyter Assistentes tunc accipit Pluviale suum.

XXV. Interim duo Diaconi Assistentes recedentes à sedibus suis, facta prius Episcopo debita reverentia, accedunt ad locum, ubi sunt eorum Dalmaticæ, eisque se induunt, accepto prius amictu super Rocchettum, si eo utantur, aut super Cottam tantùm ex consuetudine. Dum autem prædicti Diaconi parantur, assistunt Episcopo duo alii Diaconi illis proximi in suo habitu sacro, id est cum Dalmaticis; vel in eorum defectu, duo ultimi Presbyteri; & ibi remanent parati, donec alii jam parati redeant, ut infra.

XXVI. Dum repetitur Antiphona post Psalmos à Choro, Subdiaconus prædictus, vel alter, cui ex consuetudine Ecclesiæ competat, in habitu in quo repetitur, Capitulum cantabit eodem ritu, & iisdem reverentiis, quibus Epistolam, in loco, ubi legi solet Epistola, sibi ipsi librum tenens, dummodò nec Altari, nec Episcopo humeros vertat. Tunc Episcopus surgit cum Mitra, surgentibus omnibus, versa facie ad cantantem Capitulum; & sic stat, donec cantores cantent Responsorium ultimi versiculi post Orationem.

XXVII. Finito Capitulo, Subdiaconus reddit librum Cæremoniario, seu Ministro, & factis debitis reverentiis, tam Episcopo, quam Altari *respectivè*, redit ad locum suum. Et interim duo Acolythi, comite Cæremoniario, sumptis ante Episcopum duobus candlebris cum cereis accensis, accedunt cum

debitis genuflexionibus, & ibi versa sibi invicem facie, modò nec Altari, nec Episcopo terga vertant, stant ut ad Vesperas; Presbyter verò paratus ante Episcopum tenet librum super caput, assistentibus hinc inde de more Ministris de libro, & candela. Episcopus verò finito Responsorio, deposita tunc Mitra, quam ei auferit secundus Diaconus Assistens, stans prout erat, cantat in tono festivo: *Dominus vobiscum*, & Orationem; & dicto per Chorum: *Benedicamus Domino*, ipse Episcopus deposito Pluviali, à Diacono, & Subdiacono induitur Tunicella, qui constringunt cordulas hinc inde super humeros ejus positas; & deinde eodem modo Dalmatica, ipso Episcopo semper stante, & nudo capite. Tum sedet, & imponuntur ei Chirothecæ per eisdem Diaconum in dextera, & Subdiaconum in sinistra, manibus illi prius, & mox Chirothecis per eisdem deosculatis. Mox surgit Episcopus, & induitur ab iisdem Planeta, quæ hinc inde super brachia aptatur, & revolvitur diligenter, ne illum impediatur. Sed hoc tempore in multis locis aliter se res habet, cum Planetæ non sint ita amplæ, ut hujusmodi revolutiones sint necessariæ.

XXVIII. Si Episcopus uti possit Pallio, & eo die uti conveniat, affertur ex Altari per aliquem designatum Subdiaconum, vel eundem de Epistola, si aliter fieri non potest, ita ut partem duplicem ipsius sinistra teneat, velo aliquo supposito; quod Diaconus capiens, Episcopo offert osculandum in Cruce posteriori; & advertat, dum illud capit, ut partem duplicem Pallii capiat dextera manu, quam Subdiaconus prædictus tenet sinistra; simplicem verò sinistra: & dum illud imponit, Subdiaconus dextera elevat partem, quæ à tergo pendere debet, illudque aptant, ut humeros Episcopi ambiat, & pars duplex Pallii ponatur super sinistro humero Episcopi. Quo factò, idem Diaconus capit unam ex tribus spinulis, ab aliquo Acolytho in pelvicula allatis, ut suo loco diximus, videlicet pulchriorem, eamque infigit Cruci anteriori ante pectus existenti, aliam in Cruce sinistri humeri, tertiam Subdiaconus infigit Cruci posteriori; quæ omnia ita infigantur, ut tertio transeant per Crucem, non tamen Pallium perforent, neque Planetam tangant, & gemmæ spinulis appositæ remaneant

neant ad dexteram insipientis. Tum sedenti Episcopo imponitur per Diaconum Mitra pretiosa, sumpta de manibus Capellani de ea servientis, Subdiacono, idest secundo Diacono Assistente, vittas elevante.

XXIX. Demum imponitur per Presbyterum Assistentem annulus Pontificalis, annulari digito dexteræ manus Episcopi, annulo & manu prius deosculatis.

## ARTICULUS II.

*De Processione Episcopi ad Altare, & de Introitu Missæ usque ad Evangelium.*

**I.** Episcopo omnibus paramentis sacris induto, recedunt cum debitis reverentis duo Diaconi parati, qui paulò ante accesserant ad Episcopum; & duo primi Diaconi digniores, qui suprâ, accedunt ad eum cum debitis reverentiis, parati Dalmaticis. Diaconus verò de Evangelio cum suo Subdiacono jam parati accipiunt suos manipulos; & accedentibus Thuriferario, & Cæremoniario cum Thuribulo, & navicula, & ministrante Presbytero Assistente naviculam, imponit, & benedicit thus in Thuribulo, ut ad Vesperas.

**II.** Deinde Episcopus cum suis Ministris, facta reverentia Cruci, super Altare in dicto Sacrario existenti, processionali ritu procedit ad Altare, in quo est Missa celebranda, hoc ordine: Thuriferarius cum Thuribulo; tum Ceroferarii cum candelis accensis, medium habentes Capellanum habitu subdiaconali indutum, sine manipulo tamen, Crucem deferentem; deindè Clerici, & beneficiati Ecclesiæ cum suis cottis bini, à junioribus incipiendo; & si est celebrans Archiepiscopus, aut major habens privilegium, Crucem ante se deferri faciet; alias Crux non defertur. Hos sequuntur Canonici bini, incipiendo à minus dignis, & post illos Subdiaconus cantaturus Epistolam, portans ambabus manibus librum clausum Evangeliorum ante pectus, in quo includitur manipulus Episcopi: cujus partes extremæ, & latiores sint extra librum, & replicatæ versùs se, & desuper superiorem partem libri; tum Diaconus ad sinistram Presbyteri Assistentis Pluviali induti. Denique Episcopus cum

baculo pastorali in manu sinistra, cujus pars curva populum respiciat, ac dextera benedicens, si sit in sua Civitate, aut Diocesi, medius inter Diaconos Assistentes paratos; & hi omnes debent esse nudo capite, excepto solo Episc. cum Mitra.

**III.** Si autem Episcopus sumpsit paramenta in Presbyterio ad sedem, vel ad faldistorium, non fit hujusmodi Processio, sed procedit Episcopus sine Cruce, nec candelabris, nec Thuriferario, ad Altare; sed cum solis Ministris paratis, ut suprâ, & quibusdam aliis.

**IV.** Post Episcopum sequitur Capellanus de Mitra, & alii Capellani bini incedentes, videlicet de baculo à dextris illius de Mitra manibus junctis; tum Minister de libro à dextris Ministri de candela; postea Minister de ampullis à dextris Ministri de Gremiali, & alii, si tot sint, bini eo ordine, quem eis assignavit Cæremoniarius.

**V.** Cum Episcopus fuerit propè Altare, salutat exigua capitis inclinatione Canonicos jam apud sedilia stantes, & paratos, & ipsi Canonici faciunt ei profundam reverentiam; Ministri verò Episcopi regulariter salutant Canonicos profundius, quam ipse Episcopus.

**VI.** Si verò adest Legatus, aut Cardinalis, aut Archiepiscopus, vel alii Prælati, aut magnus Princeps, illos prius debet Episcopus cum Mitra salutare, & illi Episcopo aliquantulum assurgentes, nudo capite respondere; præter Cardinalem, qui non debet assurgere, sed tantum caput discooperire.

**VII.** Cum verò Subdiaconus ferens Crucem pervenerit ante Altare, eam deponit in aliquo loco congruo, sine ulla reverentia Altari; & Ceroferarii pariter candelabra sua deponunt super Abacum, & genuflectunt ibidem ad confessionem de more. Thuriferarius verò recedit ad partem Epistolæ, ubi etiam genuflectit. Episcopus autem cum pervenerit ante infimum gradum Altaris, reddito baculo pastorali Ministro, qui de eo servit, & deposita ei per Diaconum Evangelii Mitra, stantem à parte Evangelii, quam tradit Ministro de ea servienti, ibidem stanti facit profundam reverentiam Cruci super Altare positæ, simul cum suis Ministris; quorum soli sacri profundè se inclinant, alii verò non Canonici genuflectunt.

VIII. Interim recedunt alii Ministri non sacri, qui eum illuc usque sequuti fuerant, excepto eo, qui de baculo servit, qui genuflexus manet ad partem Evangelii in plano post Ministros sacros, & altero de Thuribulo, qui genuflexus manet à parte Epistolæ, sicut Ministri de Mitra, de ampullis, & de Gremiali, quod est super credentiam; Ministri verò de libro, & candela, accedunt ad partem Evangelii in plano, ubi etiam manent genuflexi; Diaconi verò Assistentes, facta reverentia altari, paululum recedunt cedentes locum Presbytero Assistenti, & Diacono Evangelii, post quos stare debent, dignior scilicet retrò post Presbyterum Assistentem, & alter post Diaconum Evangelii.

IX. Episcopus autem habens à dextris Presbyterum Assistentem, & à sinistris Diaconum, & apud eum modicum retrò Subdiaconum, qui tunc relinquit librum Evangeliorum in manibus Cæremoniarum ibidem genuflexi, facit cum eis confessionem ad eam aliquantulum inclinatus, manibus junctis, præmissa etiam de more, *Judica me Deus, &c.*

X. Interim cessat sonitus organorum, chorus verò, & non prius, incipit Introitum, confessionem facit Episcopus, ut in ordinario, convertens se ad ministros, & caput eis inclinans, dum dicit, *Vobis fratres, & Vos fratres, & Misereatur vestri*; illi verò pariter ei respondent in singulari, *Et tibi Pater, & Et te Pater, & Misereatur tui*. Quæ dum dicunt, caput versùs Episcopum profundius inclinant.

XI. Cùm Episcopus dicit, *Indulgentiam, absolutionem*. Subdiaconus capit manipulum, qui fuerat inclusus in libro Evangeliorum, & eo dicto, illum imponit sinistro Episcopi brachio cum osculis manus, & manipuli, & strictè religat. Canonici parati stante in locis suis, faciunt simul Confessionem bini incipiendo à Psalmo *Judica*, similiter alii, qui non cantant, si qui erunt parati etiam stantes; & si non sint Canonici, aut si Canonici non sint parati, genuflexi eam faciunt bini, & laici omnes, quicumque sint tunc genuflectunt.

XII. Finita confessione, & dicto *Oremus*, Celebrans Episcopus ascendit ad altare dicens, *Aufer à nobis, &c.* ut in Missali (licèt hic l. 2. c. 8. dicatur, ut inclinatus ante alta-

re dicat, *Aufer à nobis, &c.* quia Missale recognitum post Cæremoniale id docet) & ad Altare inclinatus, dicit de more *Oremus te Domine, &c.* & osculatur altare, ut in Ordinario Missæ; & cum ascendit, Presbyter assistens, & Diaconus adjuvant à parte sua Episcopum, dum ascendit, & aliquantulum elevant partes anteriores vestis suæ, & mutant loca sua, accedente Presbytero ad partem Evangelii, & Diacono, per gradum inferiorem, ad partem Epistolæ.

XIII. Tunc surgunt omnes Ministri, & Subdiaconus, sumpto libro de manu Cæremoniarum, ascendit ad partem Evangelii, & dicto, *Oremus te Domine, &c.* & osculato altari ab Episcopo; ipse Episcopus ambabus manibus librum tangens sibi à Subdiacono à sinistris stante oblatum in folio Evangelii currentis, illum osculatur in principio Evangelii, adjuvante Presbytero assistente, aponendo manus ad librum; qui statim recedit extra cornu Evangelii, & stat in plano versa facie cum libro ad altare.

XIV. Tum accedit Thuriferarius cum thuribulo, & navicula, quam Diacono porrigit, & ille Episcopo, qui stans adhuc sine Mitra, contra quosdam, imponit, & benedicit thus more solito, Thuriferario genuflectente, & sumpto Thuribulo de manu Diaconi, thurificat altare more solito.

XV. Deinde reddit Thuribulum Diacono in cornu Epistolæ, & sumpta Mitra pretiosa à digniori Diacono, qui solus propterea accedit ad cornu Epistolæ, stans ibidem manibus junctis, à Diacono Evangelii, stante ad partem ipsius cornu Epistolæ in plano, incensatur, & statim dat ei benedictionem. Tum etiam cum Mitra recta descendit ad medium plani Presbyterii, ita ut non tergavertat Cruci in medio altari existenti, & facta ibi Cruci reverentia, accipit baculum, & inde medius inter Diaconos vadit ad sedem suam, eumque sequitur Presbyter assistens cum libro, quem tradit ministro de eo; alii etiam Episcopum sequuntur, qui ei inservire debent ibidem.

XVI. Diaconus verò, & Subdiaconus remanent apud altare, stantes prout Episcopus, vel sedentes super sedem nudam ibidem positam, ita ut Diaconus sit directè è regione dignioris Diaconi, non verò Episcopi, eumque respiciat, & Subdiaconus à sinistris ejus.



XVII. Episcopus verò itans in sede sua, deposita Mitra, & facto signo crucis versus altare, legit Introitum ex libro, quem sustinet. Capellanus de eo serviens supra caput, altero candelam tenente accensam, quam jam accenderat priùs in Sacristia, vel Secretario, Assistentes verò hinc inde ostendunt digito, quæ sunt legenda, & vertunt folia.

XVIII. Deinde dicit cum suis Ministris alternatim respondentibus, *Kyrie eleison*, idemque dicunt Diaconus, & Subdiaconus inter se apud altare, & Canonici in choro, si adsit chorus Cantorum.

XIX. Quo dicto, sedet, & primus Diaconus imponit illi biretum cum osculo illius & postea adhuc Mitram pretiosam. Interim verò Acolythus, seu Capellanus deputatus, sumpto Gremiali de Abaco, desert cum debitis genuflexionibus illud plicatum ante pectus, & tradit illud secundo Diacono, qui illud super genua Episcopi sedentis cum debitis reverentiis ante, & post, extendit, & pariter omnes sedent, scilicet Presbyter Assistens, ut ad Vesperas, duo Diaconi Assistentes hinc inde à lateribus Episcopi, in scabellis nudis; alii verò Ministri minores super gradus altaris, vel potius semper stant; Ceroferarii à lateribus Abaci, Thuriferarius, & Minister de ampullis à parte Epistolæ propè altare, alii à parte Evangelii etiam propè altare, & parietem ipsius altaris; possunt tamen isti quatuor sedere in inferiore gradu solii Episcopi, si commode fieri potest; si verò altare sit in medio Ecclesiæ, & Episcopus directè sit ante illud, quatuor qui stant ad partem Evangelii, stant hinc inde prout opus erit, & secundum situm loci, & possunt sedere in infimo gradu sedis Episcopalis.

XX. Cum cantatur à Choro ultimum *Kyrie*, surgunt omnes Ministri, aufertur Episcopo adhuc sedenti per Diaconum, qui est à sinistris, Gremiale, quod tradit Ministro (qui illud osculatur, plicat, & servat apud se, & recedit) & per eundem Diaconum Mitra, biretum verò ab Assistente à dextris, complanatis cum eo capillis, quod penes se retinet; sed Mitra, & Gremiale traduntur Ministris ea servantibus. Cæremoniae hic l. 2. c. 8. præcipit dandum esse Gremiale à Ministro Diacono à dextris, & l. 1. c. 12. præcipit dandum alteri; sed hoc

promiscue videtur intelligendum, vel fortè hæc loca videntur ita concilianda, ut hic locus intelligatur, quando Episcopus celebrat in sede; alter verò locus, quando in baldistorio; sed parim refert.

XXI. Finito ergo à choro, *Kyrie*, surgit Episcopus tunc adjuvantibus eum Ministris assistentibus, versa facie ad altare, & allato ante eum libro, & candela, si ea uti velit, cantat de more, *Gloria in excelsis Deo*, ut in Missali, extendens, elevans, & iterum jungens manus, & ad verbum, *Deo*, caput inclinans. Librum verò tunc sustinet Presbyter assistens, sicut quando Episcopus aliquid cantat regulariter in sede, quo casu Minister, qui alias servit de libro, adjuvat ad sustinendum illum; secus quando Episcopus submissa voce legit, tunc enim cantato ab Episcopo, *Gloria in excelsis*, & *Credo*, inchoato, aut alia re, statim idem Minister de libro recipit illum de manibus Presbyteri assistentis. Diaconi verò Assistentes hinc inde, indicant digito legenda, & vertunt folia.

XXII. Postquam Episcopus incepit cantando præfatum Hymnum, prosequitur illum submissa voce cum suis ministris simul, & non alternatim. Diaconus, & Subdiaconus, ac Prælati, & Canonici in suis locis idem bini simul faciunt, si non cantent; & in fine Episcopus sedet, & Mitram simplicem sumit, & Gremiale, quod semper ambabus manibus hinc inde extensis juxta duos superiores angulos extensum retinet, ut jam diximus; & similiter sedent omnes, usquequò per chorum perficiatur Hymnus cum organo. Quo finito, & organo cessante, surgit Episcopus, depositis priùs Gremiali, & Mitra, surgentibus omnibus, ut priùs, & stans versus populum, elevatis, & statim junctis manibus, cantat, *Pax vobis*; deinde conversus ad altare, extensis, & statim junctis manibus, *Oremus*, & Orationem, ut in Rubricis Missalis; qua dicta, seu pluribus, si dicendæ sint, sedet cum Mitra, & Gremiali, ut supra.

XXIII. Circa finem Orationis primæ, seu ultimæ, Subdiaconus accipiens librum à Cæremoniario, factis debitis reverentiis altari, & Episcopo, comite ad ejus sinistram eodem Cæremoniario, & sibi ipse tenens librum, extra Presbyterium à latere Epistolæ, vel ubi ita consuetum est, in ambone can-

rat Epistolam alta voce. Qua finita, & factis debitis reverentiis, portat eodem modo, quo supra, librum clausum ad Episcopum, quem inclinatus porrigit illi super ejus genibus, & manum dexteram illius super libro positam, reverenter osculatur, & habito signo Crucis ab Episcopo, redit ad Altare, & ibi expectat, donec fuerit tempus eundi ad Evangelium.

XXIV. Interim accedunt duo Ministri de libro, & de candela ante Episcopum, qui genuflexi manent, vel stantes, prout placuerit Episcopo, qui sedens, ex eodem libro legit Epistolam, & alia usque ad finem Evangelii, quod antequam incipiat, dicit, *Munda cor meum, & Jube Domne, &c. & Dominus sit in corde meo, &c. & Dominus vobiscum*, cui Diaconi assistentes, respondent stantes: *Et cum spiritu tuo*; & legens titulum Evangelii, signat pollice dextro textum Evangelii, tum seipsum in fronte, ore, pectore, mox junctis manibus prosequitur Evangelium; quo finito, assistentes respondent ei: *Iustus tibi Christe*. Sed si Episcopus non sit in sua Ecclesia, Subdiaconus osculata manu Episcopi, tenet ante eum Missale apertum, ex quo Episcopus legit, quæ supra. Et interim omnes sedent. Si tamen Epistola sit prolixa, & alia, quæ sequuntur, decet, ut Ministri de libro, & candela accedant ad Episcopum post finem orationum, antequam teneant librum ad legendam Epistolam, & alia, ac si esset in sede.

XXV. Cum cantatur ultimus versus Gradualis, seu Tractus, seu *Alleluja*, seu Sequentiæ, vel tempestivius, Diaconus sumpto libro Evangeliorum, factaque reverentia Episcopo, illum clausum congruenti mora ad Altare desert, prius ei inclinans se profundè (hic c. 8. assignat genuflexionem, sed videtur tantum inclinandum, quia non est ibi Sanctissimum Sacramentum, & quia Diaconus est Canonicus) in infimo gradu, & collocat illum in medio Altaris; tum facta iterum reverentia, vadit ad Episcopum, cujus manum reverenter osculatur cum debitis reverentiis ante, & post, sine benedictione; tum reversus ad Altare, genuflexus super infimum gradum, dicit secretò: *Munda cor meum*, & deinde capit librum, & eumdem portat ante pectus, & apud Altare ante cornu Epistolæ expectat in plano.

XXVI. Interim accedit Thuriferarius, comite Cæremoniario, cum Thuribulo & navicula, & ministrante illam Presbytero assistente, Episcopus imponit, & benedicit incensum. Tum Thuriferarius, recepta navicula de manu Presbyteri Assistentis, redit ad Altare cum debitis genuflexionibus ad cornu Epistolæ, nisi tempus instet, & ibidem cum Ceroferariis, Diacono, & Subdiacono, expectat, donec tempus sit eundi ad cantandum Evangelium.

XXVII. Circa finem ultimi versus Gradualis, vel Tractus, vel *Alleluja*, aut Sequentiæ, Thuriferarius, Ceroferarii, Subdiaconus, & ultimò Diaconus portans librum Evangeliorum clausum ante pectus, facta Altari profunda inclinatione à Diacono, & Subdiacono, & ab aliis genuflexione, veniunt ante Episcopum, ubi Diaconus profundè inclinatus, habens alios Ministros post se, exceptis Subdiacono, qui stat à sinistris ejus, & Cæremoniario, petit benedictionem voce intelligibili, dicens: *Jube Domne benedicere, &c.* cui Episcopus responder: *Dominus sit in corde tuo, &c.* & facit super eum signum Crucis. Tum Diaconus facit Episcopo profundam reverentiam. Ministri verò, qui cum eo sunt, manent hinc inde genuflexi, excepto Subdiacono, qui tantum se inclinatus cum Diacono profundè à sinistris ejus, donec Episcopus benedixerit, quia tunc non debet genuflectere, & statim procedunt ad Evangelium cantandum, hoc ordine: Præcedit Cæremoniarius, mox Thuriferarius cum Thuribulo, & navicula, tum Ceroferarii cum candelabris, & cereis accensis, deinde Subdiaconus manibus junctis, ultimò Diaconus librum Evangeliorum portans clausum ante pectus, & transeuntes ante Altare, faciunt illi debitam reverentiam cum inclinationibus, vel genuflexionibus, si id fieri debeat, quia regulariter hic transitus non fit, nisi Episcopus celebret in faldistorio.

XXVIII. Si verò locus Evangelii sit, ubi nunc est ferè in omnibus Ecclesiis, non est opus tanto progressu; sed sufficit, ut locent se ante Episcopum, ubi nunc solet Evangelium decantari. Sed fortè, quæ hic assignantur faciendæ, intelliguntur, quando Altare multum distat ab Episcopo, vel quando Episcopus celebrat in faldistorio.

XXIX. Cum pervenerit ad locum Evangelii, Subdiaconus medius inter Ceroferarios tenet librum Evangeliorum ante pectus apertum, cujus superior pars capiti ejus adhæreat, vertens renes, non quidem Altari, sed versùs ipsam partem dexteram, quæ pro ipso Aquilone figuratur. Si verò in Ecclesia fuerint Legilia, vel Ambones, in illis poterit Evangelium decantari; videlicet, si cantatur in legili, seu pulpito, Subdiaconus stabit post illud, quod panno aureo, vel serico coloris cæterorum ornamentorum coopertum, & ornatum esse debet, amplectens ipsum Legile à lateribus ejus, & ambabus manibus hinc inde librum tangens. Quòd si cantabitur in ambone lapideo, ad quem per gradus ascenditur, prout adhuc in pluribus Ecclesiis juxtà consuetudinem hujusmodi ambones reperiuntur, tunc Subdiaconus assistet, & ministrabit Diacono opportunè à latere ejus dextero, videlicet porrigenz Thuribulum, & vertens folia libri Evangeliorum, cum opus erit, & tunc etiam signabit se, & genuflectet, prout Diaconus.

### ARTICULUS III.

De Evangelio, & aliis usque ad Præfationem.

I. **D**iaconus, cum tempus est, junctis manibus ante pectus, incipit Evangelium, & cum dicit; *Dominus vobiscum*, Episcopus depositis Gremiali, & Mitra surgit; & cum Diaconus dicit: *Sequentia*, vel *Initium sancti Evangelii*, &c. signat textum Evangelii, deindè se ipsum in fronte, ore, & pectore.

II. Episcopus autem sumpto baculo pastoralis, eodem modo signat se in fronte, ore, & pectore, quod & faciunt omnes alii, tum ipse Episcopus retinet baculum inter ambas manus suas junctas, stans versùs Diaconum cantantem; & cum respondetur à Choro: *Gloria tibi Domine*, Diaconus sumpto Thuribulo à Thuriferario, incensat librum, ut suprà diximus de Diacono. Tum manibus junctis prosequitur Evangelium de more, inclinans se profundius ad nomen *Jesu*, quàm ad nomen *Mariæ*: Subdiaconus autem, & Ceroferarii perstant immobiles,

ut suprà, Subdiaconus genuflectat, si stet à dextris Diaconi.

III. Finito Evangelio, Subdiaconus, nulla prorsus facta reverentia, ut diximus, defert librum osculandum ad Episcopum, qui illum osculatur, & libro clauso, facit Episcopo, & postea Altari debitam reverentiam; Diaconus autem, & alii factis debitis reverentiis, eodem ordine, quo venerant, revertuntur, excepto Thuriferario, qui accedit ad Presbyterum assistentem, qui sumpto Thuribulo Episcopum incensat de more; Ceroferarii verò finito Evangelio genuflectunt Episcopo, & recedunt etiam Altari genuflectentes.

IV. Si cantetur Evangelium ante Episcopum in cornu Evangelii, ut hoc tempore fit in multis locis, Subdiaconus dum illud cantatur, stat vertens renes, quasi versùs parietem Altaris, faciem vertens ad Occidentem, saltem imaginarium, sicut & Ceroferarii; Diaconus verò è contra, itaut Subdiaconus humerum sinistrum vertat ad cornu Evangelii; Diaconus verò respicit Subdiaconum in Capella Sanctissimi.

V. Si erit habendus Sermo (quem Episcopo celebrante ab eo fieri convenit, vel ab aliquo Canonico Presbytero) si quidem Episcopus erit concionaturus, id faciet in propria sua sede, quando est versa ad populum; vel quando Altare adhæret parieti, apud Altare, sedens ibi super faldistorio, aut sede ad id parata, versis Altari renibus. Sedebunt ad ejus dexteram Presbyter assistens, & modicum post eum, à dextris tamen ejus, Diaconus Evangelii, & à dextris ejus primus Diaconus; à sinistris verò Episcopi sedebunt Subdiaconus, & à sinistris ejus secundus Diaconus assistens; expletoque sermone, Diaconus Evangelii recedit, & stans tunc ad sinistram Episcopi aliquantulum inclinatus, faciet confessionem ante Episcopum, ut suprà de ejus officio diximus: qua finita, Presbyter assistens pronuntiat Indulgentias, & Episcopus stans sine Mitra, in eodem loco legit absolutionem, videlicet: *Precibus, & meritis, &c.* & dat benedictionem; & si est Archiepiscopus, dat benedictionem nudo capite, Cruci priùs se inclinans, & statim, si Episcopus ante Altare Sermonem habuit, redit ad sedem suam, ubi dicit: *Credo*, & *Dominus vobiscum*, prout convenit.

VI. Si verò Sermo habendus sit per

Canonicum ( qui eo caſu debet eſſe in habitu ordinis, ſeu dignitatis ſuæ ) ſuo tempore ibit ad oſculum manus Epifcopi, & ab eo profundè inclinatus petet benedictionem, & Indulgentias, in forma, prout ſuo loco explicabitur, & ſic paratus habitu ſuæ dignitati convenienti, aſcendet ad pulpitum, ſive ambonem, & faciet ſermonem; ac deindè finita per Diaconum confeſſione, quam facit directè ante Epifcopum in plano, tunc, quia Epifcopus eſt in folio ſuo, in eodem loco publicabit Indulgentias, in forma, prout ſuo loco dicitur. Epifcopus verò legit abſolutionem, & dat benedictionem, ut ſuprà.

VII. Quòd ſi ſermo habendus non ſit, ipſe Epifcopus ſtatim incenſatus poſt Evangelium, converſus ad Altare, incipit cantando ex libro per Presbyterum Aſſiſtentem ſuſtentato, aliis coadjuvantibus, ut ſuprà: *Credo in unum Deum*, quod cum ſuis Miniſtris ſubmiſſa voce proſequitur; pariter & Diaconus, & Subdiaconus apud altare, & Canonici illud inter ſe dicunt; & ad verſiculum: *Et incarnatus eſt*, &c. Epifcopus genuſcctit, & pariter omnes alii genuſcctunt de Choro.

VIII. Quo finito, ſedet Epifcopus cum Mitra, & Gremiali, & omnes ſedent, & cum prædictus verſculus cantatur in Choro, pariter Canonici ſedentes capite nudo, & Epifcopus cum Mitra, & omnes alii profundè inclinant caput verſus Altare; alii genuſcctunt, donec perficiatur dictus verſculus. In nocte verò, & die Nativ. Domini, & in die Annunciationis B. M. Epifcopus cum Mitra apud ſuam ſedem, ac Canonici, & omnes alii in locis ſuis genuſcctunt, dum cantatur iſte verſculus in Choro; & eo finito, omnes ſedent.

IX. Diaconus deindè accedit ad Abacum, & capit de manu Cæremoniarum burlam cum Corporalibus, quam ambabus manibus, elevatis uſque ad oculos, cum decenti mora, ac greſſu, ac cum debitis reverentiis Choro, dum tranſit ante illum, Epifcopo, & Altari, portat ad Altare, ubi extrahit Corporalia, eaſque explicata ponit ſuper Altare in medio, burlam verò ſeoriſm in eodem Altari collocat verſus cornu Evangelii, ita ut non præbeat impedimentum; & ſtatim factis Epifcopo, & Altari reverentiis, redit per gradus laterales ad locum ſuum, & ſedet.

X. Circa finem Symboli, furgunt omnes Miniſtri; eo verò prorsus cantato, furgit

*Man. Sacr. Cærem.*

Epifcopus, depoſitis, ut ſuprà, Gremiali, & Mitra; & ſtans in ſua ſede, cantat verſus populum: *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, manibus prius parumper extenſis, & mox ſtatim junctis, & inclinans caput. Quòd ſi federet in faldifitorio, ſervare debet regulam ſuprà traditam, vertendo ſe ad populum, vel ad Altare, ut ſuo loco; legit mox Offeritorium ſubmiſſa voce, ſed intelligibili, ſtans, ex libro quem tenet Miniſter de eodem, ut ſuprà.

XI. Norandum obiter, quòd quando dicitur, ut Epifcopus, ſive in ſede, ſive in faldifitorio, dicat aliquid verſus Altare, hoc non eſt intelligendum, ut ſit omninò è regione Crucis Altaris in medio ejus poſitæ; ſed ita ut reſpiciat directè parietem, quæ eſt collateralis Altari. Quando enim eſt in ſua ſede, & ibi cantat aliquid, eſt è regione partis Epiſtolæ; & quando dicit: *Dominus vobiscum*, vel: *Pax vobis*, aliquantulum convertit ſe ad populum.

XII. Lecto Offeritorio, Presbyter Aſſiſtens portat librum, quem accipit de manu Miniſtri de eo, eumque cum pulvino, facta debita reverentia Epifcopo, portat comite Cæremoniarum ad Altare, ad quod etiam profundè ſe inclinat; & eum ponit ſuper dictum Altare in cornu Evangelii, propè Corporale, apertum in folio, ubi ſunt ea, quæ Epifcopus lecturus eſt, ſuppoſito pulvino; vel præmittit miniſtrum de libro, qui facit ſupradicta, ut jam alibi diximus; ibique extra cornu expectat Epifcopum: qui ſtatim lecto Offeritorio ſedet, & accipit Mitram pretioſam, & deponit Annulum & Chirothecas, quæ omnia extrahuntur à Diaconis Aſſiſtentibus quas Chirothecas tradunt alicui Miniſtro, vel illi, qui de Gremiali ſervit, ut eas ſtatim deferat ad Abacum; & accedente Scutiſero, vel alio nobili, Epifcopus lavat manus, & tergit juxta formam ſuo loco præſcriptam.

XIII. Interim Organum tangitur, ſi erit, vel poteſt aliquid decantari, ut in Capella, in qua nulla ſunt unquam Organa.

XIV. Diaconus ſtatim lotis manibus, reſumit annulum, & Miniſtri de aqua, & de mantili redeunt, cum debitis genuflexionibus Epifcopo, & Altari, ad Abacum, ubi deponunt lances, & manutergium.

XV. Epifcopus verò furgit, accipiens manu ſiniſtra baculum paſtoralem, & medius inter duos Diaconos Aſſiſtentes, ac ſubſequentibus Miniſtris de Mitra, Ba-

culo, libro, & candela, ut supra, procedit ante infimum gradum Altaris per planum; ubi depositis baculo, & Mitra, factaque profunda reverentia Cruci, ascendit ad Altare, auxiliantibus ipsi ascendenti gradus Presbytero Assistente à sinistris, & Diacono Evangelii à dextris; & cum fuerit ante Altare, illud in medio osculatur, manibus hinc inde extra corporale extensis.

XVI. *Præster*, postquam Episcopus lavit, ac terfit manus, accedit ad Abacum, ubi velum illud sericum, quo calix, patena, & alia super ipsam mensam cooperiebantur, circumcirca humeros accipit, Acolythis adjuvantibus; ita ut longius pendeat à parte dextra; deinde capit calicem sinistra per nodum (licet hic c. 8. dicat, dextera, quia videtur contra Rubricas Missalis emendati, quæ præcipiunt sinistram) super cujus Patenam duæ sunt Hostiæ mundæ palla coopertæ, ac dictam partem longiorem veli super ea extendit, dexteramque super ipsum velum & calicem leviter apponit, ne aliquid decidat; & sic ad Altare procedit cum Cæremoniario, quem sequitur Acolythus, urceolos vini, & aquæ portans, sumptos ex eodem Abaco, in aliqua pellicula ad id destinata, & prægustatos à Credentiariis, seu Scutiferis, ita ut eodem tempore cū Episcopo ad Altare perveniant; ubi Subdiaconus remota parte veli longiore, calicem cum patena ponit in cornu Epistolæ.

XVII. Diaconus verò capit de manu Subdiaconi patenam cum Hostiis, ex quibus unam accipiens, & cum ea tangens alteram, & patenam, & calicem, intus, & extra, eandem Sacrifiæ ibi præfenti prægustandam præbet; mox patenam cum altera Hostia ad manus Episcopi cum osculo porrigit, qui illam ambabus manibus ante pectus elevatam tenens, & oculos sursum dirigens, dicit: *Suscipe Sancte Pater, &c.* & in fine faciens signum Crucis cum ea, collocat Hostiam super Corporale versus se; patenam verò ponit super Altare ad partem Epistolæ: non enim videtur ponenda sub Corporali, quod innuit Cæremoniale c. 8. quia Missale aliter sentire videtur.

XVIII. Interim Diaconus parum vini, & aquæ ex ampullis, quas ibidem Acolyth. tenet, in aliquem cyathum infundit, ex quo Sacrifiæ illud bibit; mox calicem tergit purificatorio, & accepto de manu Subdiaconi ur-

ceolo vini, quem illi Acolythus ministrat; imponit vinum in calicem, quantum sufficit, ad beneplacitum Episcopi aspicientis. Subdiaconus verò urceolum aquæ parumper versus Episcopum elevans, dicit: *Benedicite Pater Reverendissime, vel Eminentissime, si sit Cardinalis: Episcopus autem facto versus eum signo Crucis dum infundit pauculum aquæ in calicem, manibus junctis dicit Orationem: Deus qui humana substantia, &c.*

XIX. Diaconus deinde porrigit ad manus Episcopi calicem, cum osculo calicis, & manus; quem ille ambabus manibus accipit, dextera scilicet nodum, sinistra pedem illius tenens, illumque offert, dicens simul cum Diacono Orationem: *Offerimus tibi Domine, &c.* tangente & ipso calicem. Qua dicta eundem calicem, facto cum eo signo Crucis, ponit super Corporale, in medio retrò Hostiam, ita ut Hostia sit inter ipsum celebrantem, & Calicem, quem Diaconus palla cooperit. Tum idem Diaconus capiens Patenam, ponit eam in manu dextra Subdiaconi, ac extremitate veli, ab ea parte pendentis, contegit; quam Subdiaconus in suo loco post Diaconos assistentes spatio congruente stans, facta prius Altari reverentia, sustinet elevatam usque ad *Pater noster*.

XX. Deinde prosequitur Episcopus alia usque ad incensationem inclusive, quæ in Missali ordinata sunt.

XXI. Incensato autem Altari, reddit thuribulum Diacono in cornu Epistolæ, dicens: *Accendat in nobis Dominus, &c.* Et sumpta Mitra pretiosa à primo Diacono Assistente, ut initio Missæ, vel eo deficiente à Cæremoniario, vel altero, thurificatur à Diacono triplici ductu; quem postea Episcopus benedicit, & statim lavat manus more solito, dicens *Psal. Lavabo inter, &c.* ministrantibus mapulam pro illis tergendis Assistentibus duobus Capellanis, vel illis deficientibus, Cæremoniario cum aliquo alio Acolythro.

XXII. Interim Diaconus thurificat Presbyterum, & Diaconos Assistentes, Dignitates, Canonicos, Magistratus, Nobiles, & alios de Choro, ordine suo loco explicato, parte secunda.

XXIII. Postquam Episcopus laverit manus, & absterferit, aufertur ei Mitra à prædicto Diacono, vel alio, qui eam ante imposuit; quam Minister de ea serviens reportat ad

ad Abacum, & ibi stat. Episcopus verò rediens ad medium altare, dicit de more *Sancti Trinitas*, inclinatus, & junctis manibus super altare, ut in Missali. Tum convertit se ad populum, & dicit: *Orate fratres*, &c. postea Orationem, seu Orationes Secretas, ut notatur in Rubricis Missalis.

ARTICULUS IV.

De Præfatione usque ad finem Missæ.

I. **C**um autem venerit ad conclusionem, idest ad, *Per omnia sæcula*, &c. positis hinc inde super altare manibus, clara voce cantando profert; deinde, *Domine vobiscum*, & dicens, *Sursum corda*, manus aliquantulum elevat; ac dicens, *Grazias agamus*, &c. manus elevatas jungit, in verbo, *Deo nostro*, oculos elevans, ac statim aliquantulum caput inclinans: mox disjungit manus, easque expansas tenet ante pectus, usque ad finem Præfationis, & cum dicit, *Sanctus*, &c. eas iterum jungit, capite aliquantulum inclinato, proseguens cætera cum Ministris, videlicet Presbytero assistente, & Diacono, qui paulò ante, *Sanctus*, cum debitis reverentiis ad eum accedit: & cum dicit, *Benedictus qui venit*, &c. erectus tunc se signat, manu sinistra infra pectus posita, ex Missali emendato (licet hic assignet sinistram super altare.)

II. Tum Episcopus incipit, & profequitur Canonem, ut in Missali, quem adjuvat Diaconus, elevando Dalmaticam ad brachium, & cooperiundo, ac discooperiundo calicem dum signat, & alios actus facit, attente, & devote, usque ad elevationem, ut in Missali. Subdiaconus verò non movet se de loco suo. Advertat Episcopus, ut verba, *Antiphona nostro*, &c. proferat secundum regulas in Rubricis Missalis positas, videlicet, *Me indigno servo tuo*, &c.

III. Interim quatuor, aut ad summum octo Ministri cottis induti afferunt totidem funalia ceræ albæ accensa, & factis debitis reverentiis, collocant se genuflexi hinc inde à lateribus Subdiaconi tenentis patenam, vel si sit magis commodum, ad latera altaris.

IV. Tunc verò omnes, tam in choro, quam extra, genuflectunt, præter Assistentes, ac Diaconum, & Subdiaconum, qui

nonnisi cum celebrante genuflectunt, & cum elevatur SS. Sacramentum.

V. Cum Episcopus profert verba Canonis: *Quam oblationem*, Diaconus accedit ad ejus dexteram, advertens ad discooperiendum, & cooperiendum calicem, dum opus est, ut in Missali. Cum SS. Sacramentum elevatur, genuflexus sublevat extremitatem planetæ Episcopi, ut in ejus officio diximus.

VI. Interim Thuriferarius, posito thure in thuribulo sine benedictione, ut suo loco diximus, seu Cæremoniarius, thurificat SS. Sacramentum ad utramque elevationem. Chorus profequitur cantum usque ad, *Benedictus qui*, &c. exclusivè, quo cantu finito, & non prius, elevatur SS. Sacramentum. Tunc filet chorus, & adorat cum aliis. Organum verò, si habetur, tunc cum omni melodia, & gravitate pulsandum est.

VII. Elevato Sacramento, chorus profequitur cantum, *Benedictus qui venit*, &c. Ministri habentes funalia surgunt, & factis debitis genuflexionibus, discedunt, funalia extra Presbyterium extinguunt (nisi facienda sit Communio, quia tunc remanent usque ad finem Communionis) & pariter tunc omnes surgunt. Episcopus profequitur Canonem cum signis, & cæremoniis, ut in Missali; Diaconus verò advertit ad discooperiendum, aut cooperiendum Calicem, quando opus est, ut suo loco diximus, & alia facienda.

VIII. Cum Episcopus pervenerit ad versiculum, *Per omnia sæcula*, &c. manibus super corporale positis, cantat illum intelligibili voce. Ad *Oremus*, jungit manus, & caput Sacramento inclinat.

IX. Cum dicit: *Et dimitte nobis*, Diaconus & Subdiaconus, facta genuflexione de more, ad altare ascendunt, ubi Diaconus à dextris Episcopi, remota à seipso, ex Cær. Card. l. 2. c. 3. parte veli ex patena, ipsam capit de manu Subdiaconi, quam osculatam tradit Episcopo, cujus manum etiam osculatur statim dicto, *Amen*, & ipse Episcopus eam de more tenet super altare elevatam, & antequam dicat, *Da propitiis pacem*, &c. signat se cum ea, & reliqua facit, quæ in Missali ordinata sunt.

X. Subdiaconus statim, tradita patena Diacono, deponit velum ad manus Mini-

stri, qui illud cum debitis genuflexionibus ad Abacum reportat; ipse verò Subdiaconus ad suum locum post Diaconum redit. Episcopus cum Presbytero assistente, & Diacono dicit; *Agnus Dei*: quibus dictis, Presbyter assistens cum debitis genuflexionibus accedit ad dexteram Celebrantis, & Diaconus pariter ad sinistram, ubi supplet ad librum loco Assistentis. Ipse verò Assistentis genuflexus manet ad Orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti, &c.* ut in Missali (licet hic præscribatur paulò aliter) & finita Oratione surgit, & manibus junctis osculatur Altare extra Corporale, quando Episcopus illud osculatur; à quo postea dicente ei: *Pax tecum*, accipit pacem, appropinquans sinistram genam sinistræ Episcopi, ita ut se invicem leviter tangant, & iterum ante Sacramentum genuflectens, ac statim surgens recedit, & comite Cæremoniario, pacem in Choro distribuit, ut suo loco diximus; quo facto, redit ad locum, & officium suum.

XI. Interim Diaconus supplet ad librum loco Presbyteri assistentis à sinistris, & Subdiaconus à dextris servit discooperiendo Calicem, & alia faciendo, quæ erunt opportuna, donec Episcopus communicet.

XII. Celebrans prosequitur Missam, ut in Missali, & cum post Communionem se purificaverit, ministrante vinum purificationis Presbytero assistente, ut suo capite diximus, si dederit jam pacem in choro, & digitos abluerit, accedit Acolythus de Mitra, eamque porrigit Diacono, aut alteri, eo deficiente, aut primo Diacono Assistenti, qui eam imponit celebranti; qui stans in cornu Epistolæ lavat manus, ut suo loco diximus.

XIII. Interim Presbyter Assistentis transfert librum, nisi jam translatus sit à Diacono: Subdiaconus verò plicat Corporale, tergit & mundat Calicem, eaque defert de altari cum bursa, sine velo, ad credentiam, de more, ut in Rubricis Missalis, & redit post Diaconum cum debitis reverentiis.

XIV. Episcopus verò, terfis manibus, deponit Mitram, legitque Communionem ex libro, quæ etiam cantatur à choro immediate post, *Agnus Dei*, dum Episcopus se communicat; & ea cantata, Episcopus redit ad medium Altaris, quod osculatur more solito, & vertens se ad populum, dicit:

*Dominus vobiscum*, & postea, *Oremus*, & Orationem, seu plures, ut initio; quibus dictis, & responso à choro, *Et cum spiritu tuo*, Diaconus vertit faciem suam de more ad populum, facta prius altari reverentia, renes ei vertens, vel alias juxta dispositionem Altaris; & regulariter stat prout Celebrans, & cantat in tono festivo: *Ite Missa est*. Quo dicto, ipse & Episcopus simul vertunt se per latus Epistolæ ad Altare, ubi Celebrans dicit, *Placeat*, inclinatus, manibus super altare positus, & junctis: Quo dicto,

XV. Si adsit Cardinalis, non Legatus, seu alius ejus Superior, retrocedit paulum ad latus Epistolæ, quasi Superiori benedictionem dandam remittens; ipse tamen Superior omnino illum ipsi Episcopo relinquit. Sed præsentem Legato de latere, convenit, ut ipse Legatus benedicat, etiam si Episcopus esset Cardinalis.

XVI. Cum verò Episcopus benedictionem daturus est, sumpta Mitra, benedicit in medio Altaris, ut ad Vesperas. Et si Indulgentia non fuit publicata post Sermonem, Presbyter Assistentis versus ad populum, eam publicabit; qua publicata, Episcopus deposita Mitra dicit: *Dominus vobiscum*, in cornu Evangelii: & facto signo Crucis super Altare pollice, dicit: *Initium sancti Evangelii, &c.* quod prosequitur, sumpta Mitra, & baculo, procedendo ad locum, ubi à principio accepit paramenta, associatus à Canonicis, & Ministris; ibique per eosdem Ministros, ut initio, exiit sacris paramentis. Si aliud Evangelium sit dicendum, illud dicit in cornu Evangelii, eoque dicto, recedit, ut prius, & semper sine thuribulo.

XVII. Si Celebrans sit Archiepiscopus, dat benedictionem sine Mitra, versus ad Crucem suam; eaque data, deponit Pallium suum super altare. Quod si in hujusmodi Missa facienda sit Communio generalis, vel particularis aliquorum, ferventur ea quæ in Missa solemnī die sancto Paschæ dicuntur.

XVIII. Notandum videtur, quod Diaconi Assistentes debent esse paululum distantes à gradu inferiori Altaris, habentes post se Subdiaconum; & Diaconus Evangelii debet stare in medio eorum, dum est ad altare; hoc tamen aliorum judicio relinquimus.

CAPUT IX.

De Missa solemnī, quā coram Episcopo celebratur.

ARTICULUS I.

De eadem, quā celebratur in Ecclesiis Cathedralibus.

I. Quemadmodum superius de Vesperis solemnibus, coram Episcopo celebrandis, diximus, Episcopum Pluviali, ac aliis paramentis ibidem expressis, indutum convenienter interesse, & Officium facere; sic etiam cum ipsemet non erit celebraturus, sed Missa per alium celebrandam intererit, isdem sacris indumentis vestitus esse poterit, eodemque modo, ordine, & loco ea fumere, ut ibidem dictum est. Quo casu, debent ei assistere duo antiquiores Diaconi, sive juniores Presbyteri, ut suo loco diximus, in eorum habitu Canonicali, & sine sacris paramentis, & etiam Presbyter Assistens in eodem habitu.

II. Ordo autem quoad accessum ad Ecclesiam, deductionem, & obviationem Canonicoꝝ, ac reditum in fine, idem erit, ut cap. de habitu Ecclesiastico declaratur. In solemnioribus festivitatis, Episcopus semper erit cum Pluviali. Poterit tamen, si magis placebit, hujusmodi Missa in festis minus solemnibus cum sua cappa Pontificali interesse. Quæ autem ab Episcopo agenda, exercendæ erunt, in hujusmodi Missa diverso modo statuuntur.

III. Nam aut Missa celebrabitur per aliquem alium Episcopum seu Suffraganeum; & tunc Episcopus proprius debet interesse cum cappa, & omnia deferre Episcopo celebranti, præter absolutionem, & benedictionem post sermonem, ac Indulgentiarum concessionem, si hæc fiant; quæ omnino ab ipso Episcopo proprio sunt peragenda.

IV. Cætera in Missa occurrentia, ut benedictionem incensi, & aquæ, benedictionem Diaconi ante Evangelium, deosulationem manus, quæ fit ab eodem Diacono & Subdiacono, benedictionem in fine Missæ, & similia, relinquat Episcopo celebranti, qui in benedictione solemnī in fine Missæ ver-

*Man. Sac. Cærem.*

tens se versus Episcopum, quasi veniam petet, & ipse nutu annuet. Circuli tamen Canonicoꝝ fient ante Episcopum proprium, quamvis cappa indutum.

V. Sed si fortè Episcopus vellet esse paratus in hujusmodi Missa ab alio Episcopo celebrata, quod non convenit, nisi Celebrans sit Suffraganeus, vel aliàs subditus Episcopo, deberet omnia prædicta ipse facere, ac si celebrans non esset Episcopus, præter pauca.

VI. Si vero Episcopus intererit Missæ celebratæ per aliquem inferiorem Episcopum, sive cum Pluviali, & Mitra, sive cum cappa, omnes præminentia, honores, & actus præfati conveniunt ipsi soli Episcopo, excepto quoad thurificationem, quia quando non est paratus, ut supra, non debet thurificari, nisi post Oblationem tantum; & tunc Celebrans non incensatur initio Missæ, nec post Evangelium.

VII. Quia autem sæpè accidit, ut Episcopus assistat in diversis Ecclesiis suæ Diocesis ad Missas solennes, sive paratus, sive non, & Cæremoniale Episcoporum pauca dicat de hujusmodi Missa, non erit superfluum, si ampliora dicamus de iis, quæ agenda sunt in hujusmodi Missa; quæ ex Cæremoniali Romano, l. 2. c. 2. excerptimus, præsertim pro Ecclesiis non Cathedralibus; & ex Paride Crasso.

ARTICULUS II.

De Missa, quæ in diversis Ecclesiis celebratur coram Episcopo in sua Diocesi, aliis à Cathedrali.

I. Antequam accedat Episcopus, paratur ei ante Altare faldistorium, ut supra; ad quod cum accesserit, factis ei debitis honoribus, in accessu & obviatione, ut supra suo loco diximus, cui dignior ad portam Ecclesiæ offert asperforium, & c genuflexus orat, & interim Celebrans, qui eum expectat in cornu Epistolæ, facta ei reverentia, descendit in planum per partem lateralem Epistolæ, & cum Ministris eum sequentibus, ex Cær. Papæ l. 2. c. 2. accedit ad sinistram Episcopi, nudo capite, sed paulò post eum.

II. Surgente autem Episcopo, removetur faldistorium, & sine Mitra incipit: *In nomine Patris, &c.* se signans, & peragit ea,



quæ sunt celebrantis propria, ac si ipse esset Missam celebraturus, faciens confessionem usque ad *Indulgentiam*, inclusive, cui ipse celebrans respondet cum Ministris sacris interim genuflexus post ipsum celebrantem, quia forte non sunt Canonici. Jacob. Comp. Cæv. c. 22.

III. Dicitur per Episcopum: *Indulgentiam, absolutionem, &c.* Celebrans paululum se retrahit, cedens locum Episcopo, qui de medio Altaris recedit versus sedem, ubi cum suis Assistentibus perficit reliqua usque ad *Aufer a nobis, &c.* exclusive, ex Cæv. Papæ I. 2. c. 2. tum ascendit ad sedem, caudam cappæ sibi trahens, ob reverentiam Missæ jam inchoatæ; vel si utitur Mitra, eam capit, antequam ascendat ad sedem, quæ regulariter est parata ad cornu Evangelii, vel in alio loco, prout commodius erit.

IV. Tum celebrans accedit ad medium plani, & medius inter ministros sacros, tunc stantes, prosequitur reliqua de more; deinde ascendit ad Altare, quod osculatur ad verba: *Quorum reliquia hic sunt.* Deinde Diaconus, & Thuriferarius, comite Cæremoniario, accedunt ad Episcopum sedentem cum Mitra, qui, Diacono ministrante naviculam, & Thuriferario genuflexo thuribulum, imponit thus cum benedictione in thuribulum; Diaconus autem offerens cochlear, dicit: *Benedicite Pater Reverendissime*, vel si sit Cardinalis, dicit: *Eminentissime*. Imposito, & benedictione thure, recedunt cum debitis reverentiis ad Altare, ubi celebrans sumpto thuribulo cum osculis solitis, illud thurificat; & postea Diaconus illum incensat duplici ductu, & post eum Episcopum, si sit paratus, ut supra, aliàs non; & tunc nullus initio Missæ thurificatur, sed Cardinalis semper incensatur, nisi etiam sint plures Cardinales, quia tunc nullus.

V. Si Episcopus habeat Presbyterum Assistentem, qui sit ex suis Canonici, Diaconus non accedit ad Episcopum pro imponendo thure, sed sufficit Thuriferarius cum Cæremoniario; & tunc Episcopum idem Presbyter incensat, si est paratus Episcopus. Si tamen adsit Legatus à Latere, videtur incensandus ob ejus dignitatem; quod tamen relinquatur definiendum Superioribus.

VI. Dum celebrans incipit Introitum, Episcopum eum legit ex libro allato per Ministrum de eo servientem, cum eo, qui servit de candela, si velit Episcopus. Idem faciet ad

Graduale, & Symbolum, & Offertorium, & Communionem: reliqua sunt de more usque ad Epistolam, & antequam Subdiaconus eam canter, genuflectit Altari, & Episcopo, nisi sit Canonicus; eaque finita, ipse Subdiaconus accedit cum debitis reverentiis ad Episcopum, ubi manum ejus super librum positam osculatur, & ab eo benedicitur, & facta ei debita genuflexione, vel inclinatione, recedit.

VII. Cum inchoatur in Choro versus Gradualis, aut citius, prout videbitur, post reditum Subdiaconi, Diaconus desert librum Evangeliorum ad Altare cum debitis reverentiis, etiam Episcopo; & inde comite Cæremoniario accedit ad Episcopum, ubi genuflexus, vel inclinatus osculatur manum ejus; tum, facta debita reverentia, redit ad Altare, ubi genuflexus in infimo gradu, dicit: *Munda cor meum, &c.* Tum surgens capit librum & facta genuflexione, accedit ad partem Epistolæ, ubi expectat tempus eundi ad Evangelium. Interim Thuriferarius accedit ad Episcopum cum Cæremoniario, ubi Episcopus ponit de more thus in thuribulum, ministrante Presbytero assistente naviculam, si adsit, aliàs tantum Cæremoniario. Tum cum debita reverentia redit ad Diaconum, qui suo tempore cum aliis Ministris procedit ad Episcopum, à quo benedictionem sumit de more sine osculis; & Evangelium decantat eo loco, & modo, & conversus, ut supra, sive ad parietem, sive ad Aquilonem.

VIII. Si non sit Presbyter Assistentis, ipse Diaconus, posito libro super Altare, offert prius Episcopo thus benedicendum, cum debitis reverentiis, & osculis; quo facto, dicit: *Munda cor meum, &c.* accipit librum, & cum aliis Ministris accedit ad Episcopum, à quo benedictionem accipit, & Evangelium decantat, conversus ad parietem Altaris, vel alio modo, ut supra diximus; ita ut nec Altari, nec Episcopo terga vertat.

IX. Cantato Evangelio, Ceroferarii genuflectunt Episcopo; desertur liber osculandus à Subdiacono ad Episcopum, sine ulla reverentia, nisi post osculum libri, quo clauso, & non prius, vel se inclinatur, vel genuflectit: nec incensatur Episcopus, nisi sit paratus ut supra, neque etiam celebrans; & tunc celebrans non incipit: *Credo*, nec: *Dominus vobiscum*, nisi post osculum libri, aut Episcopi ipsius incensationem, si facienda sit.

X. Post-

X. Postquam Diaconus imposuerit vinum in Calicem, Subdiaconus in cornu Epistolæ (non enim est necesse, ut accedat ad sedem Episcopi) elevat ampullam aquæ coram Episcopo, dicens, *Benedicite Pater Reverentissime, vel Eminentissime*, caput profundè inclinans. Ita in Capella Sanctissimi. Sed si non sit Canonicus, ei genuflectit, dùm hæc dicit. Paris Crassus l. 2. c. 31.

XI. Subdiaconus, postquam Patenam à Diacono de more accepit, descendit in planum, debitam faciens reverentiam Altari, & Episcopo, statque ibi in ea distantia, ut faldistorium Episcopi possit collocari ante eum, ita ut sit post Episcopum ad elevationem SS. Sacramenti, quod decet. Cær. Papæ l. 2. c. 2. & alibi.

XII. Paulò ante incensationem Oblatorum, Diaconus cum Thuriferario, & Cæremoniaro, si non adsit Presbyter assistens, accedunt ad Episcopum, ut suprà, eique ministrant naviculam, & thuribulum. Tum imposito thure cum benedictione ab Episcopo dicente, *Per intercessionem, &c.* redeunt ad celebrantem, qui thurificat Oblata, & Altare; ipse postea incensatur duplici ductu à Diacono, & Presbyter assistens, si adsit, thurificat Episcopum triplici ductu, qui caput detegit, & eo deficiente, incensatur ab ipso Diacono, qui priùs genuflectit, & post, accepta benedictione ab Episcopo, prosequitur incensationem de more, stantibus omnibus de choro, & aliis, dum Episcopus stans & nudo capite thurificatur.

XIII. Ad elevationem Episcopo genuflectit in loco suo super cussinum ad id paratum; vel decentiùs, paulò ante elevationem paratur ei faldistorium suum in plano, ad quod cum Mitra descendit, adjutus à Capellanis suis: ibique genuflectit, habens post se Subdiaconum genuflexum medium inter Acolyths funalia deferentes, nisi ipsi sint genuflexi à lateribus altaris, vertentes faciem ad se invicem, quod videtur decentius, ne Acolyths videantur ei quasi collaterales; & hi statim facta elevatione discedunt, & funalia extinguunt, nisi facienda sit Communio, quia tunc remanent ad altare.

XIV. Facta elevatione, surgunt, & Episcopus stans sumpta post genuflexionem Mitra, redit ad sedem suam, ubi deposita Mitra, modò ea utatur, stat nudo capite, & auferitur faldistorium de medio altaris. Cele-

brans reliqua peragit usque ad *Agnus Dei*, inclusivè, ut in Missali.

XV. Subdiaconus, sumpta pace, dat eam Episcopo, nisi sit Presbyter assistens; cui post datam pacem genuflectit tantùm, & eam dat postea in choro, ut aliàs diximus. Si cum Episcopo proprio alii sint Prælati minores, dabit eam Minister primo stanti in sua sede, & hic aliis eam dabit; & si sint scamna, in quibus sint multi Prælati, eam dabit primo cujusque scamni. Vide c. de ordine dandi pacem p. 2. Si sit Presbyter assistens, Subdiaconus accipit ab eodem assistente pacem, & eam in choro distribuit; tum eam dat Diacono, qui eandem dat Cæremoniaro dandam aliis. Sac. Cong. Rit. 16. Maji 1068.

XVI. Dicto, *Placeat*, à celebrante, & facta reverentia in medio altaris, retrahit se ad cornu Epistolæ, & descendit ad secundum gradum, ad cuius sinistram stat Diaconus, & Subdiaconus à sinistris hujus; & dum Episcopus benedicit, celebrans solus se inclinat, nisi Ministri sacri, & Clerici de choro sint Canonici, quia tunc tantùm se profundè inclinant, & etiam se signant. Tum celebrans, & Ministri accedunt eum debitis reverentiis ad cornu Evangelii, & ibi celebrans de more legit Evangelium.

XVII. Si Episcopus remittat ad celebrantem, ut det ipse benedictionem; tunc dicto, *Omnipotens Deus*, ad Prælatum se convertit, & inclinat; & prosequitur, *Pater, & Filius, &c.* benedicens tantùm assistentes, qui non sunt ad partem Episcopi. Sed decentius est, ut semper Episcopus benedicat.

XVIII. Finito Evangelio, celebrans vertit se ad Episcopum, ad quem se profundè inclinat, & omnes alii, ibique expectant, quousque Episcopus recesserit. Interim Minister de faldistorio desert illud ad altare, ut ibi Episcopus oret; qui facta Oratione genuflexus, surget, & facta iterum profunda reverentia vel genuflexione, si sit Tabernaculum SS. Sacramenti, recedet comitatus à Clericis de Ecclesia. Interim celebrans, & Ministri accedunt ad medium altaris, descendunt, & facta iterum reverentia, sumptisque biretis, in Sacristiam redibunt.

XIX. Quod ad reverentias exhibendas Episcopo spectat, celebrans tantùm se ei profundè inclinat, reliqui verò, etiam Diaconus & Subdiaconus, si non sint Canonici, genu-

mutari poterit pallium altaris, & candelæ; videlicet, remotis albis, apponi ex cera communi.

IV. Post pauculum moræ surgit Episcopus, & detecto capite, versus altare dicit, *Pater noster*, secretò, usque in finem, & chorus; non Episcopus, incipit Antiphonam, *Placebo Domino* &c. illam integrè recitando usque in finem; qua finita, & inchoato Psalmo, *Dilexi*, &c. Episc. caput cooperit, & sedet quousque inchoetur, *Magnificat* &c. à choro. Tunc surgit, & stat detecto capite usque ad finem; qua finita surgit, & detecto capite incipit, *Pater noster*, quod secretò complet.

V. Interim duo Ceroferarii, comite Cæremoniario, accedunt cum candelabris, & cereis accensis, qui solent esse ex cera communi, ante Episcopum, & inter eos erit medius Capellanus de libro serviens. Episcopus pronuntiat altè ea verba Orationis Dominicæ, videlicet, *Et ne nos inducas*, &c. cum versiculis aliis, respondente choro quæ sunt in Breviario post Vesperas Defunctorum, & Orationem, *Fidelium Deus* &c. qua finita, versiculum, *Requiem eternam*, &c. choro respondente, *Et lux perpetua* &c. Deinde chorus, *Requiescant in pace*.

VI. Quo dicto, sedet Episcopus tecto capite, & post modicum moræ surgit capite detecto, dicit secretò, *Pater noster* &c. Quo dicto, adhuc capite detecto, Chorus incipit Invitatorium, *Regem cui omnia vivunt*, &c. pro Matutinis cum Psalmo, *Venite exultemus*, &c. Cùm chorus incipit Psalmum primi Nocturni, Episcopus sedet tecto capite, & sic manet, quousque dicatur Responsorium Versiculi ante primam Lectionem primi Nocturni; tunc surgit, & detecto capite, dicit secretò, *Pater noster*, usque ad finem, mox sedet capite tecto quousque etiam dicatur Responsorium Versiculi ante quartam Lectionem secundi Nocturni; & tunc pariter surgit, dicens etiam secretò, *Pater noster*, mox sedet prout in primo Nocturno. Idem facit post Responsorium Versiculi ante septimam Lectionem.

VII. Lectiones ipsæ cantantur per Cantores, vel per Canonicos Ecclesiæ, juxta loci consuetudinem, in tono consueto Lectionum, & Responsoria per Chorum dicuntur, deinde Psalmi cum suis Antiphonis

pro Laudibus; & cùm inchoatur Canticum, *Benedictus* &c. Episcopus surgit detecto capite; & cùm repetitur Antiphona, *Ego sum* &c. sedet cooperiens caput.

VIII. Interim duo Ceroferarii cum cereis accensis, ut ad Vesperas, accedunt ante Episcopum, & omnia fiunt, ut supra in fine Vesperarum; quibus finitis, Episcopus discedit cum aliis ad suas mansiones, nec datur benedictio, nec Indulgentiæ.

IX. Cùm verò Vesperæ, & Matutinæ dicendæ erunt de aliis temporibus, quàm prædicta die anniversaria omnium Defunctorum, tunc servandæ erunt Rubricæ Breviarii in Officio Defunctorum, nisi essent celebrandæ pro anniversario Episcopi prædecessoris defuncti, aut pro aliquo viro Principe, aut Prælato proximè defuncto, quo casu quædam specialia servantur, quæ suo loco explicantur.

X. Hæc, ut diximus, servantur quando ipsemet Episcopus est in his Vesperis, Matutini Officium facturus; sin minus, posset manere cum cappa in loco suo in choro, & Canonicus Hebdomadarius indutus Pluviali nigro super Rocchetum, aut Cottam, & amictu desuper Cottam, aut saltem stola nigra, faceret, aut diceret omnia prædicta; neque in his casibus requiritur, ut aliqui Canonici, vel Beneficiati cum eo parentur, prout in aliis Vesperis solemnibus. Et idem in Collegiatis, vel Cathedralibus, absente Episcopo.

## C A P U T XI.

De Missa Pontificali pro Defunctis per Episcopum celebranda, & de Sermone, & Absolutione post Missam.

### A R T I C U L U S I.

De ipsa Missa, & Sermone.

I. **S**I velit Episcopus celebrare die anniversaria omnium Defunctorum, vel alias quodcumque pro Defunctis, hæc præparentur, & fiant; videlicet altare nullo ornatu festivo, sed simpliciter, & nullis imaginibus, sed sola Cruce & sex candelabris pareret, & duobus super credentia cum candelis ex cera communi: super eam nulla ornam-

menta ponantur, sed tantum, quæ sunt necessaria; videlicet bacile, & buccale simplex, Missale, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, thuribulum cum navicula; item pannus niger extendendus pro faciendâ Absolutione finita Missa, nisi adesset Lectus, seu Lectica mortuorum, aut Calstrum doloris. Gradus Altaris, & totum Presbyterium sit nudum, excepto quod unum tapete sub faldistorio Episcopi, & aliud super primo gradu suppedaneo apud Altare ponetur. Omnia paramenta, tam Altaris, quàm celebrantis, & ministrorum, librorum, & faldistorii, sint nigra, & in his nullæ imagines mortuorum, vel Cruces albæ ponantur; Canonici non parentur paramentis sacris, prout in aliis Missis, celebrante Episcopo.

II. Episcopus ipse non utatur in hac Missa sandaliis, & Chirothecis, nec Baculo pastoralis: non dicit Antiphonam: *Ne reminiscaris*, &c. nec Psalmum: *Quam dilecta*, &c. nec alios, nec Orationes, quæ in aliis Missis dicendæ sunt, antequam induatur; sed dicit tantum Orationes ad paramenta, quæ sumere debet, incipiendo ab ea: *Exue me Domine*, &c. & tunc deponet cappam, & lavabit manus, ac parabitur, dicendo ad aquam & paramenta consuetas Orationes, exceptis, quæ dicuntur pro sandaliis, & Chirothecis.

III. Diaconus, & Subdiaconus utentur Dalmatica, & Tunicella, & Assistens Pluviali, & aderunt Capellani soliti cum Cortis, & Scutiferi pro lotionem manuum apud abacum, sicut in aliis Missis. Non videntur Diaconi Assistentes adhibendi, quia Cær. Episc. id innuere videtur; sicut nec Presbyter Assistens ad Absolutionem, quia omnia agit Diaconus, quæ agere debet Assistens. Hæc Superioribus discutienda relinquimus.

IV. Episcopus capiet Manipulum ante Crucem pectoralem, ut in Missali; & cum accedet ad Altare, finita Confessione, non osculabitur librum, sed Altare tantum; & statim sine incensatione redibit ad sedem suam, cum Mitra, ubi stans nudo capite versus Altare leget Introitum.

V. Ministri aliquod dantes, vel recipientes ab Episcopo in tota Missa, nunquam ejus manum, aut rem deosculentur.

VI. Ad Orationes soli Presbyter Assistens, Diaconus, & Subdiaconus, stant, omnibus aliis genuflexis. Epistola, & Evan-

gelium nunquam in ambone legantur, sed in Presbyterio, loco convenienti; nec Subdiaconus osculetur manum Episcopi finita Epistola.

VII. Si distribuendæ sint candelæ, tunc post Epistolam, dum cantatur Prosa, vel Sequentia, vel tempestivius, distribuantur accendendæ ad Evangelium, ad elevationem SS. Sacramenti, & finita Missa, ad Absolutionem. Diaconus non petet benedictionem, nec incensum, nec luminaria deferantur. Diaconus dicit tantum: *Munda cor meum*, &c. & procedet ad Evangelium cantandum hoc ordine, videlicet primò ipse Diaconus, tum Subdiaconus, ultimo loco duo Capellani, seu Acolythy, præcedente tamen Cæremoniario.

VIII. Finito Evangelio, Episcopus non osculatur librum, sed statim dicit: *Dominus vobiscum*, &c. & Oremus, pro Offertorio; tum lavat manus more solito, & ad Altare accedit. Non benedicit aquam ponendam in Calice, nec Subdiaconus sustinet Patenam; benedicit tamen incensum, incensat Oblata, & postea solus thurificatur à Diacono.

IX. Dum dicitur, *Sanctus*, &c. quatuor Capellani cum quatuor funalibus ex eadem cera communi accensis pro elevatione Sacramenti, accedunt, & genuflectunt de more solito, & similiter omnes genuflectunt sic permanentes usque ad: *Per omnia sæcula*, &c. ante: *Pax Domini*, &c. Capellani verò cum funalibus usque post Communionem.

X. Subdiaconus, imposito thure ab aliquo alio Acolytho, idest, Thuriferario, SS. Sacramentum thurificabit genuflexus in cornu Epistolæ. Non datur Pax, nec percutitur pectus ad, *Agnus Dei*.

XI. In fine Missæ non datur benedictio, nec publicantur indulgentiæ; sed Diaconus dicit: *Requiescant in pace*, versus Altare. Episcopus dicto in Altari: *Placeat tibi*, &c. & dicto etiam: *Initium sancti Evangelii*, in cornu Evangelii, ubi signat Altare, ad sedem suam redibit, & ibidem, deposita Planeta, ac etiam Dalmatica, & Tunicella, ac Manipulo, capiet Pluviale nigrum, Diacono, & Subdiacono paratis remanentibus; depositis tamen manipulis suis, & Episcopum ad exuendam Planetam, & alia, & induendum Pluviale adjuvantibus.

Presbyter autem Assistens discedit, & deponit Pluviale.

XII. Si sermo habendus sit in laudem Defuncti, pro quo Missa celebratur, tunc ea finita, ante Absolutionem, accedet sermocinaturus vestibus nigris indutus, & facta oratione ante medium Altaris, nulla petita ab Episcopo benedictione, sed facta ei profunda reverentia, vel genuflexione, pro qualitate personæ, ascendit pulpitem panno nigro tectum; ubi facta iterum Episcopo reverentia, signans se signo Crucis, sermonem faciet. Quo finito, vel si sermo non sit habendus, statim Missa finita, accepto Pluviali per Episcopum, ut supra, ante infimum gradum solii, extendetur pannus niger, vel portabitur Lectica mortuorum pro Absolutione faciendā ante infimum gradum Presbyterii, nisi aliās Lectus mortuorum, vel Castrum doloris esset in medio Ecclesiæ. Quo casu, Episcopus Pluviali paratus ibidem, vel solus, vel cum aliis quatuor absolventibus, ut ibidem dicitur, accedere deberet.

XIII. Si verò Episcopus erit in faldistorio, tunc pannus niger ante infimum gradum Altaris in medio extendetur, vel ibidem portabitur Lectica mortuorum pro Absolutione faciendā.

XIV. Interim dum extenditur pannus, vel portatur Lectica, Episcopus sedet, & Cantores incipiunt Responsorium: *Libera me Domine, &c.* & dum repetitur idem Responsorium, accedunt ad Episcopum duo Acolythi, unus cum Thuribulo, & navicula, alius cum Asperforio, & vase aquæ benedictæ. Tunc Episcopus ministrante Diacono naviculam à dextris sine osculis, imponet thus in Thuribulum, & statim, si est in faldistorio, accedit ad Altare, ubi cum à Choro dicitur: *Kyrie eleison*, deponet Mitram, & stans versus Altare, dicit intelligibili voce: *Pater noster*; si verò erit in sede, surget, & deposita Mitra, dicto ultimo: *Kyrie eleison*, versus Altare dicit similiter: *Pater noster*. Quod secretè complendo, ministrante Diacono asperforium, & elevantibus hinc inde Diacono, & Subdiacono oras Pluvialis, Episcopus stans, aspergit ter super Pannum nigrum, vel Lecticam mortuorum; & reddito Asperforio Diacono, & ab eodem sumpto Thuribulo, thurificabit eodem modo ter Thuribulum, ducens super Pannum, vel Lecticam, ministris oras Pluvialis similiter

elevantibus. Tunc accedent duo Acolythi cum duobus candelabris, & candelis accensis, & se sistent ante pedes Episcopi, qui ex libro, sibi per ministrum solitum in capite posito, leget versiculum: *Et ne nos, &c.* & alios versiculos, & Orationem Missæ, pro qua tunc nullus genuflectet, & in fine reperit versiculum: *Requiem æternam, &c.* faciens signum Crucis super Pannum, vel Lecticam, ut in Missali, & Cantores dicent: *Requiescant in pace;* & Episcopus depositis paramentis, factaque Oratione, discedit.

## ARTICULUS II.

De Absolutione solemnī ab Episcopo, & aliis Prælati faciendā circa Castrum doloris.

I. SI aderit in Ecclesia Lectus mortuorum, seu Castrum doloris, & Missa sit celebrata pro anima Summi Pontificis, vel S.R.E. Cardinalis, seu Metropolitanī, aut Episcopi proprii, seu Imperatoris, Regis, aut Ducis Magni, aut Domini loci, conveniens est, ut fiant Absolutiones apud Castrum doloris, tam ab ipso Episcopo celebrante, quàm ab aliis quatuor Episcopis, vel Prælati, si adsunt; & in defectum Episcoporum, à quatuor primis Dignitatibus, vel Canonicis, ordine infra scripto. Videlicet, finita Missa, & sermone, si habitus sit, quatuor Prælati, seu Dignitates, seu Canonici præfati, accedant ad Sacristiam, vel alium locum convenientem, & propinquum, ubi quilibet eorum accipiat super Rocchettum, aut Cottam, si sit Religiosus, Amictum, Stolum, & Pluviale nigrum, ac Mitram simplicem, si ea uti possunt; sin minus, Biretum; & omnes sic parati conveniant apud Episcopum celebrantem paratum, ut supra, cum quo ibunt ad Feretrum, seu Castrum doloris, hoc ordine.

II. Præcedent duo Acolythi, unus cum Thuribulo, & navicula, alius cum vase aquæ benedictæ, & Asperforio; tum duo alii Acolythi cum duobus aliis candelabris, & candelis accensis, in quorum medio erit Subdiaconus Epistolæ paratus, sed sine Manipulo, deferens Crucem: post eum duo juniores Prælati; tum duo seniores, & quilibet eorum habebit penes se unum Capellanum sequentem, qui de Mitra serviet, & unum Scutiferum,

rum, qui cereum accensum portet ante suum Prælatum. Ultimo loco incedet Episcopus celebrans, habens ad sinistram Diaconum paratum, sine tamen Manipulo, qui eum comitetur, & postea Capellani cottis induti.

III. Cùm pervenerit ad Castrum doloris, seu locum destinatum pro Absolutionibus faciendis, Thuriferarius cum alio Acolytha de vase aquæ benedictæ, firmabunt se in capite loci à parte dextra; Acolythi verò Ceroferarii, ac Subdiaconus cum Cruce; ibunt ad pedes loci, & Subdiaconus cum Cruce collocabit se in medio eorum.

IV. Junior Prælatus sedebit in scabello in angulo Castri doloris ad pedem dextrum Episcopi, qui est à sinistris Subdiaconi; alius post eum in angulo ad sinistrum humerum, tertius in angulo ad pedem sinistrum; quartus, qui erit senior, in angulo ad humerum dextrum, ita ut se invicem aspiciant, scilicet junior Prælatus tertium, qui est in alia parte, respiciat directè: secundus verò qui est in parte tertii, ad humerum sinistrum celebrantis Episcopi, quartum, & digniorem: Celebrans verò sedebit in faldistorio in capite loci in medio, ita ut Crucem directè respiciat, & ita ut ipse renes vertat altari, modo tamen faldistorium ejus sit parùm à latere Epistolæ.

V. Omnibus sic ordinatis, surget Celebrans detecto capite, omnibus similiter surgentibus, & caput detegentibus, & incipiet in tono Lectionis absolutè Orationem, *Non intres in judicium*, qua finita, omnes sedebunt, coopertis capitibus, & Cantores incipient Responsorium, *Subvenite Sancti Dei*, &c. Tunc duo Acolythi cum thuribulo, & navicula, & aqua benedicta, & asperforio, quos Diaconus sequetur, accedunt ad angulum dextrum capitis, ubi est dignior Prælatus, & se ad ejus dexteram collocabunt propè Diaconum, advertentes, ut debitas reverentias faciant Prælatis, ante quos transibunt. Præcedet etiam eos Cæremoniarius, & ille qui librum defert, & hic firmabit se ad sinistram Prælati.

VI. Incepto versiculo, *Requiem æternam*, &c. Acolythus dabit naviculam Diacono, & ipse accedet cum thuribulo ante dictum digniorem Prælatum, qui, ministrante Diacono naviculam, imponet cum benedictione thus in thuribulum. Cum

per chorum dicetur primum, *Kyrie eleison*, surgent omnes nudo capite, & prædictus dignior Prælatus voce intelligibili dicet, *Pater noster*, &c. quod secretè complebit; & interim sumpto asperforio cum aqua benedicta de manu Diaconi, asperget Lectum circumcircuit ambulant, incipiens à sua parte dextra, ter aspergens quamlibet Lecti partem lateralem tantùm, Diacono à dextris, ut in Missali habetur, non verò à sinistris, ut in Cæremoniali, comitante, & fimbrias Pluvialis sublevante; & dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, & similiter Cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes Lecti. Idem faciet Diaconus annuente Cæremoniario, qui procedet à sinistris Prælati, vel eum præcedet, si via sit angustior.

VII. Postquam cum asperforio circumjerit Lecticam, & ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, & Lectum similiter circumcircuit thurificabit, ter in qualibet parte thuribulum ducens, hoc est in duobus lateribus Lecti.

VIII. Cùm redierit post thurificationem ad locum suum, stans ante scabellum, non conversus ad altare, dicet versiculum, *Et ne nos inducas*, &c. & alios versiculos, & Orationem, *Deus cui omnia vivunt* &c. ut in Pontificali, ex libro quem Minister serviens de eo, sustinet stans ante eum.

IX. Qua finita, omnes sedent cum Mitra, & Cantores incipient Responsorium, *Qui Lazarum*, &c. Dum dicent versiculum, *Requiem æternam*, &c. ut supra, Ministri accedent ad secundum digniorem Prælatum sedentem in angulo ad sinistrum pedem, videlicet à dextris Subdiaconi; qui imposito thure, ut de primo dictum est, dicto ultimo, *Kyrie*, à choro, surget, omnibus pariter surgentibus, & dicet, *Pater noster*, asperget, & thurificabit Lectum, ut supra, & demum dicet versiculos, & Orationem, *Fac quæsumus*, &c. Qua finita, omnes similiter sedebunt, & Cantores cantabunt Responsorium, *Domine quando veneris*, &c. & interim dignior Prælatus sedens ad sinistrum humerum, servabit omnia, quæ superius primus, & secundus servaverunt; & demum dicet Orationem, *Inclina Domine aurem tuam*, &c.

X. Qua finita, quartus & junior Prælatus, sedens in angulo ad dextrum pedem

dem faciet similiter, & in fine dicet Orationem, *Absolve quasumus, &c. ut in resurrectionis gloria, &c.*

XI. Demum cantato à Choro Responorio, *Libera me Domine de morte aeterna, &c.* Episcopus celebrans, imposito thure in thuribulo, & dicto, *Pater noster*, asperget, & thurificabit Lectum, prout de primo, & aliis dictum est; & dictis versiculis, dicet Orationem, *Absolve quasumus Domine, &c. ut defunctus saculo, &c.* & responso per Chorum, *Amen*, ipse Episcopus dicet, *Requiem aeternam, &c.* benedicens Lectum, ut in Missali, & demum duo Cantores dicent: *Requiescant in pace.*

XII. Quo dicto, receptis ab omnibus Prælati Mitris, seu biretis, si Mitris non utantur omnes eo ordine, quo venerant, redeunt in Sacristiam, vel alium locum deputatum, unde, depositis suis paramentis, quilibet recedit ad propria.

XIII. Quatuor, seu quinque istas absolutiones, non semper in omnibus exequiis convenit fieri, sed tantum in primis exequiis quæ solent fieri post obitum, ut sunt exequiæ novendiales, quæ fiunt pro anima Defuncti Pontificis. In exequiis verò anniversariis non debent fieri tot absolutiones, sed una tantum per celebrantem, ut supra dictum est, post Missam.

XIV. Vel si esset Castrum doloris, vel alius locus, ubi esset eundem ad absolvendum, Celebrans solus paratus, ut supra, præcedente Cruce cum omnibus Ministris supra narratis, & sequentibus eum suis Capellanis, accedet ad Castrum doloris, & ibidem dispositis Ministris, ut supra dictum est, stans apud faldistorium in capite Lecti, dicet Orationem, *Non intres, &c.* qua finita, sedet, & cantato per Chorum Responorio, *Libera me Domine de morte, &c.* imposito thure in thuribulo, ut supra, asperget, & thurificabit Lectum ordine, quo supra dictum est, & demum dicet unam ex quinque Orationibus supra assignatis, quam maluerit, & redibit ordine, quo venerat. Quod similiter servari poterit in exequiis primis, ubi commodè quatuor Prælati, qui post Missam, ut supra dictum est, absolvant haberi non possunt.

XV. Si loco Prælatorum quatuor, adsint tantum Canonici, solus Episcopus debet incensum benedicere; & convenit, ut isti stent

ad Responsorialia, quæ successivè cantantur nudo capite, & non sedeant. Nec aderunt Capellani de Mitra, & scutiferi qui ferant candelas: & tunc cum quilibet faciet Absolutionem suam, deponet biretum in manibus cujusdam Clerici, sicut & candelam. Si Defunctus sit Episcopus, aut Prælati Sacerdos, & corpus sit præsens, faldistorium Episcopi celebrantis parabitur ad pedes ejus non verò ad caput, ut in Rit. Romano; aliàs semper parabitur ad caput Lecti, seu Castrum doloris.

## C A P U T XII.

*De Missa pro Defunctis, quæ coram Episcopo celebratur.*

I. **S**I Episcopus noluerit celebrare, sed hujusmodi Missæ interesse, eadem norma servabitur quæ capite hoc postremum præcedente dicta est, ipse verò Episcopus cum cappa, facta Confessione cum Celebrante, ibit cum suis Assistentibus ad sedem suam paratam panno laneo violaceo, non ex serico.

II. Cum Celebrans dicet: *Dominus vobiscum*, ante Orationem Episcopus veniet ad faldistorium ante altare, & ibi genuflectet capite nudo, usque ad finem Orationis. Qua finita, redibit ad sedem suam, & tunc, & non prius, Presbyter assistens ibit ad scabellum assistentiæ propè Episcopum.

III. Ad Offertorium, posito à se incenso in thuribulo, cum Oratione, *Per intercessionem, &c.* & incensato altari, & Celebrante à Diacono, ipse Episcopus à Presbytero assistente thurificabitur.

IV. Dicto, *Sanctus, &c.* per Episcopum, ibit ipse ad faldistorium, ubi genuflectus, nudo capite, manebit usque ad, *Agnus Dei*, exclusivè, & tunc redibit ad sedem, & cum Assistentibus suis dicet, *Agnus Dei, &c.* non percutiendo pectus, nec fient circuli in hac Missa; & iterum ad Orationem post Communionem redibit ad faldistorium, & genuflectet, similiter omnibus genuflectentibus, quoties Episcopus genuflectet.

V. Finita Oratione, Episcopus redibit ad sedem suam, nec dabit Benedictionem, nec publicabuntur Indulgentiæ.

VI. Finita Missa, si sermo habendus sit, sermoinator accedet; & absque aliqua benedictione, facta tantum Altari debita reverentia, & Episcopo cum genuflexione, si non sit Canonicus, ibit ad pulpitum, ubi suum sermonem recitabit. Quo finito, si Episcopus voluerit absolvere, deposita cappa apud sedem, capiet amictum supra Rochettum, & stolam; & demum Pluviale nigrum, & Mitram simplicem, & omnia fient, ut supra.

## C A P U T XIII.

De Vesperis, & Missis in Dominicis Adventus, sive ab Episcopo, sive ab alio prasente Episcopo celebrandis.

I. IN Vesperis, & Missis solemnibus in singulis Dominicis Adventus, eadem omnia servabuntur, Episcopo celebrante, vel non celebrante, quæ superius expressa fuerunt, dum de his generaliter disseruimus; exceptis tamen infra scriptis.

II. Quia primò Ecclesia, Altare, & Chorus simpliciori apparatu ornantur. Item celebrante Episcopo Missam solemnem, non erit opus paramenta sacra pro Missa sumere in Sacello, seu Secretario supra memorato, sed apud sedem suam; ubi cappa indutus, incipit Tertiam, & incæpto primo Psalmo, sedet, accipiet sandalia, legit Psalmos, & Versiculos, ac Orationes consuetas, & in fine cantat Orationem pro Tertia, Canonico Presbytero Assistente librum supra caput tenente in suo habitu Canonicali: Diaconus Evangelii stat etiam ibidem in habitu Canonicali, nec se parat, nisi cum Diaconis Assistentibus, ut infra.

III. Subdiaconus cantaturus Epistolam, antequam Episcopus in Chorum veniat, capiet omnia paramenta sibi convenientia præter manipulum, & planetam plicatam, quæ capiet postea, ut infra.

IV. Diaconi Assistentes capiunt sua paramenta, idest planetam ante pectus plicatam supra cottam, & amictum, vel Rochettum circa finem Tertiæ, antequam Episcopus cantet Orationem; & cum eis Diaconus cantaturus Evangelium, qui accipit ami-

ctum, albam, cingulum, & stolam:

V. Dum prædicti Diaconi Assistentes parantur, assistunt duo alii Diaconi illis proximi in habitu canonicali, & iis deficientibus, duo ultimi Presbyteri.

VI. Finita Tertia, præfati duo Diaconi Assistentes cum Diacono cantaturo Evangelium jam parati redeunt ad Episcopum cum lavat manus, tunc ministrante Presbytero manutergium: & hoc est speciale hujusmodi Missis, quæ celebrantur ab Episcopo diebus non solemnioribus.

VII. Episcopus, postquam laverit manus more solito, capit paramenta violacea. Subdiaconus postea & Diaconus capiunt Planetas plicatas ante pectus, & tunc pariter omnes Canonici paramenta sibi convenientia in locis suis violacea.

VIII. Ad Missam Episcopus dicit ante Orationes: *Dominus vobiscum*, & non: *Pax vobis*. Subdiaconus, dum Episcopus celebrans cantat ultimam Orationem, deposita planeta, capit librum Epistolarum, & cantata Epistola, osculataque manu Episcopi, planetam refumit.

IX. Diaconus ante primum *Alleluja*, post Graduale, deponit etiam suam planetam, quæ convolvitur, vel alia jam convoluta, & complicata super sinistrum humerum & super stolam ponitur, & sub ejus brachio strictè cordulis ad id aptatis colligatur, ne decidat; & sic permanet, quousque Episcopus sumpserit Communionem. Tunc reassumit planetam ante pectus plicatam, deposita alia, quæ erat super sinistrum humerum, ut alias jam diximus.

X. Cætera omnia facit Episcopus, prout suis locis diximus. Si verò Episcopus non celebret, sed intersit Missæ solenni, eadem servantur, quæ supra suo loco diximus.

XI. In tertia Dominica, eadem etiam servantur, quæ hac Dominica; sed paramenta Celebrantis, Ministrorum, & Altaris adhiberi solent pretiosiora, sed semper violacea, & Ministri sacri utuntur Dalmatica, & Tunicella; & idem in Vigilia Nativitatis Domini, si venerit in Dominica, & etiam in eadem Vigilia, quæ non venerit in Dominica, ut capite sequenti: in Collegiatis pariter idem servatur.



## C A P U T XIV.

De Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, & de Matutinis, & Missa in nocte celebranda.

I. **I**N die Vigilæ Nativitatis D. N. J. C. si venerit in Dominica, sive alio die, celebrari solet Missa solemnitas in paramentis violaceis, juxta regulas modò suprà traditas; in qua tamen Ministri sacri utentur Dalmatica, & Tunicella, ut suprà dictum est.

II. Vesperæ solemnissimè celebrabuntur, ut suo loco diximus.

III. Matutinæ cantabuntur etiam, ut suo loco, hora ab Episcopo præordinata. Hæc tamen specialiter notanda sunt. Primò, ultra luminaria solita super Altare, & abacum jam præparatum, sex, vel octo, vel quantum Episcopo placuerit, funalia parentur ceræ albæ, pro more loci, ad illuminandum Chorum, & tribunam, seu Presbyterium, quæ super totidem candelabris ferreis magnis æquali spatio ponentur. Item parantur aliquæ candelæ parvæ ceræ albæ pro Episcopo, & Canonicis Lectiones cantaturis, & aliis hujusmodi.

IV. Super aliqua mensa ab abaco separata, ornamenta præparari poterunt pro Episcopo Missam celebraturo, & Pluviale album pulchrum pro eodem cantaturo Orationem post Hymnum: *Te Deum*, &c. Quod Pluviale est tantum necessarium; sed si Episcopus non erit Missam celebraturus, non erunt præparanda Missali indumenta, sed tantum Pluviale. Quia Prælati alius, aut quivis ab Episcopo, sive Canonicus sit, sive non, capiet paramenta unà cum Ministris. Sed celebraturo Episcopo, ipsi Ministri, idest Diaconus, & Subdiaconus, paramenta in Sacrificia accipere poterunt; Presbyter verò Assistentis in loco suo cum aliis Canonicis.

V. Item celebraturo Episcopo primam Missam, præintonatur Hymnus: *Jesu Redemptor omnium*; quem dum Episcopus repetit, elevat & jungit manus, caput versùs Altare inclinans, ob reverentiam divinæ invocationis.

VI. Cæremoniarius, quoties ducit aliquem Canonicum ad pulpitem, ubi can-

tare debet Lectiones, gerat manibus candelam accensam; nec ab ipso legili longius discedat, donec cujusque Nocturni Lectiones omnes recitatae fuerint, ministrans legentibus lumen.

VII. Cùm inchoatur à Choro Psalmus: *Misericordias Domini*, &c. si Episcopus est Missam tunc celebraturus, duo ejus Scutiferi clericali habitu sine cottis induti, subeuntes fimbrias cappæ Episcopalis, imponent illi caligas, & sandalia, sublevantibus fimbrias in gyrum Capellanis, seu Acolythis cottis superindutis, & genuflexis: interim accedunt duo Canonici Assistentes ante Episcopum, ut ad Tertiam, nec non duo Capellani, alter de libro, & alter de candelâ serviens, ac solum ante Episcopum apertum sustinent; ex quo Episcopus sedens legit Psalm. *Quam dilecta*, & alios de more, cum suis versiculis, & Orationibus tunc stando. Quibus per Episcopum lectis, duo illi Canonici Assistentes, & alii Ministri recedunt; & prædicti Diaconi accipiunt Dalmaticas, reversuri post Orationem, ut infra.

VIII. Diaconus, & Subdiaconus ministraturi in Missa, (nisi quis eorum, vel ambo cantaturi sunt Lectiones tertii Nocturni) præveniunt in Sacristiam, ubi capiunt sua paramenta. Advertendum tamen, ut tempus commodè dispensetur, hoc est, ut finitis tribus Psalm. ultimi Nocturni à Choro, pariter Episcopus expedierit Lectionem Psalmorum, & Orationum prædictarum, ut præstò sit ad absolutionem: *Avinculis*, dicendam, benedictionemque dandam Canonico cantaturo Lectionem primam tertii Nocturni.

IX. Cantata Lectione nona per Episcopum, & Hymno: *Te Deum*, ab eodem inchoato, ut suprà, Episcopus descendens tunc è sede, in plano solii Pontificalis deponit cappam, & stans lavat manus, accedentibus tunc, & adjuvantibus Diacono, & Subdiacono paratis, & ab eisdem induitur paramentis Missalibus celerius solito, præter Chirothecas, & Annulum, & Tunicellam, Dalmaticam, & Planetam, cujus loco induitur Pluviali; denuò ascendit ad sedem, ubi stans sine Mitra, nudo capite expectat finem Hymni, qui cantari poterit nota proluxiori, cum interpositione Organi, ut commodè interim Episcopus & Canonici indui possint.

poffint fuis paramētis. Quo finito, accedunt duo Ceroferrarii cum candelabris, & cereis accenfis, & medius inter eos alter de libro ferviens, ad Epifcopum, adhærente alio cum candela accenfa, qui verfus populum cantat *Dominus vobifcum*. Deinde, verfus altare, junctis manibus Orationem *Concede quæfumus*, &c. cum fua conclufione, & iterum repetito *Dominus vobifcum*, dum Chorus refequitur cum organo lentè *Benedicamus Domino*, & *Deo gratias*, ipfe deponit pluviali, accipiet ftans Tunicellam, Dalmaticam, & fedens Chirothecas, deinde planetam ftans, & rurfus fedens mitram pretiofam, & ultimo loco annulum. Tum accedent duo Diaconi affiftentes parati Dalmaticis ad Epifcopum, ut aliàs in Miffa folemni.

X. Denum fine incenfo, & candelabris accedit ante infimum gradum altaris pro Miffa inchoanda, & perficienda de more, prout fuprà dictum eft, eo prorfus modo.

XI. In hac tamen Miffa, & aliis hujus diei, & in Feflo Annunciationis B. Mariæ dum in Choro cantatur verficulus *Et incarnatus eft*, &c. Epifcopus, ad fedem fuper cufinum paratum, vel ante genuflexorium ante medium Presbyterii paratum, genufleñit, & omnes alii cum eo ufque ad terram.

XII. Epifcopus etiam non fumet purificationem, fed fient quæ fuprà p. hac die notantur. In fine Miffæ non publicabuntur Indulgentiæ poft benedictionem, quia publicari debent ad majorem Miffam, quæ omnino celebrari debet ab Epifcopo.

Cætera omnia ut in præcedentibus capitulis, tam celebrante, quam non celebrante Epifcopo, refpectivè obfervabuntur.

C A P U T XV.

De Feflis occurrentibus ufque ad diem Purificationis folemniſſe celebrandis.

I. **F**efla occurrentia à Feflo Nativitatis Domini, ufque ad diem Purificationis B. Mariæ, celebrantur ab Epifcopo pro qualitate Fefli, & loci confuetudine folemnius, vel minus folemniſſe ad libitum Epifcopi.

*Man. Sacr. Cærem.*

II. in die tamen Circumcifionis Domini Epifcopus deberet interefſe Miffæ paratus cum pluviali.

III. In die verò Epiphaniæ deberet ipſe celebrare, ſi poterit. Quo die cantato Evangelio, aliquis Canonicus, aut beneficiatus, aut alius juxta confuetudinem loci, paratus pluviali afcendet ambonem, feu pulpitum, & ibidem populo publicabit Feſta mobilia anni currentis in forma, prout in Pontificali.

IV. In aliis verò Feſtivitibus prædictis, poterit Epifcopus interefſe cum cappa, vel prout ipſi melius videbitur; & alia fervabuntur quæ præcedētibus capitulis exprefſa funt.

C A P U T XVI.

De Feflo Purificationis B. Mariæ Virginis, & benedictione, ac diftributione candelarum.

I. **Q**uia nihil occurrit extraordinarium à Feflo Nativitatis ufque ad Purificationem B. Mariæ, quod ſpeciali declaratione indigeat, & quod non fit exprefſum capitulis præcedentibus, & ultimo præcedenti: videndum eft de Feflo Purificationis, in quo ſpecialiter plura recenſenda videntur, quæ non ſatis in Miſſali, & Pontificali declarata funt.

II. Præparanda ergo erit candelarum cærx albæ ea copia, quæ ſufficiens videbitur pro Eccleſiæ qualitate, & Canonicorum, aliorumque de gremio Eccleſiæ numero, nec non pro laicis, quibus juxta confuetudinem Eccleſiæ diftribui ſoleant. Hæ omnes poterunt collocari fuper aliqua menſa inter altare, & Epifcopi fedem, paululum tamen à latere ſuo ſiniſtro, ita ut Epifcopus in ſua fede ftans poſſit eas afpergere commodè, & thurificare poſt illarum benedictionem. Candela Epifcopi debet eſſe pulchrè ornata, cui propè partem inferiorem debet etiam eſſe pannus violaceus alligatus, quo Epifcopus manum ſuam poſtea cooperiat ad proceſſionem, ex Cærem. Card. lib. 2. cap. 42. Si Epifcopus fit Cardinalis, debent etiam parari duo magni cerei ferendi à lateribus ipſius poſtea in

A a pro-

proceffione, ut infra dicitur. Item Carom. Card. lib. 2. c. 42.

III. Paratur etiam abacus, feu Credentia à latere Epiftolæ, fuper quam ultra neceffaria, quæ fuis locis expreffa funt, fcilicet candelabra, & alia, ponatur vas aquæ benedictæ cum afperforio, Thuribulum cum navicula, vafa ad abluendas manus, cum medulla panis, in vafe aliquo mantile ad extergendum, mappa altera linea pulchrè elaborata apponenda fuper Gremio Epifcopi cum incipit candelas diftribuire.

IV. Super altari ponentur per Sacrifiam paramenta pro Epifcopo fuo ordine, coloris violacæ, videlicet amictus, alba, cingulum, Crux pectoralis. Carom. Epifc. l. 2. cap. 16. ftola, pluviale, & Mitra fimplex. Ipfum verò altare habeat duo pallia, videlicet alterum album, & fupra illud alterum violaceum removendum poft Proceffionem, nifi Feflum venerit in Dominica Septuagefimæ, aut fequentibus Dominicis, ut infra dicemus.

V. Deputentur cufodes, qui populum arceant, fi forte tumultuofus irrueret, ne indecenter Epifcopum opprimat.

VI. His præordinatis, hora competentis Epifcopus cum cappa, affociatus à fuis Canonicis, venit ad Ecclefiam, & facta oratione afcendit ad fedem fuam, ubi depofita cappa, accipit paramenta fupradicta fuo ordine, afferentibus ea Acolythis cotta indutis ab altari, acceptoque pluviali, & Mitra fedet. Interim Canonici omnes in Sacrifia, vel in locis fuis ftantes, fi Sacrifia procul diflet, capiunt facra paramenta eis convenientia, ut fuprà diximus, excepto, quòd Canonici Diaconi utuntur tantum Planetis ante pectus plicatis, in hujusmodi officio, cum fit feriale, & fi commodè non poffint tot haberi paramenta pro Canonicis, quatuor, aut fex digniores faltem Pluvialibus induuntur, ut ibidem dictum fuit.

VII. Quibus paratis, falutatifque Canonicis modica inclinatione capitis, Epifcopus in fua fede ftans benedictionem candelarum facit fine Mitra, capellano de libro fufinente eundem librum manibus extenfis hinc inde, incipiens manibus junctis competentis voce in tono feriali benedictionem, dicens *Dominus vobifcum*, & Orationes prout in Miffali, & refpiciens aliquantulum

verfùs candelas; quas Orationes profequitur manibus femper junctis.

VIII. Cum incipit quintam Orationem, videlicet *Domine Jefu Chrifte, qui hodierna die*, &c. accedunt ad eam duo Acolythis cum Thuribulo, & vafe aquæ benedictæ.

IX. Finita benedictione, Epifcopus miniftrante Presbytero affiftente parato naviculam, imponit thus in Thuribulum, & benedicit more folito. Tum fumpto afperforio de manu ejuſdem affiftentis, afpergit in medio à dextris, & à finiftris candelas, & ab eodem accipiens Thuribulum, fimili modo illas thurificat ter, dicens *Antiphonam Afperges me*, &c. dum eas afpergit, ut in Miffali.

X. Tum fedet accepta Mitra, & dignior de Choro paratus accipit de manu Sacrifte, feu de manu Camerarii, candelam pulchrè ornata, & cum debita reverentia, illam osculatam in calce, dat in manu Epifcopi, quam Epifcopus pariter osculatur. Epifcopus verò illam tradit alicui ex fuis capellanis tenendam propè altare, & ipfe dignior parùm recedit verfùs cornu Evangelii. Si Epifcopus fit Cardinalis, prædictus dignior prius tradit duos prædictos magnos cereos Cardinali, qui eos dat duobus Scutiferis tenendos ufque ad finem Miffæ, quorum alter in Evangelii cornu, alter in Epiftolæ ftant, modò tamen celebret Miffam: fi enim non eft celebraturus, ftabunt in plano hinc inde à lateribus Sedis Epifcopalis: & poſtea dabit alteram candelam Cardinali, quam confignat alicui Capellano. Carom. Card. lib. 2. cap. 42.

XI. Deinde elevatis hinc inde fimbriis Pluvialis Epifcopi per Diaconos affiftentes, ponitur fuper ejus gremio per duos Capellanos mappa prædicta, quam ipſi tenent genuflexi hinc inde, donec tota diftributio facta fit: & ftatim per Capellanos, five Acolythos capiuntur de Menſa, five de manu Camerarii, aut Sacrifte, aut alterius ad id deputati, candelæ grandiores pro Canonicis, & ponuntur ad manus Diaconi affiftentis ad finiftram Epifcopi, qui illas continuò miniftrat; alter verò qui eft à dextris, elevabit fimbriam Pluvialis dexteram: eodemque tempore dignior ille Canonicus Pluviali indutus facit reverentiam primò altari, dein de Epifcopo, afcendit ad eum, & accipit can-

candelam ab eo, osculando illam, & manum Epifcopi reverenter.

XII. Et tunc Cantores incipiunt cantare Antiphonam *Lumen ad revelationem*, &c. Similiter Canonici alii ordine suo parati accipiunt candelas, & post eos Magistratus, & alii Officiales majores civitatis, nisi adesse laudabilis confuetudo, ut Clerici omnes, tam parati, quam cum cottis, acciperent candelas ante Laicos, quæ fervanda est. Accepturi autem candelas, se invicem ex honestate debent invitare ad prius illas capiendas. Paris Crassus lib. 2. c. 42.

XIII. Tum alii Presbyteri, Acolythi, & Clerici de gremio Ecclesiæ, & Capellani Epifcopi cottis induti, demum alii nobiles civitatis, & familiares Epifcopi, & alii de populo, quibus, & quot Epifcopo placuerit dare, non tamen mulieribus, quæ à senioribus dignitate, vel à Canonico cum stola, & cotta parato seorsum accipient.

XIV. Sed Canonici parati non genuflectunt ante Epifcopum capientes candelas, sed tantum profundè se inclinant: alii verò Ecclesiastici, & Laici genuflexi capiunt, & manum Epifcopi cum candela osculantur.

XV. Interim aliquis de Capitulo, ad quem spectat, si Epifcopo placet, & si sit confuetudo Ecclesiæ, seorsum candelas minutiores populo utriusque sexus distribuit.

XVI. Finita distributione Epifcopus, portante lances nobili, vel Scutifero, lavat manus more solito, & fricat cum medulla panis, & postea removetur mappa linea ab ejus gremio; ipse verò surgit, & deposita Mitra, versus altare cantat *Oremus*, & si est tempus infra Septuagesimam, Diaconus, qui est à dextris, dicit alta voce *Elestatum genua*, & omnes genuflectunt; alter verò à sinistris dicit *Levate*, & omnes surgunt, & Epifcopus cantat Orationem *Exaudi*, &c. cum sua conclusionem, ut in Ordinario, accedentibus Ceroferariis cum candelabris, ut alias, comite Cæremoniario.

XVII. Qua finita sedet, & accepta Mitra, imponit thus in Thuribulum, ministrantibus Presbytero assistente, & Thuriferario genuflexo de more Thuribulum.

XVIII. Interim accenditur candela Epifcopi, quam tenet ejus Cubicularius, seu Capellanus ut supra, & pariter omnium aliorum, maxime de Clero, nisi fuerint accensa

in principio, prout in Missali, & omnibus ita dispositis Diaconus assistens à dextris surgit, & versa facie ad populum clara voce dicit *Procedamus in pace*, cui Chorus respondens dicit eodem tono *In nomine Christi, Amen*. Tunc surgit Epifcopus, surgentibus omnibus, &c.

XIX. Ordinatur Processio per Cæremoniarium circumcirca Ecclesiam, vel alias juxta confuetudinem Ecclesiarum, in qua ante Crucem præcedit Thuriferarius, & ante eum cantores; post Thuriferarium Subdiaconus cum Cruce, medius inter Ceroferarios cum candelabris, & cereis ardentibus, qui Subdiaconus debet esse paratus planeta ante pectus plicata. Post Crucem beneficiati, & alii de Clero cum cottis bini, & post eos Canonici parati, pariter bini, cum quibus procedit Presbyter assistens ordine suo, & mox Epifcopus cum Mitra medius inter duos Diaconos assistentes paratos elevantes Pluvialis latera, omnesque accensas candelas suas manibus propriis deferentes. Epifcopus sinistra candelam gerit, dextera benedicens. Quòd si Archiepifcopus erit Crux portabitur solummodò ante Canonicos tantum. Si Epifcopus sit Cardinalis, procedunt duo prædicti Scutiferi cum prædictis magnis cereis, à lateribus duorum Diaconorum assistentium, & si via sit angustiior, præcedent aliquantum: qui à dextris procedet, cereum dextera, alter verò sinistra deferat.

XX. Interim dum fit Processio, Canonici, aut alius Missam celebraturus cum Diacono, & Subdiacono, capiunt paramenta sibi convenientia albi coloris, capiuntque Diaconus, & Subdiaconus Dalmaticam, & Tunicellam.

XXI. Pariter mutantur paramenta altaris, & sedis Episcopalis, & amovetur abacus, & loco illius ponitur parva mensa, ut supra suo loco diximus esse faciendum, non celebrante Epifcopo.

XXII. Sed si hujusmodi festum venerit in Dominicis Septuagesimæ, aut Sexagesimæ, &c. non mutantur paramenta Altaris, nec Epifcopi, sed remanent violacea: & tunc Subdiaconus, & Diaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella, quia fit Missa de Dominica secundum Missale, nisi festum hujusmodi ageretur in aliqua Ecclesia B. M. Virgini dicata, quia tunc fieret Missa de Feflo cum commemoratione

Dominica, & paramenta essent alba.

XXIII. Finita Processione, Canonicorum ingressi, deponunt paramenta sua, & candelas extinguunt, quæ conservantur accendendæ, ut infra. Episcopus verò cum pervenerit ad altare, ante infimum gradum, si Missa de Festo fit, deponit Pluviale, & violacea paramenta, & accipit alba, quod decentius esset, vel cappam; & incipit Confessionem stans à dextris Celebrantis, quia tunc Tertia dicta fuit ante benedictionem candelarum.

XXIV. Missa verò inchoatur, & perficitur, ut supra, præsentè Episcopo, excepto quòd dum inchoatur Evangelium, Episcopus, & alii accipiunt suas candelas accensas in manibus usque ad finem Evangelii, & iterum ad elevationem SS. Sacramenti, usque ad Communionem inclusivè.

XXV. Sed si Episcopus vellet etiam celebrare, quod convenit, si festum hujusmodi sit titulus, non removetur abacus, & Episcopus stans incipit Tertiam, ut aliàs; tum sumit caligas, & sandalia, dicit Orationes consueatas, lavat manus, & stolam albam accipit depositis violaceis paramentis, tum Crucem pectoralem, Tunicellam, Dalmaticam, Chirothecas, Planetam, Mitram, annulum, baculum pastoralem, ut aliàs.

XXVI. Canonici etiam in reditu Processionis depositis paramentis violaceis, debent accipere alba, & illa retinere ad totam Missam. In reliquis, ut supra, & Missa celebratur more solito solemniter; in qua ad Evangelium, quod Diaconus cantabit, etiam Episcopus habebit candeam accensam, quam deponet, priusquam librum osculetur, ut aliàs diximus, in manibus Diaconi assistentis. Legatur caput de hujusmodi festo in quarta parte; nam ibi notantur multa ad hoc caput, & sequens pertinentia.

C A P U T XVII.

De Festo Purificationis in Cathedralibus absente Episcopo, & Collegiatis.

**A**bsente Episcopo, & in Collegiatis, sicut omnia quæ 3. & 4. parte hujus operis

capite speciali præscribuntur; unde superfluum est ea repetere. Pauca tamen subjiciemus non inutilia. Celebrans accedens ad altare, genuflectit ante illud, si fit SS. Sacramentum; sin minus, inclinatur se, & salutatur hinc inde Canonicos in eorum habitu Canonicali in Choro existentes hinc inde in locis suis, si adsint Canonici, aut alios unà cum beneficiatis, mansionariis, & Clericis, & distribuit candelas stans, & nudo capite. Post sermonem distribuit candelas Diacono, & Subdiacono, si sint Canonici, aliàs post Canonicos; sed tamen ex S. Congr. Rituum, referente Barbosa, dum Canonicus celebrat Missam, etiam Diaconus, & Subdiaconus debent esse Canonici, non alii; & qui benedicit candelas, etiam Missam solemnem celebrare debet.

C A P U T XVIII.

De Officio, & Missa feria 4. Cinerum Episcopo celebrante, vel non celebrante, sed presente.

**I.** Quia Officium hac feria 4. Cinerum, & Missa sunt de Feria, altare, tribuna, & alia simplicius parantur, quam in aliis festis solemnioribus. Et si Episcopus non sit Missam celebraturus, nulla paratur mensa, sive abacus ad cornu Epistolæ, ut aliàs, sed tantum parva mensula à latere Evangelii, ubi ponuntur vasa ad abluendas manus cum mica panis, mappa pro abstersione manuum ejus, & altera ponenda super gremium Episcopi ad distributionem cinerum. Vas autem aquæ benedictæ cum aspersorio, & Thuribulum cum navicula poterunt poni in angulo altaris, & super eodem altari in medio ponitur vas argenteum cum cineribus mundis ex ramis olivarum benedictis anni præcedentis combustis.

**II.** Item paramenta pro Episcopo violacea, prout in festo Purificationis ibidem ponuntur, modò vas prædictum non impediant, nec cooperiant.

**III.** In Ecclesiis ubi viget consuetudo reconciliandi (forte expellendi) solemniter publicè poenitentes, servetur forma in Pontificali tradita, præsertim pro gravioribus casibus.

*De feria 4. Cin. Episcopo non celebrante, sed presente. 373°*

IV. Hora compete ti, Canonicus celebrans Missam cum Diacono, & Subdiacono, capiunt paramenta violacea; & hi duo ununtur Planetis plicatis, quas induunt finita distributione, expectantes adventum Episcopi, sedentesque in aliquo scamno panno viridi parato à latere Epistolæ; & Episcopo advenienti assurgunt, facientes ei reverentiam, Canonicus Celebrans caput profundè inclinando, Diaconus verò, & Subdiaconus genuflectendo, nisi sint Canonici.

V. Episcopus associatus à suis Canonicis more solito, vadit ad Ecclesiam, factisque consuetis precibus, stans apud sedem, accipit paramenta eodem ordine, quo in Festo Purificationis dictum est, sicut & Canonici.

VI. Quibus paratis, Subdiaconus prædictus, seu alius ex beneficiatis, paratus Planetæ plicata ante pectus, ad Altare cum debitis reverentiis accedit, & capit vas cum cineribus ambabus manibus, quod elevatum portat ante Episcopum, ubi genuflexus illud retinet usque ad finem distributionis à dextris Episcopi. Si tamen Subdiaconus sit Canonicus, convenit, ut stet ante Episcopum, & non sit genuflexus.

VII. Tunc Episcopus, accedente Capellano cum libro, & altero cum candela, Assistentibus hinc inde Diaconis, legit Antiphonam sedens: *Exaudi nos Domine, &c.* Quæ cum Psalmo repetita, deposita Mitra, surgit & dicit: *Dominus vobiscum, & Oremus, &* Orationes ad benedictionem cinerum, quæ sunt quatuor, prout in Missali.

VIII. Quibus finitis, & jam ante eum stantibus Presbytero Assistente parato, Thuriferario cum thuribulo & navicula, & altero Acolyto cum aspersorio & vase aqua benedictæ, imponit incensum in thuribulum, aspergit, & thurificat cineres triplici ductu, ut aliàs diximus.

IX. Tum sedet sine Mitra, & Canonicus Celebraturus Missam, solus accedit ad eum, & facta Altari & Episcopo reverentia, imponit cineres in caput ipsius sedentis, dicens: *Memento homo, quia pulvis es, &c.*

X. Quo factò, Episcopo imponitur Mitra, & extenditur super ejus gremio mappa munda per duos Acolyths, ut in Festo Purificationis: tum imponit cineres Canonico ante se inclinato, dicens etiam; *Memento homo, &c.* ut supra. Celebrans acceptis cineribus, sine of-

culo manus Episcopi, vadit ad locum suum.

XI. Tunc incipiunt venire Canonici parati ad cineres capiendos, eodem modo, incipiendo à dignioribus cum debitis reverentiis Altari, & Episcopo; & Chorus incipit: *Immuremur habitu, &c.* cum sequentibus.

XII. Si quis Prælati adesset, qui aliàs supra Canonicos stare, vel sedere soleat, ei dabit Episcopus cineres stanti.

XIII. Si aliquis Princeps, vel Oratores Regum, vel Principum Maximorum, aut Rerumpublicarum liberarum laici adessent, capiunt hac die cineres post Canonicos paratos; Magistratus verò, ac Officiales, & alii laici post alios de Choro.

XIV. Quod sic observatur hac die, & feria sexta Parasceves in adoratione Crucis, ut ibi dicitur, ex antiqua, & laudabili Ecclesiastica disciplina, propter humilitatem, quæ in hoc actu repræsentatur iis diebus. Ideòque promptius, libentiusque laici in his cedere debent omninò Ecclesiasticis; prout etiam respectivè observatur per Imperatores, Reges, & Principes, quando sunt præsentés in Capella Sanctissimi Domini Nostri Papæ.

XV. Prælati, & Canonici parati capiunt cineres inclinati, reliqui verò, tam Clerici, quàm laici, genuflexi, & omnes sine osculo manus, cum osculum commodè exhiberi nequeat hoc astu.

XVI. Datis cineribus, Episcopus sedens in eodem loco, manus lavat more solito; mox deposita Mitra, surgit, & cantat: *Dominus vobiscum, & Oremus, &* Orationem, manibus junctis: *Concede nobis, &c.* ad quam more solito accedunt duo Ceroferarii, qui finita Oratione discedunt.

XVII. Quibus expeditis, si Episcopus non erit celebraturus Missam, prout hac die regulariter non solet, Canonici deponunt paramenta sua; Episcopus verò retinebit sua, vel illa deponet, & accipiet cappam, prout magis libuerit, observans tamen regulam supra traditam; & descendens de sua sede, faciet Confessionem more solito cum Celebrante.

XVIII. Qua finita, redit cum suis Assistentibus ad sedem, ubi de more imponit incensum in thuribulum, Presbytero Assistente in habitu Canonicali, (& aliis Diaconis Assistentibus) tunc ministrante naviculam, & thurificatur Altare, & ipse Episcopus,

si sit paratus, ut supra, & ante eum celebrans duplici ductu.

XIX. Tum Episcopus, stans de more, legit introitum, & dicit: *Kyrie eleison*, cum Canonicis ad circumulum stantibus. Celebrans dicit tres Orationes, ut in Missali, in tono feriali.

XX. Cum Celebrans dicit: *Dominus vobiscum*, Episcopus descendet à solio ad faldistorium paratum in plano, ubi genuflectet, ut supra diximus, & omnes alii, exceptis celebrante, Diacono, & Subdiacono, qui semper stant in Missa, nisi ad versiculum: *Adjuva nos*, ut infra dicitur. Diaconi verò Assistentes genuflectunt post Episcopum, dilatantes, & aptantes latera Pluvialis, vel cappam Episcopi; quod semper faciunt in pari casu, ut infra.

XXI. Dicta ultima Oratione, Episcopus discedet cum Mitra ad sedem, nec adhuc removetur faldistorium; & iterum antequam dicatur à Choro versus: *Adjuva nos, &c.* descendet ad faldistorium, & genuflectet, ut prius, sic permanens usque ad sinem versus, genuflectentibus etiam Celebrante, & Ministris Altaris in cornu Epistolæ, non in medio Altaris, ob reverentiam Episcopi ibi genuflexi.

XXII. Quo versu dicto, & non prius, removetur faldistorium ad partem Epistolæ, ut suo loco diximus, & Diaconus cum prædictis Ministris, deposita jam Planeta plicata, & alia stola accepta, ut alias diximus, vel eadem convoluta, & delato prius libro Evangeliorum ad Altare post Epistolam, ut alias, osculataque manu Episcopi, & ab eo benedicto incenso ministerio Presbyteri Assistentis, & Thuriferarii de more, accedit ante ultimum gradum Episcopi, & ab ipso sedente petit benedictionem pro Evangelio recitando. Quo finito, Episcopus osculatur librum, & thurificatur sine Mitra ab Assistente.

XXIII. Tunc accedit fermocinaturus, & petit benedictionem & Indulgentias, & fit confessio, & Missa perficitur, ut alias.

XXIV. Finita Præfatione, Episcopus iterum genuflectit in faldistorio, deposita Mitra (dicto prius: *Sanctus*, cum Canonicis ad circumulum venientibus) usque ad *Pax Domini*, exclusivè, & tunc redit ad sedem suam cum Mitra, quam statim deponit; ubi dicit etiam: *Agnus Dei, &c.* cum iisdem Canonicis ad circumulum venientibus.

XXV. Subdiaconus iustinet Patenam de more, & Diaconus & Subdiaconus respectivè deponunt, & resumunt planetas, & osculantur manum Episcopi, ut supra dictum est in Dominicis Adventus.

XXVI. Post Communionem, dum Celebrans dicit: *Dominus vobiscum*, Episcopus iterum genuflectit in faldistorio ad Orationes, quæ post Communionem dicuntur. Dicta ultima post Communionem, Diaconus conversus ad populum, dicit: *Humiliare capita vestra Deo*, Episcopo & aliis genuflexis manentibus, & caput inclinantibus.

XXVII. Finita Oratione, Episcopus discedit ad sedem, & ibidem dat benedictionem more solito. Et hæc observantur in aliis Missis, præsentè Episcopo, in Quadragesima respectivè. In quibusdam tamen faldistorium statim, aut initio Epistolæ removetur, quando scilicet non dicitur versus: *Adjuva nos Deus*.

XXVIII. Si Episcopus vellet hac die solemniter celebrare, finita distributione cinerum, sine Mitra incipiet Nonam, & cum inchoatur Psalmus: *Mirabilia*, sedens legit Psalmos: *Quàm dilecta, &c.* & stans orationes solitas, & interim accipiet sandalia, &c. Canonicis paratis remanentibus.

XXIX. Finita Nona, Episcopus lavat manus cum Cæremoniis consuetis, prout finita Tertia in aliis Missis per ipsum celebrandis & dum lavat manus, accedit Presbyter Assistens cum Pluviali, & adjuvabit, incipiendo servire Episcopo in officio assistentiæ, lotis manibus.

XXX. Diaconus Evangelii, & Subdiaconus parati usque ad Planetam exclusivè, absque manipulis, induent Episcopum paramentis Missalibus, adjuvantibus duobus Diaconis cum Planetis plicatis ante pectus.

XXXI. Parato Episcopo, Ministri sacri accipiunt Planetas ante pectus plicatas, & manipulos pro Missa, & Episcopus procedet ad Altare: inchoabitur Missa solemnis, & omnia fient, ut in aliis Missis, exceptis his, quæ particulariter faciendæ sunt, ut supra dictum est. Ante primam Orationem Episcopus dicit: *Dominus vobiscum*, & non: *Pax vobis*, quia non dictum est: *Gloria in excelsis*. Et cum dicitur versiculum: *Adjuva nos*, Episcopus genuflectet, non in faldistorio, sed apud sedem suam. In reliquis omnia fient, ut in Missa solemnè, Episcopo celebrante.

## C A P U T XIX.

De eadem feria 4. Cinerum, Episcopo absente, & in Collegiariis.

**O**Mnia fiunt ut supra 4. parte diximus, unde superfluum est ea repetere. Si habeatur sermo post Evangelium, sermociuator non petet benedictionem.

## C A P U T XX.

De Dominicis Quadragesima, usque ad Dominicam Palmarum.

**I.** IN Dominicis Quadragesimæ eadem omnia ferventur, tam circa ornatum Ecclesiæ, quàm circa cæremonias in Missa, quæ supra sunt expressa in Capitulo de Vesperis, & Missis in Dominicis Adventus, sive ab Episcopo, sive ab alio præsentem Episcopo celebrandis. Quæ autem ibidem dicta sunt de Dominica Tertia Adventus, circa paramenta Altaris, & Ministrorum, observantur eodem modo in Dominica 4. Quadragesimæ.

II. In quinta verò Dominica, quæ de Passione dicitur, cooperiantur, antequam Officium inchoetur, omnes Cruces, & imagines Sanctorum per Ecclesiam, & super altare nullæ ponantur imagines Sanctorum. Cantores verò ab hac Dominica quinta Quadragesimæ usque ad Pascha, excepta feria quinta in Coena Domini, non utantur cantu figurato, sed Gregoriano.

## C A P U T XXI.

De Officio, & Missa in Dominica Palmarum.

**I.** Officium in Dominica Palmarum, hoc est benedictio, & illarum distributio, ac deinde Processio, simile est ferè in omnibus Officio, quod fit in die Purificationis supra in benedictione, distributione, & Processione candelarum. Remissiùs tamen hac die aliquantulum paratur altare, & tribuna, quàm illa.

II. Præparantur ergo in Mensa apud Altare, & sedem Episcopi, ut de candelis dictum fuit, Palmæ, seu rami olivarum benedicendi, inter quos si Palmæ haberi non possent, ornetur, & aptentur ex dictis ramis aliquot, flosculis & parvis crucibus ex palmarum foliis compositis, ut speciosiores cæteris appareant, pro Episcopo, Canonicis, & Magistratibus; & saltem Palmæ perquirantur pro Episcopo, Prælati, & Majoribus, Magistratibus, aut aliquibus Viris magnis, si aderunt. Si Episcopus sit Cardinalis, præparantur etiam duæ Palmæ, sicut de candelis dictum est, Paris Crassus lib. 2. cap. 44. pro scutiferis duobus. Abacus quoque à latere Epistolæ, ea omnia, quæ in dicta die Purificationis enumeravimus, continens accommodetur.

III. Super Altari etiam ponentur eadem paramenta pro Episcopo, eodem ordine, ut ibidem dictum fuit, & ante Altare pallium violaceum: Custodes etiam, si opus sit, adhibeantur, qui populi pressuram cohibeant.

IV. Episcopus hora competenti, eodem modo, & ordine, cum cappa veniet ad Ecclesiam, orabit, ascendet ad sedem, capiet paramenta, sicut & Canonicis, ut supra. Quibus expeditis, dictis Epistola, & Evangelio, sine planetis plicatis, sed cum stola, & manipulis, ut ad Missam, & stans in sua sede sine Mitra, incipiet benedictionem Palmarum semper ex libro, & utitur candela, si velit, ut supra, manibus junctis, incipiens à *Dominus vobiscum*, & Oratione, *Auge fidem*, &c. tum dicit Præfationem, & postea, *Sanctus*, cum suis Ministris, & alias quinque Orationes.

V. Cum dicitur quinta Oratio, videlicet, *Deus qui per oliva ramum*, accedunt Thuriferarius cum Thuribulo & navicula, & Minister de vase aquæ benedictæ cum eo, & aspersorio, ad Episcopum cum debitis genuflexionibus; qui dicta per eum sexta Oratione, videlicet, *Benedic quæsumus Domine*, &c. imponit thus in thuribulum cum benedictione, tum aspergit, & thurificat ramos, sicut ibi candelas; tunc adhuc stans, eodem vocis tono dicit, *Dominus vobiscum*, & septimam Orationem, videlicet, *Deus qui filium tuum*, &c. qua completa, sedet, & capit Mitram.

VI. Tum dignior è Canonicis præbet ei Palmam pulchriorem, sumptam de



manu sacriffæ, vel alterius ad id deputati, osculando Palmam, & manum. Episcopus tenendam tradit alicui Capellano: nec refert, quod illa fit brevior, vel longior cæteris, modò fit pulchrior ornatu: Episcopus tantum ramum osculatur.

VII. Ponitur deinde mappa super gremio Episcopi per Acolythos ex abaco allata, quam hinc inde genuflexi tenent usque ad finem distributionis Palmarum, & elevantur hinc inde fimbriæ Pluvialis Episcopi per Diaconos assistentes.

VIII. Episcopus tunc incipit Palmas distribuere Canonicis, & aliis eodem ordine quo dictum fuit de candelis; Chorus incipit Antiphonam, *Pueri Hebraeorum, &c.*

IX. Finita distributione, Episcopus lavat, & fricat manus cum mica panis, & extergit more consueto; accedit ad eum Ceroferrarii cum debitis reverentiis, & ipse, deposita Mitra, surgit, & cantat Orationem ex libro dicens: *Dominus vobiscum, & Omnipotens sempiternus Deus, &c.*

X. Qua finita, sedet, capit Mitram, ponit thus in Thuribulum, ministrantibus Presbytero assistente, & Thuriferario, præsentate Cæremoniario. Tunc Diaconus à dextris Episcopi conversus ad Populum alta voce cantat, *Procedamus in pace;* quo dicto, Chorus respondet eodem tono, *In nomine Christi, Amen.*

XI. Postea ordinatur Processio per eundem Cæremoniarium circum Ecclesiam eodem ordine, quo dictum est ibi de Candelis; & omnes gerunt suas Palmas in manibus, ut aliàs diximus. Episcopus suam sinistra defert, & dextera benedicit. Exire debet Processio extra portam, & antequam ingrediar Crux processionis dictam portam, præveniunt aliqui Cantores eam ingredientem, & claudentes versùs ipsam Processionem, cantantes versiculos, *Gloria laus, & honor, &c.* respondentibus extra portam alii cantoribus, prout in Missali.

XII. Cantatis prorsus omnibus versiculis ex Missali recognito, Subdiaconus portans Crucem, tangit cum hasta illius portam, quæ statim aperitur, & Chorus ingreditur cantans Antiphonam, *Ingrediente Domino, &c.*

XIII. Interim Canonicus Missam Celebraturus debet esse paratus cum Diacono, & Subdiacono; & remota Mensa, Canonici Chorum ingressi deponunt paramenta, &

Palmas, quas resumunt, dum cantatur Passio, & Evangelium.

XIV. Procedunt ad Missam, in qua fiunt omnia, ut in die Purificationis dicitur, sive celebraturus sit Episcopus, sive non, ut ibi. Differentia erit tantum, quòd Diaconus & Subdiaconus utentur planetis plicatis ante pectus, & observant regulam, deponendo, & recipiendo, prout de tempore Adventus diximus, p. 4. c. 1. & hac parte c. 13.

XV. Cum Subdiaconus in Epistola pronuntiabit ea verba, *Ut in nomine Jesu, &c.* genuflectet Episcopus, & omnes alii cum eo usque ad verbum, *Inferorum,* inclusivè.

XVI. Tres qui cantaturi sunt Passionem, dum cantantur Epistola & Tractus, parantur in Sacristia amictu, alba, cingulo, & stola ab humero sinistro pendente, coloris violacei: videtur conveniens, ut habeant etiam saltem tres stolas latiores: & circa finem Tractus, procedunt è Sacristia hoc ordine: Antecedit Cæremoniarius, tum ille qui Evangelistæ personam gerit, portans sibi librum, tum ille qui Turbarum, ultimò qui Christi, sequentibus tribus Capellanis uno post alium, cum cottis, sine candelabris, & sine incenso; & factis Altari, & Episcopo debitis reverentiis, accedunt isti tres ad osculum manus Episcopi, eodem ordine, genuflexi; nullam tamen petunt benedictionem: tum procedunt ad locum, ubi cantant Passionem, versùs cornu Evangelii, seu in pulpito, secundum consuetudinem Ecclesiarum; & Capellani tres ante dicti stant contra illos; quorum qui est medius, tenet librum, quem inter se mutant æquali spatium, dum recitatur Passio, prout Cæremoniarius eos prius admonuit, & in ipso actu, cum tempus est, eisdem significat nutu. Vide etiam, quæ aliàs 4. parte diximus, ubi paulò fusiùs de his egimus.

XVII. Cum Passio inchoatur, Celebrans cum suis Assistentibus legit Passionem, tenens Palmam sinistra, ex Cærem. Papæ lib. 2. cap. 41. ad Altare in cornu Epistolæ; & Episcopus, & omnes surgunt, nudo capite, Palmas manibus tenentes usque ad finem Passionis; in qua dum recitatur, *Jesus autem exclamans voce magna emisit spiritum,* Episcopus in sua sede, & omnes alii in suis locis genuflectunt, etiam ipsi Cantores, & Capellani, pausando per spatium unius, *Pater noster,*

ex eodem Cæremoniali Papæ lib. 2. ibidem. Deinde surgunt, & is qui agit Evangelistam, perficit suam Lectionem, iisdem comministris Assistentibus, ut priùs: qua finita, Episcopus sedet, & accipit Mitram, deposita Palma. Tunc Diaconus Evangelii, deposita planeta, eaque five alia plicata, aut stola latiori super sinistrum humerum posita, & sub brachio dextro colligata, portat librum ad Altare; mox vadit ad osculum manus Episcopi, comite Cæremoniaro, & redit ad Altare, ubi dicit, *Munda cor meum, &c.*

XVIII. Interim Episcopus, ministrante Presbytero assistente, & Thuriferario, comite etiam Cæremoniaro, imponit thus in Thuribulum more consueto. Diaconus cum libro ante pectus, præcedente Cæremoniaro, & Thuriferario postea cum duobus Acolythis sine candelabris, sequente Subdiacono, petit benedictionem, incensat librum, non illum signans, & cantat Evangelium, *Altera autem die, &c.*

XIX. Ad elevationem solus Episcopus tenet Palmam, ut in aliis Missis. Quædam hic desiderantur, sed ea legi possunt supra p. 4. capitulis de hujusmodi Dominica, quæ his inservire possunt.

XX. Si Episcopus sit Cardinalis, dum finito Officio recedit ad locum habitationis suæ, duo prædicti Scutiferi portant à lateribus Cardinalis duas prædictas Palmas usque ad Cameram, ubi honorificè debent asservari per totum annum.

## C A P U T XXII.

*De Matutinis Tenebrarum 4. 5. & 6. feria majoris hebdomada.*

I. **P**ost Dominicam Palmarum nullæ occurrunt solemnitates, quæ indigeant speciali declaratione, ante Officium Tenebrarum; nam licet tertia, & quarta feria celebrari soleat Missa solemniss, & infra eam decantari Passio, celebrabitur secundum ritum, & cæremonias, quæ solent observari in diebus ferialibus, prout supra declaratum fuit, presente, vel absente Episcopo.

II. Passio etiam cantabitur, prout Dominica præcedenti, tam quoad habitum, &

numerum ministrorum, quam quoad alias cæremonias.

III. Ipsa verò quarta feria, hora vigesima prima, vel circa, id est hora tertia ante noctem, Episcopus venit cum cappa ad Ecclesiam, sequentibus Canonicis; & ingrediens Ecclesiam, caudam sibi ipsi defert ex Paride Crasso in Cæremoniali Cardinalium; & caput sibi cooperit caputio cappæ suæ, & si erit Archiepiscopus, non defertur Crux ante eum in Matutinis horum trium dierum.

IV. Ecclesia autem, tribuna, Altare, & sedes Episcopi poterunt remanere parata prout fuerunt Dominica præcedenti; sed aliquantò parcius, vel remissius. Et à latere Epistolæ in plano, ubi solet poni faldistorium Episcopi, ex Cæremoniali Papæ, ponitur candelabrum triangulare, accommodatum ad sustinendos quindecim cereos ceræ communis, ponderis duodecim unciarum singulos, vel circa, qui paulò ante adventum Episcopi accenduntur, simul cum cereis Altaris, ex eadem cera communi.

V. Episcopus factis solitis Orationibus, sibi ipsi trahens caudam cappæ per terram, accedit ad suam sedem, nullo tunc sibi Canonico assistente, sed tantum quibusdam Capellanis cum cottis circa eum stantibus. Quòd si magis placeret accedere ad chorum apud Canonicos, esset laudabile.

VI. Postquam Episcopus aliquantulum quieverit in sua sede, surgit, & surgentibus omnibus, & detecto capite, dicit versus Altare secretò, *Pater, Ave, & Credo*, usque ad finem; tum ipse caput tegit eodem caputio, & sic stat, quousque chorus inceperit, & cantarit Antiphonam, *Zelus domus tus*; qua finita, & incæpto Psalmo, sedet, & Capellani aptant simbrias cappæ; similiter Canonici, & omnes alii sedent.

VII. Finito quolibet Psalmo, Cæremoniarus, vel alius accedit cum debitis reverentiis, cum instrumento apto ad extinguendum, ad candelabrum triangulare, & extinguit cereum in illius extremitate positum à latere Evangelii, deinde in fine alterius Psalmi alterum ab alio latere, & sic successivè alternatim ab utroque latere singulos cereos extinguit in fine cujuslibet Psalmi, tam primi, quam secundi, & tertii Nocturnorum, & Laudum.

VIII. Finita Antiphona tertii Psalmi

cuiuslibet Nocturni, cum dicuntur versiculi, Episcopus surgit, surgentibus omnibus, caput detegit, & finito Responsorio dicit secretò totum, *Pater noster*, ut priùs; quo finito, tecto capite sedet, sedentibus omnibus.

IX. Tunc cantores accedunt cum debitis reverentiis Altari & Episcopo, ad legile præparatum in medio chori, seu ad locum consuetum, secundùm consuetudinem Ecclesiarum, & ibi cantant Lamentationes, quibus finitis, & factis reverentiis Altari & Episcopo, recedunt.

X. Lectiones secundi, & tertii Nocturni cantant, vel ipsi cantores, vel Canonici, pro more Ecclesiarum, à junioribus incipiendo, singuli singulas.

XI. Ad *Benedictus*, Episcopus surgit nudo capite, surgentibus omnibus.

XII. Cum dicitur versiculus, *Ut sine timore*, &c. Cæremoniarius, aut aliquis alius Capellanus, cum instrumento prædicto extinguit sigillatim, ad quemlibet versiculum, singulos Altaris cereos, incipiens à cornu Evangelii; & pariter alia omnia lumina, si quæ sunt in Ecclesia, extinguntur, præterquam ante SS. Sacramentum; ita ut in fine, *Benedictus*, sint omnia extincta.

XIII. Cum repetitur Antiphona post *Benedictus*, Cæremoniarius, sive alius Capellanus, removet ex candelabro triangulari unicum cereum accensum, in cuspide trianguli positum, eumque accensum elevata manu sustinet super cornu Epistolæ Altaris; & cum inchoatur, *Christus factus est pro nobis*, illum sic accensum abscondit retrò altare, vel alio modo.

XIV. Interim Episcopus descendet à sede, & genuflectet super faldistorio ante Altare parato, omnibus genuflectentibus; & statim chorus sub silentio incipit, *Pater noster*, mox Psalmum, *Miserere*, modulata, sed flebili voce. Quo finito Episcopus genuflectens, ac capite inclinato, vel ex libro, vel memoriter recitat clara voce Orationem, *Respice quesumus*, &c. usque ad, *Qui tecum*, &c. quod secretè complet.

XV. Qua Oratione finita, Cæremoniarius manu scabellum, seu librum percutiens per breve spatium, strepitum fragoremque facit, & à cæteris fit, donec Cæremoniarius prædictum cereum accensum, qui fue-

rat absconditus, in medium proferat; quo prolato, omnes cessare debent à strepitu.

XVI. Finito strepitu, Episcopus, & omnes surgunt, & recedunt eodem modo, & ordine, quo venerant.

XVII. Eadem servantur in duobus sequentibus Matutinis tenebrosis, hoc tantum excepto, quòd Altare, tribuna, & sedes Episcopi, ac pavimentum penitus denudantur: poterit tamen in sede Episcopi pulvinar adhiberi, si volet; & advertatur, ut Officium hora tarda perficiatur, hoc est, Sole occidente.

## CAPUT XXIII.

De Officio, & Missa feria 5. in Cena Domini.

I. **Q**uia hodie occurrunt plura Officia ab Ecclesia Dei peragenda, scilicet Poenitentium reconciliatio, Oleorum consecratio, Missa, Processio, repositio SS. Sacramenti, ac demum, *Mandarum*; ea tantum subjungemus, quæ ad Missam, Processionem Sacramenti, & *Mandarum*, pertinent. Cætera namque in Pontificali factis latè explicantur, unde sumi possunt.

II. Præparandum ergo, ordinandumque erit aliquod sacellum intra Ecclesiam, quo pulchrius magnificentiusque poterit, multis luminibus ornatum, in quo post Missam hujus diei recondendum sit SS. Sacramentum, & in eo Altare, cum sex candelabris, ac cereis.

III. Præparetur etiam Baldachinum album pulchrum, & thuribula duo cum naviculis, vel unum parvum pro Sacramento, alterum magnum & amplum, quod circum humeros Episcopi ponetur, dum Sacramentum portabit; & ambo hæc vela sint sericea, vel aurata, aut pulcherrimè ornata; calix amplior, & pulchrior cæteris, ubi Sacratissima Hostia ponetur; candelæ ceræ albæ, aut funalia in numero sufficienti pro Canonicis, & Clericis, & una inter eas picta, & ornata pro Episcopo, quam unus ex ejus Capellanis, vel Scutiferis deferet, in Processione accendendæ. Item vas argenteum, seu aureum cum multis particulis consecrandis, pro communicandis Canonicis, & Clero.

IV. Summo mane Episcopus, si episcopus erit celebraturus, veniet ad Ecclesiam ordine consueto cum cappa, associatus à Canonicis. Parabitur in Sacristia, vel in Secretario, ut alias, dum dicitur Nona; & interim capiet sandalia, leget Psalmos sine: *Gloria Patri*, & in fine cum dicitur à Choro: *Christus factus est*, &c. genuflectet ante Altare; & finito Psalmo: *Miserere*, &c. genuflexus dicet Orationem: *Respice*, &c. mox redibit ad sedem, deponet cappam, lavabit manus, & paramenta alba accipiet, ut alias, & cum eo parantur Canonici; & perficiet, si volet, ea quæ supra dicta sunt, secundùm Rubricas Pontificalis, circa reconciliationem Pœnitentium, & Oleorum consecrationem, procedetque in Missa cum solitis cæremoniis, & prout in Missali Romano.

V. Paulo ante Communionem, Cæremoniarius, seu aliquis Capellanus, portat ex Abaco ad Altare supradictum Calicem magnum vacuum, & dicta duo vela, sumpta Communione Corporis, & Sanguinis, antequam se purificet Episcopus: reponet Sacramentum in Calice, quem Diaconus tegit palla, & patena desuper posita, ac demùm velo serico cooperit, & in medio Altaris collocat reverenter.

VI. Tum antequam se purificet, communicat primò Diaconum, & Subdiaconum; tum omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Ecclesia, qui stolam à collo pendentes super cottam habere debent; & denique omnes de Clero, eo modo, & forma, ut infra explicatur in capite de Missa in die Paschæ per Episcopum celebranda, & Communionem generali. Sed hodie Diaconus, & Subdiaconus Assistentes, & cæteri Canonici parati faciem Episcopi celebrantis non osculantur.

VII. Finita Communionem, Episcopus se purificat, & abluit digitos, & facta reverentia cum genuflexione Sanctissimo Sacramento, retrahit se extra cornu Epistolæ (in plano) versa facie ad populum, ubi lavat manus sine Mitra; & eundo, & redeundo ad Altare, semper usque ad terram genuflectit ante Sacramentum; & dum vertit se ad populum disciturus: *Dominus vobiscum*, facta genuflexione, vertit se per latus suum dextrum, quasi semiverfus, renes vertens ad cornu Evangelii ex praxi communi, & ex

Missali, licet hic aliter dicatur l. 2. c. 23.

VIII. Dicto: *Ita Missa est*, Episcopus sine Mitra, stans in latere Evangelii, ut supra, dabit solemnem benedictionem; sed Indulgentiæ publicabuntur, ubi poni debet Sanctissimum Sacramentum. Cum Episcopus in fine Missæ dicturus est Evangelium, non signat Altare, ut alias; quo finito, retrahens se ad suam sedem cum debitis genuflexionibus, ibi sacras vestes deponit usque ad stolam exclusivè, & accipit Pluviale album.

IX. Interim Canonici parati capiunt cereos accensos, & digniores ex beneficiatis, seu ex mansionariis, capiunt hastas baldachini.

X. Episcopus, accepto Pluviali, & Mitra, stans imponit incensum in duo thuribula absque benedictione, ut p. 4. diximus, & non osculata ejus manu, ministrante Presbytero Assistente, ut alias. Quo facto, redit ad Altare, ubi nudo capite super pulvinum genuflexus, accepto uno ex duobus thuribulis ab Assistente Presbytero, triplici ductu Sanctissimum Sacramentum thurificat; tum superimponitur humeris ejus velum, & spinulis firmatur; & Diaconus Evangelii, & non alius, cum debitis reverentiis, capit Sacramentum de Altari, & illud stans offert Episcopo sine osculis, & sine reverentia, stans versus eum; sed postquam illud in manibus Episcopi reliquit, statim genuflectit. Episcopus verò cum Sacramento surgit, & statim Cantores incipiunt Hymnum: *Pange lingua*, &c. ut in Missali. Ministri Assistentes hinc inde elevat simbrias anteriores Pluvialis, scilicet Diaconus Evangelii, & Subdiaconus, duobus aliis suo ordine procedentibus.

XI. Cæremoniarius verò, vel aliquis Capellanus, dum Episcopus ascendit, vel descendit per gradus, elevat extremitatem vestis interioris à parte anteriori; & nobilior laicus, vel alius, juxta consuetudinem loci, qui adest, sublevat Pluviale à parte posteriori. Episcopus intrat sub Baldachinum, portans devotè Sacramentum: Canonici parati cum candelis, solito ordine procedunt.

XII. Cum pervenerit ad facellum, ubi deponi debet Sacramentum, relinquitur Baldachinum, & Cantores in cantu devoto & pio cantant: *O salutaris Ho-*

stia, &c. vel: *Tantum ergo*, &c. donec Sacramentum fuerit repositum, & incensatum.

XIII. Cum Episcopus erit ante supremum gradum Altaris, Diaconus genuflexus accipiet de manibus eius stantis Sacramentum sine osculo manus, quod deponet super Altare in loco præparato, velo cooperiens undique Calicem. Et interim Episcopus paululum retrocedens, & ad partem Evangelii parum recedens, stans imponet thuribulum in altero ex thuribulis, & rursus genuflexus Sacramentum incensabit triplici ductu, & ascendens ad Altare, eodemque cum genuflexione osculato, dabit benedictionem solemnem sine Mitra, stans in latere Evangelii, ut supra (licet aliter in Cæremoniali dicatur) ex praxi communi, & ex Missali in pari casu, accepto baculo pastorali, dum dicit: *Pater, & Filius, &c.* & Presbyter Assistens publicabit Indulgentias quadraginta dierum more solito. Canonici extra dictum locum deponunt paramenta, & redeunt in Chorum ad Vesperas; quibus finitis, denudantur Altaria, & omnia, & deinde fit *Mandatum*, ut in sequenti capite.

XIV. Quòd si Episcopus ex rationabili causa non celebraret hanc Missam, sed illi per alterum celebratæ interesset paratus, ut aliàs, saltem non omittat Sacramentum portare in Processione; quo casu, Canonici capient tantum paramenta in fine Missæ; & demùm reposito Sacramento accedere ad *Mandatum*, & lavare pedes pauperum, vel Canonicorum, ut infra.

## C A P U T XXIV.

### De Mandato, seu lotionem pedum.

I. **E**xpletis Vesperis in Ecclesia, Episcopus descendit ante Altare, ubi facta Oratione, surgit, & deponit Pluviale, stollam, & cingulum albi coloris, & accipit eadem coloris violacei, cum Mitra simplici. Diaconus autem & Subdiaconus, qui in Missa ministrarunt, retinent paramenta alba, prout est in usu; & præcedentibus Canonicis, & Cruce Archiepiscopali, si sit Archiepiscopus, procedit ad locum, ubi sunt

pauperes, qui lavandi sunt pedes. Convenientius tamen videtur, ut Episcopus non adsit ad Vesperas paratus aliois paramentis, cum Vesperæ sint luctuosæ, & feriales. Idèd videtur decentius, ut nullo modo præsens sit iisdem.

II. Sed quia diversi sunt ritus Ecclesiarum circa hoc, alicubi enim est in usu vestire sumptibus Episcopi, vel Canonicorum tredecim pauperes, eosdemque cibo, & potu reficere, & mox suo tempore eisdem pedes lavare, & elemosynam præbere; alibi Episcopi lavant pedes tredecim Canonicis ex suis: idèd relinquitur hoc faciendum juxta morem Ecclesiarum, vel arbitrio Episcopi, si maluerit pauperibus lavare, etiam ubi est consuetudo lavandi Canonicis; videtur enim eo pacto majorem humilitatem præ se ferre, quàm lavando pedes Canonicis.

III. Si ergo lavandi sunt pedes tredecim pauperibus, præparabuntur in Ecclesia, ubi magis conveniet, seu in aula capitulari, seu alio loco solito, & idoneo, infra scripta: videlicet faldistorium, seu sedes pro Episcopo in capite aulæ, Abacus, seu mensa capax, mappa nitida superposita, cum duobus candelabris, & cereis albis accensis. Erunt super eas pelves plures, seu lances argenteæ, si haberi poterunt, cum urceis aqua aliquantum calida implendis, & ad minus duobus; alia lanx similis cum tredecim mappulis ad extergendos pedes, & alia cum pecuniis pro elemosyna pauperibus dandis, pro unoquoque æquali portione divisis. Item linteum, quo Episcopus præcingi debeat; vas cum aqua calida, & aliud cum frigida; vasa etiam cum mantili pro lavandis manibus Episcopi post lotionem pedum, thuribulum cum navicula & incenso per Thuriferarium tenendum, vas cum carbonibus ardentibus. Ipsa mensa jam dicta, & vasa, & totus ille locus floribus & herbis odoriferis aspergatur.

IV. Paretur etiam legile, seu pulpitem pallio sericeo, seu auriphrygiato coopertum, super quo liber Evangelii ponatur, quando cantandum erit illud, à latere sinistro Episcopi, & aliud nudum pro Cantoribus; liber Evangeliorum, liber pro Cantoribus, repagula pro Episcopo, ne opprimatur; scamnum oblongum, & præaltum à dextris, panno viridi

ridi opertum, super quo sedent pauperes jam dicti vestibus novis coloris albi induti, dextero pede n. denudatum habentes.

V. His omnibus paratis, Episcopus, ut dictum est, finitis Vesperis, vel à prandio, prout placuerit Episcopo, paratus cum suis Ministris, ut supra, illuc accedit: sedet in sede sua ibidem parata; tunc Thuriferarius cum Thuribulo, & navicula ad eum accedet, & Episcopus ministrante naviculam Presbytero assistente imponet thus in Thuribulum, & benedicit more solito.

VI. Quo facto Diaconus, ut supra, genens ante pectus librum Evangeliorum, accedit cum Subdiacono, & duobus Ceroferrariis ante Episcopum, ubi profunde inclinatus, quia est Canonicus, (licet dicatur hic c. 24. genuflexus) aliis genuflexis, excepto etiam Subdiacono, petit ab eo benedictionem dicens *Jube domine, &c.* cui Episcopus respondet *Dominus sit in cordo tuo, &c.* tum manum ejus osculatur Diaconus, & benedictione accepta surgit cum ministris suis, accedit ad locum cantandi, posito libro Evangeliorum super legili, quem Subdiaconus ambabus manibus à tergo retinet; & si erit Archiepiscopus, Capellanus Crucem tenens stabit propè ipsum Diaconum, facie Crucifixi versa ad Archiepiscopum. Duo Ceroferrarii stabunt hinc inde à lateribus legilis, faciebz ad Diaconum versis. Dum Diaconus cantat Evangelium de more, signans librum, & se, & librum incensans.

VII. Quo finito, Subdiaconus portat librum Evangeliorum osculandum Episcopo de more. Ceroferrarii, factis reverentiis debitis, reportant candelabra super Abacum, & amovetur legile. Diaconus etiam de more Episcopum triplici ductu thurificat, mox recedit cum Subdiacono ad partem, &c.

VIII. Cantores tunc incipiunt, & prosequuntur Antiphonam *Mandatum novum do vobis, &c.* prout in Missali.

IX. Episcopus deponit Pluviale, & capit linteum ex Abaco per aliquem Capellanium allatum, quo præcingitur à Diacono, & Subdiacono, & retinens in capite Mitram simplicem, accedit ante primum pauperem, & super cussino genuflexus, quem

aliquis Capellanus continuo trahit, anertibus pelves, & urceos Scutiferis habitu Clericali indutis, lavat illi pedem dextrum, quem lotum tergit, & osculatur, tradens ei elemosynam. Idem facit successive singulis.

X. Scutiferi autem si tot erunt, singuli pro singulis pauperibus serviunt; si pauciores, mutantur per vices.

XI. Lotis omnibus redit Episcopus ad sedem suam ubi lavat manus, Scutifero altero, seu nobili, ante lancem cum urceo portante cum solitis Caremoniis; & illicò adfunt duo Ceroferrarii cum candelabris, & cereis accensis, Caremoniaro eos ducente ante Episcopum, qui deposito linteo, & accepto Pluviali, & deposita Mitra, surgit, & voce intelligibili dicit *Pater noster, &c.* quod secretè complet, usque ad versum *Et ne nos,* quod altè pronunciat; respondentibus cantoribus, *Sed libera nos à malo,* deinde versuculos cum Oratione, ut in Missali.

XII. Quibus finitis, Episcopus altè elevans manum facit signum Crucis versus omnes existentes in dicta aula, nihil dicens, & statim deponit sua paramenta, & pariter ejus Ministri, & recedunt.

XIII. Si Canonici erunt quibus lavandi sunt pedes, sedebunt in dicto scamno, in eorum habitu Canonicali, pedem dextrum nudum habentes, & Episcopus eodem ordine lavabit illis pedes, terget, & osculabitur prout de pauperibus dictum est, incipiendo à digniori: sed non datur elemosyna; in cæteris servantur omnia supra dicta.

XIV. Absente Episcopo, & in Ecclesiis Collegiatis, servetur Missale circa supra dicta, videlicet, Missam, Processionem Sacramenti, denudationem altarium, & *Mandatum*; & videantur ea quæ supra 4. suis locis diximus.

## CAPUT XXV.

Deo Officio feria 6. in Parasceve Episcopo celebrante.

I. **S**I Episcopus velit ipsemet celebrare hac die, servantur infra scripta; videlicet altare, sedes Episcopi, & Canonicorum sedilia, & aliorum, ac tota tribuna sint penitus denudata. In Abaco superponatur mappa, sed nulla parte pendeat, ubi erit tantum pelvis cum urceo ad lavandas manus, & alia ad recipiendum petunias, quæ Cruci offeruntur. In ipso, & in altari candelæ ex cera communi cum candelabris extinctæ sint, sed nullæ imagines, aut alia ornamenta super altare ponantur, præter Crucem, & candelabra.

II. Præparentur pannus, seu tapes oblongus violaceus extendendus suo tempore pro adoratione Crucis; magnus item pulvinus ex serico villosus violaceo auroque factus, ubi Crux erit ponenda, & velum album serico violaceo intertextum, super eo explicandum; scabellum, seu faldistorium nudum, super quod Episcopus ante altare genuflectat.

III. Paramenta autem Missalia erunt nigri coloris, & pro Diacono, & Subdiacono planetæ plicatæ, & pluviale ejusdem coloris pro Presbytero assistente.

IV. Hora competenti, Episcopus venit associatus cum sua cappa ad Ecclesiam, ut in Matutinis. Tenebrarum, orat ante Sanctissimum Sacramentum, & altare majus, & intrat Secretarium, ubi pariter altare, & omnia nudata sunt, præter Crucem velatam, & cerei super illud extincti: ibi cum cappa ascendet ad sedem suam præparatam, sed tamen nudam, & stans nudo capite versus altare dicit *Pater noster*, &c. secreto. Quo finito, chorus recitat Nonam. Incepto primo Psalmo Episcopus sedet.

V. Interim Canonici Evangelium, & Epistolam cantaturi capiunt sua paramenta, præter manipulum, & Planeram, & sic in albis remanent, donec erit tempus parandi Episcopum.

VI. Cum dicitur in fine Nonæ *Christus factus est*, &c. Episcopus genuflectit ante altare super scabello, vel faldistorio nudo, capite detecto, & finito Psalmo *Miserere*,

&c. dicit genuflexus Orationem *Respice quæsumus Domine*, &c. mox recedit ad sedem, deponit cappam, & lavat manus more solito.

VII. Deinde per Diaconum, & Subdiaconum paratur paramentis sacris, exceptis sandaliis, & chirothecis, quibus hodie non utitur, dicit Orationes solitas ad paramenta, non tamen Psalmum *Quam dilecta*, &c. cum aliis.

VIII. Episcopus, & omnes alii utuntur paramentis nigris, & iis deficientibus, violaceis.

IX. Cum Episcopus incipit parari, Canonici pariter capiunt sua paramenta convenientia, prout suo loco dictum est. Diaconi habent planetas plicatas: & Canonicus Presbyter digniori omnium proximus servit hac die Episcopo in assistentia cum Pluviali nigro. Episcopus paratus sedet aliquantulum, Diaconus, & Subdiaconus sumunt manipulos, & planetas.

X. Si erit Archiepiscopus, præcedet Capellanus cum Cruce velata inter duos ceroferarios cum candelis extinctis, & sine thure, & præcedentibus clero, & Canonicis paratis, procedet ad altare more solito. Si non erit Archiepiscopus, non portatur Crux, Episcopus ante Altare procumbit, & genuflexus super nudo genuflexorio diutius, deposita Mitra, orat, quod & omnes alii faciunt, & interim per Cæremoniarios, vel Acolythos extenditur mappa super Altare.

XI. Postquam Episcopus oravit, surgit, osculatur altare, & resumpta Mitra accedit ad Cathedram nudam, vel faldistorium positum in plano ad cornu Epistolæ; ita ut faciem vertat ad cornu Evangelii: neque hac die unquam sedet in sua sede Episcopali in hoc Officio, nisi in fine, ut infra.

XII. Presbyter assistens sedet super primum gradum altaris, id est superiorem, ad pedes Episcopi, & post eum, hoc est à dextris ejus in eodem gradu Diaconus, & Subdiaconus, & prope ipsos, duo alii Diaconi assistentes, si solent assistere, ita ut efficiant unam rectam lineam.

XIII. Tunc unus ex beneficiatis cotta indutus, comite Cæremoniario, cum debitis reverentiis, sibi ipsi librum tenens, dicit primam Prophetiam sine titulo, in loco ubi

legitur Epistola, & sine osculo manus Episcopi. Qua finita, relinquit librum in manu Cæremoniarum, & factis debitis reverentiis, redit ad locum suum. Episcopus verò, dum Tractus cantatur, legit ex libro dictam Prophetiam sine candela accensa, Ministris tamen assistentibus circa eum stantibus.

XIV. Finito Tractu Episcopus surgit, & omnes surgunt, & amoveretur faldistorium, & stans ibidem versùs altare, dicit *Oremus*, Diaconus à dextris *Flectamus genua*, & omnes genuflectunt, Subdiaconus à sinistris *Levate*, & omnes surgunt. Episcopus dicit Orationem.

XV. Interim Subdiaconus deponit Planetam: & portans, & tenens librum cantat Epistolam, seu aliam Prophetiam in loco jam dicto; qua finita, absque osculo manus redit ad locum suum; Episcopus sedet, & dum cantatur Tractus, legit eandem, & Tractum, servientibus sibi solitis Ministris.

XVI. Dum per chorum cantatur Tractus, tres Capellani, seu cantores, qui Passionem cantaturi sunt, parantur in Sacristia habitu Diaconali, præter Dalmaticam, prout Dominica præterita dictum est, coloris tamen nigri; & circa finem Tractus procedunt eodem ordine, sequentibus tribus capellanis sine candelabris, & sine incenso, & cantant Passionem prout ibi dictum fuit, sed non osculantur manum Episcopi.

XVII. Episcopus, & omnes, cum inchoatur Passio, surgunt, & stant detecto capite, usque ad finem, & Episcopus apud altare in cornu Epistolæ leget secretè ex libro nudo super altare posito Passionem usque ad finem, conversus aliquantulum ad cantores; & Ministri Sacri stant juxta Episcopum, dum legit Passionem, pro situ loci in plano ordine suo.

XVIII. Cum cantores pervenerint ad verba *Et inclinatio capite*, &c. Episcopus, & omnes in locis suis genuflectunt, sic parumper manentes, vel orantes, & surgente Diacono, seu cantore, qui Evangelistæ personam agit, omnes surgunt stantes, & audientes reliquum Passionis, donec legendum sit in tono Evangelii. Tunc Episcopus, & omnes sedent, & cantores qui cantaverunt Passionem, cum debitis reverentiis discedunt.

XIX. Tunc Diaconus Evangelii deposita planeta plicata, & sumpta altera complicata super humerum sinistram, vel stola latiori, ut alias, portat librum ad altare, dicit genuflexus *Munda cor meum*, refumit librum, & vadit cum Subdiacono, & duobus Acolythis sine candelabris, & sine incenso, & nulla petita benedictione, reliquum Passionis cantat in tono Evangelii. Quo finito Diaconus cum aliis qui secum erant, factis debitis reverentiis, ad sua loca redeunt.

XX. Tunc si sermo habendus sit, ducitur sermocinator in habitu suo ante Episcopum per Cæremoniarum, qui genuflexus, vel inclinatus petit Indulgentias absque benedictione, & osculo manus, & factis debitis reverentiis, vadit ad pulpitem, & habet Sermonem. Episcopus tunc sedet in eodem cornu Epistolæ, sed versùs sermocinantem; alii omnes, sedente Episcopo, sedent. Statim finito Sermone, sermocinator pronunciat Indulgentias ab Episcopo concessas.

XXI. Non fit confessio, nec datur benedictio, sed statim Episcopus surgit, deposita Mitra, & remota cathedra, & stans in eodem loco cantat Orationes ex libro, ut in Missali. Diaconus dicit *Flectamus genua*, Subdiaconus verò *Levate*, advertendo ubi dicendum erit, ut in Missali.

XXII. Finitis Orationibus, Episcopus deponit Planetam apud faldistorium, & interim dum Episcopus dicit ultimas Orationes, Ministri extendunt tapetem prædictum magnum, vel pannum violaceum ante gradus Altaris, & super ejus primos gradus ponunt pulvinar amplum, & super eo velum, seu mappam sericeam, ut supra, ubi ponenda erit Crux.

XXIII. Episcopus deposita planeta vadit ad angulum posteriorem in cornu Epistolæ, quasi collateralis candelabris, facie ad populum versa. Tunc Sacrista capiens Crucem de medio Altaris, vel Presbyterii, illam porrigit Diacono, qui eandem dat Episcopo, qui eam devotè accipiens, manu dextra detegit illius summitatem, usque ad transversum Crucis, & ambabus manibus illam elevans, voce gravi cantat *Eccelignum Crucis*, &c. ut in Missali, Presbytero assistente librum tenente: quod cum dicit, omnes, nudo capite, surgunt, Cæremoniarum, & alii Capellani, qui circa



circa Altare manent, prosequuntur in cantu verba, *in quo salus mundi pependit*, & chorus respondet, *Venite adoremus*; quo casu omnes genuflectunt, excepto Episcopo celebrante. Idem secundo facit, & cantat Episcopus discooperiendo brachium dextrum Crucis, & caput figuræ Crucifixi, procedens ad anteriorem partem anguli prædicti, & tertio discooperiendo totam Crucem ante medium Altaris, semper altius vocem attollendo, & idem responderetur per Capellanos, & chorum, ut prima vice; pariter & ad illa verba *Venite adoremus*, genuflectunt.

XXIV. Quibus peractis, ipse Episcopus celebrans solus absque Ministris procedit ad locum ubi est positum pulvinar prædictum, portans Crucem ambabus manibus elevatam devotè, nullam tunc Altari faciens reverentiam, & eam genuflexus ponit, & firmat cordulis, si opus est, super dictum pulvinum, adjuvante Cæremoniario, qui paulò ante ponere debet prædictam lancem propè ipsum, ubi pecuniæ, quæ Cruci offeruntur, ponantur à dextris adorantis.

XXV. Deinde Episcopus recedit ad suum faldistorium, ubi adjuvantibus suis scutiferis, deponit calceos, & sic, nudo capite, descendit ad Crucem adorandam, medius inter Diaconos assistentes, & gradiens per dictum tapetem, seu pannum, ter cum debita distantia ante Crucem genuflectit, aliquantulum pro unaquaque vice orando, & demum Crucem osculatur; priùs tamen offert, seu offerre facit in lancem ibi positam, pecunias ad libitum.

XXVI. Postquam Episcopus adoravit Crucem, redit ad faldistorium in cornu Epistolæ, reassumit calceamenta, & non paramenta, legit improperia, ministrantibus prædictis Capellanis.

XXVII. Interim Canonici bini, & alii beneficiati, & de Clero Ecclesiæ, Ordine eorum, deinde Officiales, & nobiles laici adorant ordine, prout in die Cinerum pro capiendis cineribus dictum fuit.

XXVIII. Quod si fortè adesset Governator principalis, aut aliquis maximus vir, vel Princeps, qui aliàs solet habere honores ante Canonicos, in hoc actu ibit post Canonicos, sed ante alios de Clero: quia est actus humilitatis, in quo laici debent Clericis deferre.

XXIX. Circa finem adorationis, accenduntur cerei Altaris, Abaci, & tribunæ, & Diaconus cum Subdiacono explicant mapam lineam super Altare. Subdiaconus portat ex Abaco bursam corporalium cum purificatorio, quæ Diaconus extendit super Altare, & finita adoratione. Sacrista reportat Crucem ad Altare, omnibus genuflectentibus, ut supra.

XXX. Episcopus sedens lavat manus more solito cum Mitra, mox, ea deposita, reassumit planetam, & Mitram per manus Diaconi, & imponit thus in Thuribulum.

XXXI. Interim ordinatur processio ad locum ubi est Sanctissimum Sacramentum, eaque de causa, jam præparata esse debent decem, seu ad minus octo funalia cetera albæ, item baldachinum, duo Thuribula cum incenso, & igne. Præcedet Subdiaconus cum Cruce inter duos Ceroferarios cereos accensos deferentes, & sequuntur primò clerici, seu beneficiati, & mansionarii, tum Canonici bini suo ordine, & ultimo loco Episcopus, medius inter Diaconos assistentes; præcedentibus immediate Diacono, & Subdiacono, ut & Presbytero assistente, ordine suo; & si fuerit Archiepiscopus, Crux portabitur ante Canonicos, & cum discedunt, Episcopus, & omnes genuflectunt Cruci.

XXXII. Cum Episcopus pervenerit antefores sacelli ubi est Sanctissimum Sacramentum, deponit Mitram, & statim ingressus sacellum genuflectit, & ante altare iterum genuflectit super pulvino, & orat parumper, mox surgit, & ponit incensum in duo thuribula ministerio Presbyteri assistentis nihil dicens, & rursus genuflexus, ut supra, triplici ductu Sacramentum incensat, Sacrista aperiente capsulam ubi includitur, & statim apponitur velum pulchrum super humeros Episcopi, & acubus firmatur, ut æqualiter hinc inde pendeat.

XXXIII. Tunc dictus primus Diaconus assistens, id est Diaconus Evangelii, accipiens Sacramentum de dicta capsula, illud in manibus Episcopi reverenter collocat, & statim genuflectit: Episcopus capit Calicem ubi est Sacramentum velo coopertum ambabus manibus cum velo coopertis, quod circa humeros ejus pender, & illud portat reverenter sub baldachino delato à beneficiatis

tis paratis Pluvialibus nigris, si poterunt haberi, & illis deficientibus, cum cottis, præeuntibus Capellanis cum funalibus accensis, & duobus Thuriferariis cum duobus thuribulis continuo Sacramentum incensantibus, & revertitur ad Capellam eodem ordine. Cantores cantant Hymnum: *Vexilla regis, &c.*

XXXIV. Cum pervenerit ad cancellos Capellæ, vel ubi non fuerint cancelli, ad gradus Presbyterii, removetur baldachinum, & Diaconus Evangelii genuflexus ante gradus Altaris, capit Sacramentum de manu Episcopi stantis, illudque reverenter ponit super Altare. Episcopus deposito velo, adhuc stans, ministrante Presbytero Assistente, ponit incensum in thuribulum, & genuflexus ter Sacramentum incensat, & ascendit ad Altare, & accipit Hostiam de Calice, & ponit super Patenam, quam Diaconus tenet, nihil dicens.

XXXV. Tunc Diaconus Patenam cum Hostia offert Episcopo, qui eam deponit super Corporale, nihil dicens: postea idem Diaconus vinum ponit & aquam in Calice sine benedictione, cum aliis, quæ infra exponentur.

XXXVI. Quo factò, iterum Presbytero Assistente ministrante, (fortè Diacono, quia est ad Altare) imponit thus in Thuribulum, & facta genuflexione ante, & post, incensat Sacramentum, & Altare, more solito, dicens interim: *Incensum istud, &c. & Dirigatur Domine, &c.*

XXXVII. Capellani hinc inde genuflexi tenent funalia accensa, usque post Communionem, & observantur cæremoniæ prægustationis vini, & aquæ, ut aliàs; & Canonici proximis priori Presbyterorum infundit vinum in manus Episcopi in purificatione, quod aliàs facere solet prior Presbyterorum; & Missa continuatur, ut in Ordinario.

XXXVIII. Post Communionem Episcopus lavat manus cum Mitra in cornu Epistolæ cum solitis reverentiis, deinde ascendit ad sedem suam Episcopalem nudam, ubi deponit sacra paramenta, & capit cappam suam laneam violaceam: interim omnes alii deponunt paramenta: & postea dicuntur Vesperæ, & in fine Episcopus descendit, & ante Altare genuflectit in genuflexorio nudo, dum dicitur: *Christus factus est, &c.* & fini-

*Man. Sacr. Cærem.*

to Psalmo: *Miserere, &c.* dicit Orationem: *Respice quasumus, &c.* & redit ad domum suam, ordine quo venit.

C A P U T XXVI.

De eodem Officio, Episcopo non celebrante, sed præse, aut etiam absente, & in Collegiatis Ecclesiis.

I. **S**I Celebrans sit Prælatus, habens insignia Pontificalia, præparentur, & servantur ea, quæ præcedenti capite. Si verò non sit Prælatus, sed aliquis Canonicus, omnia prædicta pariter parentur, præter faldistorium, & Abacum, & ipse Celebrans cum Ministris parentur in Sacristia ante adventum Episcopi.

II. Hora congrua, Episcopus associatus à Canonicis more solito, indutus cappa lanea violacea, venit ad Ecclesiam, ubi orat prolixius ante Altare genuflexus in genuflexorio nudo, & ad ejus sinistram aliquantulum post ipsum Celebrans super scabello nudo, cum Diacono, & Subdiacono in nudo solo genuflexis; cumque oraverint, Episcopus surget, ascendit ad sedem suam, assistentibus duobus Diaconis, qui apud eum assistunt more solito, & Celebrans vadit ad Altare, & illud osculatur; tum si sit Prælatus, ad suum faldistorium, sin minus, ad scamnum suum nudum pro ipso & suis Ministris paratum.

III. Tunc verò per Clericos, & Ministros extenditur tobalea, seu mappa super Altare, quæ parùm hinc inde pendeat.

IV. Episcopus nulli hac die manu benedicit, nec verbo; neque recipit osculum manus ab aliquo, sed nec ipse osculatur textum Evangelii, nec incensatur, ut infra.

V. Cum omnes confederint, aliquis ex beneficiatis, vel Cantoribus, cotta indutus, comite Cæremoniario, sibi ipse librum deferens cum debitis reverentiis Celebranti, Altari, & Episcopo, accedit ad locum Epistolæ, ubi cantat Prophetiam sine titulo, librum manibus tenens; quæ finita, & factis iterum debitis reverentiis, redit ad locum suum, relinquendo librum super Abaco, vel mensa, & recitatur à Choro Tractus: *Domine audivi, &c.* post Prophetiam, quam simul cum Tractu legunt,

gunt, tam ipse celebrans, quam Episcopus, sedentes in suis sedibus, servientibus Episcopo de libro solitis Capellanis, celebranti verò Subdiacono.

VI. Finito Tractu à Choro, celebrans surgit, & si est Prælatus, stans ante faldistorium reversus ad Altare, dicit: *Oremus*, & Diaconus retrò: *Flectamus genua*, Subdiaconus verò: *Levate*: Episcopus, & omnes tunc genuflectunt, & statim surgunt.

VII. Si verò non est Prælatus, apud Altare accedit; celebrans autem cantat Orationem: *Deus à quo & Judas*, &c. in tono uniformi, & feriali. Qua finita, sedet, sedente Episcopo, & omnibus.

VIII. Tunc Subdiaconus deposita Planeta plicata, sumptoque libro, vadit ad locum Epistolæ, factis debitis reverentiis, ubi eam cantat in eodem loco: qua cantata, reassumit Planetam plicatam, & Celebrans, ac Episcopus legunt Prophetiam, & Tractum, ut priùs.

IX. Dum per Chorum cantatur Tractus, tres Capellani Passionem cantaturi parantur in Sacristia, & ut capite præcedenti, cantant Passionem.

X. Episcopus, Celebrans, & omnes, dum eadem inchoatur, surgunt, & stant detecto capite usque ad finem; quam etiam ad Altare legit ipse celebrans aliquantulum ad Cantores conversus; eaque finita, Diaconus cantat Evangelium, seu reliquum Passionis in tono Evangelii, servatis omnibus, quæ capite præcedenti sunt expressa.

XI. Finito Evangelio, Diaconus cum sociis recedit, factis reverentiis solitis, & remanet in habitu, in quo est, usque ad finem Officii; & postea fit Sermo, ut suprâ, si habendus sit, sine benedictione, & confessione; sed tantum Indulgentiæ post eum publicantur.

XII. His expletis, vel si non fiat sermo, finita lectione in tono Evangelii, celebrans accedit ad Altare in cornu Epistolæ, ubi cantat Monitiones, & Orationes, ut in Missali; ad quas cum Diaconus dicit: *Flectamus genua*, Episcopus, & omnes alii genuflectunt, excepto Celebrante, & surgunt, dum Subdiaconus dicit: *Levate*.

XIII. Antequàm dicatur ultima Oratio, Ministri extendunt ad longum, pannum ante gradum Altaris, vel Presbyterii, cum pulvino, & mappa, ut suprâ.

XIV. Completis Orationibus, Celebrans; si est Prælatus, sumpta Mitra, procedit ad faldistorium, ubi deponit Mitram, & Planetam, & redit ad posteriorem partem cornu Altaris; & si non est Prælatus, deponit Planetam in eodem loco, cui stanti post angulum dexteri lateris Altaris, facie versu ad populum seu Chorum, Diaconus offert de Altari Crucem velatam reverenter sumptam; qui eam devotè accipiens, manu dextra detegit illius summitatem usque ad transversum Crucis, ut jam diximus, & dum Celebrans cantat: *Ecce lignum Crucis*, tenet à sinistris ejus librum, si est Prælatus, Assistens; si verò non est Prælatus, Capellanus; & tunc Episcopus, & omnes detecto capite, surgunt; & semper, dum Chorus respondet: *Venite adoremus*, Episcopus, & omnes alii genuflectunt, excepto solo Celebrante.

XV. Dicto tertiò: *Ecce lignum Crucis*, ut suprâ, Celebrans solus procedit ad locum, ubi est positum pulvinar prædictum, portans Crucem ambabus manibus elevatam cum reverentia, nullam tunc Episcopo, nec Altari faciens reverentiam, & eam genuflexus ponit, & firmat laqueolis, si opus est, suprâ dictum pulvinum, adjuvante Cæremoniario, qui paulò ante ponere debet propè pulvinum ad dexteram adorantis lancem, ubi pecuniæ, quæ Cruci offeruntur, ponantur.

XVI. Deinde Celebrans, facta Episcopo reverentia, redit ad faldistorium, seu sedile, ubi deponit calceos, seu crepidas; eodemque tempore Episcopus à suis Scutiferis, oras cappæ à Capellanis sublevatas subeuntibus, excalceatur, qui simbras posteriores cappæ per terram trahens, anteriores verò sibi ipse elevans, nudo capite descendit ad adorationem Crucis, medius inter duos Diaconos Assistentes; & gradiens per dictum pannum, ter cum debita distantia genuflectit ante Crucem, aliquantulum pro una vice orando, & demùm Crucem osculatur, offerens tamen priùs pecunias, quas volet offerre; tum redit ad sedem suam, & capit calceos, quos ante deposuerat, dictis Scutiferis eodem ordine subeuntibus, ut priùs; & sedens legit impropria, quæ interim per Chorum cantantur in totum, vel in partem, prout numerus adorantium suadebit.

XVII. Post Episcopum immediate adoratur

rat Celebrans deposita Planeta, & retentis Dalmatica, & Tunicella, si est Prælatus, & procedit melius inter duos digniores Canonicos; & si non est Prælatus, ibit ad dexteram dignioris Canonici Planeta exutus. Sequuntur postea Canonici bini depositis calceis, & alii, ut supra, &c.

XXVIII. Circa finem adorationis, accenduntur cerei, ut ibi; & Diaconus portat burfam; explicat Corporale super Altare, & peracta adoratione, accipit Crucem de pulvino, eamque reverenter portat ad Altare, sine ulla reverentia; sed Episcopus, & omnes alii Cruci genuflectunt, & statim surgunt, & removetur pulvinus, & tapes.

XIX. Mox ordinatur processio ad locum ubi est Sacramentum; Celebrans autem solus paratus procedit immediatè ante Episcopum, qui dum ordinatur processio, deponit cappam, & capiet Amictum supra Rochetum, & stolam, ac Pluviale nigrum, & mitram simplicem; & sic deferat Sacramentum, & paratus permaneat usque ad finem Missæ. Deinde deponat pluviale, & assumat cappam pro Vespèris.

XX. Cum pervenerit ante fores sacelli, deponit mitram, & statim ingressus sacellum, genuflectit, mox surgit, & ante Altare iterum genuflectit super pulvino, & iterum surgit, & stans imponit thus in duo thuribula, nihil dicens, ministrante Presbytero assistente; & rursus super pulvino genuflexus, ter incensat Sacramentum, Sacrifa aperiente prius capsulam, ut supra; & statim apponitur velum super humeros Episcopi, ut etiam supra.

XXI. Tunc Celebrans capit Sacramentum de dicta capsula, illudque in manibus Episcopi, velo quod circum humeros habet, coopertis, collocat, & statim genuflectit. Episcopus capit ambabus manibus calicem, ubi est Sacramentum, velo coopertum, & illud portat reverenter sub baldachino, delato à beneficiatis cum cottis, præeuntibus Capellanis cum funalibus accensis, & duobus Thuriferariis, & redit ad Capellam ordine quo venerat, cantoribus, *Vexilla regis, &c.* cantantibus.

XXII. Cum pervenerint ad cancellos capellæ, vel gradus Presbyterii, ut supra, removetur baldachinum, & Celebrans genuflexus in supremo gradu Altaris, ut suo loco

diximus, accipit SS. Sacramentum de manibus Episcopi stantis, illudque reverenter collocat super Altare.

XXIII. Episcopus deposito velo, adhuc stans, ministrante Presbytero assistente, ponit thus in Thuribulum, & genuflexus iterum SS. Sacramentum ter incensat, genuflexo Celebrante à sinistris ejus; ipse autem redit ad suam sedem, ubi illico denuò cum Mitra stans ponit thus in thuribulum per Cæremoniarium allatum, vel Thuriferarium, comite cæremoniarario ipso, naviculam ministrante Presbytero assistente.

XXIV. Tum nudo capite genuflectit usque ad Communionem perfectam, omnibus similiter genuflexis manentibus: Capellani cum funalibus hinc inde, versis ad invicem faciebus, similiter genuflexi tenent funalia accensa usque post Communionem.

XXV. Celebrans, postquam Episcopus ad sedem suam pervenerit, extrahit Sacramentum de Calice, & ponit super patenam, quam Diaconus nihil dicens, & sine osculo offert Celebranti, qui illud super Corporale ponit, nihil etiam dicens: Diaconus autem ponit vinum, & aquam in Calice sine benedictione, etiam nihil dicens, tum offert Calicem celebranti, qui illum ponit super Altare, ut aliàs, nihil dicens, & palla tegitur per Diaconum.

XXVI. Tunc accepto Thuribulo de manu Diaconi, quod Cæremoniararius, aut Thuriferarius ad Altare detulit, facta prius genuflexione SS. Sacramento, illud thurificat, & Altare, dicens omnes versiculos solitos; non tamen incensatur Celebrans, nec Episcopus; sed Altari incensato, Celebrans, extra cornu Epistolæ, stans versus populum sine Mitra, si ea utatur, lavat manus, tum ad medium Altaris cum genuflexione reversus, dicit inclinatus submissa, sed intelligibili voce, *In spiritu humilitatis, &c.* dicit, *Orate fratres*, non gyrum peragens, ut aliàs, non in medio, sed à latere, ne renes vertat Sanctissimo Sacramento; tum omnis omnibus aliis, absolute dicit in cantu feriali, *Oremus, præceptis, &c.* & Chorus respondet, *Sed libera nos à malo*; & postquam celebrans secretò respondit, *Amen*, prosequitur in tono feriali absolute dicens, *Libera nos quæsumus Domine, &c.* usque ad, *Amen*, exclusive, quod chorus altè respondet.

XXVII. Quo dictò, celebrans, facta

usque ad terram reverentia, Sacramentum dextera accipit, quod elevat sola dextera solito altiùs, ita ut ab omnibus videri possit, sinistra super Altare retenta; & statim deponit Hostiam, illamque dividit in tres partes, quarum unam in Calicem mittit, more consueto, nihil dicens.

XXVIII. Tum secretò, ut aliàs, dicit, *Perceptio Corporis, &c. Panem caelestem, &c. & Domine non sum dignus, &c.* continuat *Corpus Domini, &c.* quo dicto, signat se cum Sacramento, & illud sumit, & demùm nihil dicens, sumit vinum & aquam cum particula existente in Calice: quo factò, exportantur funalia extinguenda, & omnes surgunt, & sedent.

XXIX. Tunc celebrans, si est Prælatus sumpta Mitra, in cornu Epistolæ, ut aliàs, lavat manus: deinde, deposita Mitra, versùs ad medium Altaris, dicit inclinatus manibus junctis, *Quod ore sumpsimus, &c.* Si verò non est Prælatus, non lavat manus, sed sumpto Calice, dicit, ut suprà, *Quod ore:* quo dicto; redit, si sit Prælatus, ad faldistorium cum Mitra; si non sit Prælatus, ad Sacristiam, & exiit se; & interim Episcopus deponit Pluviale, & capit cappam, & inchoantur Vesperæ, ut suprà, & in fine Episcopus descendit ad faldistorium ante Altare, ubi dicit Orationem, *Respice, &c.* ut ibi. Quæ dicta, si sermo non sit habitus, tunc publicantur per Presbyterum Assistentem Indulgentiæ.

XXX. Absente Episcopo, & in Ecclesiis Collegiatis, servantur omnia prædicta, exceptis his quæ ad Episcopum pertinent, & ad celebrantem Prælatum, & prout diximus 4. p. suis locis; in quibus multa debent hic fervari, de quibus his duobus præcedentibus capitibus nihil diximus, quia superfluum est illa repetere, præsertim tot genuflexiones, & actus reverentiales, qui ibi fusè sigillatim explicantur.

## C A P U T XXVII.

### De Sabbato Sancto Episcopo celebrante.

I. **S**ummo manè vestiuntur Altaria, & sedes Episcopalis ornatur cortinis duplicibus, videlicet intùs alba, exterius violacea: sic etiam duo pallia ante majus Altare applicantur, & aptantur, ut cum opus

fuerit, faciliter removeri citò possit violaceum, & remaneat album, ut infrà.

II. Præparetur etiam cereus Paschalis prægrandis cum quinque granis incensì, qui ponitur in aliquo magno candelabro concedenti regulariter à latere Evangelii, vel alibi profitu loci; & apud illum locatur pulpitem, vel legile coopertum panno albo sericeo, vel auriphrygiato. Item arundo cum tribus candelis albis in ejus summitate positis: in reliquis ornatur Ecclesia, Altare, Abacus, & Chorus, ut in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ; sed cerei erunt extincti, donec erit tempus accendendi, ut infrà.

III. Dicta Sexta, excutitur ignis è silice, & accenditur per aliquem Sacerdotem, vel Canonicum paratum amictu, alba, stola, & Pluviali violaceis; vel, si magis placet, quod erit melius, per ipsummet Episcopum paratum, ut suprà, assistantibus Ministris cum Cruce, vase aquæ benedictæ, & aspersorio, & thuribulo, navicula, & granis incensì supra dictis in aliquo vase argenteo, ubi haberi potest: benedicuntur novus ignis, & grana prædicta, ut in Missali. Deinde si Episcopus benedixit, deposito Pluviali, & accepta cappa, sedet in sua sede, benedicit, & imponit thus in thuribulum, ministrante Presbytero Assistente, more solito.

IV. Si verò ex aliqua causa urgenti non benedixit ignem, hora competenti, associatus more solito venit ad Ecclesiam cum cappa, orat, ascendit sedem, imponit, & benedicit incensum, ut mox suprà.

V. Subdiaconus Epistolam cantaturus, paratus amictu, alba, cingulo, & Planeta violacea plicata, capit Crucem; & factis debitis reverentiis, vadit cum Diacono, & Ministris aliis extrà Capellam ad capiendum grana thuris, & arundinem prædictam in Sacristiam, vel alibi; hoc ordine.

VI. Præcedit aliquis Mazzerius, seu minister cum baculo, tum Cæremoniarius; sequuntur duo Acolythi cum cottis, quorum qui est à dextris, portat thuribulum cum navicula, alter à sinistris nihil fert; post eos incedit Subdiaconus cum Cruce, & post eum Diaconus paratus Dalmatica alba, manibus junctis. Post Diaconum sequuntur duo, aut quatuor Acolythi, seu Capellani cum cottis. Interim Episcopus, Canonici, & alii de choro sedent expectantes.

VII. Cum pervenerint ad Sacristiam, seu locum deputatum, ubi jam sunt grana, arundo, & novus ignis, accenditur parva candela ex dicto igne, quam portat Cæremoniarius. Diaconus capit arundinem, unus Acolythus bacile cum quinque granis incensi, & redeunt hoc ordine.

VIII. Primò dictus Mazzerius, seu Minister cum virga; tum duo Acolythi, videlicet unus cum bacili, & granis incensi, quod portat ambabus manibus elevatum à dextris, & alter cum thuribulo, & navicula à sinistris; postea Subdiaconus portans Crucem post eum Diaconus cum arundine prædicta, & ad ejus sinistram Cæremoniarius cum candela una parva, vel duabus accensis, & ultimò duo, vel quatuor Acolythi prædicti cū cottis.

IX. Cum fuerint ante cancellos, seu aditum Chori, Diaconus inclinatur diligenter & cautè arundinem, & Cæremoniarius accendit unam ex tribus candelis in ejus summitate positis ex igne novo parvæ candelæ accensæ, quam manibus gestat; & statim ipse Diaconus arundinem elevat, & tam ipse, quàm alii cum eo stantes genuflectunt, præter Subdiaconum Crucem ferentem. Diaconus cantat alta voce: *Lumen Christi*; quo auditò, Episcopus, & omnes surgunt, & Chorus respondet in eodem tono: *Deo gratias*. Surgit Diaconus, & omnes alii; & iterum in medio Chori inclinatur arundinem, accenditur altera candela, ut prius, & eodem modo genuflectunt, sed altiori voce cantat: *Lumen Christi*, & eodem modo respondetur: *Deo gratias*. Idem & tertio fit, & dicitur ante gradus Altaris; accenditur tertia candela, & Diaconus adhuc altiori voce cantat, & respondetur per Chorum, ut supra.

X. Tunc Episcopus, & omnes sedent; ipsi verò Ministri surgunt, & factis reverentiis Altari, & Episcopo, sedecunt ad locum, ubi cantandum est: *Exultet*. Diaconus verò deposita arundine in manibus unius ex dictis Acolythis, capit de manu Cæremoniarum librum, & cum debitis reverentiis accedens ante Episcopum, comite eodem Cæremoniarum, inclinatur profundè, quia est Canonicus, petit ab eo benedictionem, dicens: *Jube domine*, &c. cui Episcopus respondet: *Deus sit in corde tuo*, &c. *Paschale Praconium*, &c. ut in Missali, & manu benedicit.

*Man. sacr. Carem.*

XI. Diaconus tunc surgit, & accedit, factis debitis reverentiis, ad legile; ponit super eo librum apertum, quem ter adoleo incenso sed non signat, nec se, nec librum. Ministri circa legile locantur hoc ordine. Subdiaconus cum Cruce versa ad Episcopum, & Thuriferarius stant à dextris Diaconi; Acolythi cum arundine; & alter cum granis incensi à sinistris, versi ut Diaconus.

XII. Et cum Diaconus incipit cantare: *Exultet*, Episcopus, & omnes surgunt nudo capite; Diaconus prosequitur cantum suum, & suo tempore insigit quinque grana thuris in cereo in modum Crucis, quæ respiciat faciem Episcopi; pariter, & suo tempore, illuminat cereum cum una ex tribus candelis in arundine positis, ut in Missali. Et advertat Diaconus, quòd si Imperator non est coronatus, debet dicere: *Electum Imperatorem nostrum*.

XIII. Finito cantu per Diaconum, omnes inde recedunt cum debitis reverentiis. Diaconus verò, celebraturo Episcopo, deponit Dalmaticam, & Subdiaconus Planetam, & sic in albis ad Episcopum accedunt, qui stans capite nudo versùs Altare, secretò dicit: *Pater noster*, & Chorus cantat Nonam. In cuius fine cum dicitur: *Christus factus est*, &c. Episcopus descendit, & procumbit in faldistorio, & genuflectus dicit Orationem: *Respice quasumus*, &c. Qua finita, surgit, & redit ad sedem suam, ubi sedens accipit sandalia alba, quia illa non mutat, legit Psalmos: *Quàm dilecta*, &c. cum *Gloria Patri*, & alias Orationes, & versiculos consuetos, lavat manus, & induit omnibus paramentis Pontificalibus, & manipulo coloris violacei; non tamen Pallio, si sit Archiepiscopus; ac Mitra simplici, à dictis Diacono, & Subdiacono in albis assistentibus; & cum Episcopus capit Planetam, Canonici pariter capiunt paramenta ipsis congruentia coloris violacei, & prædicti Diaconus, & Subdiaconus Planetas plicatas, & manipulos ejusdem coloris; & Canonicus Presbyter Assistens cum Pluviali etiam violaceo, & alii duo Diaconi Assistentes, ubi est consuetum, assistunt, ut alias.

XIV. Cum Episcopus fuerit paratus descendit cum Mitra, & baculo de sua sede, & prædictis Assistentibus comitantibus, & Ministris, accedit ad Altare, quod sine Mitra in medio osculatur, deposito

interim baculo, & facta Cruci reverentia, mox recepta Mitra, & baculo, redit ad eandem sedem suam: Diaconus verò Evangelii, & Subdiaconus de Epistola, si assistunt duo digniores Diaconi, sedent ad Altare, ut dictum fuit de Missa solemnè, Episcopo celebrante.

XV. Locatur in medio Chori pulpitem, sive legile nudum, & omnibus confedentibus, ducitur à Cæremoniario aliquis Acolythus, sive Cantor, indutus cotta, qui factis debitis Altari, & Episcopo reverentiis, cantat sine titulo primam Prophetiam; qua finita, accedit cum debitis reverentiis ad osculandam manum Episcopi, antequam surgat pro Oratione dicenda.

XVI. Tum Episcopus surgit, deposita Mitra, dicens: *Oremus*, & Diaconus Assistens à dextris, dicit: *Flectamus genua*, & omnes genuflectunt; alter verò ad sinistram: *Levate*, & omnes surgunt. Ipse verò Episcopus profequitur Orationem, stans manibus extensis, sustinente librum Assistente, more solito. Sed ubi non assistunt prædicti duo Diaconi, servient in hujusmodi ministerio, & aliis, Diaconus Evangelii, & Subdiaconus Epistolæ.

XVII. Cantantur postea aliæ Prophetiæ ab Acolythis, vel Cantoribus, eodem ordine, & post quartam, octavam, & undecimam lectionem, Episcopus legit ex libro Tractum, dum cantatur à Choro, & pariter per eosdem Diaconos Assistentes suo tempore dicitur: *Flectamus genua*, & *Levate*, ut in Missali.

XVIII. Finitis lectionibus, si ipsemet Episcopus velit fontes benedicere, deposita Planeta, & sumpto Pluviali violaceo, ibit, præcedente Cruce cum cereo benedicto accenso, qui portabitur immediatè ante Crucem, & Canonicis paratis, ac aliis de Clero, ad illos benedicendum; & alia fiunt, & cantantur, ut in Missali. Si verò noluerit, aut non potuerit Episcopus id præstare, destinabit aliquem ex dignioribus Capituli, qui Pluviali paratus, comitantibus aliquot Acolythis, & Ministris cum cereo accenso, & Cruce, ea omnia faciet.

XIX. Quibus peractis, si aderunt Cathemeni, ab Episcopo baptizentur more solito, aut à digniore de Capitulo, & per octo dies ante in ipsa Ecclesia, nisi periculum immineat, nullus infans baptizetur.

XX. Si Episcopus id præstiterit, eodem ordine redibit ad Capellam; ubi deposita Pluviali cum Mitra, procumbit ante Altare super faldistorio, & pariter omnes in suis locis genuflectunt, & aliquis ex Subdiaconis genuflexus super scabello, versus cornu Epistolæ post Episcopum, habens ante se librum inchoabit Litanias; & si aderunt ordinandi, prosternent se, dum dicuntur Litanix, & alia fiunt, ut in Pontificali de Ordinibus dandis, respondente Choro, & repetente omnia, quæ Subdiaconus dicit.

XXI. Et cum perventum fuerit ad versiculum: *Peccatores*, Episcopus surgit, & ibidem stans, deponit paramenta violacea, & accipit alba cum Pallio, si sit Archiepiscopus. Diaconus autem, & Subdiaconus paulo ante depositis Planetis violaceis plicatis, assument Dalmaticam, & Tunicellam albas, ut præstò sint ad adjuvandum Episcopum.

XXII. Interim reorientur ab Altari, & sede Episcopali pallia violacea, & accenduntur luminaria; Subdiaconus verò alter jam dictus profequitur Litanias usque in finem, respondente Choro, & in fine cantatur: *Kyrie eleison*, cum pausa convenienti, donec Episcopus fuerit in sede sua ad cantandum: *Gloria in excelsis Deo*.

XXIII. Episcopus autem albis paramentis paratus, facit confessionem, tum ascendit ad Altare, quod osculatur, & librum Evangeliorum: thus benedicit, & Altare de more thurificat, & ipse thurificatur cum Mitra, & cum ea & baculo redit ad sedem suam, ubi dicit: *Kyrie eleison*, cum Ministris, & cantat: *Gloria in excelsis*.

XXIV. Tunc pulsantur campanæ, & prius debent moneri aliæ Ecclesiæ civitatis, ne pulsent cāpanas, nisi prius audito sono campanarū Ecclesiæ Cathedralis. Episcopus dicit: *Pax vobis*, deinde Orationem: *Deus qui hanc, &c.*

XXV. Finita Epistola, Subdiaconus demisso libro in manu Cæremoniarii, immediatè accedens ante sedem Episcopi, clara voce dicit: *Reverendissime Pater, annuncio vobis gaudium magnum, quod est Alleluja*; & postea statim accedens, osculatur ejus manum; tunc is, cui ex officio id incumbit, vel aliquis Canonicus, intonat Episcopo: *Alleluja*, qui surgens sine Mitra, tertio cantat: *Alleluja*, tertio elevando vocem gradatim; & Chorus post quamlibet vicem repetit illud

Jud idem, & postea chorus profequitur ver-  
sum, *Confitemini*, &c. & tum Episcopus se-  
det, & profequitur Missam, ut in Missali, &  
ut supra de Missa solemnè Pontificali.

XXVI. Ad Evangelium petitur benedi-  
ctio, thus defertur, non tamen luminaria,  
non datur pax (licet dicatur Pax Domini)  
nec, *Agnus Dei*, dicitur, nec Antiphona,  
*Communio*; sed tres Orationes ante Commu-  
nionem dicuntur more solito.

XXVII. Post Communionem Episcopus  
lavat manus, redit ad sedem, & chorus,  
non autem Episcopus, incipit, *Alleluja*,  
pro Vesperis, Episcopo sedente: ad *Magni-  
ficat*, Subdiaconus, non ille Epistolæ, præ-  
intonas Antiphonam Episcopo, quam sur-  
gens repetit, tum sedet cum Mitra, & im-  
ponit thus cum benedictione in Thuribulum  
more solito; & cum inchoatur, *Magnificat*,  
Episcopus altare de more thurificat, mox  
redit ad sedem; & ipse incensatur, & alii  
more consueto; & ipse stans sine Mitra ex-  
pectat finem cantici, *Magnificat*.

XXVIII. Cum repetitur Antiphona, se-  
det sumpta Mitra, & ea finita, descendit ad  
Altare, ubi dicit, *Dominus vobiscum*, &  
Orationem, & Diaconus, *Ita Missa est*,  
cum duplici, *Alleluja*. Datur benedictio,  
& publicantur Indulgentiæ, ut alias.

## C A P U T XXVIII.

De Sabbato Sancto, Episcopo non celebrante,  
sed presente, & in Collegiatis.

I. S I tantum Episcopus voluerit interesse  
Missæ per alium celebratæ, præpa-  
rantur omnia, quæ præcedenti capite dicta  
sunt; & dicta Nona, ille qui erit Officium  
facturus, paratus amictu, alba, cingulo,  
stola, & Pluviali violaceo in loco consueto,  
benedicit novum ignem, & quinque grana  
incensi, legendo absque cantu Orationes,  
ut in Missali.

II. Quo factò, deposito Pluviali, accipiet  
Planetam, & Diaconus stolam, manipulum,  
& Dalmaticam albam; Subdiaconus verò  
manipulum, & Planetam coloris violacei: &  
sic parati sedebunt in aliquo scamno, expe-  
ctantes adventum Episcopi, qui statim finita  
novi ignis benedictione, veniet ad Eccle-  
siam cum cappa more solito, orabit ante Al-

tare SS. Sacramenti, & majus, & ascendet  
ad sedem suam cum Capellanis; & orante  
Episcopo, surget Celebrans cum ministris,  
qui donec Episcopus orabit, stabunt, &  
Episcopo sedente, sedebunt.

III. Cum Episcopus parum in sede quie-  
verit, accedit ad eum Thuriferarius, & ipse  
Episcopus, ministrante assistente, imponet  
thus in thuribulum more solito. Subdia-  
conus capiet Crucem, & cum Diacono, &  
aliis Ministris, discedet versus Sacristiam ad  
accipiendam arundinem cum tribus candelis,  
& quinque granis incensi, & alia fient,  
ut supra, Celebrante interim sedente in scamno  
& surgente apud illud, cum opus fuerit,  
donec inchoetur Præconium, *Exultet*;  
quo inchoato, accedet ad Altare, & ibi  
stabit manibus junctis in cornu Epistolæ,  
respicies Diaconum cantantem.

IV. Finito Præconio, Diaconus depositis  
paramentis albis, capiet manipulum, stolam  
& Planetam plicatam violacei coloris, &  
cum Subdiacono ad celebrantem accedet.  
Item ponetur in medio chori pulpitem nu-  
dum, & comite Cæremoniario, accedet ali-  
quis Acolythus, seu cantator cotta indutus  
ad cantandam primam Prophetiam sine ti-  
tulo, quam etiam leget celebrans ad Altare;  
& finita, accedit qui illam cantavit, cum de-  
bitis reverentiis ad osculandam manum  
Episcopi; quo factò, & non prius, celebrans  
dicet, *Oremus*, Diaconus dicit, *Flectamus  
genua*, & Subdiaconus subdet, *Levate*,  
omnibus ad prædicta genuflectentibus, &  
surgentibus, ut supra. Tunc celebrans pro-  
sequitur stans manibus extensis.

V. Cantantur deinde aliæ Prophetiæ eo-  
dem modo, quarum quatuor primas canta-  
bunt quatuor Acolythi, seu Clerici, alias  
quatuor beneficiati, seu mansionarii, alias  
ultimas quatuor Canonici, vel alias, prout  
commoditas, & numerus Clericorum, vel  
Ecclesiæ consuetudo id suadebit. Post quar-  
tam, octavam, & undecimam Prophetiam  
Episcopus leget Tractum, dum ille cantatur  
à choro, ministrantibus Capellanis solitis de  
libro, & candela: Celebrans verò apud Al-  
tare illum leget. Diaconus, & Subdiaconus  
dicent, *Flectamus genua*, & *Levate*,  
prout opus erit, ut in Missali.

VI. Finitis Lectionibus, celebrans, de-  
posita planeta, & sumpto Pluviali, præ-



cedente Cruce, Clero, Canonici, & ante Crucem aliquo Acolytha portante cereum benedictum medio inter Diaconum, & Subdiaconum, post ipsum sequente Episcopo, ibit ad benedicendum fontem baptismalem, choro interim cantante Tractum, *sicut cervus*, &c. & ibi omnia fient, ut in Missali. Quibus peractis, baptizentur Cathecumeni more solito, si adsint.

VII. Interim locatur ante medium Altaris faldistorium, & scabellum pro celebrante à sinistris ejus.

VIII. Completa benedictione fontis, & baptizatis Cathecumenis, si aderunt, ut supra (ex Missali recognito inchoantur hic Litanix ad fontes) redeunt omnes eodem ordine ad capellam, & Episcopus super dicto faldistorio, nudo capite, genuflectit; celebrans verò deposito Pluviali, ante dictum scabellum à sinistris, paulò tamen post eum, & pariter omnes in suis locis genuflectunt.

IX. Duo Capellani, sive cantores genuflexi ante scabellum post Episcopum, & Celebrantem, habentes ante se librum, inchoabunt Litanias choro ad idem simul respondente, ut in Missali. Cum perventum fuerit ad versum, *Peccatores*, surget Celebrans, & ibit ad Sacristiam cum Ministris suis ad accipiendum paramenta alba pro Missa, nisi Sacristia multum distet à Capella, quo casu parentur in loco convenienti prope Altare, & eodem tempore removeatur pallium violaceum, ut remaneat album, & accendantur candelæ Altaris, ita, ut hæc omnia fiant, donec compleantur Litanix; quibus finitis, surget Episcopus, & removeatur faldistorium ante ipsum.

X. Celebrans verò accedit ad ejus sinistram, facit cum ipso Confessionem, cantatur *Kyrie*, & *Gloria in excelsis*, pulsantur campanæ, & perficitur Missa, ut in Missali hac die, prout etiam in Capitulo præcedenti dictum est, & cum cæremoniis in Capitulo de Missa solemnè, quæ coram Episcopo celebratur. Annunciabitur Episcopo ab aliquo deputato, *Alleluja*, post Epistolam, ut supra, & postea Subdiaconus Epistolæ osculabitur manum ejus: vel ipsemet prædictum, *Alleluja*, annuntiabit. Ita Cær. Papæ l. 2. sect. 1. c. 57.

XI. In Ecclesiis Collegiatis eadem omnia fervari debent quæ hic expressa sunt, exce-

ptis iis quæ ad Episcopum pertinent, servatis in omnibus Rubricis Missalis, & iis quæ 4. p. supra notavimus ad majorem claritatem omnium supradictorum, quæ his præcedentibus capitibus diximus.

## C A P U T XXIX.

*De Missa solemnè in die Paschæ Episcopo celebrante, & de Communionè generali.*

I. **I**N die Paschæ Episcopus omnino Missam solemnem celebrare debet, nisi legitimo impedimento fuerit præpeditus: & in ea Communionè generalis fieri debet ordine infra scripto.

II. In Missa solemnè servantur omnia, quæ supra expressa sunt de Episcopo celebrante Missam solemnem, usque ad Offeritorium. Eo dicto, portatur ad Altare per Subdiaconum, antequam calicem deferat, vas argenteum, vel aureum cum multis particulis, prout populi frequentia requiret, coopertum, quod Diaconus præparat ante Crucem, ita ut non impediatur thurificationem Altaris; & cum Episcopus dicturus est, *Suscipe sancte Pater*, illud discooperit, & aliquantulum elevat, ac statim reponit super Altare, & cooperit, & iterum paulò antequam Celebrans proferat verba consecrationis, Diaconus illud detegit, & post consecrationem cooperit.

III. Cum verò Episcopus sanguinem Domini sumpserit, & mox Diaconum, & Subdiaconum communicaverit, qui prius osculantur manum, & post Communionem faciem Episcopi, qui eis dicit, *Pax tecum*, & illi respondent, *Et cum spiritu tuo*, ac etiam antequam se purificaverit, retrahit se ad cornu Evangelii, versa facie ad cornu Epistolæ, & Subdiaconus stabit post ipsum; Diaconus verò stans in cornu Epistolæ, versus Episcopum aliquantulum inclinatus, ac manibus junctis, cantabit confessionem in tono, & notis consuetis; stantibus Canonici, & Clero, exceptis his, qui sunt communicandi, qui genuflectere debent, & tunc per Cæremoniarium vocantur.

IV. Episcopus verò celebrans, finita confessione, legit ex libro ante se allato, vel memoriter, *Miseretur*, & *Indulgentiam*, &c.

ce intelligibili, faciens signum Crucis super populum; & statim loca permutant, videlicet Subdiaconus accedit, cum debitis genuflexionibus ante Sacramentum, ad cornu Epistolæ, Diaconus verò, relicto cornu Epistolæ, vadit ad cornu Evangelii, & capit cum debitis reverentiis dictum vas cum Hostiis, & Episcopus firmat se in medio altaris, renes ei vertens, ad cuius dexteram stat Diaconus cum particulis consecratis, ad sinistram Subdiaconus cum patena de ipso altari sublata: eodemque tempore vocantur duo Capellani, seu Acolythi cottis induti cum albo mantili, quod genuflexi sustinent hinc inde ambabus manibus per quatuor angulos, quousque pertracta, fit Communio; qui autem Communionem sumpturi sunt, convenienter debent singuli cum debitis reverentiis Altari, & Sacramento ante Episcopum accedere, & unusquisque antequam capiat Communionem, debet manum Episcopi osculari, non anulum; & Communionem sumpta, per latus sinistram Episcopi discedat, & ibi in cornu Epistolæ Purificationem sumat de manu Sacristæ, vel Ministri Calicem cum vino, & mappa ad tergendum appensa ministrantis.

V. Cum autem exhibetur Communio Canonicis; vel Magistratui, convenienter debet aliquis Canonicus, vel eorum ultimus, modò tamen sit in Sacris constitutus, Purificationem præbere; deinde pro reliquis beneficiatis id munus exequitur aliquis beneficiatus, & pro reliquo populo, & Clero, aliquis Capellanus.

VI. Et ne confusio inter euntes, & redeuntes oriatur, bonum erit adhibere aliquos de Clero, ut omnes quietè, devotè, & ordine suo progredi curent, & per latus sinistram Episcopi revertantur.

VII. Si tamen aliquis Prælatus, non tamen Episcopus consecratus, vellet communicare, debet ante Communionem manum Episcopi osculari, & sumpta Communionem, faciem; & idem omnes Canonici observabunt.

VIII. Si item esset aliquis Cardinalis non Sacerdos, qui vellet Communionem accipere, serventur ea, quæ supra p. 3. diximus de Communionem generali in Missa solemnè. Si item Imperator, aut Rex esset ab Episcopo communicandus, communicatis Diacono, & Subdiacono, ut supra, & dicto, Con-

stituitur à Diacono, Imperator vel Rex ducitur per Prælatum digniorem, vel duos Canonicos ad Episcopum, à quo sumit Communionem, & postea osculum Episcopi, & affertur ei per Diaconum purificationem & reducitur ad sedem. Si plures essent Reges, eodem modo ducerentur, & reducerentur; & si esset consuetudo, posset fieri prægustatio vini, quo purificare se deberent: quod etiam fieret, si tantum esset unicus Communionem sumpturus.

IX. Reliqui omnes, tam de Clero, quam de populo, & etiam Magistratus manum Episcopi tantum osculari ante Communionem debent. Ordo autem euntium ad Communionem erit idem, qui observatur in distributione candelarum, & palmarum, ac incensi, ut suo loco dicitur.

X. Finita Communionem, Episcopus se purificat, sed non sumit ablutionem, ut infra; asportantur funalia, quæ usque tunc fuerunt accensa, & celebrans reposito vase cum Hostiis super Altare, si quæ remanserunt, illud cooperit, vel etiam aliqui Presbytero consignatur parato cum stola, & cotta, seu Pluviali, qui illud sub baldachino, si fieri commodè potest, præeuntibus Clericis cum funalibus, & aliquibus de Clero comitantibus, portat ad locum, ubi aservatur Sacramentum. Celebrans tunc lavat digitos, sed non sumit ablutionem, sed illa per aliquem Presbyterum sumitur. Mox celebrans sumpta Mitra, lavat manus, & profertur Missam, ut suo loco diximus. Licet autem in Cæremoniali hic non præcipiatur, ut Episcopus dicat, *Eccce Agnus Dei*, & nec, *Domine non sum dignus*, nec *Corpus Domini*, &c. convenit tamen, ut illa dicat sicut alii Sacerdotes.

## C A P U T XXX.

De eodem Festo Pascha, Episcopo absente, & in Collegiatis.

I. **I**N Ecclesiis Cathedralibus, absente Episcopo, & in Collegiatis, is qui celebraturus est, paratur in Sacristia, more solito, Pluviali albo, & accedit ad Altare mediis inter Ministros sacros paratos; & facta Altari reverentia, & salutatis Canonicis ab

utraque parte, & facit asperſionem, ut ſuo loco diximus.

II. Quo factò, depoſito Pluviali, & ſumpta ibidem Planeta cum Manipulo, factaque iterum reverentia Altari, & Canonicis, inchoat, & proſequitur Miſſam ſolemnnem, ut diximus ſuo loco.

III. Præparentur cum Hoſtia conſecranda particulæ in numero ſufficienti pro communicandis Canonicis, & aliis de Clero, in vaſe aureo, vel argenteo ſaltem, intus deaurato, quod collocetur ſuper Altare cum Calice, ut ſuprà.

IV. Sumpto pretioſo ſanguine, ante Purificationem, facta confeſſione à Diacono, ipſum Diaconum, & Subdiaconum communicabit, niſi ſint Sacerdotes, qui hac die celebrent; deinde ſingulos Canonicos, beneficiatos, ſeu manſionarios, Clericos, & cantores non Presbyteros; ac etiam, ſuo loco, Officiales & Magiſtratus, ſi adſint, & communicare voluerint in hac Miſſa.

V. Cæteri verò de Parochia utriuſque ſexus poterunt communicare in alio Altari, ſeu loco ad id deſtinato, & parato, per Parochum, ſeu Sacriſtam; ubi continuò, tam ante Miſſam majorem, quàm poſt, ac etiam dum Miſſa decantatur, ſecundum concurſum populi, adſit Curatus Eccleſiæ, vel Sacerdos, qui Communionem præbeat ſingulis accedentibus; qui locus non debet eſſe in conſpectu Altaris majoris, ſed in navi, ſeu loco ſeparato, ita ut, quoad fieri poſſit, non videatur ab his qui Miſſa majori interſunt, ne ordo cæremoniæ ſervandus turbetur, propter SS. Sacramentum.

VI. Finita Communione, Celebrans ſe purificabit, & abluet digitos, & Miſſam proſequetur more ſolito.

C A P U T XXXI.

De Dominicis per annum.

I. **S** i his diebus Episcopus velit celebrare, aut Miſſa per alium celebratæ intereſſe, ſerventur quæ ſuprà; & Celebrantis paramenta, Altaris, & Miniſtrorum ſint viridis coloris; exceptis tamen Dominicis Adventus, & à Septuageſima uſque ad Paſcha excluſivè, quia tunc violaceo; & tempore

Paſchali, quia tunc alba; & infra Octavas feſtorum ſolemnnium, quia tunc alba, vel rubra pro diverſitate feſtorum, & qualitate.

II. Quia tamen in omnibus Dominicis per annum fieri ſolet aſperſio aquæ benediçtæ per Celebrantem, & non alium, ante initium Miſſæ, Celebrans Pluviali coloris convenientis indutus cum alba, & ſtola, mediis inter Miniſtros ſacos paratos, accedit ad Altare, illudque aſperget ter more ſolito ut ſuo loco diximus, genuflexus, & ſtatim furgens, dum Cantores proſequantur Antiphonam cum ſuis Reſponſoriis, comite Cæremoniario, & Acolyto de vaſe aquæ benediçtæ tantum, accedit ad Episcopum cum debita reverentia, cui aſperſorium oſculatum etiam cum debita inclinatione, & oſculo manus porrigit.

III. Ipſe verò Episcopus primò ſeipſum, tum Sacerdotem Celebrantem aſperget, & ſtatim eidem reddit aſperſorium, qui priùs manum, tum illud oſculatur.

IV. Rediens ad altare, Diaconum, & Subdiaconum paratos, deinde Canonicos, & beneficiatos, ab utraque parte Chori, omneſque alios in Choro permanentes aſperget; & reverſus ante inſimum gradum Altaris, ex libro ſuper legile poſito, vel à miniſtris ſuſtentato, cantabit verſiculos, & Orationem; qua finita, ſtatim amovetur legile, & liber; & celebrans depoſito Pluviali, capit manipulum, & Planetam, & cum Episcopo de more facit Confeſſionem; qui propter eà de ſede ſua Pontificali deſcendit ad Altare: & omnia fiunt, ut ſuprà.

V. Si Episcopus velit celebrare ſolemni-ter, non fit hujusmodi aſperſio; abſente verò Episcopo, & in Collegiatis, ſemper fit, ut ſuprà dictum eſt: quo caſu Celebrans ſtatim atque Altare aſperſerit, ſeipſum primò, deinde Miniſtros paratos, ( ſi ſint Canonici, aliàs poſt Canonicos ) tum Canonicos, & alios de choro, ut ſuprà, aſperget; qui omnes, dum fit aſperſio, ſtare debent deſecto capite, & Celebranti aſpergenti inclinare.

VI. Memores ſint etiam Diaconus, & Subdiaconus, qui Altari miniſtrant Dominicis diebus, valde decere, ſi & ipſi, poſtquam celebrans communicaverit, Sacramentum Communionem ex ejus manibus ſumpſerint, prout traditur in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. c. 13.

C A P U T XXXII.

De Litanis, & Processionibus majoribus, & minoribus, quæ annis singulis fiunt.

**I**N die Sancti Marci fiunt Litanæ, quas majores vocamus. Igitur ipsa die congregatur ex mandato Episcopi totus sæcularis, & Regularis Clerus, ac etiam de more confraternitates laicorum cum insignibus eorum, ante fores Ecclesiæ, unde Processio discedere debet, seu intra Ecclesiam, si capax est; ibique expectant, donec erit tempus: tunc incipiet à deputatis dirigi Processio ordine solito, in qua prius procedent confraternitates laicorum, deinde Religiosi postmodum Clerus, & Ecclesiæ Collegiæ, & ultimo Clerus Ecclesiæ Cathedralis; cujus Canonici omnes, si commodè fieri potest, erunt parati paramentis sibi competentibus, ut solent Episcopo celebrante; vel saltem sex, aut octo, erunt parati Pluvialibus semper violaceis; & ultimo loco procedet Episcopus paratus Pluviali violaceo cum Mitra simplici, medius inter duos Diaconos pariter paratos Dalmaticis, & manu sinistra baculum pastorem gestabit, dextera verò populum benedicet. Si erit Archiepiscopus, Crux Archiepiscopalis portabitur ante Canonicos Cathedralis Ecclesiæ immediatè.

II. Et si consuetum sit, in hujusmodi processione portari Reliquias Sanctorum aliquas, & sacras imagines, servabitur consuetudo; removendi tamen erunt à processionibus ludicri, & indecori actus.

III. Eo ordine ibit Processio usque ad Ecclesiam, ad quam dirigitur, juxta consuetudinem civitatis; cujus Ecclesiæ Clerus, ubi ita consuetum est, procedet obviam usque extra portam Ecclesiæ Processioni, ibique stans eam recipiet.

IV. Per viam cantantur Litanæ, ut in Rituali, & nihil ultra; ipsa via prius de mandato Episcopi ab omnibus in ea habitantibus mundetur.

V. Prælati, si qui aderunt de gremio Ecclesiæ, ibunt immediatè ante Episcopum; magistratus verò, & alii nobiles laici post Episcopum.

VI. Cum autem Episcopus pervenerit ad

dictam Ecclesiam: celebratur ibi Missa solemnibus Rogationum, & non S. Marci, nisi fuerit Titulus Ecclesiæ, vel ab ipso Episcopo, vel ab eo, cui competit, cum solitis cæremoniis, ut suprâ. Et in fine Episcopus solemniter benedicet, & publicabuntur Indulgentiæ.

VII. In Processionibus verò, & Litanis minoribus, quæ Rogationes vocantur, eadem servantur, sed aliquantò remissius. Convenit tamen, Episcopum in his paratum cum Ministris intervenire, vel saltem cum cappa.

VIII. Ad similitudinem harum Processionum regulari poterunt & aliæ Processiones extraordinariæ, quæ fiunt aliquando ad placandam iram Dei.

IX. Si verò sint celebrandæ causa lætitiæ, & pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione aliarum insignium Reliquiarum Sanctorum, ordinari poterunt ad exemplar Processionis SS. Sacramenti, de qua sequenti capite; lumina tamen, seu funalia accensa deferri magis convenit, cum SS. Sacramentum, aut saltem Reliquiæ in Processionibus ducuntur.

C A P U T XXXIII.

De festo SS. Corporis Christi, & Processione.

**U**T Processio, quæ hodie erit facienda, secundum debitas cæremonias in honorem tanti Sacramenti fiat, & ad removendas omnes contentiones, & lites, quæ fortè causa præcedentiæ oriri possent, & in ipso actu, maxima cum indecentia & scandalo, Processionem ipsam turbare, cura erit Episcopi pridie hujus diei, vel etiam per aliquos dies demandare magistris cæremoniarum, vel alteri, ad quem forsan secundum consuetudinem loci hujusmodi cura spectabit, ut omnia decenter, & diligenter præparentur, & prævideantur, neipè ut viæ, per quas Processio transire debebit, mundentur, & ornentur aulæis, pannis, picturis, floribus secundum posse, & qualitatem loci. Et ipsa Ecclesia perpulchrè ornata sit, ut aliàs diximus.

II. Item, ut fiat rotulus, in qua describantur per ordinem omnes, tam laicorum Confraternitates, Religiosi, & Clerus, quàm etiam

etiam alii quicumque, qui tunc Processioni interesse consueverunt, vel debent, ut secundum debitum ordinem, & absque aliqua contentione procedatur; apposita etiam aliqua poena pecuniaria, vel etiam, si Episcopo videbitur, poena excommunicationis contra inobedientes, & procedere recusantes secundum praescriptum ordinem in rotulo praedicto.

III. Quod si qua praecedentia lis inter Religiosos, & Confraternitates, seu laicos pendeat, quae non ita de facili terminari valeat, poterit Episcopus mandare, ut absque praedictio jurium ambarum partium, vel procedant secundum ordinem in dicto rotulo descriptum, vel omnino ab hujusmodi Processione abstineant, donec lis fuerit determinata. Et intimentur omnes in rotulo descripti, ut ipsa die festivitatis SS. Corporis Christi summo mane ad Ecclesiam Cathedrali convenient, & ibidem, vel in aliquo ejusdem Ecclesiae atrio, seu platea congregentur unaquaque vel Religio, vel Confraternitas cum suis insignibus, & Cruce, ac etiam cum funalibus, seu candelis in Processione deferendis. Omnes enim tam Religiosi, quam laici, deberent, si fieri posset, in hac Processione, si non funalia, saltem candelas cerae albae accensas manibus portare.

IV. Ordo autem in praedicto rotulo ita describendus erit, ut praecedant Confraternitates laicorum; tum Religiosi secundum ordinem antiquitatis, vel prout de jure, vel consuetudine praecedere solent; postmodum Curiales, & Officiales, portantes intortitia accensa, inter quos ultimo loco ibunt Nobiliores, & Magistratus; deinde Clerus, hoc est, primò minister portans Crucem Ecclesiae Cathedralis, medius inter duos Ceroferos cum candelabris, & cereis accensis; deinde, si aderunt, Clerici seminarii, & post eos Curati Ecclesiarum cum cottis; tum Ecclesiae Collegiatæ cum eorum insignibus, si alias illa deferre solent, & ultimo loco Clerus Ecclesiae Cathedralis, cujus Ecclesiae saltè octo beneficiati, seu mansionarii erunt parati cum Pluvialibus albis pro deferendis hastis baldachini initio Processionis, ut infra dicetur; & postea ibunt ante Canonicos, qui similiter omnes, unà cum dignitatibus, erant parati paramentis albis sibi competentibus, ut solent parari Episcopo celebrante, incipiendo

à junioribus, & inferioribus ordine, videlicet primò Subdiaconi, & Diaconi cum Dalmaticis, & Tunicellis, deinde Presbyteri cum Planetis, ultimo loco dignitates cum Pluvialibus; & si erit Archiepiscopus, portabitur immediatè ante praedictos octo beneficiatos paratos, & Canonicos, per aliquem Subdiaconum paratum, medium inter duos Ceroferos, Crux Archiepiscopalis.

V. Ante Episcopum immediatè ibit minister de baculo serviens, seu juxta loci consuetudinem Dignitas, vel Canonicus paratus Pluviali, baculum praedictum à terra elevatum ambabus manibus portans, ut supra diximus.

VI. A lateribus hinc inde ante Thuriferarios ibunt octo Capellani cottis induti, qui in Missa servierunt, quatuor pro qualibet parte, portantes eadem funalia accensa, quae pro Missa servierunt, & post eos duo praedicti Thuriferarii, Acolythy cum thuribus fumantibus, & unus Acolythus, si opus sit, qui naviculam portet cum thure; quod cum opus sit, imponit in thuribulo. Carem. Papæ lib. 2. sect. 2. cap. 15.

VII. Sequitur Episcopus sub baldachino, nudo capite portans SS. Sacramentum in tabernaculo inclusum, ambabus manibus, medius inter duos Diaconos Assistentes paratos hinc inde.

VIII. Post Episcopum immediatè minister de Mitra serviens cum cotta, & velo ad collum, Mitram ipsam manibus gestans.

IX. Si aderit Legatus de latere, vel Cardinalis, aut Metropolitanus, seu Nuntius Apostolicus habens facultatem Legati à latere, vel alius Prælatus ipso Episcopo superior, ibunt immediatè post Episcopum cum cappa (& tunc videtur conveniens, ut minister de Mitra procedat ante Episcopum à latere sinistro ministri de baculo) cum aliqua tamèn inter eos distantia.

X. Alii verò Episcopi extranei, & Prælati, post eos in habitu eorum ordinario, hoc est mantelletto supra Rochettum.

XI. Et si unà cum Legato adesset Metropolitanus, vel Nuntius, seu alius Prælatus Episcopo superior, tunc solus Cardinalis, vel soli Cardinales, si plures essent, erunt cum cappa, ceteri verò omnes erunt in habitu ordinario, ut supra.

XII. Cavendum etiam erit, nec in hac Pro-

Profectione actus scenici, & indecori, vel ludicri, intermiscantur; sed omnia cum gravitate, & devotione fiant, & procedant.

XIII. Deputentur etiam nobiles viri, seu Barones, & alii, qui hastas baldachini per viam Profectionis portent, & qui eos in tempore, quando opus erit, vocet, secundum regulam capite de usu umbraculi positam.

XIV. Ipsa die summo manè præparetur per Sacristiam, vel alios ministros, baldachinum pulchrum super SS. Sacramentum deferendum. Item super Credentia, ultra candelabra, & alia ordinaria pro Missa, tabernaculum pulchrum ex auro, vel argento, in quo Sacramentum ponendum, & portandum erit. Item duo thuribula, cum naviculis, & thure. Item velum sericeum amplum album, auratum, seu perpulchrè ornatum ponendum super humeros Episcopi, dum Sacramentum portabit. Item funalia, & candelæ ex cera alba in numero sufficienti pro Canonicis, & aliis, deferenda in Profectione. Quæ omnia per Cæremoniarium prævideantur, an sint opportunè, & ad usum necessarium præparata.

XV. Omnibus paratis, Episcopus, quanto citius poterit, veniet ad Ecclesiam more solito, & ibidem Missæ per primam Dignitatem, vel Canonicum digniorem celebrandæ, paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali albo, & Mitra, assistit; in qua omnia serva buntur, quæ in cap. de Missa solemnè, quæ coram Episcopo celebratur; ac etiam post Communionem, cum cæremoniis, genuflexionibus, & reverentiis erga SS. Sacramentum super Altare positum, quæ Feria 5. in Cœna Domini explicata sunt.

XVI. Elevato SS. Sacramento, ac etiam ante, si opus erit, junior Cæremoniarium curabit, ut Profectio secundum ordinem in rotulo descriptum dirigatur, & procedat.

XVII. Postquam celebrans Communionem sumpserit, & SS. Sacramentum in tabernaculo deferendo incluserit, Dignitates, Canonicis, ac octo beneficiati supradicti, & si qui alii erunt, qui cum paramentis in Profectione ire debent, unusquisque Dignitatum, & Canonicorum loco suo paramenta sacra alba sibi convenientia induet; beneficiati verò prædicti extra Chorum capient Pluvialia, & discedentibus duobus Diaconis assistentibus ad se parandum in loco suo, duo ultimi junio-

res Canonici non parati venient ad assistendum Episcopo, donec primi parati tunc redeant; quibus reversis, ad se parandum ibunt.

XVIII. Finita Missa, & data per Episcopum benedictione, Celebrans discedens ab Altari, ibit in Sacristiam, ubi depositis paramentis Missalibus, alia induet dignitati, & ordini suo convenientia deferenda in Profectione, & reversus ibit ad locum suum inter alias Dignitates, seu Canonicos.

XIX. Interim accedunt ad Episcopum duo Thuriferarii cum duobus Thuribulis, & ministrante Presbytero assistente naviculam absque osculo cochlearis, & manus, Episcopus stans nudo capite sine benedictione imponet thus in duobus prædictis thuribulis.

XX. Quo factò, accedet ad Altare præcedentibus prædictis Thuriferariis, ubi nudo capite genuflexus super pulvinum ante SS. Sacramentum, sumpto de manu dicti Presbyteri thuribulo primi Thuriferarii, thurificabit triplici ductu SS. Sacramentum.

XXI. Tum per Cæremoniarium imponetur humeris ejus velum supradictum, quod firmabitur spinulis, ne per viam decidat; & Diaconus assistens à dextris accedet ad Altare, & de illo accipiet Tabernaculum cum SS. Sacramento, & illud in manibus Episcopi genuflexi collocabit sine ulla reverentia, nec osculis; sed statim, postquam tradiderit illud, genuflectet.

XXII. Tum Cantores genuflexi adhuc inchoabunt Hymnum, *Pange lingua, &c.* & Episcopus cum Sanctissimo Sacramento surget, & Diaconi inde fimbrias anteriores Pluvialis elevabunt; & si contingat aliquos gradus ascendere, & descendere, Cæremoniarium, vel aliquis Capellanus extremitates Albæ, ac vestes interiores ipsius Episcopi à parte anteriore elevabit; & aliquis Princeps, vel nobilis laicus sublevabit, & portabit per totam Profectionem Pluviale Episcopi à parte posteriori.

XXIII. Octo verò beneficiati prædicti, vel mansionarii ex dignioribus, parati ut supra, accipient hastas baldachini, quas per totam Ecclesiam portabunt, & in porta Ecclesiæ illas relinquent in manibus laicorum; qui primo loco Barones, & nobiliores, seu Magistratus esse debent; tum medio itinere nobiles inferiores, qui solent majores imitari. Cærem Papæ lib. 2. c. 16. Ipsi verò beneficiati præibunt postea ad

locum suum, idest ante Canonicos paratos.

XXIV. Per viam Processionis Episcopus semper recitabit aliquos Psalmos, aut Hymnos submissa voce, respondentibus Diaconis assistentibus, & sic ordine superius descripto procedent per totam viam Processionis.

XXV. Quæ si longior fuerit, poterit Episcopus in aliqua Ecclesia, & super Altare SS. Sacramentum deponere, & aliquantulum quiescere, & ibidem illud thurificare, & Orationem cantare (ut aliàs diximus) quod tamen non passim in singulis Ecclesiis, vel ad singula Altaria, quæ fortè per viam parata sunt, faciendum est; sed semel tantum, vel iterum ad arbitrium Episcopi.

XXVI. Dum Processio erit in fine, idest propè eandem Ecclesiam, à qua discessit, ante ejusdem Ecclesiæ fores, iterum nobiliores laici, qui priùs, vel ali nobilitate æquales hastas baldachini capient: & Episcopus sub baldachino ibit usque ad cancellos, vel Presbyterium, vel ad gradus Altaris, juxta Ecclesiæ structuram, & situationem.

XXVII. Postquam Episcopus pervenerit ad supremum Altaris gradum, Diaconus à dextris cum debita reverentia, & genuflexione, ac sine osculo, capiet de manu Episcopi stantis SS. Sacramentum, & illud super altare ponet.

XXVIII. Interim Cantores cantabunt in cantu paufato, & devoto versiculum, *Tantum ergo, &c.* Episcopus verò paulò retrocedens, ponet incensum in Thuribulum, minister ante Presbytero assistente naviculam, sine benedictione & osculis, & genuflexus super pulvino incensabit SS. Sacramentum, ut initio. Tum dicet versiculos, & Orationem, ut aliàs diximus; qua dicta, accedet ad Altare, & sumpto SS. Sacramento, ambabus illud manibus elevatum tenens, vertens se ad populum, cum illo signum Crucis tertio faciet, nihil dicens.

XXIX. Quo factò, Episcopus deponet iterum SS. Sacramentum super altare, & genuflectet, ut supra.

XXX. Tunc Presbyter assistens in cornu Epistolæ, facta SS. Sacramento genuflexione, versus ad populum, publicabit Indulgentias in forma consueta, iis qui Processioni interfuerunt.

XXXI. Et advertatur, ut funalia, & candelæ, quæ in Processione delatæ fuerunt, non

extinguantur, donec Episcopus cum SS. Sacramento benedictionem, ut supra dictum est, dederit. Omnibus expeditis, Episcopus facta aliquantulum Oratione ante Sanctissimum Sacramentum, post genuflexionem debitam, ac sumpta Mitra extra cancellos discedet cum Canonicis in Sacristiam, ubi paramenta deponet, & solito more associatus ab eis ad domum suam redibit.

XXXII. Si verò voluerit ex sua devotione celebrare, & Sanctissimum Sacramentum pro Processione conficere, poterit summo manè Missam plenam legere, ommissa pro hac die, propter Processionem, ad celeriore actus expeditionem, & ad evitandum calorem, Missa solemni; & in fine Missæ Canonici, & alii, ut supra, capient paramenta. Episcopus verò, deposita Planeta, capiet Pluviale, & cætera omnia sient, ut supra.

XXXIII. Et quia solitum est, per totam hanc Octavam ponere super Altare Tabernaculum cum SS. Sacramento discooperto, dum Vesperæ & Officia divina recitantur, ad quæ magna populi frequentia solet accedere, conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Episcopus, quàm Canonici, & omnes præsentés, & in Choro assistentes, semper, durante Officio, starent capite nudo, & nunquam sederent. Quod si ob longitudinem Officii præstare non poterunt, non omitant saltem in signum reverentiæ, capite nudo, existente SS. Sacramento super Altare, divinis Officiis assistere.

XXXIV. Solitum est etiam, Octava die hujus festi post Vesperas fieri Processionem ad reponendum SS. Sacramentum; quæ non tam solemnis, & longa via, ut prima; sed vel per Ecclesiam, vel parùm circa, aut extra eam fieri debet; in qua si Episcopus voluerit interesse, debet cum Pluviali SS. Sacramentum portare, & tam in principio, quàm in fine Processionis, illud thurificare, & alia facere, quæ superius expressa sunt; & demum in fine post datam benedictionem illud includere, & reponere in tabernaculo, ubi solet continuò aservari.

XXXV. Absente Episcopo, & in Collegiatis Celebrans ipse finita Missa, & deposita Planeta, capiet Pluviale, & Sacramentum thurificabit, illudque sub baldachino portabit, & omnia, ut supra, sient, exceptis iis quæ ad Episcopum pertinent propriè.

XXXVI. Videnda sunt item ea, quæ 4. p. ample de hujusmodi Processione dicta sunt, tam propter reverentias exhibendas Episcopo, quàm alia, quæ propterea hic omisimus,

C A P U T XXXIV.

De aliis festis in genere, quibus solemniter est celebrandum, ultra superius expressa.

I. Quia per annum plura festa occurrunt, ultra superius expressa, in quibus decet, vel Episcopum solemniter celebrare, vel saltem Vesperis, & Missæ solemniter per alium celebratæ interesse; de his breviter aliquid dicendum est.

II. Celebrare poterit Episcopus, nisi sit legitime impeditus: In die Nativ. Domini, in festo Epiphaniæ, feria 5. in Cœna Domini, die Paschæ, in die Ascensionis, in Dominica Pentecostes, in festivitatibus Annunciationis, & Assumptionis B. M. in festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, in festo Omnium Sanctorum, in festo Tituli Ecclesiæ, & Patroni, & in die Anniversario Dedicationis Cathedralis Ecclesiæ; & etiam arbitrio in festivitatibus aliis per annum, quodcumque placuerit, cum cæremoniis supra explicatis; ac etiam Vesperis solemnibus in Vigilia, seu die, quæ festum præcedit, excepto Sabbato sancto, quo die Vesperæ non dicuntur, nisi mane in fine Missæ, & Vigilia Annunciationis B. M. si venerit in Quadragesima die feriato; quo casu, Vesperæ non celebrantur in Vigilia, sed tantum in die, finita Missa; & tunc ne ista solemnitas sine Vesperis solemnibus transeat, poterit Episcopus, depositis Missalibus indumentis, capere Pluviale, & celebrare Vesperas, Canonicis paratis remanentibus.

III. Sed si hoc festum venerit feria secunda in Quadragesima, poterunt Vesperæ solennes in Dominica præcedenti celebrari, ut supra dictum est de Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum celebraturo.

IV. In aliis autem festivitatibus, videlicet in nocte Nativ. Domini, SS. Stephani, & Joannis Evangelistæ, Circumcisionis Domi-

ni, feria 2. & 3. Paschæ, Dominica in Albis, Dominica Trinitatis, in festo S. Joannis Baptistæ, in festo Nativ. B. M. in aliquibus festivitatibus Ecclesiæ Cathedralis, & pro aliqua re gravi ad universalem, vel propriam Ecclesiam spectante, vel aliàs quodcumque Episcopo placuerit, poterit paratus cum Pluviali & Mitra assistere Missæ per aliquem Prælatum, Dignitatem, seu Canonicum celebratæ, in qua omnia servabuntur, quæ supra explicata fuerunt, cap. de Missa solemnii, quæ coram Episcopo celebratur; & si voluerit die præcedenti Vesperis interesse, servabuntur ea, quæ cap. de Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum non celebraturo, dicta sunt. In aliis festivis, seu ferialibus diebus, Episcopus, cum aderit, semper cappa utetur.

C A P U T XXXV.

De Anniversariis diebus Electionis, & Consecrationis Episcopi solemniter celebrandis.

I. Singulis annis in diebus Anniversariis Electionis, & Consecrationis Episcopi, Missam solemnem, vel per ipsum Episcopum, vel per aliquam Dignitatem, vel Canonicum, ipso præsentem, celebrari convenit; quæ si dies Electionis, seu Consecrationis venerit in die aliquo festivo, de festo celebrabitur cum Commemoratione pro Episcopo.

II. Si verò venerit in die feriato, celebrabitur, prout in Missali, in paramentis albis, & una tantum Collecta pro Episcopo, videlicet: *Deus omnium fidelium pastor*: & si Episcopus celebrat, dicat in Oratione: *Me indignum famulum tuum, quem huic Ecclesiæ tua, &c.* sed in reliquis omnia servabuntur, quæ supra propriis locis explicata fuerunt.

C A P U T XXXVI.

De Anniversario Episcopi proximè defuncti.

I. Episcopus vivens prædecessoris sui proximè ante ipsum defuncti memoriam habere debet, & pro ejus anima singulis



gulis annis in die obitus anniversarium celebrare, vel saltem Missæ pro ejus anima ab aliqua Dignitate, vel Canonico celebratæ præsens assistere, & in fine absolvere.

II. Missa autem erit defunctorum, & in eo omnia, tam circa ornatum Altaris, & indumenta, ac paramenta Missalia, quàm circa genuflexiones, & cæremonias servabuntur, quæ suprâ expressa sunt, cap. de Missa Pontificali pro Defunctis, & de Missa pro Defunctis coram Episcopo celebrata; non tamen post Missam sermo habendus erit, sed ea finita, solus Episcopus, deposita cappa apud sedem suam, parabitur Pluviali nigro cum cæteris indumentis, & habens ante se pannum nigrum extensum, seu Lecticam mortuorum, absolvat.

## C A P U T XXXVII.

De Anniversario omnium Episcoporum, & Canoniorum Ecclesiæ Cathedralis defunctorum.

**L** Aliquo die non impedito infrâ Octavam Defunctorum, arbitrio Episcopi, Canonici aliquis, seu Dignitas Ecclesiæ Cathedralis, celebrabit Missam pro animabus omnium Episcoporum, & Ecclesiæ Cathedralis Canoniorum defunctorum, cum paramentis nigris & cæremoniis, prout suprâ dictum est: cui Missæ Episcopus præsens erit cum cappa, & in fine, si voluerit, poterit, deposita cappa, & sumpto Pluviali, absolvere, prout dictum est præcedenti capitulo.

II. Quòd si Episcopus hujusmodi Missæ præsens non erit, vel absolvere noluerit, Celebrans dicto: *Placent, &c.* accedet ad cornu Epistolæ Altaris, ubi deposita Planeta, & Manipulo, capiet Pluviale nigrum, & stans in dicto cornu Epistolæ, versus ad Altare, expectabit finem Responsorii; & interim Clerici, seu alii extendent pannum nigrum ante gradum Altaris, vel portabunt Lecticam mortuorum ibi, nisi aliàs à principio Missæ fuerit accommodata.

III. Cum per Cantores repetitur Responsorium post versiculum: *Requiem æternam, &c.* accedent Cæremonarius, & Thuriferarius ad Episcopum, si præsens erit, cum Thu-

ribulo; & ministrante naviculam Presbytero Assistente, Episcopus imponet thus in Thuribulum cum benedictione, quod Cæremonarius, seu Thuriferarius potius portabit ad Altare propè Celebrantem, ubi etiam alius tenet vas aquæ benedictæ cum aspersorio; si verò Episcopus præsens non erit, ipse Celebrans ter imponet thus in Thuribulum ministrante Diacono.

IV. Inchoato: *Kyrie eleison*, furet Episcopus nudo capite; Celebrans verò, dicta ultimo: *Kyrie eleison*, stans detecto capite in dicto cornu versus ad Altare, dicet intelligibili voce: *Pater noster*, quod secretè complebit, & interim accedet ad medium Altaris, & versus ad dictum pannum, seu Lecticam mortuorum, ministrante Diacono aspersorium, asperget tertio super dictum pannum, seu Lecticam; tum ministrante eodem Diacono Thuribulum, simili modo ter Thuribulum ducens, pannum, seu Lecticam thurificabit; tum conversus ad Altare, ex libro super illud posito in eodem cornu Epistolæ, dicet versiculum: *Et ne nos inducas, &c.* & alios versiculos, & Orationem, & in fine versiculum: *Requiem æternam, &c.* & dicto per Cantores versiculo: *Requiescant in pace*, Celebrans signans Altare, & seipsum, dicet Evangelium S. Joannis, & exibit in Sacristiam ad exuendum se.

## C A P U T XXXVIII.

De Ægrotatione, morte, funere, & exequiis Episcopi, & de supplicatione ad Deum pro opportuna novi Episcopi electione imperanda.

**L** Icèt Episcopus, tamquam bonus Pastor, omni tempore paratus esse debeat ad reddendam rationem Domino suo de ovibus sibi commissis, & de suæ administrationis officio; id tamen diligentiori studio peragere debet cum ægrotat, quasi extremo diei vitæ suæ viciniore.

II. Curet ergo Episcopus, ut quanto magis dignitate cæteris præest, majori studio ultimum hujus vitæ actum, quo solo coronari Electi solent, cum laude perficiat. Quòd si dum ægrotat, tamquam homo, morbi periculum non agnosceret; medici, domestici, familia-

miliares, & præcipuè ejus Confessor, secretè, & summa cum reverentia, & charitate, eum de discrimine, in quo versatur moneant, ut animæ suæ salutem provideat. Nam Episcopus decet non solum verbo, sed etiam opere, usque ad extremum vitæ spatium alios docere, & ad viam salutis dirigere. Medici verò, & familiares, quæ ad salutem corporis pertinent, diligentissimè curent, & polliceantur Episcopo se, quantum humana potest industria, facturos, ut si fieri poterit, pristinam sanitatem recuperet.

III. His verbis excitatus Episcopus ægrotans, vel, quod melius esset, sua spontè, cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, primò peccata sua Confessori diligentissimè confiteatur, tum tempore congruo sacrum petat Viaticum, & antequam communicet, indutus Rocchetto, & stola, præsentè SS. Christi corpore, profiteatur Catholicam fidem, ex forma ab Apostolica sede præscripta, quam affirmet se semper inconcussè, & firmiter tenuisse, & credidisse, seque in ea velle vivere, & mori cum Deo placuerit.

IV. Tum majori qua poterit devotione & humilitate sacrum sumat Viaticum, quod illi deferat prima Dignitas comitante Capitulo, & roto Clero Cathedralis Ecclesiæ in habitu Ecclesiæ, & cum candelis accensis, & si fieri potest, Magistratus deferat baldachinum: moneatque eandem Dignitatem, ut cum tempus erit, Extremæ Unctionis Sacramentum sibi administret, & animæ Commendationem faciat.

V. Convocet deinde Canonicos, Parochos, & Curatos omnes, dum adhuc sensus corporis sunt integri, & coram eis profiteatur iterùm Catholicam fidem, prædicta ex formula, & veniam petat de negligentia, & imperfectionibus suis, & si quemquam umquam in sua administratione offenderit, roget ut orent Deum Omnipotentem pro anima sua; commendet illis Ecclesiam, pauperes, viduas, orphanos, & loca pia. Memoret eis, ut donec de Successore provideatur, continuas preces ad Deum fundant, ut eis bonum Pastorem concedere dignetur, qui eos ubertius, quam ipse fecit, pascere noverit.

VI. Aperiat etiam eis debita, & credita Ecclesiæ, si quæ sunt, & notificet scripturas, jura, & actiones ejusdem Ecclesiæ,

condat si vult, & habeat ab Apostolica sede facultatem, testamentum, & eligat sibi sepulturam.

VII. Cum verò hora mortis appropinquat, Curatus, seu Sacrista in tempore Episcopo Unctionem Extremam exhibeat, & animæ Commendationem faciat, prout in ordinario. Viri pii, & Religiosi continuò assistant Episcopo animam agentis, cui Crucem inspiciendam, & osculandam crebrè offerant, redigantque ei ad memoriam Passionem Domini Nostri Jesu Christi: nec desint Religiosi, & Sacerdotes, qui continuò dum adhuc expirat, Psalmos, Passionem Christi, & alias devotas Orationes legant.

VIII. Postquam expiraverit, Canonici, qui aderunt, singuli super eum versiculum *A porta inferi, &c. cum Oratione Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes, &c. recitabunt. Cubicularii verò, & familiares ipsius Episcopi defuncti, corpus ejus aqua calida cum vino, & herbis odoriferis lavabunt, & mundabunt, & si hæredibus videbitur, poterit etiam aperiri, & aromatibus condiri, quo casu intestina ejus statim sepeliantur in Ecclesia.*

IX. Sed licet corpus non aperiatur, omninò agendum, & curandum est opportunis remediis, ut sine foetore usque ad præstitutum tempus sepulturæ servari possit.

X. Loto, & terso corpore, Clerici familiares, seu alii Ecclesiastici viri cum Cæremoniario induant illum, primùm vestibus ordinariis usque ad Rocchettum, tum sacris vestibus, quibus vivens induebatur dum solemniter erat celebraturus, hoc est caligis, & sandaliis, amictu, alba, cingulo, stola, manipulo, Cruce pectorali, Tunicella, Dalmatica, chirothecis, Planeta coloris violacei, annulo, ac Mitra simplici, ac etiam Pallio cum spinulis, si erat Archiepiscopus, vel alias utens pallio, & ponant super pectus ejus Crucem aliquam, quam manibus teneat.

XI. Corpus sic indutum, donec præparetur in aula majori Lectus, ut infra, ponatur super aliqua Mensa, seu in terra super tapete, cum cereis ardentibus ad caput, & pedes.

XII. Interim ceteri Episcopi familiares,

nudent, & in aula majori Palatii, sive domus præparent lectum ex tabulis altitudinis palmorum sex, longitudinis ad minus palmorum duodecim, & latitudinis palmorum decem, vel ad minus octo, & super illud ponatur stratum ex lana, seu palea plenum, & cooperiatur panno serico nigro, vel saltem laneo. Ad lecti pedes præparetur parva mensa mundo linteo cooperta, & super eam candelabra cum cereis accensis: Missale, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, Thuribulum cum navicula, & incenso, ac superpellicum unâ cum stola, & Pluviale nigrum ponantur.

XIII. Quibus omnibus sic paratis, Corpus Episcopi defuncti, ut supra indutum portetur in dicta aula, & super dicto lecto collocetur, & ad pedes ejus ponatur Pileum Pontificale sericeis viridibus floccis ornatum; & hinc inde à lateribus ponantur scamna cum foraminibus pro funalibus, seu intortitiis ponendis circo corpus, vel saltem illis deficientibus collocentur quatuor candelabra alta cum quatuor intortitiis ardentibus ad quatuor lecti angulos.

XIV. Circùm circa per totam aulam disponantur sedilia pro Canonicis, Clericis, Magistratu, civibus, & aliis, qui veniunt ad honorandum funus.

XV. Hora competenti cum jam, si non omnes invitati ad funus, saltem eorum aliqui advenerint, Clerus sæcularis per ordinem si voluerit, vel Religiosi quatuor Ordinum mendicantium, si in civitate erunt, qui invitari debent, vel alii per singula Collegia, incipient Vigiliis, hoc est Vesperas, & Matutinum cum Invitatorio, & tribus Nocturnis, ac Laudibus Defunctorum.

XVI. Primi, id est inferiores, à quibus est inchoandum (nam ultimus locus Religiosis dignioribus reservatur) inchoabunt Vesperas. Prior verò eorum habens ante se legile cum libro secretè dicit *Pater noster*, ad quod Canonici, & alii omnes circumstantes invitati assurgunt, sic mansuri donec inchoetur primus Psalmus Vesperarum.

XVII. Dicto *Pater noster* secretè, alta voce incipiet Antiphonam *Placebo Domino*, quam cæteri ejusdem Religionis fratres, qui propè funus ante omnes alios hinc inde stare debent, prosequuntur. Et ea finita recitabunt alternatim Psalmos Vesperarum cum Antiphonis duplicatis, ut in Officio duplici. Et

cùm inchoantur Psalmi, eisdem fratribus, qui cantant, candelæ distribuendæ sunt pro ut cæteris, quando Nocturnos, & Laudes cantabunt, ut infra. Ad *Magnificat*, surgunt omnes, & Prior ejus Religionis, quæ Vesperas cantavit, accedet ad mensam ad pedes lecti, & ibidem à Cæremoniario, vel aliis Clericis, induetur cotta, stola, & Pluviali, & imponet thus in Thuribulum ministrante Thuriferario aliquo.

XVIII. Finito *Magnificat*, stans ibidem ad pedes lecti ante mensam prædictam, manibus junctis, dicit *Pater noster*, & sumpto de manu Cæremoniarii, aut alterius Clerici, aspersorio, incipiendo à parte sua dextera, asperget lectum circumcirca, aspergendo ter, ut ad Absolutionem; & dum transit ante Canonicos, illos capite aliquantulum salutat; & postquam reversus fuerit in eodem loco apud mensam, reddito aspersorio, lectum thurificat eodem modo, quo aspergit, sumpto prius Thuribulo de manu Ministri prædicti. Quo factò, stans ante prædictam mensam, reddito thuribulo, & habens antese librum apertum, ex eo leget versiculos, & Orationem infrascriptam.

Ps. *Et ne nos inducas, &c.*

R. *Sed libera nos à malo.*

Ps. *A porta inferi.*

R. *Erue Domine animam ejus.*

Ps. *Requiescat in pace.*

R. *Amen.*

Ps. *Domine, Exaudi orationem meam.*

R. *Et clamor meus ad te veniat.*

Ps. *Dominus vobiscum.*

R. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

**D**eus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Pontificali fecisti dignitate vigere, presta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

R. *Amen.*

Deinde dicit versiculum *Requiem æternam, &c.* & duo ex fratribus cantantibus *Requiescat in pace*, cæteri respondebunt. *Amen.* Ad Orationem omnes surgunt.

XIX. Finitis Psalmis Nocturni, & Antiphona ultima, duo cantores, sive ex fratribus qui Nocturnum cantarunt, annuntiant Ver-

Verficulum *A Porta inferi*, & respondetur *Erue Domine animam ejus*. Quo dicto, omnes surgunt; tunc unus ex Religiosis Lectionem cantaturus accedit ad pulpitem, & secretè dicit *Pater noster*, quod totum sub silentio complet, & eo finito omnes sedent, & ipse Lectionem incipit, & ea finita Cantores cantant Responsorium, & idem Religiosus cantat secundam, & tertiam Lectionem. Finita tertia Lectione, dum cantatur tertium Responsorium, Prior ejus Religionis qui Nocturnum cantavit, accedit ad mensam, capit cottam, & Pluviale, dicit *Pater noster*, aspergit, thurificat lectum, dicit versiculos, & Orationem, & alia agit ut suprâ ad Vesperas.

XX. Quo factò, alii Religiosi vocentur, & cantent similiter secundum Nocturnum.

XXI. Et eo finito, alii vocentur, qui cantent tertium eodem modo, & forma, prout de primo dictum est.

XXII. Demum ultimi, & digniores Religiosi cantent Laudes eadem forma, prout dictum est de Vesperis; & ad Benedictus, & Orationem, &c. omnes surgunt.

XXIII. Quòd si non adessent tot Religiones, quæ possent distinctè Vesperas, & Nocturnos, & Laudes cantare, posset una cantare duos Nocturnos, vel plures; sed omninò in fine Vesperarum, cujuslibet Nocturni, & Laudum, aspergendus, & thurificandus est lectus, & dicendi versiculi, & Orationes, ut suprâ. Et è contrâ, si essent plures conventus, & Religiones, poterunt duo simul cantare unum Nocturnum.

XXIV. Dum cantantur Laudes, paretur Feretrum, & illis finitis, ponatur Corpus defuncti super feretrum, & præcedentibus omnibus Religiosis, & Clero ordine suo,

ad Ecclesiam deducetur; feretrum autem portabitur per Sacerdotes cortis indutos, & Canonici feretrum immediatè præcedant; Magistratus verò, cum cæteris civitatis, & de civitate sequantur.

XXV. In Ecclesia collocetur feretrum in medio Ecclesiæ, & ibidem Prior, seu dignior Canonicorum, vel prima Dignitas, si adsit, indutus Pluviali faciet Officium, hoc est, dicit ad pedes feretri *Pater noster*, imponet thus, asperget, & thurificabit, ut suprâ: & demum cantabit versiculos, & Orationem supradictam. Quo factò, omnes discedant, & Corpus sepeliatur: & si commodè fieri potest, antequam sepeliatur, cantetur Missa pro ejus anima.

XXVI. Octavo die, vel quando hæredibus, aut executoribus placuerit, poterunt in Ecclesia celebrari Exequiæ, cum quatuor Absolutionibus, & omnibus cæremoniis suprâ expressis suo loco.

XXVII. Sepulto Episcopo, donec de novo successore provisum sit, preces ad Deum continuò offerendæ sunt pro opportuna novi Episcopi electione impetranda, & conveniret, ut singulis diebus Religiosi accederent ad Ecclesiam Cathedralē Litanias cantantes, & ibidem pias ad Deum preces recitarent cum Canonicis, & Clero ejusdem Ecclesiæ Cathedralis, ut Deus illi quàm primùm concedere dignaretur novum, & bonum Pastorem, qui Ecclesiam regere, & animarum curam dignè, & fructuosè habere valeret, & posset. Qua electione obtenta, quamprimùm de ea nuntium habuerint, singuli Religiosi ad Ecclesiam Cathedralē accedentes, Deo gratias agent, & Hymnum *Te Deum laudamus* devotè cantare in Ecclesia poterunt.


*Cæremonialis Episcoporum Finis.*



# APPENDIX

## AD POSTREMAM PARTEM HUIUS OPERIS.

*DE EPISCOPO CELEBRANTE  
in sua propria Ecclesia coram Car-  
dinali, vel Legato à  
Latere.*

**I.**  Via sæpè accidit, ut Episcopus proprius celebrare debeat in sua Ecclesia propria coram Legato à Latere, vel alio etiam Cardinali; ideò æquum est, hic Ritus ab ipso Episcopo servandos, quando ita occurrit, ea brevitate, & perspicuitate qua possum, declarare, cum non ita facile in Cæremoniali Episcoporum, nec in aliis libris, qui de iis agunt, explicentur. Hos autem ritus partim ex Cæremoniali Pappæ, partim ex Cæremoniali Episcoporum, partim ex Cærem. Cardinalium, cuius author est Paris Crassus, partim ex praxi Urbis desumpsimus; ita ut nihil in sequentibus præscribatur, quod in his libris non contineatur. Scio quidem in multis locis, & Provinciis, ea quæ infra præscribentur, non omninò observari nescio quam ob causam; sed tamen observanda videntur ab iis qui præscriptis in Cærem. Episcop. & aliis supradictis inhærere volunt, ut debent. Multa verò hic omittentur brevitate gratia, quæ in aliis partibus huius operis, maximè in ultima videri poterunt, & intelligi.

II. Itaque quando prædicti, Legatus, aut Cardinalis, vel plures Officio solemnè adesse volent, Episcopus cappa Pontificali indutus, non verò Mozzetta (nisi sit alia consuetudo Regionis) eis obviam ire debet usque ad

portam Ecclesiæ, & aspersorium porrigere ipsi Legato, aut aliis Cardinalibus, cum oculis aspersorii, & manus, qui se, & alios aspergat. Cærem. Ep. lib. 1. c. 15.

III. Tum Cardinalem comitatur post eum incedens ad altare Sanctissimi Sacramenti, & majus, ibique post eum genuflexum ad faldistorium ad id paratum, orat aliquantulum super cussinum genuflexus.

IV. Post Orationem erectus cum aliis salutat profunda inclinatione Cardinalem, & facta Cruci altaris reverentia, aliquantulum retrocedit cedens locum Cardinali, ut se recipiat ad sedem, & recedit ad faldistorium paratum ad cornu Epistolæ, vel in Sacristiam, ubi parat se paramentis convenientibus, vel ad Vesperas, vel Missam, aut alia celebranda. Si verò non est celebraturus, accedit ad locum digniorem Chori.

### CAPUT I.

*De Vesperis celebrandis ab Episcopo proprio  
in propria Ecclesia, presente Car-  
dinali, aut Legato.*

**I.** Legatus, aut Cardinalis, facta oratione ut suprà, ascendit ad sedem Episcopalem, vel, si sint plures, ad sedes æquales à parte Evangelii, ut diximus p. 57. Episcopus verò parat se in Sacristia, paramentis congruis, vel ad faldistorium, si talis sit consuetudo; convenientius ta-

men

men in Sacristia, & sic paratus cum suis Ministris, & Capellanis, accedit, tenens baculum sinistra, ad Altare, cui nudo capite reverentiam facit profundam, sed prius ipsi Cardinali cum Mitra: Deinde vadit ad faldistorium, in quo aliquantulum sedet; si verò parat se ad faldistorium, non procedit tunc ad Altare paratus.

II. Ministri autem, seu Capellani, saltem debent esse decem numero, scilicet, Presbyter assistens, duo Capellani, unus ad auferendam, alius ad imponendam Mitram, ut suo loco diximus; & hi tres cum cottis tantum, vel ex consuetudine Pluvialibus tantum induti, & hi tres possunt esse Canonici; alius de baculo, alius de Mitra, alius de libro, alter de candelâ, alius de Thuribulo, duo verò alii de candelabris. Quorum ordo sit juxta hunc ordinem, & quando sedendum erit sedeant, & non genuflectant, in inferioribus sedibus per lineam ad sinistram celebrantis; & quando standum, ipsi stabunt ibidem, & dignior eorum erit versus caput, & humeros ipsius celebrantis, ultimus verò magis quasi ante faciem ejusdem ad longum. Capellani verò tres prædicti parati stabunt, vel sedebunt in scabellis nudis, vel gradibus Altaris tapete coopertis, facie ad ipsum celebrantem conversa, vel, ut commodius videbitur, stabunt; vel sedebunt post Episcopum. Si tot Ministri haberi non possint, aliqui ex prædictis suppleant vices deficientium.

III. Si Episcopus parat se ad faldistorium, per suos Capellanos exiit Cappa, si ea utitur, & per eosdem induitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, Pluviali, & Mitra pretiosa, ac Annulo Pontificali; & hæc omnia paramenta per Ministros prædictos ordinatè de Altari portantur.

IV. Cùm Episcopus sic paratus paululum sederit, silent organa, si pulsentur, & obtenta per Cæremoniarium à Cardinali, quam per nutum, aut reverentiam aliquam concedit, licentia, detrahitur ei Mitra per Capellanum ad id deputatum, vel per eum, qui de Mitra servit, si tot Ministri haberi non possunt; surgit, & versus Altare stans, dicit secretò: *Pater noster*, ut suo loco diximus. Quo finito, alta voce, stans etiam versus Altare, cantat de more: *Deus in adjutorium*, &c. muniens se signo Crucis. Ad versum: *Gloria Patri*, inclinat se.

*Man. Sac. Cærem.*

V. Inchoato primo Psalmo, sedet, & assumit Mitram pretiosam, vel aliam simplicem si velit, & sic manet usque ad Capitulum, inclinans se tamen cum Mitra ad versum: *Gloria Patri*, qui in fine cujusque Psalmi cantatur. Regulariter non debet intonare primam Antiphonam, nec initium Hymni, nec Antiphonam ad *Magnificat*, sicut quando ipse Episcopus celebrat in sede sua, nisi sit alia consuetudo; & tunc præintonari ei poterunt prædicta à Subdiacono parato, aut altero de more; & tunc dum ea intonabit, stabit versus Altare sine Mitra.

VI. Ad Capitulum Episcopus stat cum Mitra versus Altare, sed eo finito, Mitra auferitur ipsi, & sine ea stat etiam versus Altare, donec inchoetur Antiphona *Ad Magnificat*; tunc enim Episcopus sedet, imponitur ei Mitra, & ministrante Presbytero assistente naviculam, & Thuriferario Thuribulum imponit thus in Thuribulo cum benedictione solita. Si cantentur Hymni: *Veni Creator*, aut: *Ave maris Stella*, celebrans genuflectit initio primi versus, conversus ad Altare, seu faldistorium.

VII. Altari incensato, reddit Thuribulum Presbytero assistenti, & resumpra Mitra ante infimum gradum Altaris, ac baculo, factisque Altari, & Cardinali debitis reverentiis, reddit ad faldistorium, ubi de more duplici ductu thurificatur, stans renibus ad faldistorium conversus; sed priusquam thurificetur, salutatur Cardinalem; tum deponitur ei Mitra, & stat versus Altare manibus junctis tenens baculum, & interim prædictus Assistens Cardinalem, aut Legatum incensat triplici ductu, & alios Episcopos, si adsint, duplici, & postea Thuriferarius alios.

VIII. Finito Cantico, celebrans sedet, & imponitur ei Mitra, & completa Antiphona, eidem deponitur, & stans ante Altare, id est, ante faldistorium, dicit: *Dominus vobiscum*, & Orationem, ex libro, quem Presbyter assistens, vel Minister de libro, tenet ante eum. Interim duo Ceroferarii tenent ante celebrantem sua candelabra ardentia de more; & cùm replicatur post Orationem: *Dominus vobiscum*, inde discedunt, & candelabra suis locis reponunt.

IX. Dicto *Benedicamus Domino*, imponitur Episcopo Mitra, cum qua, & baculo, facta reverentia Cardinalibus, & Alta-

ri, vadit ad medium Altaris, & stans ad illud dicit: *Sit nomen Domini, &c.* & benedicit more solito, facta tamen prius reverentia Cardinalibus, quos non benedicit. Mittet tamen prius Cæremoniarium ad Cardinalem, ut placeat ei dare benedictionem, quam ipse Cardinalis pro urbanitate remittet ipsi Episcopo dandam. Verumtamen, si adsit Legatus Apostolicus, ejus est semper dare benedictionem in folio, nomine Summi Pontificis.

X. Mox cum Mitra, & baculo redit, factis debitis reverentiis Altari, & Cardinalibus, ad faldistorium, ibique exiit suis paramentis, & comitatur Cardinalem, aut Legatum, saltem usque ad portam Ecclesiæ.

XI. Cætera, quæ hic desiderantur, vide supra præcedenti cap. de Vesperis solemnibus Episcopo celebrante. Non omittat Episcopus reverentias, quas Canonicis de more exhibere debet, ut in Cærem. Ep. lib. 2.

## C A P U T II.

*De Vesperis celebrandis ab Episcopo extraneo, & etiam suffraganeo, & etiam celebrante Cardinali coram aliis Cardinalibus.*

I. **S**I adsit Episcopus extraneus, parat se sicut proprius, vel in faldistorio, vel in Sacristia; non occurrit Cardinali, sed eum expectat, sicut & Episcopum proprium. Ab eo petit licentiam inchoandi Vesperas, non à Canonicis; sed tamen eos salutari, dum transit ante eos cum Mitra, & à fortiori Episcopum proprium, si adsit, tam ante initium Vesperarum, quam in fine earum, & ad *Magnificat*.

II. Incensatur triplici ductu, sicut proprius Episcopus, absente Cardinali; & in fine Vesperarum dat benedictionem ad Altare, ut supra capite præcedenti.

III. Si tamen Episcopus celebrans in faldistorio sit Coadjutor, aut Suffraganeus Episcopi proprii, & hic velit adesse Vesperis solemnibus paratus Pluviali, Mitra, & baculo, poterit Episcopus ipse, prout voluerit, benedicere incensum, & in fine dare benedictionem in sede sua, ad quam Suffraganeus inclinare se debet. Baculo pastoralis uti non debet.

IV. Idem præstare poterit Cardinalis, sicut Episcopus, cum cappa sua coram Episcopo Suffraganeo, & alio extraneo, si volet; non tamen ex urbanitate debet.

V. Si Cardinalis coram alio Cardinali, aut Legato, velit celebrare, parabit se etiam in faldistorio, quod magnificentius præparari debet, & tunc habebit omnes præminentias ante alios Cardinales. Petet tamen à Legato, vel alio Cardinali licentiam inchoandi ex urbanitate; habebit etiam Capellanos paratos, ut supra. Inchoabit, si velit, Antiphonam ante primum Psalmum, principium Hymni, & Antiphonam *Ad Magnificat*.

VI. Incensabitur triplici ductu, & benedictionem dabit in fine ad Altare. Si tamen adsit Legatus, hic dabit semper benedictionem in sede sua. Non utetur baculo pastoralis, quia supponimus, non esse proprium Episcopum. Nam si est proprius, uti debet baculo pastoralis. Non publicabuntur Indulgentiæ.

## C A P U T III.

*De Maturinis, & Laudibus Episcopi præsentate Cardinali, ut supra.*

I. **O**ccurrit Episcopus obviam Cardinali, ut supra, usque ad portam Ecclesiæ, postea accedit ad faldistorium cum suis Ministris, ut supra, cottis tantum indutis; ubi cum paululum quieverit, impetrata à Cardinali per Cæremoniarium licentia incipiendi, ipse stans versus Altare nudo capite, incipit secretò: *Pater noster*; & *Credo*; quo dicto, stans eodem modo, altè cantat: *Domine labia, &c.* postea: *Dens in adjutorium, &c.* signans os suum pollice, & postea se ipsum manu extensa; & sic stat quousque perficitur Hymnus.

II. Inchoato primo Psalmo, Episcopus sedet cum bireto, & aptantur per Ministros simbriæ cappæ ejus, sicut & illæ cappæ Cardinalis etiam per Ministros suos.

III. Finito versu post Antiphonam ultimi Psalmi cujusque Nocturni, surgit Episcopus, dicit: *Pater noster*, altè & secretè complet usque ad: *Et ne nos, &c.* quod etiam altè cantat; dicit Absolutionem, & dat Benedictionem versus Chorum. Ad septimam Lectionem

nem stat, donec Lector dicat: *Et reliqua*. Nam Lectionem ex libro, quem tenet ante eum Capellanus cum cotta, cantat cum sua cappa versùs altare, petens priùs benedictionem à Cardinali, vel Legato, si est Sacerdos; aliàs enim dicit: *Jube Domne, &c. more suo*, & Chorus eo casu respondet, *Amen*; & finita Lectione, incipit, *Te Deum*, etiam versùs altare; sed stat versùs Cardinalem, dum ab eo petit benedictionem.

IV. Ad Laudes Episcopus paratur, ut ad Vesperas; & dicuntur ut suprà parte præcedenti. Ad Canticum *Benedictus* incensat altare, ut suprà, & in fine dat Benedictionem solemnem ad altare, ut ad Vesperas, nisi addit Legatus Apostolicus, qui tunc eandem dare debet.

C A P U T IV.

De Missa ejusdem Episcopi præsentè Cardinali, vel Legato.

I. Episcopus vadit obviam Cardinali cum cappa Pontificali, & offert illi asperforium, ut suprà: vel expectat, si id conveniat, vel si sit consuetudo, adventum ejus jam paratus cum suis Ministris, qui paramenta priùs in Sacristia sumpserunt, scilicet, Presbyter assistens, Diaconus, & Subdiaconus. Cùm Cardinalis accesserit ad sedem, & Episcopus ad faldistorium paratum, aliquantulum quiescunt sedentes.

II. Tum petita licentia à Cardinali incipiendi, Episcopus surgit, & versùs altare incipit, *Deus in adiutorium*, & reliqua peragit, ut diximus suo loco de Missa Pontificali; & capit sandalia, & paramenta eo modo, adjuvantibus scutiferis, Diacono, & Subdiacono Evangelii, & Epistolæ, (non enim alii Diaconi ministrant, quando Episcopus celebrat in faldistorio) & aliis ministris, seu Capellanis, & Acolythis. Capitulum cantatur à Subdiacono, stante Episcopo versùs altare cum Mitra, velut ad Vesperas. Deinde dicit Orationem ex libro, quem Presbyter assistens Capellanus de eo, tenet ante eum, versùs altare, cum duobus Ceroferariis, ut ad Vesperas.

III. Ad lotionem manuum Episcopi, ministri non genuflectunt, nec quando aliquid

ei ministratur, sed tantùm ministri prædicti profundè se inclinant; si tamen Diaconus, & Subdiaconus non essent Canonici, convenit, ut infrà genuflectant, hic scilicet post cantatam Epistolam, ille verò petens benedictionem ad Evangelium decantandum.

IV. Episcopo omnibus paramentis induto, & habita iterùm licentia inchoandi, procedit ad altare, præcedente Cæremoniario, quem sequitur Subdiaconus portans librum: deinde celebrans Episcopus, sine incenso, & candelabris, quæ super credentiam remanent, medius inter Presbyterum Assistentem à dextris, & Diaconum à sinistris, & cum baculo pastorali; eumque sequuntur alii ministri, omnes cottis induti: cum erit ad cornu Epistolæ in plano Capellæ, cum Mitra Cardinalem salutabit, cui Cardinalis respondebit, ex Crasso lib. 2. c. 4. & Cærem. Episc. lib. 2. c. 8.

V. Cum ad medium altaris accesserit, extrahitur Mitra, & facta reverentia profunda Cruci altaris, facit de more Confessionem, & cætera, ut aliàs diximus; & interim recedunt ad partem omnes ministri inferiores, præter eos, qui de baculo, & Thuribulo, qui ipse parat thuribulum cum navicula. Interim etiam cantatur Introitus à Cantoribus, & statim Episcopus dicit: *In nomine Patris, &c. Dicto: Indulgentiam*, imponitur ei manipulus, ut aliàs, adjuvantibus ministris de more. Soli Prælati ad Confessionem stant, eamque bini, si tot sint in Ecclesia, dicunt.

VI. Facta Confessione, ascendit ad altare, quod osculatur, & librum, imponit thus in thuribulo ministerio Diaconi, & Thuriferarii, incensat altare, & ipse duplici ductu incensatur ad cornu Epistolæ cum Mitra.

VII. Deinde cum eadem Mitra, & baculo, salutata Cruce, & Cardinali, redit ad faldistorium, ubi deponitur ei Mitra, & stans versùs altare ante faldistorium suum dicit Introitum, & *Kyrie eleison* cum ministris sacris ex libro; quo dicto, sedet, & sumit Mitram pretiosam, si adhuc supersit aliquid temporis, & accipit gremiale.

VIII. Finito *Kyrie* à Cantoribus, versùs altare sine Mitra cantat *Gloria in excelsis*, ut in Missalibus, non illud quod cantari solet in Missis de B. Maria; hoc enim cantari



non debet, etiam in Missis solemnibus de B. Maria. Ita praxis Capellæ Sanctissimi, & Paris Crassus lib. 2. cap. 4. Illud autem proficitur cum ministris, & eo dicto, sedet, sumit Mitra simplicem, & Gremiale, & Orationem dicit versus altare de more (dicto tamen versus populum *Pax vobis*) stantibus Diacono, & Subdiacono post eum.

IX. Circa finem Orationis, seu Orationum, Subdiaconus, sumpto libro, vadit de more ad locum destinatum, ubi cantat Epistolam, sedente interim Episcopo cum Mitra; eaque cantata, redit de more ad Episcopum, cujus, genuflexus, vel inclinatus tantum, si est Canonicus, manum libro superpositam osculatur, & ab eo benedicitur; tum reddito libro Cæremoniario, tenet librum Missalem ante Episcopum genuflexus, si opus sit, vel stans, ex quo Episcopus legit Epistolam, & alia usque ad Evangelium inclusivè.

X. Interim dum cantatur *Alleluja*, aut quid simile, Diaconus defert librum ad altare cum debitis reverentiis Episcopo, Cardinali, Choro, & Altari; tum redit ad Episcopum, cui ministrant naviculam, & Thuriferarius thuribulum. Deinde Ceroferarii capiunt candelabra de Credentia, & Diaconus cum debitis reverentiis redit ad altare, ante cujus infimum gradum in plano Capellæ manibus junctis, genuflexus, & capite inclinato, dicit, *Munda cor meum*, &c. Postea surgit, & accipiens librum Evangeliorum de altari, ut supra, redit ad Episcopum, à quo petit benedictionem de more, profundè inclinatus, vel genuflexus, cum Subdiacono, & aliis Ministris genuflexis, ut in Cærem. Ep. lib. 2. c. 8. deinde cum aliis vadit ad locum destinatum, ubi (Subdiacono, & Ceroferariis stantibus versus Occidentem, idest renes vertentibus versus parietem altaris propter reverentiam Cardinalis, ne renes ei vertant; nisi forte altare sit sub Tribuna, quia tunc cantat ad altare, Subdiacono cõverso ad credenti am, idest ad partem meridionalem) ipse Diac. Evangelium cantat.

XI. Evangelio cantato, Episcopus librum osculatur, & à Diacono incensatur duplici ductu, & non Cardinalis; & mox versa facie ad altare sine Mitra, cantat *Credo in unum Deum*, illudque proficitur eo modo, quo *Gloria in excelsis Deo*, cum Ministris, eoque dicto, sedet cum Mitra, & Diaconus de more defert bursam corpora-

lium ad Altare cum debitis reverentiis.

XII. Si habeatur concio, Episcopus dat benedictionem Sermocinaturò, eaque finita, publicabit Indulgentias, quæ dabuntur nomine Cardinalis. Serventur autem ea, quæ de concione diximus. Si Episcopus sit concionaturus, sedebit in faldistorio ante altare parato, renes ipsi altari convertens, & prius, & post salutabit Cardinalem.

XIII. Finito Symbolo, deponitur Mitra, & gremiale ab Episcopo, & stans versus populum, dicit *Dominus vobiscum*, & *Oremus* versis altare, sicut & Oseritorium, quo dicto sedet, & imponitur ei Mitra, deponuntur ei annuli, & chirothecæ, lavat manus, reponuntur ei annuli, surgit, deinde cum Mitra, & baculo vadit ad altare, ut initio Missæ, salutatur chorum, & Cardinalem, & deposita ei Mitra ante medium altaris, factaque Cruci reverentia, ascendit ad altare, ubi cætera peragit, ut in aliis Missis. Sed incensetur post Oblata duplici ductu, Cardinalis verò triplici. Non tamen fieri debet ei prægustatio aquæ, & vini, antequam infundantur in Calice. Qui tenent facem, ad elevationem genuflectent post Cardinalem genuflexum, si faciendâ sit Communio; at si prædicta Communio non est faciendâ, genuflectent ante gradus laterales altaris. Et circa finem Præfationis portatur ad medium Capellæ ante altare faldistorium, ante quod genuflectat Cardinalis ad elevationem, ad quod procedit dum cantatur *Sanctus*, & facta elevatione, redit ad sedem suam, vel si sint plures, convenit, ut genuflectant in sedibus suis, vel procedant ad faldistorium ita capax, & amplum, ut omnes ad illud genuflectere possint; & facta elevatione, removetur faldistorium istud.

XIV. Dicto *Agnus Dei*, Assistens celebranti, dimisso libro in manibus Diaconi, venit cum debitis genuflexionibus ad dexteram Episcopi, ibique de more, ut supra diximus, accipit pacem ab Episcopo, eamque postea dat Cardinali, aliis Prælatiis, & Canonicis; tum eam dat Cæremoniario, qui eam aliis de choro, & iis qui ad altare ministrant distribuit: Diaconus verò, & Subdiaconus eam accipiunt tunc ab Episcopo, nisi sint communicandi: nam ad Communionem eam accipiunt. Vide, quæ aliàs diximus de danda pace; ea enim observari debet, quæ ibi præcipiuntur, respective.

XV. Post datam pacem Cæremoniariorum, Assistens redit ad librum cum debitis reverentiis, & post lotionem manuum Episcopi, ipse desert librum Missalem ad cornu Epistolæ. Cætera perficiuntur usque ad benedictionem, ut supra suo loco p. ult.

XVI. Dicitur *Placeat tibi sancta Trinitas*, imponitur Mitra Episcopo, & ipse dat cum ea solemnem benedictionem: convenit tamen, ut ipse Episcopus recedat ad cornu Epistolæ, & inde humaniter mittat ad Cardinalem facie ad eum versa, ut placeat ei benedicere; sed Cardinalis benignè remittit eam. Et si Concio non fuit habita, ipse Episcopus Indulgentias publicat per Cardinalem concessas; vel, si alia sit consuetudo, ipse Presbyter Assistens eas publicat. Si adfit Legatus, convenit, ut ipse det in sede benedictionem solemnem.

XVII. Deinde ad sinistram se vertens, & faciens circum altare, incipit, ut supra, Evangelium Sancti Joannis, & osculato altari, ex Cæremoniali Romano lib. 2. c. 23. recedit, accepto prius baculo cum Mitra, ad faldistorium per gradus anteriores, facta prius Cardinali reverentia, & choro; ibique sacris paramentis exiit per Ministros, & facta brevi Oratione, Cardinalem comitatur Episcopus ad diversorium suum; sed prius mutuo sibi gratias agunt.

XVIII. Multa hic omisimus ex industria; nam ea, quæ desiderantur in hoc capite, & videri, & fieri possunt ex iis, quæ alio loco diximus satis fuisse.

#### C A P U T V.

*De Missa Cardinalis Episcopi proprii, vel non, presentibus aliis Cardinalibus, vel Legato.*

I. **F**aldistorium ad quod celebrabit, paratur magnificentius tapetibus, vel pannis coloris paramentorum; habeat duos mazzeros, seu clavigeros cum clavis argenteis, vel saltem unum.

II. Credentia, seu Abacus etiam paratur vas pretiosis, ad ornatum. Ad elevationem Sanctissimi Sacramenti adhiberi debent octo funalia. Fiat semper prægustatio vini, & aquæ, ut supra diximus,

etiam ad lotionem manuum, ad quam ministrabunt semper aliqui nobiles, ut alias suo loco diximus. Si locus est aptus, parentur in loco alto sex, aut septem funalia in frontispicio Tribunæ.

III. Dum lavat manus, convenit, ut Ministri, exceptis Canonicis, genuflectant, ut diximus. Sed tamen Cardinalis eos invitatur, ut abstineant ab hujusmodi genuflexionibus ob reverentiam aliorum Cardinalium. Decet, ut benedictio detur à Legato, & non ab aliis, si adfit.

IV. Episcopus federe debet in digniore parte chori supra omnes Prælatos.

V. Cardinalis non proprius celebrabit in solio, si non adfit Legatus, aut alii Cardinales; non tamen debet habere assistentiam aliorum Diaconorum præter Diaconum Evangelii, & Subdiaconum Epistolæ, nisi fortè esset alia consuetudo; nec uti debet baculo pastorali.

#### C A P U T VI.

*De Missa solemnè Episcopi Suffraganei, seu Coadjutoris, presentè Episcopo proprio parato, vel non parato.*

I. **S**I Episcopus proprius velit adesse paratus Pluviali, Mitra, & baculo Missæ solemnè, ipse indutus in Sacristia cum Ministris sacris accedit cum debitis reverentiis ad altare, & postea, facta Oratione, si prius non fecerit ad faldistorium, ibi expectabit adventum Episcopi proprii sedens in faldistorio, & cum advenerit, eum salutat cum Mitra, & accedet ad sinistram Episcopi proprii, cum Ministris, qui est ante medium altaris, ubi Episcopus faciet confessionem, ac si ipse celebraret, genuflexis Diacono, & Subdiacono, si non sunt Canonici; & post *Indulgentiam, absolutionem*, imponitur Manipulus brachio sinistro Suffraganei de more.

II. Tum dicto *Oremus*, incipiet Orationem *Aufer à nobis*, & accedet ad medium altaris, & interim Episcopus proprius benedicit incensum, ut supra, & Suffraganeus altare thurificabit, & ipse thurificabitur triplici ductu, & postea Episcopus solus: tum alia peraget, ut supra, usque ad finem Epistolæ qua

qua cantata à Subdiacono, ipse osculabitur manum Episcopi, & ab eo benedicetur. Tum tenebit librum Missalem genuflexus ante Suffraganeum usque ad finem Evangelii.

III. Interim Diaconus deferet librum ad altare, osculabitur manum Episcopi, ministrabit naviculam, dicet: *Munda cor meum, accipiet benedictionem, cum debitis osculis, ab Episcopo, assistentibus aliis ministris genuflexis, vel inclinatis, pro Evangelio cantando.*

IV. Finito Evangelio, quod cantabitur ut c. 4. diximus, Episcopus osculabitur librum, & ipse thurificabitur triplici ductu.

V. Post Offertorium, lotis manibus, procedet Suffraganeus ad altare, cum debitis reverentiis, & ibi reliqua peraget, ut supra de Missa Pontificali egimus. Nota tamen, quòd si habeatur Concio, sermocinaturus debet petere benedictionem ab Episcopo, & publicare Indulgentias nomine ipsius.

VI. Fiunt circuli ante Episcopum ad *Kyrie, Gloria in excelsis, Credo, Sanctus, & Agnus Dei.*

VII. Episcopus legit Introitum, & alia quæ supra suis locis diximus, scilicet Epistolam, Graduale, *Alleluja, &c.* Genuflectit, si velit, ad elevationem SS. Sacramenti ad genuflexorium ante Altare, vel ad sedem, prout voluerit. Habebit pacem ab Assistente, ut suo etiam loco dictum est. In fine Missæ Episcopus benedictionem dabit, & ea finita, redibit ad aulam suam, non expectans Suffraganeum. Cætera quæ omisimus ex industria, vide supra.

VIII. Si verò Episcopus non sit paratus, sed tantum cum cappa sua Pontificali, convenit, ut Suffraganeus faciat ea omnia, quæ Episcopus coram Cardinali. Sed tamen ipse benedictionem dabit post concionem, & publicabuntur Indulgentiæ nomine suo. Circuli de more etiam fient ante eum, & leget ea quæ supra, ex libro. In fine Missæ dicto *Placeat*, Suffraganeus stans ad cornu Epistolæ mittet ad Episcopum, ut placeat benedicere, quod tamen non faciet, eam ipsi Suffraganeo dandam remittens benignè, nisi ipse velit benedicere.

## C A P U T VII.

*De festo Purificationis B. Mariae, & de benedictione, & distributione Candelarum ab Episcopo celebrante in saldistorio, presente Cardinali, vel Legato.*

I. Parantur Candelæ in sufficienti numero ad cornu Epistolæ, ita ut ab Episcopo videri possint. Parantur etiam thuribulum cum navicula, & vas aquæ benedictæ cum mappa, & mica panis, & gremiale. Episcopus poterit obviam ire Cardinali hora convenienti, vel eum expectabit paratus cum ministris indutis paramentis violaceis ut supra; non tamen habebit chirothecas, nec sandalia.

II. Habita licentia inchoandi à Cardinali, accedit ad altare de more cum Mitra, quam deponit ante altare. In cornu Epistolæ benedicit candelas, ut in Missali, stantibus à lateribus ejus hinc inde suis Ministris; & dictis Orationibus, benedicit incensum, aspergit, & incensat candelas de more, ut suo loco diximus.

III. Tum ponitur saldistorium in medio altaris, ad quod accedit Episcopus ex Cær. Papæ l. 2. c. 29. & sedens in eo, sumit Mitram versis altari renibus; & tunc Cardinalis, comite Cæremoniario, & duobus dignioribus Canonicis hinc inde, accedit ad Altare, Caudatario ejus caudam portante, & cum debita reverentia; & cum Cardinalis coram Episcopo fuerit, ipse Episcopus deposita Mitra surgit, & cum accedit, eum salutat. Ministrante igitur Camerario pulchriorem candelam, cui panniculus alligari debet, quo manus dextera Episcopi tegi debet, Cardinali qui stat nudo capite, ipse Cardinalis eam tradit Episcopo absque osculis omnino; ipse tamen Episcopus eam osculatur, & tradit custodiendam.

IV. Postea ipse Episcopus, adhuc nudo capite sine Mitra, accipit aliam pulchriorem (cui etiam panniculus pulchrior alligari debet) de manu Diaconi, & eam osculatam tradit Cardinali, facta ei reverentia; cui Cardinalis ipse respondet. Si adsint plures Cardinales, Episcopus facit eadem, porrigens unicuique eorum candelas pares, & pulchriores, quæ debent omnes esse extin-

ætæ, siue hæ, siue illæ, quæ aliis omnibus distribuuntur, ex Cær. Papæ l. 2. c. 28. & Cær. Ep.

V. Sed tamen dignior Cardinalis offert candelam Episcopo sine osculis. Si adsint alii Episcopi, eis Episcopus tradit candelas sine osculis, & nudo capite, & postea sedet. Tum sumpta Mitra, extenditur illi per ministros mappula, quam duo ex Capellanis cottis induti genuflexi tenent, & distribuit candelas Diacono, & Subdiacono, & aliis, ut suo loco diximus; transeuntes verò ante Cardinalem, Canonici profundè ei se inclinant, alii genuflectunt, qui etiam (scilicet non Canonici) genuflexi candelas accipiunt. Accepturi verò candelas, accedunt per viam rectam, & redeunt per viam lateralem ad partem Epistolæ.

VI. Finita distributione, Episcopus sic sedens lavat manus, cui ministri non genuflectunt ob reverentiam Cardinalis. Tum, deposita Mitra, amovetur faldistorium, & Episcopus, ex Cær. Papæ l. 2. c. 29. stans in medio Altaris ante Crucem, dicit cantando absolutè: *Oremus*, & Diaconus à dextris, dicit: *Flectamus genua*, & Subdiaconus à sinistris, dicit: *Levate*, nisi festum istud occurrat in Dominica, & ante Septuagesimam. Tum profequitur Celebrans Orationem: *Exaudi*, &c. impostoque incenso in Thuribulo ab Episcopo, ut suo loco, stante nudo capite, ordinatur Processio, & interim candelæ omnes accenduntur. Post Canonicos præcedit Episcopus medius inter Presbyterum assistentem à dextris, & Diaconum à sinistris, (nam Subdiaconus Crucem defert) elevantes simbras anteriores Pluvialis ejus. Post eum sequitur Cardinalis, aut Legatus, & post eum alii Prælati.

VII. Cum ante Altare redierint, Episcopus, facta ei reverentia cum Mitra, procedit ad faldistorium, deponit Pluviam, sedens capit sandalia, & chirothecas, & surgenti imponitur planeta, Mitra, & annulus, & procedit ad Altare, (præcedente Cæremoniario, & Subdiacono portante librum ante pedes, in quo inclusus est manipulus) medius inter Presbyterum assistentem, & Diaconum, ibique Missam incipit, & postea profequitur de more.

VIII. Ad Evangelium Episcopus tenet candelam accensam acceptam à Sacrista,

aut Camerario, quo finito, eam reddit Camerario, aut alteri, ut librum Evangeliorum osculetur. Cætera ut in aliis Missis.

## C A P U T VIII.

### De Benedictione Candelarum per Cardinalem faciendā.

I. **O**Mnia regulariter fiunt, ut per Episcopum, de quibus satis amplè egimus. Nota tamen, ut etiam nulla candelæ sit regulariter variegata, ex Cærem. Card. l. 2. c. 42. præter illam, quæ Cardinali reservatur, nisi ipse velit pro sua liberalitate similes distribuere nobilioribus.

II. Parantur etiam præter illam prædictam duæ magnæ instar funalium, quæ in Processione debent deferri ad latera Cardinalis, ut infra. Item possunt aliæ quædam parari pro populo, per suum Vicarium distribuendæ. Item Gremiale lineum amplum, & mundum pro genibus Cardinalis, dum distribuit candelas. Duo scutiferi etiam nobiliores deputentur delaturi faces ad latera Cardinalis, ut infra.

III. Dum Cardinalis benedicit candelas non utitur chirotheis, nec sandaliis, nec Dalmatica, nec Tunicella, nec quivis alius.

IV. Finita benedictione de more, sedebit in sede sua, si ibi benedicat: si verò benedicit ad Altare, ut capite præcedenti, præsentè alio Cardinali, paratur ei faldistorium super suppedaneum Altaris, ubi sedet; & tunc accepturi candelas accedunt per viam rectam, & per lateralem partem Epistolæ recedunt, ex Cærem. Card. l. 2. c. 42. quod ab omnibus debet observari in pari casu. Dignior ex Canonicis, vel ex Prælati superioribus, prius offert suprædictas duas candelas majores Cardinali, quæ tunc uni ex Capellanis dantur; deindè aliam parvam pulchriorem, ut supra, cum suo panniculo mundo, quo manus ejus dextera contegatur, & etiam cum osculis. Et dum fit distributio candelarum à Cardinali, more solito, Sacrista servat illam Cardinalis; & interim vocantur duo nobiliores scutiferi Cardinalis, quibus dantur prædictæ candelæ, easque tenent tunc ad latera Altaris, si distribuit eas ad Altare; si verò in sede, stant hinc inde à lateribus Cardinalis,

lis, dignior à dextris, vel ad partem Evangelii, alter à sinistris, vel ad partem Epistolæ. In Processione verò eas tenent à lateribus Cardinalis, vel potius à lateribus Presbyteri, & Diaconi. Ad Missam verò stant semper ad latera Altaris, ut supra, & stant semper, ex Cær. Papæ l. 2. c. 28. cum candelabra immobilia repræsentent, & sunt quasi collaterales candelabris.

V. Primus Diaconus ministrat candelas, secundus elevat Pluviale; & monet advenientes, quid agere debeant, quod semper est faciendum in pari casu. Et probabile est, ex Cær. Card. l. 2. c. 42. ut qui Canonatum, & dignitatem, vel duas dignitates obtinent, duas candelas habere debeant. In Processione convenit, ut aliquis ex nobilioribus partem extremam Pluvialis Cardinalis deferat. Cætera fiunt, ut supra, sed magnificentius, quàm celebrante Episcopo.

VI. Si Cardinalis benedicit candelas in aliena Ecclesia, semper benedicit ad sedem Episcopi, nisi adsit Legatus, aut alius Cardinalis, quia tunc ad faldistorium benedicit. In Processione Episcopus proprius procedit cum cappa sua post Cardinalem, abstinens à benedictionibus. Imago Christi in Cruce Processionali terga vertat Cardinali, nisi sit Legatus, aut Archiepiscopus.

### C A P U T IX.

*De Benedictione Candelarum per Episcopum extraneum, & etiam Suffraganeum facienda.*

I. **P** Aratur faldistorium in parte Epistolæ, & candelæ etiam ad partem Epistolæ, & alia, quæ supra, thuribulum scilicet, navicula, & vas aquæ benedictæ, &c.

II. Hora competenti parat se in Sacrastia, vel ad faldistorium, si est consuetudo, non tamen capit chirothecas, nec sandalia; expectat Episcopum, quem cum Mitra salutat: tum ad Altare procedit cum Ministris, ubi osculato Altari, benedicit candelas, incensat, aspergit, ut supra, stans semper in cornu Epistolæ, easque in medio Altaris distribuit; & stat, dum offert candelam Episcopo, sine Mitra, & sine osculis, sed cum mutua reverentia. Et tunc, præ-

sente scilicet Episcopo, dignior Canonico; offert ipsi Episcopo candelam cum osculo illius tantum, & ipse Episcopus eam dat Suffraganeo; & postea iterum ipse Canonico; dignior aliam dat pulchram ipsi Suffraganeo, qui eam etiam tradit Episcopo; postea fit distributio de more, eodem, quo supra diximus, & Processio.

### C A P U T X.

*De feria 4. Cinerum, & de Benedictione Cinerum celebrante Episcopo coram Cardinali, vel Legato, & Episcopo extraneo coram prædicitis.*

I. **P** Aratur vas cinerum super Altare ad cornu Epistolæ, Thuribulum cum navicula, & vas aquæ benedictæ, &c. Episcopus occurrit obviam Cardinali, si sit consuetudo, ut supra, vel prævenit ad Ecclesiam; ubi, facta Oratione, parat se ad faldistorium, vel in Sacrastia cum Ministris, ut supra, alba, stola, & Pluviali cum Mitra, & baculo; non tamen chirothecis, nec Annulo Pontificali, nec sandaliis, ex Cær. Papæ l. 2. c. 31.

II. Adveniente Cardinali, eum salutat cum Mitra, & postquam oraverit Cardinalis, petita licentia inchoandi, Episcopus procedit ad Altare cum Ministris, ubi osculato Altari, benedicit cineres de more cum Ministris suis hinc inde, & in fine eos incensat, & aspergit, ut candelas, stans semper ad cornu Epistolæ.

III. Deinde accedit ad medium Altaris, ubi stat sine Mitra, & pileolo. Interim verò Cardinalis nudo capite, & etiam sine pileolo, accedit ad Altare caudam sibi ipsi trahens, cui Episcopus profundam stando facit reverentiam, & vicissim Cardinalis Episcopo. Tum Cardinalis ipse sumit cineres de vase, quod Subdiaconus tenet à dextris Episcopi, & imponit eos super caput ipsius inclinatum, in modum Crucis, dicens: *Memento homo, &c.* quo facto, Episcopus imponit etiam cineres capiti Cardinalis, stans, & nudo etiam capite. Si sint plures Cardinales, & Prælati majores, eodem modo eis cineres distribuit.

IV. Postea asportatur faldistorium, in quo Celebrans sedet, sumpta Mitra, & post-

posito super genua ejus Gremiali, distribuit cineres eo modo quo candelas, Canonicis, qui non genuflectunt; non tamen manum Episcopi osculantur; alii verò genuflectunt, non tamen manum Episcopi osculantur.

V. Datis cineribus lavat manus, & fricat eas medulla panis, ut suo loco, amovetur faldistorium, quod ponitur loco consueto, & Episcopus in cornu Epistolæ, ex Cæremon. Papæ lib. 2. cap. 32. stans versùs altare dicit *Dominus vobiscum*, & Orationem *Concede nobis* de more, ut ad benedictionem candelarum. Tum, accepta Mitra, vadit ad faldistorium, deponit Pluviale, assumit sandalia, chirothecas, Planetam, Mitram, & anulum, & si velit, incipit, & prosequitur Missam, ut suo loco diximus, ad quam Cardinalis genuflectit ad sedem dum fit confessio, ad Orationes, versum *Adjuva nos*, à principio canonis usque ad *Pax Domini* inclusivè, & ad Orationes post communionem. Genuflectit etiam, vel ad sedem super pulvinum paratum violaceum, vel ad faldistorium ante Altare, ut alias diximus: & quoties accedit ad Altare, asportatur, & quando recedit, removetur faldistorium, ut alias diximus.

VI. Episcopus Suffraganeus, vel extraneus eadem ferè peragunt, quæ Episcopus proprius. Si tamen velit Episcopus adesse paratus sacris paramentis, benedicet, si velit cineres in sede, nisi concedat Suffraganeo licentiam benedicendi.

VII. Suffraganeus si non benedicat, aderit cappa sua, vel mantelletto indutus, & tunc imponet cineres Episcopo, & postea eodem accipiet ab Episcopo, & si est celebraturus Missam solemnem, accipiet statim, postea paramenta sacra. Hoc tamen passim fieri non debet ab Episcopo proprio.

VIII. Si Cardinalis ipse velit cineres benedicere, & celebrare, eadem ferè peraget, quæ parte præcedenti diximus; sed major solemnitas erga eum adhibenda erit.

C A P U T XI.

*De Dominica Palmarum, & de benedictione Ramorum eodem Episcopo celebrante, vel extraneo, vel Suffraganeo coram Cardinali, vel Legato, & de Cardinali celebrante.*

I. **O**Mnia ferè fiunt ut in festo purificationis. Parantur enim Rami ad cornu Epistolæ, & si fieri potest, parantur duæ Palmæ pulchræ pro Cardinali, & Episcopo, vel plures si plures adsint Cardinales. Fiat benedictio ad altare, & ad cornu Epistolæ; cantentur Epistola, & Evangelium de more locis consuetis.

II. Postea benedicuntur Rami, asperguntur, & incensantur; Episcopus eos distribuit ante medium altaris nudo capite, Cardinali stans, & aliis sedens, eo modo quo candelas supra.

III. Post distributionem Ramorum, Episcopus lavat manus, dicit Orationem ad medium altaris, ex Cær. Papæ l. 2. c. 41. Quæ dicta, & posito incenso in Thuribulo cum benedictione, fit Processio de more, ad quam Cardinalis sequitur Episcopum medium inter Presbyterum assistentem à dextris, & Diaconum à sinistris, sustinentes Pluviale ejus hinc inde: fit statio ad portam Ecclesiæ ubi cantatur *Gloria, laus, &c.*

IV. Postea Episcopus potest Missam celebrare, ad quam tunc Cardinalis genuflectit in folio dum Subdiaconus cantans Epistolam dicit: *Ut in nomine Jesu, &c.* usque ad *Inferiorum* inclusivè.

V. Tres cantores Passionis genuflectunt transeuntes ante Cardinalem, & Episcopum. Dum autem cantant Passionem, Episcopus celebrans eam legit stans in cornu Epistolæ cum Ramo in manu sinistra, ad quod accedit per viam breviorē, & eodem modo recedit.

VI. Finita Passione, Cantores redeunt ad loca sua cum debitis reverentiis, & Diaconus ponit librum ad altare, & celebrans Episcopus accedit ad faldistorium, sumpta Mitra, ubi sedens ministrante eodem Diacono imponit incensum in Thuribulum de more: Cætera fiunt, ut in aliis Missis. In hac tamen tenentur rami ad Passionem, & Cardinalis genuflectit in folio.

VII. Si

VII. Si Cardinalis sit celebraturus, & Ramos benedicturus, parantur tres Rami pulchriores: duo majores qui teneri debent à duobus Scutiferis ex nobilioribus, sicut diximus de candelis supra, scilicet dum fit distributio Ramorum, processio, & dicitur Missa, genuflectentibus, ut alii, ad Epistolam, Passionem, elevationem; alter Ramus dari debet Cardinali ab Episcopo cum debitis reverentiis, ut diximus de candelis. Finito officio duo Scutiferi portant à lateribus Cardinalis Palmas, seu Ramos usque ad cameram, ubi honorificè custodiri debent per totum annum, ex Cær. Card.

VIII. Si Suffraganeus sit celebraturus presente Episcopo parato, eadem observabit respectivè, quæ supra diximus suis locis, & leget Passionem submissa voce ad altare, sinistra tenens Ramum suum. Cær. Papæ I. 2. c. 41.

C A P U T XII.

*De Maturinis Tenebrarum presente Cardinali, & Episcopo in crastinum celebraturo.*

I. Cardinalis sedet si velit in folio cum cappa, cujus caput caput suum cooperit, & dum incedit per Ecclesiam caudam sibi trahit; Episcopus verò etiam cum cappa sua sedet in digniori parte chori, vel alio loco solito. Et postquam cerei omnes, tam altaris, quam candelabri triangularis accensi fuerint, Cæremoniarius, obtenta licentia ab eodem Cardinali, facit signum incipiendi, ut suo loco diximus, & omnia fiunt de more. Cantores Lectiones decantant, & post finem unius semper cantor genuflectit altari, & Cardinali, & Episcopo profundam facit reverentiam & recedit.

II. Absoluto Psalmo *Miserere mei Deus*, post canticum *Benedictus Dominus Deus Israel*, & Episcopus genuflectus in loco suo dicit Orationem *Respice*, ut suo loco diximus. Cætera dicuntur ut supra suo loco diximus.

C A P U T XIII.

*De Missa solemnè Episcopi celebraturi feria 5. in Cœna Domini coram Cardinali, de lotionè pedum, & aliis.*

I. Paratis omnibus pro Missa solemnè, & pro Processione SS. Sacramenti, & reservando in crastinum Sanctissimo Sacramento, quæ alibi diximus; Episcopus post Adventum Cardinalis, cui occurrit obviam de more, capit paramenta, dum dicitur Nona, vel alia hora opportuna, & perficit Missam more solito usque ad Communionem, ad quam accedunt qui Communicandi sunt, facta Cardinali, & altari debita reverentia. Et si Cardinalis velit Communionem accipere, quia fortè non est Sacerdos, servet ea, quæ supra suo loco diximus.

II. Finita Missa, Episcopus Sanctissimum Sacramentum defert de more, ut suo loco diximus, medius inter Diaconum à dextris & Subdiaconum à sinistris, sub Baldachino de more ad locum paratum; & cum solitis ritibus, quem sequitur Cardinalis portans candelam propria manu, & postea datur ibidem benedictio, & dantur Indulgentiæ. Crucem autem defert alter Subdiaconus, & Presbyter assistens procedit ordine suo cum aliis. Ita Cær. Papæ I. 2. c. 48. in pari casu.

III. Si facienda sit lotio pedum pauperibus, aut aliis, convenit ut Cardinalis ipse lavet pedes eorum eo modo quo diximus de Episcopo; at si id non faciat, convenit ut sacris Cæremoniis non assistat, ne ob ejus præsentiam à functionibus suis necessariis Episcopus abstinere cogatur. Ita Cær. Ep. I. 1. c. 4. in pari casu.

IV. Eadem dicenda videntur, si Episcopus consecrare velit olea sacra, & alia hujusmodi perficere. Si verò Cardinalis ipse, vel Legatus his omnibus præsens adesse velit, actus reverentiales erga Cardinalem ab Episcopo omitti non debent.

C A P U T XIV.

De feria 6. in Parasceve, & de Episcopo celebrante eadem die coram Cardinali.

I. **P**arantur omnia quæ supra diximus: sedes Cardinalis, & faldistorium Episcopi sunt nuda. Si Episcopus non occurrat Cardinali, hora competenti ad Ecclesiam venit, ibique ad faldistorium, facta prius Oratione, accipit sacras vestes, vel id facit dum dicitur Nona. Cum Cardinalis advenit, & eum salutaverit, accedit ad altare cum ministris confuetis, Planetis nigris plicatis ante pectus indutis, habens Mitram in capite, & facta reverentia Cardinali, conversus ad Altare nudum deponit Mitram, & genuflexit procumbens super scabellum nudum jam antea præparatum, & prolixius orat per spatium unius *Miserere*: tum surgens ascendit ad altare, & illud tantum osculatur. Postea sumpta Mitra redit ad faldistorium, & omnia peragit, ut supra usque ad Passionem, quam recitat ad cornu Epistolæ ad altare, sicut & Evangelium. Sermocinaturus postea accedit ante Cardinalem cum debita reverentia, & ab eo petit tantum Indulgentias.

II. Ad adorandam Crucem procedit à ministris Cardinalis, & eam post ipsum Cardinalem osculatur. Tum facta genuflexione Cruci, Cardinalis, & Episcopus factis sibi mutuo reverentiis, recedunt, ille ad sedem suam, hic ad faldistorium, ubi resumit calceamenta, & sumpta Planeta, Mitra, sedet usque ad finem adorationis, recitans impropria, & alia ex libro, quem minister ante eum genuflexus sustinet.

III. Facta adoratione Crucis, ordinatur Processio, Subdiacono ferente Crucem, vel alio, & præcedentibus aliis, quos sequitur Episcopus usque ad locum ubi est repositum SS. Sacramentum, medius inter Presbyterum assistentem, & Diaconum, ex Car. Papæ I. 2. cap. 56. in pari casu: ibique fiunt ea quæ suo loco diximus, Cætera hæc etiam ut supra ad Officium, quod fit postea.

IV. Ad Vesperas Episcopus assistit cum cappa sua in loco digniori chori: &

post Psalmum *Miserere mei Deus*, &c. dicit genuflexus in loco suo Orationem *Respicere quasumus*, &c. & cum silentio recedit.

C A P U T XV.

De Sabbato Sancto de Episcopo celebrante hac die coram Cardinali, & de festo Sancto Pascha.

I. **P**arentur altare, sedes Cardinalis, & faldistorium Episcopi, duplicibus palliis, intus albo, & exterius violaceo; & cereus Paschalis ponatur in loco convenienti ante faciem Cardinalis ad partem Epistolæ; & juxta illum ponatur pulpitem albo panno aureo tectum.

II. Hora congrua Episcopus venit ad Ecclesiam more solito, induitur sandaliis albis, & aliis paramentis violaceis usque ad Dalmaticam inclusivè; tum Pluviale violaceum capit, & stans in cornu Epistolæ versus ad altare nudo capite, ex libro super illud posito benedicit novum ignem, aspergit, & thurificat, ut suo loco diximus, sicut & quinque grana incensi, ministrantibus Diacono, & Subdiacono Albis tantum indutis, tum redit ad faldistorium, ubi deposito Pluviali, capit Chirothecas, Planetam violaceam, Mitram simplicem, & annulum Pontificalem, & sedet in faldistorio, ubi expectat Cardinalem, nisi jam venerit ante benedictionem novi ignis.

III. Dum facta ab ipso Cardinali oratione ante Altare, & eo sedente in sede, Episcopus iterum benedicit thus in Thuribulo, ministrante Diacono albis paramentis tunc induto: & postea vadit ad locum ubi deportatus est novus ignis extra Ecclesiam, vel locum deputatum, præcedente Cæremonario, quem sequuntur duo Capellani celebrantis, quorum alter à sinistris nihil desert, alter verò desert Thuribulum, & inter illos Subdiaconus omnibus paramentis violaceis indutus, & sic vadunt ad prædictum locum, ut suo loco diximus. Sequitur eos Diaconus, & post eum duo, aut quatuor Capellani Episcopi.

IV. Ibi Diaconus capit Arundinem paratam cum tribus candelis, & alter Capellanus vas cum quinque granis incensi



benedicti, quæ prius ibi asportata sunt suo tempore, & redeunt cantando *Lumen Christi*, eo modo quo venerunt; sed tamen Cæremoniarius, aut alius defert candelam accensam in laterna inclusam, de qua Diaconus accipit lumen de novo igne, & alia fiunt ut aliàs diximus.

V. Cum ad altare pervenerint, unus ex dictis capellanis capit arundinem, cantato prius *Lumen Christi*, & Diaconus sumpto libro accedit solus cum Cæremoniaro ad Episcopum, ubi petit ab eo benedictionem, expectantibus interim aliis ministris ad altare; tum cum aliis vadit ad locum deputatum, ubi cantat Præconium *Exultet*, ut suo loco diximus.

VI. Finito Præconio Diaconus exiit paramentis albis, & capit violacea, & interim ministri ponunt pulpitem in medio chori, ubi leguntur de more Prophetiæ, ut supra, à Capellanis, vel aliis de more, qui transeunt ante Cardinalem ei genuflectunt, sicut & ante altare; Canonici verò tantum profundè se inclinant.

VII. Finita Prophetia, Capellani genuflectunt, & procedunt ad Episcopum, ut supra, cujus manum osculantur; & ab eo benedicuntur. Vide quæ suis locis diximus. Dum cantantur Prophetiæ, celebrans eas legit submissa voce ex libro, quem tenet ante eum Capellanus de libro: & post finem illius à cantore, amovetur faldistorium, & cantat Orationem Episcopus prout in ordinario.

VIII. Finita verò duodecima Prophetia, Cardinalis descendit ad faldistorium, supra quod procumbit: celebrans verò deposita Mitra, & Planeta, associatus à Diacono, & Subdiacono, vadit ad scabellum ad sinistram Cardinalis, super quod similiter procumbit, & duo ex cantoribus cantant Litanias genuflexi ante scabellum positum post Cardinalem in medio capellæ, supra quod librum tenent.

IX. Dicto *Peccatores* Cardinalis redit ad sedem, ubi cappam violaceam exiit, & accipit rubram; Episcopus verò ad faldistorium, ubi sumit alba paramenta, & idem faciunt ministri sacri, & deponuntur vela ante imagines super altare, & alia fiunt, ut suis locis dictum est.

X. Si fiat benedictio fontium, serventur ea, quæ de benedictione ipsorum diximus

parte præcedenti. Non est autem necesse ut Cardinalis hujusmodi benedictioni assistat. Cum autem redierint, ipse Cardinalis, & Episcopus & cantores procumbunt, & genuflectunt, ut supra.

XI. Finita Epistola, Subdiaconus osculatur manum Episcopi, & annunciat ei *Alleluja* de more ut supra.

XII. Ad Magnificat incensetur altare; Episcopus duplici ductu, Cardinalis triplici, & alii de more.

XIII. Si celebret Suffraganeus, & sit paratus proprius Episcopus, hic habebit paramenta violacea usque ad *Peccatores* exclusivè, & finita Epistola Subdiaconus osculata manu Episcopi, vel Cardinalis, annunciat illi *Alleluja* dicens *Reverendissime Pater, &c.* vel *Eminentissime*, si Episcopus sit Cardinalis, *annuncio vobis gaudium magnum, quod est Alleluja.* Vide quæ supra.

XIV. Nihil in die Paschæ occurrit novum quod egeat explicatione. Si tamen aliquis Cardinalis, aut aliquis supremus Princeps voluerint Communionem accipere, serventur quæ diximus supra parte præcedenti de hujusmodi Communione.

## C A P U T XVI.

*De Missa qua celebratur ab Episcopo solemniter presente SS. Sacramento.*

I. **P**rocedit ad altare de faldistorio, aut de sede sine Mitra, & omnia dicit ad altare, non ad sedem, ac si simplex esset Sacerdos. Nec omittere debet genuflexiones dum transit ante Sacramentum, vel cum ab eo recedit, vel ad illud accedit. Nec lavare se debet ad altare, sed extra gradus illius, ut suo loco diximus; neque etiam habere Mitram dum dat benedictionem populo.

II. Semper etiam stat nudo capite dum defert SS. Sacramentum, vel etiam dum defertur coram eo; neque etiam ministri dantes aliquid Episcopo, vel Cardinali, vel recipientes ab eis, osculantur eorum manum. Et certè etiam conveniret ut hujusmodi Ministri abstinerent à genuflexionibus, dum transeunt ante eos: sed majorum adfudicium.

III. Semper etiam genuflexus thurificet SS. Sacramentum, sed stans imponit thus in thuribulo sine Mitra, & illud eodem modo be-

benedicit stando. Hic agendum videretur de festo Corporis Christi, & de Processione mirabili hujus diei; sed satis fusè de iis egimus in præcedentibus partibus.

C A P U T XVII.

De Episcopo Suffraganeo, vel coadjutore Episcopi erga Canonicos, & vicissim de Canonicis erga Suffraganeum.

**I.** Episcopo Suffraganeo non tenentur Canonici obviam ire usque ad aulam, sicut proprio Episcopo: sed satis est si aliqui Canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiæ. Ita Sacra Cong. in Bracharensi 1. Septembris 1607. Neque Canonici debent ei assistere parati dum solemniter celebrat, sicut proprio, Pluvialibus scilicet, Planetis, & Dalmaticis ad Vesp. & Missam, sed in habitu ordinario, & Canonicali. Eadem Congregatio.

**II.** Episcopo Suffraganeo facienti Ordinationes, vel alias functiones nomine Episcopi, Canonici debent assistere in habitu ordinario Canonicali; præter aliquos qui juxta necessitatem officii debent accipere paramenta. Eadem Cong. in Bracharensi.

**III.** Non sedet in sede Episcopali, sed in baldistorio quando celebrat, nec utitur baculo, nisi in ordinationibus, & aliis necessariis actibus. Eadem Congr. Nec habet septimum candelabrum, nec duos Diaconos assistentes ultra Diaconum Evangelii, & Subdiaconum Epistolæ, & Presbyterum assistentem cum Pluviali. Eadem Cong. in Bracharensi 1. Septemb. 1607. Nisi sit alia consuetudo antiqua, quod Episcopo Suffraganeo celebranti pontificaliter deberent assistere duo Canonici cum duobus portuariis ultra Diaconum, & Subdiaconum, non autem dignitates. S. C. Rituum in Tarraco-

nensi 7. Julii 1612. Suffraganeus item non debet uti Mozzeta, sed tantum Mantelletto, aut Cappa Pontificali.

**IV.** Præsentè Episcopo proprio nullum locum honoris habet, sed tantum sedet supra Canonicos sine ullo stallo intermedio, & si sint alii Prælati, sedet, vel stat tantum ordine suo. Non fiunt ei circuli, nec assistentia Canonicorum fiet ei. Non habet librum ante se. Non facit Confessionem ad altare, sed cum alio Prælato stante, vel suo Capellano genuflexo. Idem dicendum de Symbolo, Sanctus, & Agnus.

**V.** Ipse primus omnium pacis osculum recipit, quod non dat alteri Canonico, sed tamen alteri Prælato, si adsit. Non dat manum Subdiacono, nec Diacono osculandam, nec librum Evangeliorum osculatur, nec incensatur post Evangelium, sed celebrans; incensatur tamen triplici ductu post Offertorium, & neminem invitat ad capiendam incensationem, nisi Prælatus, si adsit. Non benedicit Canonicos, sed eos salutat capite nudo, nisi ipse celebret. Parat se in Sacristia, non ad altare, nec ad baldistorium.

**VI.** Canonico facienti officium ipse cedit locum: sed in fine officii concludit officium dicens, Dominus det nobis suam pacem, & Fidelium animam. Ita Paris Crassius lib. 1. c. 37. Numquam inchoat Vesperas, nec Matutinum, nisi ipse celebret. Non potest cum Rochetto discooperto assistere, licet Ordinarius id possit. Indutus sit mantelletto, & Caputio circa humeros extenso cum cappa caudata. Absente verò Cardinali potest Capam violaceam cucullatam, & caudatam induere, non tamen sibi deferri caudam per aliquem faciat in choro, sed ipsemet illam sub brachio sinistro revolutam portet, & si sit Regularis induatur habitu suæ Regulæ, extracto tamen cucullo de sublimitate Mantelli, & Mozzeta extensa. Hæc omnia ferè ex Cær. Cardinalium lib. 1. cap. 37.

De Tono Confessionis recitanda per Diaconum post Sermonem, & de forma Indulgentiæ publicanda per Sermocinatorem ac Benedictione danda per Episcopum post Sermonem.

I. **S**tatim finito Sermone, Diaconus dum dicit: *Tibi Pater, & Te Pater*, qui cantavit Evangelium, stans si erit Canonicus, profundius inclinante Episcopum capite inclinato cantabit; si non erit Canonicus genuflectit confessionem in tono sequenti: & cetera.




**C** On fi te or De o omni po tén ti, be á ræ Ma-




rí æ semper vír gi ni, be á to Mi cha é li Archán-



ge lo, be á to Jo án ni Ba ptí stæ, fan ctis A pó-



sto lis Pe tro & Pau lo, ó mni bus San ctis,




& ti bi, Pa ter : *Quod dum dicit, genuflectit coram Pontifice.*



*Tum surgit, & continuat:* Qui a pec cá vi ni mis co gi-



ta ti ó ne, ver bo, & ó pe re: me a cul pa,



me a cul pa, me a má xima culpa. Id e ò precor

beátam

be á tam Ma rí am semper vírgi nem, be á tum Mi-  
 cha é lem Archánge lum, be á tum Jo ánnem Ba-  
 ptí stam, sanctos Apó sto los Pe trum & Pau lum,  
 omnes Sanctos, & te, Pa ter, o rá re pro me ad  
 Dó mi num De um no strum.

II. Finita Confessione per Diaconum, Sermocinator, qui in pulpito, dum cantatur Confessio genuflectet, surgens publicabit Indulgentiam in forma sequenti videlicet.

*Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus N. Dei, & Sancta Sedis Apostolica gratia hujus Sancta N. Ecclesia Episcopus, dat, & concedit omnibus hic presentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesia consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi D. N. Divina Providentia Paps N. Dominationis sua Reverendissima, & Sancta Matris Ecclesia.*

III. Publicata Indulgentia, Episcopus deposita mitra, leget ex libro per Ministrum de eo servientem supra caput sustentato, in tono orationis versus ad populum, ut infra, videlicet.

*Precibus, & meritis B. M. semper Virginis, B. Michaelis Archangeli, B. Joannis Baptista, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris, perducatur vos in vitam aeternam. R. Amen.*

*Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus. R. Amen.*

Deinde benedicens populo more consueto, dicet: *Et benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. R. Amen.*

Si erit Archiepiscopus, statim publicata Indulgentia, Capellanus portabit ante eum Crucem, quam genuflexus tenebit, donec omnia praedicta compleverit, & Archiepiscopus prius Cruci inclinabit.



# A P P E N D I X

## DE FORMA, ET MENSURIS Ecclesiasticæ Suppellectilis, ac Episcopialium indu- mentorum: deque nitore, & munditia ejusdem sacrae Suppellectilis.

*De Mensuris cujusque sacra Suppellectilis ad  
Missam congruentibus.*



Uoniam de sacris Ritibus satis fuisse hucusque egimus. non etiam erit importunum de sacra Suppellectili agere in fine hujus operis, dare formas, & modulos uniuscujusque in ordine ad Missam sive solemnem, sive privatam, & simul describere ea, quæ ad nitorem, & munditiam ipsius spectant in usum Altaris, & debitas cujusque rei mensuras definire, secundum Regulas, & instructiones de nitore, & munditia, quas ad verbum compositas à Reverendissimo Carolo à Basilica Petri, olim Præposito Congregat. Cleric. Reg. Sancti Pauli, alias Barnabitarum, postea Novariensi Episcopo, transtulit ille sanctus, ac verè pius Carolus Borromæus in Actis Mediol. Ecclesiæ, ad totius Ecclesiæ utilitatem, ac splendorem præsertim in lib. 1. & 2. *Instructionum Fabricæ, & Suppellectilis Ecclesiasticæ*, probatis in Concil. Provinciali Mediol. tertio, à S. Sede Apostolica confirmato, & laudato: in quibus sigillatim tradendis ordinem Alphabeticum sequemur, ut cujusque rei forma facilius inveniri possit: quæ omnia desumpsimus ferè ex fine tom. 1. *Thesauri Sacri. Rituum P. Gavanti.*

*Abacus*, seu *Credentia*, fit è tabulis populis, de *Peuplier*, aut querneis, abiegnisve, longè patens circa cubitos tres pro Ecclesiæ magnitudine, Chorive, seu Presbyterii ra-

tionem, latè cubitis duobus; altè quoque item extruatur, ut non ultra duos cubitos, & uncias duodecim, eleveur à terra.

*Acerra*, seu *Navicula Incensi*, ex argenteo, vel aurichalcho, cum cocleari ejusdem materiæ, fieri debet; ita capax, ut capiat quantitatem thuris ultra quam sit necessarium in Missa.

*Alba*, è tela linea sit, longè producta cubitos quatuor, latè sexdecim, ac paulò amplius circumquaque pateat: Manicas habeat longitudine sesquicubitali, hoc est, cubito cum dimidio, latitudine ab humeris penè cubitali quæ usque ad manus sensim angustius ducantur. In summa veste, & in extremis manicis aliquid dumtaxat sit aciu paululum, ac tenuiter elaboratum: nimius enim labor in his ornandis vanitatem sapit, & levitatem.

*Altare majus* eo loco constitui deberet, ut ab ipsius Altaris gradu infimo (tres autem gradus esse debent) usque ad cancellos, spatium saltem interesset cubitorum octo, vel ad minimum quatuor in Ecclesiis non collegiatis. Sit autem à scabelli solo altitudine cubitorum duorum, & unciarum octo, & ad summum decem, longitudine cubitorum quinque ac plurium, pro Ecclesiæ magnitudine, latitudine verò cubitorum saltem duorum, & unciarum duodecim. Tres autem inter gradus bradella lignea numeretur, quæ à fronte Altaris cubitos duos productæ, uncias sexdecim latè pateat: altitudo verò singulorum graduum sit uncias octo, & latitudo unciarum saltem viginti, aut viginti duobus:

in

# TABULA PERPETUA,

Ad pag. 429

DILUCIDE ORDINANS OMNES DOMINICAS ANNI, QUARUM  
 Officium difficile invenitur, tum in Breviario, tum in Missali Romano, & quod etiam peritis in re-  
 citatione Divini Officii negotium facessit, nisi aliquo directorio juventur, ordinata à R. P.  
 Joseph Coquet, Religioso strictioris Observantiae Ord. SS. Trinitatis  
 Redemptionis Captivorum.

		3. p.		4. p.	
<i>Palchastin Mart. vel April. &amp; hom. Dom. 1. Aug.</i>					
<i>Prima pars dat Septuag. in Jan. &amp; Feb.</i>					
b	c	18	19	20	21
23	24	22	23	24	25
27	28	12	12	12	11
11	11	25	26	27	28
30	31	11	11	11	10
3	4	1	2	3	4
10	10	10	10	10	9
6	7	8	9	10	11
10	11	12	13	14	15
9	9	9	9	9	8
13	14	15	16	17	18
17	18	19	20	21	22
8	8	8	8	8	7
20	21	21	22	23	24
24	25	d	c	f	8
7	7	7	7	7	A
<i>Tertia pars Tabulae.</i>		<i>2. Pars habet Dominicas infra Hebdomadam aliquando ponendas.</i>		<i>4. Pars ordinat ultimam Dominicam post Pentecosten.</i>	
<i>Januar.</i>		2	3	4	5
29	30	23	24	24	24
31	1	2	3	4	5
7	8	9	10	11	12
14	15	16	17	18	19
21	22	23	24	25	26
28	29	30	31	1	2
6	7	8	9	10	11
11	12	13	14	15	16
18	19	20	21	22	23
25	26	27	28	29	30
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
b	c	d	e	f	g
30	31	1	2	3	4
6	7	8	9	10	11
13	14	15	16	17	18
20	21	22	23	24	25
27	28	29	30	31	1
4	5	6	7	8	9
11	12	13	14	15	16
18	19	20	21	22	23
25	26	27	28	29	30
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
27	28	29	30	31	1
4	5	6	7	8	9
11	12	13	14	15	16
18	19	20	21	22	23
25	26	27	28	29	30
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
27	28	29	30	31	1
4	5	6	7	8	9
11	12	13	14	15	16
18	19	20	21	22	23
25	26	27	28	29	30
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
27	28	29	30	31	1
4	5	6	7	8	9
11	12	13	14	15	16
18	19	20	21	22	23
25	26	27	28	29	30
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
27	28	29	30	31	1
4	5	6	7	8	9
11	12	13	14	15	16
18	19	20	21	22	23
25	26	27	28	29	30
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
27	28	29	30	31	1
4	5	6	7	8	9
11	12	13	14	15	16
18	19	20	21	22	23
25	26	27	28	29	30
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
27	28	29	30	31	1
4	5	6	7	8	9
11	12	13	14	15	16
18	19	20	21	22	23
25	26	27	28	29	30
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
27	28	29	30	31	1
4	5	6	7	8	9
11	12	13	14	15	16
18	19	20	21	22	23
25	26	27	28	29	30
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
27	28	29	30	31	1
4	5	6	7	8	9
11	12	13	14	15	16
18	19	20	21	22	23
25	26	27	28	29	30
2	3	4	5	6	7
9	10	11	12	13	14
16	17	18	19	20	21
23	24	25	26	27	28
27	28	29	30	31	1
4	5	6	7	8	9
11	12	13	14	15	16



in suppedaneo, seu bradella Altaris, apponi possit arcula ad sputum excipiendum, à late- re Evangelii, ne foedetur suppedaneum, ta- pesve, aut pavementum circum Altare.

*Altare minus*, elevetur cubitis duobus, & unciis octo; longè pateat cubitis quatuor, & dimidio, nec minus saltem quatuor cubitis; latum sit cubitis duobus. Scabellum è tabu- lis ligneis, latitudine cubitorum duorum, al- titudine octo unciarum; sed & longius pa- teat, quàm Altare, non cubito longius, sed unciis circiter sexdecim. Nullum foramen neque fenestella ibi sit, ubi quidquam asser- vari recondive possit.

*Amictus*, è tenui tela fit, longitudine circi- ter cubitorum duorum, latitudine verò ses- quicubitali; in duobus ejus angulis antero- ribus affuantur funiculi commodè longi, ut reduci ante pectus queant, & cum iis fieri nodus. In medio Crux acu pingatur unciarum duarum, longè ab extremitate digitis duo- bus in parte superiori; extremitates illius, præterquam ex ea parte, quæ collum ambit, aliquo modesto opere ornari possunt. In Gal- lia nostra fiunt in quatuor angulis Amictus quatuor foramina, ut funiculi, in duobus ap- ponantur, & postea iidem in aliis duobus re- ponantur, quando scilicet una ora ipsius Ami- ctus aliquam maculam contraxerit è collo Sacerdotum. Item Crux in medio ipsius pin- gitur acu, non ad oram, ne fortè maculæ in osculo ipsius aliquam nauseam celebraturis pariant.

*Ara ex lapide*, longè pateat uncii viginti, latè sexdecim, præter capsæ dimensionem, cui inserta est. Quæ capsæ è nucea omninò tabula fit, crassitudine circiter unciarum dua- rum, aut plurimò pro lapidis crassitudine; non distet à fronte Altaris spatio longius uncia- rum octo. Ita verò inserta fit, ut è mensæ Al- taris superficie paululum extet elevata, ut Sacerdotis celebrantis tactu dignosci possit; tela denique cerata tegatur, claviculis prædi- ctæ capsæ confixa.

*Bursa Corporalium*, à fronte sit Cruce, vel alia sacra imagine in medio intexta; à tergo etiam ex eadem materia, & colore; intrinse- cùs autem subserico, aut tela candida circum- vestitur; latè verò undique pateat circiter dimidio cubito, vel paulò ampliùs, & forma quadrata.

*Calix*, ita efformetur, ut cuppa aliquantu- *Man. Sacr. Cærem.*

lùm in fundo sit angusta, sensim usque ad summum labrum amplior fiat. Labrum nul- lo modo reflectatur. Nodus ita ornatus, ut dum calix capitur, non incommodè eapia- tur, præsertim quando indices, & pollices disjungi non possunt. Minor verò ne sit to- tus Calix, amplitudine in orbem ducta, un- ciarum quatuordecim, altitudine duodecim.

*Candelabra*, basim habeant, vel rotundam, vel potiùs triangularem, & Crucis basi con- formem. Quæ ab Acolythis portantur, mino- ra sint, quàm ea, quæ in Altari collocantur.

*Cingulum*, ex candido lino, vel cannabi te- nuì conficiatur, longitudine cubitorum cir- citer septem; capita ejusdem materiæ inseran- tur, filamentorum manipulis appensis, quos floccos dicunt. Non prohibetur ex serico, jux- tà varios colores paramentorum more mo- derno. Sed illud est antiquioris usus, & com- muniore. Non placet ea forma cinguli ( ut pro veritate loquar, quæ cingulo ipsi, ut hinc inde pendeant flocci à lateribus Sacerdotis, duas addidit lineas, quibus re ipsa cingitur Alba; est enim omninò ejusdem formæ cum succinctorio Papali, quod adhibetur, addito Manipulo, ad cingendam Albam Papæ, & nonnisi in ejusdem Missa Papali; ergo non de- bet esse communis hæc forma cuicumque Celebranti.

*Conopæum Tabernaculi majoris*, SS. Euchari- stia è materia nobiliori, vel alba semper, vel juxta colorem varium Festorum, à summa parte crispatum; in simbris non angustè, sed longè latius respondeat, & totum Taberna- culum tegat; in extremis oris habeat de more ornatum laciniarum decorè contextarum.

*Corporale*, è tela linea, & candida fit, ac sim- plex; ab oris autem, acus opere simplici pun- ctim solum retortum fit; longè autem uncias triginta ad minus pateat, latè totidem; ita ve- rò complicatù, ut nulla ejus extremitas appa- reat. Crux acu pingi potest in anteriori parte.

*De cotta*. Vide *Superpellicem*, infra.

*Cruce*, in Altari collocanda imaginem Cru- cifixi habeat, & præalta emineat candelabris.

*Dalmatica*, non recisis manicis, sed ad ma- num usq; protensis, iisdemq; latè patentibus, conficiatur; longa potest esse cubitis duobus & unciis sexdecim; lata verò ab humeris cu- bito uno, & unciis circiter quatuor; ab extre- mis oris, undique patens cubitis circiter quinque.



*Gradus*, in Altari majori ne fiant, nisi duobus cubitis tantum, minusve, si à pariete posteriori illi distent; tuncque ejusmodi gradus unus, pluresve decenter adhiberi poterunt; ita tamen, ut circuitus Altaris non impediatur, neque candelabra super iis posita, extra Altare videantur esse, quod esset contra Rubricam de Altaris incensatione. In Altari minori unus sit, isque ligneus; & ea longitudine, quæ Altare æquet, latitudine unciarum octo, altitudine totidem, in quo candelabra cum Cruce locanda erunt.

*Manipulus*, tres Cruces habere debet, & chordulas ad ligandum solidiores. Reliqua vide in *Stola*.

*Manutergium*, pro Missa ex lino tenui contextum, longitudine bicubitali, latitudine sequicubitali constet; ornentur capita laciniis, & filamentis ejusdem materiæ.

*Mappa Altaris*, superiores è lino, seu cannapi, ea sint longitudine, ut ab utroque Altaris latere, profundius circiter tribus digitis, quam planum bradellæ, demissæ sint; nullo ab ulla parte bombacio carulei, alteriusve coloris elaboratæ sint; latitudine verò totam Altaris mensam contegant. Inferiores Mappæ totam saltem mensam cooperiant.

*Mappa pro Communione*, adhibendæ super scamna, seu cancellos (horum enim longitudinem æquabunt) longè pateant cubitos tres, latè circiter duos; capita earum exornari poterunt.

*Missale*, nihil profani habeat, sed Crucis insigne, aliave S. Titularis imago in corio depicta appareat. Signaculum ejusdem constare convenit signaculis duodenis, longè ita ductis, ut Missalis longitudinem vix quinque unciis excedant. Ejusdem integumentum ita longè deductum sit, ut ab ima parte superet octo unciis Missalis coriaceum operimentum in summa verò nihil omninò extet. Lineæ fericæ circumdant extremitates, laciniæ imam partem exornent. Subvestiatur tela ejusdem coloris, quo est integumentum.

*Pallium*, quod ante Altare tenditur, paulò longius, quam Altare, patere debet, eoque altius, ut ab ima parte paululum sub coronide scabelli, seu bradellæ ejusdem Altaris occultetur; à superiori parte palmum à summo distante laciniis, quas *frangias* vocant, ornentur pro qualitate pallii; in exteriori parte Crux, aut imago Sancti, cujus nomine dicatum est

Altare, aut alia sacra effigies in medio affigatur. Nam Zacharias Pontifex palliam auro intexam, Nat. Dom. N. Jesu Christi imagine ornatam, B. Petri Apostoli Altari obtulit. Si fieri potest, telari ligneo affigatur extente; sed illa cautio adhibeatur in telaris asserculo superiore, ut ejus angulus inferior, cui pallium adhæret, omninò recidatur, & deprimitur, ut nullo modo possit acumine lædere pallium. Velamentum quoque, si pallium pretiosum est, in superiori parte obtendi ei concinnè poterit, Missarum tempore tantum, ne Sacerdos impediatur, vel adhærendo lædat paramentas; neque tamen ultra frangiam demittatur velamentum.

*Patena*, inaurata undique esse debet, vel si argentea sit, saltem in interiori parte; labrum extremum circulare ita tenue admodum, ut adjumentum inde sit ad sacræ hostiæ fragmenta facillè colligenda; illam mediam concavitatem habeat, quæ amplitudinem ferè Calicis adæquet. Minor Patena pateat amplè in orbem uncias triginta duas.

*Pelviculam hamularum*, seu ampullarum piam speciem exprimat; fundo intrinsecus constet lato, & plano, neque ita laborato, ut minùs firmè hamulæ impositæ hæreant.

*Planeta*, more Romano (nam Ambrosiano eam describunt Acta Mediol. Ecclesiæ) latè pateat cubitos circiter duo, longè tres; fasciæque assui solet, vel distingui in ipsamet Planeta, ut columnæ speciem à tergo, & Crucis ante pectus effingat; lata erit unciis octo ad minimum. Funiculi addantur, seu lineæ fericæ in ea parte, qua pectus tegitur, ita oblongæ, ut reduci possint ante pectus, ad firmandam Planetam, ne desuat à tergo.

*Pluviale*, ad imos usque talos protenditur, longitudine cubitorum trium, & unciarum circiter sex constans, & pro semicirculi ratione latè patens; à parte anteriori à summo ad extremum hinc, & inde auriphrygio decoratur; à posteriori parte caputium ornatum auriphrygiato, qui anteriori respondeat, habet. Laciniæ verò, hoc est, frangiæ, Romano ritu latiores esse debent circa caputium, breviores in oris Pluvialis extremis. Fibula anteriori connecti debet Pluviale, additis binis, seu ternis uncinis majoribus, globuli laciniati pendentes à caputio non sunt amplius in usu Romani Cleri secularis.

*Pulvinar pro Missali*, plenum sit, non piam,

ma, neque lana concisa, sed lana solida, pilifve cervinis; longè pateat cubito, & paulò amplius, latè uncias circiter decem & octo; ornetur in quatuor angulis laciniatis flocculis, & opere simplici consuatur.

*Purificatorium*, è tela neque tenui, neque crassa nimis; & simplici sit acus opere confectum; latitudine unciarum circiter octodecim ad minimum, longitudine totidem, nec verò minus: in medio Crux parvula acu pingatur.

*Pyxis*, quæ ad SS. Eucharistiam custodiendam adhibetur, ex argento puro saltem, eoque inaurato fieri debet in interiori parte, cujus pes, ut manu faciliè firmiter capi queat, altitudine sit sex unciarum; nodus in medio sit ejusmodi, quo monuimus de Calicis nodo. In fundi medio paululum aliquid habeat, quod in orbem tenuiter emineat, ad facilius capiendas ultimas particulas. Operculum respondeat Pyxidis formæ, quod in medio instar ferè pyramidis extet; & ab uno & altero item latere nervulos tenuesque uncinos habeat, quibus in circulo aptè includatur, & fiat immobile. In summo Crux parvula emineat.

*Stola*, cum Planeta colore congruat, & materia, longè cubitis circiter sex, ut infra genua producat, latè autem uncias sex pateat; laciniæ seu frangiæ unciarum trium sint. Et præterea Cruces tres de more annectantur eidem in medio, & in extremis partibus unaquæque Crux sit formæ quadratæ, quæ ab omni parte unciis circiter tribus constet. Stolæ Sacerdotali nihil appendatur; Diaconali verò ab utraque ejus media parte duo funiculi cù flocculis laciniatis, ad illius rectè connectendæ usû.

*Superpelliceum*, seu *Cotta*, è tela potiùs tenui, manicis ita oblongis, ut crispatæ usque ad digitos summos pertingant, quæ esse possunt cubitis circiter duobus, vel circa; latè autem patentibus in orbem circiter cubitis quatuor. In ipso ore potiùs forma sit rotunda, quam quadrata. A pectore nullo modo scissum, aut dissectum. Longè ducatur infra genua, ferè ad media crura. Latè pateat ab extremis oris ambitu cubitis circiter tredecim, ab humeris circiter octo. A nulla parte neque nimis affectata artificiosi operis elegantià elaboratù, ab humeris præsertim nõ specioso artificii ornatu.

*Tabella pacis* gestatoria, aliquo piæ cælaturæ ornatu sit insignis, puta, imagine Pietatis expressa, latitudineque constet unciarum octo, longitudine duodecim circiter; à

tergo manubrium habeat ejusdem materiæ.

*Tabella Secretarum*, non quærnea, non nucæ, neque è ligno subobscurò fit, sed ex abiete, aliave id generis arbore albicante, ne pagina agglutinata obscurescat: latè aliquantò amplius pateat, quàm longè; cornicibus decorè ornata. Prolestis solemnioribus speciosior esse debet, cum cornicibus auratis, & pagina majusculis impressa literis, auroque splendentibus.

*Tabernaculum SS. Eucharistia*, pulchrè elaboratum, piis Mysteriorum Passionis Christi imaginibus exsculptum esse debet, intrinsecùs tabulis populeis circum amictum, quibus ab humiditate sacra Eucharistia defendatur: forma vel octangula, vel sexangula, vel quadrata, vel rotunda. In summo addit imago Christi resurgentis, vel sacra vulnera exhibentis: tû benè clave sit munitum quæ etiam auro liniri deberet. A fronte Altaris summa procul collocatum extet, non minùs cubito uno, & unciis sexdecim, ita ut Corporale latè expandi, & Pyxis, si casus accidat, commodè in Altari poni possit. Neque sub eo sit ullum armarium, neque asservandis quidè libris supellectilive Ecclesiæ sit locus. Porrò serico albi coloris ab omni parte vestiatur. Ostiolum habeat ab anteriori parte ornatù sacra imagine Christi Domini crucifixi, aut resurgentis, aut vulneratù pectus exhibentis, aut alia effigie.

*Tela stragula Altaris*, ad illud operiendum finitis Missis, longitudine, ac latitudine sit, quæ totam illius mensam contegat undique & paulò amplius; item laciniis brevioribus ab omni parte decorè cincta colore viridi.

*Thuribulum*, sit cum quadruplici catenula, & operculo; catenularum autem longitudo sit cubitorum duorum, & unciarum circiter duodecim.

*Tintinnabulum*, pro elevatione Sacramenti, si appendatur, parieti laterali affixum hæreat, & appenso funiculo tam longo, ut minister genuflexus in cornu Epistolæ illud pulsare possit.

*Tunicella*, Subdiaconalis similis sit Dalmaticæ Diaconali, de qua supra; excepto, quod manicas debet habere angustiores, & longiores. Cærem. Episc. lib. 1. cap. 10.

*Vas Hostiarum*, rotundum sit, & latè pateat uncias quatuor pluresve, ut Hostiæ inde promi commodè possint. Utile quoque erit, laminam plumbeam rotundam seri-

eo vestitam Hostiis ipsis superimponere, ut earum curvatura tollatur.

*Vas pro abstergendis Calicibus, & lavandis Corporalibus, æneum paretur, instar pelvis binis manubriis constans, atque ab uno labro ad aliud cubito uno, & unciis octo, pluribusve, pro ratione supellectilis lavandæ, oreque eminenti, per quod, quasi per canallem, aqua lotionis inde paulatim in Sacrarium effundi possit; quod vas huic usui tantum sit reservatum.*

*Velum Calicis, ab omni parte cubito, & unciis duodecim latè pateat; ab oris undique opere serico, auro, argentoque, tenuiter ornatum.*

*Velum pro portanda sanctissima Eucharistia, in Processionibus sit longum sex cubitis; latum, ut veli tela.*

*Velum Pyxidis, sit pretiosum, & quale saltem dedimus Calici.*

*Velum Subdiaconale, longum cubitis sex; latum sit, quanta est propria latitudo veli.*

*Umbella, quæ super Altare ponitur, undique latè pateat, itaut Altare ipsum, & Sacerdos ibi celebrans, omninò contegantur, qua ille & Altare à pulvere omnique labente sordè defendantur: ab Altari tamen decore elata, ut facilè quoque purgari queat.*


*Umbella alia, quæ defertur super SS. Sacramentum in Processionibus, undique habere debet ornatum duplicium fasciarum, quæ duodecim circiter unciis longè pendeant, iisque fasciis confutæ sint ab omni parte fimbriæ cum filamentis satis prolixis. Hastile inferatur inter utramque fasciam, quod rectè extendat latera umbellæ. Hastilia item picta, paribus inter se spatiis disposita, quibus illa tolli, & gestari possit, quatuor plurave, pro ejusdem umbellæ magnitudine, supponantur. Color autem albus convenit huic umbellæ. Et hæc de Supellectili sacra, seu Ministeriali, ad communem Missam.*

*De Supellectili sacra, qua pertinet ad usum Episcoporum, & de forma, & mensura Episcopaliū indumentorum, ordine servato, quo eadem induit Episcopus.*

**C**aliga, ita longæ debent esse, ut usque ad genua protensæ, ligulis in ea parte adstringantur.

*Sandalia, seu Calcei, è solea integra subtus consent; à parte autem superiori ornata, & ex serico Panno leviori, quo & Caligæ.*

Cubiti, qui ex unciis 24. constat, 4. pars unciatim declinata hæc est.



*Tunica*, & *Dalmatica*, amplioribus manicis, quam Diaconalis; & ex eadem materia, qua caligæ, constet: longæ, & latæ sint, ut de Dalmatica Diaconali diximus.

*Chirotheca*, debent esse contextæ, & circulo auro insigniter in extrema parte ornata.

*Subbiretum Mitrale*, formæ rotundæ sit, non quadratæ.

*Mitra*, pretiosior è serico auro intexto, gemmis, & margaritis, aculque opere ornata. Altera auriphrygiata sine gemmis, sine laminis aureis, vel aliquibus parvis margaritis composita, vel ex albo serico auro intermixto, vel ex tela linea aurea simplici sine laminis, & margaritis. Tertia sine auro ex simplici serico Damasceno, vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta, rubeis laciniis, seu frangiis, & vittis pendentibus. In Provincia Mediolanensi adhibetur simplex è tela lini purissimi, coloris albi; circulo auro quem esse notat *Innoc. III. lib. I. Myst. Miss. c. 59.* circumamicta à parte, qua induitur caput: cornua item duo à summo præ se ferens: duas etiam lineas in humeris pendulas habeat, quarum extremitates laciniis constet.

*Annulus*, ex auro puro solidè conflatus pallam habeat cum gemma, in qua nihil sculpti esse debet.

*Gremiale*, longè constet cubitis circiter duobus, latè cubito uno tantùm, & unciis item circiter duodecim, undique cinctum laciniarum intextarum auro, argenteo ornatur.

*Baculus Pastoralis*, à parte ima acutus, à media totus rectus, à summa retortus esse debet. Orario, aut Sudario non ornatur, si Episcopalis est. Longitudine recta est cubitorum trium, & unciarum duodecim: pars verò retorta totidem unciis, aut paulo altius eminet; à summa rectitudinis parte est crassitudine orbiculari unciarum circiter septem, quæ propè ad imam partem descendens paulatim diminutam, unciis quinque constat: connectitur autem cum illa parte recta aliquo opere cælati argenti, quod sexanguli formam exhibens, sacris ornatur imaginibus.

De Nitore, & Munditia prædicta sacra Supellectilis.

**D**Eprompsimus hæc ex actis Mediolan. Ecclesiæ, autore de quo supra, ommissis iis, quæ movere nos debent ad procurandam omnem munditiam in Ministerio Missæ, de quibus præclare scripsit Tobias Corona p. I. c. 76.

Igitur *Altaria* bis singulis annis, cum sudum est, à finitis Missis ad Vesperum spoliata sint, & suppedanea item amota, ut sicci aeris sentiant beneficium; quo tempore, tum *Altaria* ipsa undequaque mundentur, tum *suppedaneorum* pars, quæ subter est. Cum mappæ mutantur, & pallia, *Altaria* ipsa quoque mundentur arundinea scopula; tela etiam cerata, quæ sacro lapidi hæret, leviter purgetur, sive lapis sit insertus, sive totum Altare capiens. Quòd si aliquo casu accideret, ita tectum non esse, ob reverentiam sacri Chrismatis ne purgetur tangaturve.

*Icones*, cum ornamentis suis, Sanctissimæ Eucharistiæ *Tabernaculum*, & quæcumque hujusmodi picta, vel inaurata, adjuncta sunt Altaribus: item *Umbella* superimpendentes singulis mensibus mundentur caudis vulpiniis, aut arundinea scopula.

*Suppedaneum Altaris*, quotidie mundentur arundinea scopula, si in eo sit facienda Missa.

*Arcula*, ad sputum excipiendum, de qua supra, circumfricetur, & purgetur, octavo saltem quoque die; item fenestellæ urceolorum eodem tempore benè purgentur.

*Candelabra*, *Cruces*, *Thuribula*, & reliqua supellex argentea, quantum fieri possit, manibus nudis ne contrectetur; sed adhibito panno, aut velo, parte, quæ argentea non sit, capiatur. Antequam recondatur, excutiat, si quid pulveris, ceræ, aut maculæ accesserit; & extergatur leviter, adhibito linteo, & molli panno. Condita autem sit unaquæque res theca sua, ne quid fordiū capiat. Cum tamen aliquid purgatione egere visum fuerit, palea combusta, adhibito panno lineo, leniter præstabitur. Quòd si quid valde sit denigratum, putà thuribulum ignis causa, aut etiam, multa cera adhæserit, in lixivio, cui sal

fit admixtum, ebulliente, detergendum erit, adhibito pennicillo ex fetis suillis confecto: caveatur tamen, ne, si quæ pars inaurata sit, aurum vi salis deteratur; & confusantur periti.

*Calices bini, & Patena* binæ, saltem ubi duodecim Sacerdotes Missam faciunt, quintodecimo quoque die levi manu aqua tepida laventur; sexto quoque mense, saponem molliori, tuncque post quartam horæ partem qua maneat in sole, calida lixivia bene abluantur, adhibendo pennicillum aliquem ad saponem bene amovendum, præfertim ubi fuerit cælatura. Poterit etiam id fieri fursure costo, & tunc statim aqua munda bis, aut ter abluendi essent. Præstetur autem ab eo, qui in Sacris sit, & in vase ei usui, & lavandis Corporalibus, de quo supra, tantum destinato: quod ex ablutione superfuerit, in Sacrarium fundatur. Ubi verò minor sit numerus Sacerdotum, rariùs id fieri poterit, ex proportione numeri Sacerdotum.

*Supellex argentata, aut inargentata*, eadem cautione tractetur, quo argentea: si semper est exposita, octavo quoque die panno lineo tergatur molliter; si recondda sit, tergatur tunc; Poterunt etiam inaurata saponem, aut fursure purgari, ut dictum est de Calicibus.

*Candelabra, & cætera ex aurichalco*, tractentur adhibito panno, vel ferrea summitate capiantur: si perpetuo usu adhibeantur, terno quoque die à pulvere & cera, si fortè defluerit, mundentur; si reponenda sint, tunc quoque id fiat. Prætereà quarto quoque mense, si numquam fuerint exposita, abstergantur diligenter pulvere pumiceo, aut eo quem dicunt *Tripoli*, (quem æstivæ muscæ fugiunt) adhibito corio bubalino: aut si utrumque desit, latere in tenuissimum pulverem redactò, & loco corii, panno asperiore, quem dicunt *Saja*; nullo verò modo hac ratione adhibenda erit aqua. Nitidiora fiunt (sed non diù durat nitore) si fricentur malo Medico, seu Massilico, vulgò *Arancio*, ò *Limone*, vel Gallicè, *Orange ou Limon*, & marmore trito; seu vice majorum, uvis agrestibus, vel herba arida, denique aqua bene abluantur; tum siccantur, & soli exponantur: aceto nunquam abstergantur. Recondita verò hujusmodi

telaribus crassioris chartæ, aut saccis lineis amicta habeantur, qui pulverem arceant, ut nitida semper & lucida appareant.

*Lampades vitreae*, quæ sunt semper quotidiani usus, quintodecimo quoque die fursure, & aqua calida abstergantur.

*Urceoli*, præter id quod quotidie fit, singulis mensibus diligenter purgantur, adhibito ovorum cortice bene contrito, cum ligneolo aliquo instrumento, ad fordiculas bene eluendas, aut verò alia ratione, si quæ aptior inveniat. Opercula urceolorum quotidie, cum reponuntur, bene siccantur, si madeant.

*Pelvicula* eorumdem, quotidie abstergantur, siccanturque; si stannea fuerint, tertio quoque mense lixiviam ferventem laventur, & avena, vel farre vestito, seu ovorum cortice bene contrito fricentur; post iterum aqua lotæ, in sole siccantur, & panno lineo mundo abstergantur.

*Aenea vasa*, pro ablutione Calicum, &c. antequam adhibeantur, & post, bene abluantur: bis verò singulis annis abstergantur accuratè, si opus est, latere contrito, vel arena, & aqua; si stanno sunt illita, adhibeantur fursur, & aqua.

*Instrumentum ad Hostias* conficiendas, cum eo usus fuerit Sacrista, aut alius, oleo perfundat, & utramque partem, charta interposita, simul jungat, quæ in exteriori parte fuligo hæserit, abradat, postea eandem partem crassiore panno tergat, & in loco decenti reponat.

*Linea omnia*, Albæ, Amictus, Supellicea, Mappæ, Panni, & si quid aliud est divini cultus gratia paratum, separatim ab indumentis domesticis cujuscumque laventur; quæ tamen habentur ad manus, faciemque lavandam, & ad nares purgandas, hoc numero ne censeantur.

*Ternæ Altarium mappa*, superior quidem singulis mensibus, inferiores verò quater in anno mundæ apponantur.

*Bina Corporalia*, tertia quaque hebdomada, binæ Albæ decimo quinto quoque die, Cinguli alternis mensibus, Manutergia Altarium, bini Amictus, octo dierum spatium mutentur, & hæc saltem, ubi duodecim Sacerdotes Missam faciunt. Ubi autem pauciores sunt Sacerdotes, ex defectu numeri Sacerdotum poterit augeri pro rata

parte numerus dierum; & è contrà, ubi plarimi Sacerdotes, minuendus erit quodque numerus dierum.

*Purificatoria*, singulorum Sacerdotum (convenit enim unicuique suum) spatio octo dierum, vel ad summum quindecim, Superpellicea, quæ usui vario Sacerdotium, aut Clericalium ministeriorum destinata sunt, ad eandem serè rationem. In suppedaneo armarii, seu mensæ, ubi Sacerdos consistit, sacra indumenta sumens, perpetuò stratus sit crassior pannus, ne qua parte Alba fædetur.

*Lintea*, Sacristiæ ad manus extergendas singula hebdomada munda ponantur; tum valdè humido cœlo quotidie siccantur ad mota igni.

*Mappa*, ad sanctæ Communionis usum, contractiores quidem alternis hebdomadis, majores verò alternis mensibus mutantur. Quod autem hæc mutationum intervalla præfinitur, non idè tamen extraordinariè quoque fieri non poterunt, si oporteat; putà, si ex labe, quæ fortè aspersa sit, aut alia de causa. Præcipuis solemnitatibus munda omnia adhibeantur pulchriora.

*Mappa Altarium*, finitis Missis, contegantur stragulis suis; priùs verò leviter purissimam scopula, ejus generis, quod vestimentis domesticis adhibetur, propriè tamen ad eum usum destinata, purgentur; ipsa stragula singula hebdomada diligenti agitatione à pulvere mudentur; præter id, quod etiam quotidie manè eadem leviùs excuti debent: tum aeri tertio quoque mense exponantur.

*Corporalia*, & *Purificatoria*, cum remonentur, ut alia adhibeantur, ponantur in arcu, seu canistro ad eum tantum usum destinato; & antequam dentur foras ad lavandum, ab eo, qui sit in sacris, laventur in proprio vase, de quo supra, lixiviam, & sapone adhibito, & mox bis aqua sola abluantur. Quod ex lavatione superest, in sacrarium fundatur.

*Alba*, & *Superpellicea*, lavata, crispanda dentur; quoties reponuntur, aptè saltèm contorqueantur, si non crispentur.

*Corporalia*, item dentur personis peritis, ut amylo inducta, ea durefcere faciant, & complicant præscripta ratione; tempus huic operi aptum erit à mense Majo ad Octobrem.

Recondantur autem hæc linea omnia bene sicca, & complicata, separatim suis locis, ut sint in promptu; apponanturque rosæ siccæ, & lavandula, aut similia; tum ad majorem munditiam, & elegantiam; tum ut à tineis libera sint: nullus Sacerdos accedat ad Missam faciendam foedis calceis, aut crepidis; idè semper habendæ essent crepidæ in Sacristia ad hunc usum.

Habeatur etiam in Sacristia, *Scopula*, qua Sacerdotes, & Clerici utantur ad indumenta communia mundanda, antequam vestiant sacra.

Omnia indumenta distinctis propriis scriniis habeantur, & secundum coloris, prætiique varietatem; linea quoque pro genere, & pretio sint distincta, appositis schedulis.

*Casula*, recludantur ductilibus capsis, quæ in armaria inserantur; atque posita crassiore charta, quæ fundum capsæ contegat, appositisque siccis rosarum foliis, & lavandula, aut similibus, ponatur Casula cum Stola, & Manipulo suo; mox alia ejusdem generis pro magnitudine capsæ. Addantur bursæ Corporalium, & integumenta, si adsint, Missalium. Recondantur verò Casulæ benè extentæ sine ruga, aut plicatura; eodem modo, *Dalmatica*, & *Tunicella*; super omnia autem alia charta sit, ut res munitiores servantur. Quæ sunt ex aureo, vel argenteo panno, aut ornamenta habent auro, vel argento asperiora, habeant pannum inter utramque superficiem, ne conficata corrodentur.

*Pluvialia*, maximè si aurea, vel argentea sint, vel recondantur in amplo armario extenta, vel plicata recondantur; ita tamen, ut nullo modo inflectatur pars pensilis, quæ à tergo est, (vulgò Caputium,) & interponatur pannus, ut dictum est.

Quandocumque extrahuntur hæc indumenta, supponatur eis mappa munda; imò & stragulum substernatur, si aliquo spatio relinquenda sint.

Quæ raro adhibentur, quandoque in sereno cœlo explicata exponantur, ne fortè mucescant, vel malè oleant; sed non in sole: poterit id fieri mense Majo, vel Septembri, & semel in hyeme pro opportunitate temporis.

*Pallia Altarium*, semper habeantur, si fieri possit, suis telaribus extentè affixa, ut sit præ

præ diximus; poteruntque uni asferculorum structura duo affigi diverſi coloris, ut pro diei conditione neceſſe non ſit, niſi vertere telaris faciem; ita in amplo armario erecta habeantur, dempta linea filamentorum, (quam vocant frangiam,) quæ aſſuta non ſit. Interponatur autem pannus, ſive inter duas facies palliorum in armario, ſive inter Pallii, & Altaris faciem, ad vitandam eam, quam diximus, confricationem. Commodium verò erit, pannum aded eſſe latum, ut utramque telaris faciem, & ſic pallia ab utraque parte affixa contegat; & ita in media ſui parte affixus telari, nunc quidem hinc extendatur, & ab omni latere ligaculis connectatur; nunc verò ad unam partem tantum, prout duas facies telaris aut unam contegere oportuerit. Quòd ſi pliocanda fuerint, ita fiat, ut ſi quæ Crucis ſpecies, aut imago affixa eſt, non inſlectatur; cautioque adhibeatur, ſi oportet, interpoſiti panni.

*Tapetia*, craſſioresque panni ad ſoli inſternendi uſum, cum recondenda ſunt, priùs purgentur cera, & ſi quid aliud ſordidum adhæſerit; aeri poſt exponantur, & diligenter exagitentur ad excutiendum pulverem; ſcopula benè mundentur, & ita complicata, ſuis locis recondantur.

Sacriſtiæ fenestræ sæpè pateant, ſereno, ſiccoque cœlo; tum capſulæ ductiles paululum educantur; ut etiam quæ intus ſunt, ſentiant aeris beneficium.

Cæterum, ea debet eſſe reverentia erga ſacram Supellectilem, tamquam divino ſervitio mancipatam, imò tamquam ſancti-

monix participem, quæ nimirum eſt ſanctitatis instrumentum; unde & ſancta ea vocantur in Scripturis Sacris, Pontificiis legibus, Patrumque monumentis; ut nihil ejuſdem non modò negligatur, verum etiam exquiſita cura, & diligentia colatur. Non enim, utait *D. Hieronym. in epiſt. ad Theophyl. Alex.* inania ea ſunt, & quæ quaſi ſenſu carentia ſanctimoniam non habere dicuntur; ſed ex conſortio Corporis, & Sanguinis Domini ſublimi majeſtate ſunt honoranda. *Lege*, quæſo, quæ Tobias Corona ſupradictus in hanc cauſam allegat, c.77. de ſacris Templis, p. 2. ubi docet, idèd prohiberi multa circa eam, videlicet.

Primò, non omnem ſupellectilem tangi poſſe à quocumque.

Secundò, neque à quocumque quamcumque ablui poſſe; aquamque lotionis in Sacrarium projiciendam eſſe.

Tertiò, quæ ampliùs uſui eſſe non poſſint, ea nequaquam in profanos uſus detorquenda eſſe; ſed ea comburenda eſſe, & cineres in Sacrarium inferendos; quæ nos etiam ſuis locis indicavimus ſuprà.

Quartò, nec alienari poſſe, vendi, oppignorative, exceptis quibuſdam caſibus, de quibus *S. Ambroſius lib. I. Offic. c. 41.* & habetur in *Breviario quarta die infra Octavam S. Laurentii.* Vide ibid.

Addit ille exempla multa piorum hominum, & è converſo indignationis Omnipotentis Dei contra ſacrilegos, impios, & deſides in hoc genere, ad quem Lectorem remittimus, ne inſtituti noſtri metas tranſeamus.



# EXPOSITIO TABULÆ. 429

**I.** **H**æc tabula habet quinque partes. Prima 42. cellulas continet, quarum unaquæque habet unam ex septem literis Kalendarii, vel triplicem numerum.

Secunda pars posita ad latus primæ sex constat cellulis, cum numeris 2. 3. 4. 5. 6. & 23. in illis.

Tertia pars posita sub prima continet 28. cellulas, quibus includuntur Dominicæ Augusti, Septembris, Octobris, & Novembris, & ter literæ Kalendarii.

Quarta collocata ad dexteram secundæ claudit sex cellulas cum numeris 3. 4. 5. 6. & bis 24.

Quinta complectitur septem infimas cellulas, in quibus sunt quatuor ultimi dies Novembris & totus December.

**II.** Pro cujus intelligentia, Nota, numerum 3. Rubricæ 4. Breviarii, quæ est de Dominicis, assignare in proprio de tempore Officium sex Dominicarum post Epiph. & 24. post Pent. ut compleatur numerus 30. Dominicarum, quæ esse possunt ab Epiphania ad Septuag. & à Pentecoste usque ad Adventum, ne ulla ex his Dominicis vacet, quin saltem de ea fiat commemoratio. Nam quæ aliquando superfunt post Epiph. ante Septuag. ponuntur post 23. à Pentecoste.

**III.** In his duobus spatiis temporum triginta reperiuntur, quando litera g, vel A currit; & in annis bissextis gf, Ag, vel bA: vigintinovem tantummodo celebrantur propriis diebus, quando alia vel aliæ literæ currunt: tumque numeri 4. 5. & 6. citatæ Rubricæ 4. præcipiunt, ut fiat Officium, vel saltem commemoratio alicujus Dominicæ extra proprium diem, nempe in Sabbato, vel alia feria, quæ præcedit Septuagesimam, seu ultimam Dom. post Pent. ut fufius ibidem declaratur, & infra declarabimus in expositione 2. partis hujus tabulæ.

**IV.** In Augusto, Septembri, Octobri, & Novembri, Homiliæ Dominicarum separantur à Lectionibus 1. & 2. Nocturni, & seorsum collocantur post dictos 4. Menses ante proprium sanctorum. Lege huc nu-

mero 8. rationem illas copulandi per primam, & tertiam partem hujus tabulæ.

**V.** Quando inter Pent. & Adventum sunt plures viginti quatuor Dominicis, quarta pars hujus tabulæ docet ordinem Dominicarum post Epiphaniam (omissarum ante Septuag.) quæ ponendæ sunt post 23. Dominicam post Pent. ut videre est infra num. 13. & 14. Ex dictis colligere licet quantum levamenti hæc tabula offeret, cum has difficultates (quæ expertissimos in Officio divino fatigant) è medio tollat.

**VI.** Quinta pars sub tertia collocata statuit (sicuti cæteræ) suas Dominicas è directo die Paschæ, cujus ultima raro proprio die celebratur: lege num. 22. hujus expositionis.

## *Prima pars.*

**VII.** Post literas b, c, triginta quinque cellulas habet, & earum unaquæque triplicem numerum: supra vel infra cellulam quæsitam notatur litera Dominicalis, quæ illi convenit.

Primus ex tribus jam dictis numeris est aliquis dies Januarii, vel Februarii, in quem Dominica Septuagesimæ cadere potest. Secundus est aliquis dies Martii, vel Aprilis, in quem Dominica Paschæ potest incidere, è regione cujus (utpote centri reliquorum) invenitur in tabula quidquid notari, seu observari potest pro uno anno: incipiunt autem duo superiores numeri cellularum hujusmodi primæ partis à 18. Januarii, & 22. Martii, & terminantur ad 21. Februar. & 25. Aprilis. Ad dignoscendum verò quifnam ex triginta quinque sumi debeat pro anno currente, consulatur tabula temporaria Kalendarii. Exemplum. Pone Pascha 25. Aprilis, & habebis Septuagesimam die 22. Februarii: qui dies jungitur in eadem cellula 25. Aprilis. Nota obiter, in annis bissextis numero assignato pro Dom. Septuagesimæ in tabula, addendum esse unum diem, & literæ Paschali unam literam Dominicalem. Exemplum. Septuagesima incidet in anno bis-



sexto in 22. Februarii, quando Pascha cadet in 24. Aprilis; habebitque literam d, loco literæ c, posita supra 25. Aprilis. Numerus 3. infervit ad copulandas lectiones Dominicarum tertiæ partis cum Homiliis convenientibus, ut sequitur; rejecta explicatione secundæ partis post explicationem quartæ.

*Tertia pars posita immediate sub prima.*

Pro cujus intelligentia, lege numerum 8. Rub. 26. quæ est de Lectionibus: item rubricam collocatam ante librum 3. Regum, seu Dominicam 7. post Pent. Observa etiam, quod Dominica 1. Augusti adveniente, si quæ Lectiones de libris Regum super sunt legenda, omittuntur, sicuti omittuntur Lectiones S. Pauli adveniente Septuagesima.

VIII. Tertia pars assignat Dominicas Augusti, Septembris, Octobris, & Novembris (quoad 6. primas Lectiones, & omnia Responsorialia) è directo die Paschæ propositi. Homilia verò Dominicæ 1. Augusti. petenda est ex cellula Paschali currente, collocata in 1. parte, nempe Homilia 7. 8. 9. 10. 11. vel 12. post Pentecostem. Vide finem expositionis 1. partis. Exemplum. Si Pascha occurrat 28. Martii, Domin. 1. Augusti incidit in 1. diem ejusdem mensis, qui in tertia parte primò notatur sub die 28. Martii posito in prima parte: habebitque Homiliam 11. post Pent.

IX. Homilia Dominicæ, quæ sequitur Homiliam jam dictam, recitabitur Dominica 2. Augusti notata in Tabula sub prima: & sic consequenter usque ad ultimam Domin. post Pent. Exemplum. Si Homilia Dominicæ 7. post Pent. lecta sit Dominica 1. Augusti, Homilia Dominicæ 8. legetur Dominica 2. Augusti. Et ita de cæteris.

X. Quando prima dies Mensium Augusti, Septemb. Oct. & Novemb. incidit in feriam 2. 3. vel 4. præcedens Dominica est prima eorumdem mensium, quoad Officium. Exemplum. Si Pascha celebretur 26. Martii, 2. 9. 16. & 23. Aprilis, fit Offic. de Dominica 1. Novembris die 29. Octob. & sic de reliquis, ut patet ex distinctione Mensium facta in tabula Rub. Breviarii 4. n. 7.

XI. Cellulæ hujus tertiæ partis, quæ includunt unam literam Dominicalem, ha-

bent tantum quatuor numeros, exceptis sexta & septima, quibus dantur quinque. Quando quatuor tantum numeros habent, non sunt Mensi nisi quatuor Dominicæ; & tunc omittitur quinta ejusmodi mensis. Atamen mense Novembri (cui numquam dantur quinque Dominicæ, nisi litera Dominicalis sit A, ) loco quintæ hebdomadæ omittitur secunda, cum Antiphona præcedentis Sabbati, cujus loco dicitur Antiphon.

*Muro tuo.*

XII. Ex Dominicis prædictorum quatuor mensium sumendæ sunt sex primæ Lectiones, & omnia Responsorialia, & Antiphona præcedentis Sabbati ad Magnif. Hymni assumpti Dominica 3. post Pent. ad Matutinum, & Laudes, mutantur Dominica 1. Octobris. Ex Dominicis post Pent. sumuntur Oratio, Homilia, Antiphona ad Bened. & Magnif. (& omnia per ordinem in ea parte Breviarii, quæ sequitur eisdem quatuor mensibus, incipiendo ab Homilia Dominicæ 3. & Missa. Nihilominus à Dom. 23. usque ad Adventum servandus est ordo quartæ partis, quæ sequitur.

*Quarta pars juxta secundam posita, ad dexteram prima.*

XIII. Hæc 4. pars ordinat ultimas Dom. post Pent. Quòd si Pascha directè respiciat numerum tertium hujusce partis, Domin. 24. post Pent. mutuabit à Dom. 3. post Epiph. Orationem, Homiliam, Antiphonam ad Bened. & Magnif. Et pro Missa, Orationem, Epistolam, & Evangelium ejusdem Dominicæ 3. Reliqua sumentur ex Missa Dominicæ post Pent.

Dominicæ etiam 4. 5. & 6. post Epiph. eadem suppeditabunt pro Dominicis 25. 26. & 27. post Pent. ut ponatur Officium Dominicæ 24. in Dominic. 28. Nam idem Officium Dominicæ 24. semper ultimum locum tenet, nempe illam Dominicam, quæ immediate Adventum Domini præcedit.

XIV. Si verò Pascha respiciat numerum 4. 5. vel 6. hujus partis, Dominica 4. 5. vel sexta post Epiphaniam eadem respectivè dabit Dominicæ 24. quæ notantur numero præcedenti. Porrò numeri collocati sub illo qui Dominicæ 24. servit, servient quoque Dom. restantibus: dato semper (ut supra) ul-

ultimo loco Officio Dominicæ 24. quamvis annus habeat tantum 23. Dominicas post Pentec. Nam illo anno Officium Dominicæ 23. fiet extra proprium diem, ut mox dicemus in explicatione secundæ partis.

*Secunda pars collocata inter primam, & quartam.*

XV. Dictum est n. 3. hujus expositionis, quod quando duobus temporibus ibidem relatis sunt tantum 29. Dominicæ, una Dominica ponenda sit extra proprium diem. Hujusmodi autem Dominica notatur è regione diei Paschæ propositi, videlicet 2. 3. 4. 5. vel sexta post Epiph. vel 23. post Pent. cujus Officium fieri debet ut sequitur.

XVI. Quando Pascha celebratur die 24. vel 25. Aprilis, Officium Dominicæ 23. ponitur in Sabbato penultimo post Pent. non impedito festo 9. Lectionum, alioquin in alia præcedenti die (quæ proximior sit ipso Sabbato) similiter non impedita; in qua fiat Officium de feria, cum commem. festi simplicis si occurrat: & in ea legantur tres Lectiones de Homilia Dominicæ, ommissis, vel translatis (si sint initium aliquod) Lectionibus Scripturæ illius ferie, cujus tamen Responsorium dicuntur. In Sabbato dicitur Responsorium 7. Dominicæ, Responsorium 2. & 3. ferie 2. nempe, *Laudabilis populus, Angustia, Miste Dominus*, vide Rub. novi Brevariarii de Responsois post Lectiones, n. 5. In Laudibus dicatur Antiphona ad Benedictus, & Oratio de Dom. 23. In Missa de prædicta Dom. 23. extra proprium diem celebrata non dicitur, *Gloria in excelsis*, nec *Credo*.

XVII. Si tota hebdomada impedita sit festis 9. Lectionum, etiam translatis, vel aliqua Octava; tunc in Sabbato legitur 9. Lectio de Homilia præfatæ Dominicæ 23. & de ea fit commemoratio in Laudibus tantum, cum Antiphona, & Oratione propria; etiamsi illud Officium in Sabbato celebratum sit 1. classis. In Missa verò de hujusmodi Officio 9. Lectionum fit commemoratio, & in fine legitur Evangelium ejusdem Dominicæ. In fine autem Missæ votivæ numquam legitur aliud Evangelium quàm Evangelium *in principio*.

XVIII. Si de Dominica 2. 3. 4. 5. vel sexta

post Epiph. agendum sit extra proprium diem, fit de ea in Sabbato, vel alia feria (ut supra num. 16. & 17. præscribitur) quæ præcedunt Septuagesimam.

XIX. Quando de Dom. 2. post Epiph. agendum est (ut supra num. 16. & 17.) si Sabbatum fuerit impeditum festo 9. Lectionum, fit de ea prima die post Octavam ejusdem Epiph. Festum verò semiduplex in ea occurrens transfertur in primam diem similiter non impeditam: duplex autem particularis Ecclesiæ, Religionis, &c. v. g. Nominis Jesu, non transfertur, sed tunc proximè sequens semiduplex, ut locum cedat præfatæ Dominicæ secundæ.

XX. Responsorium post Lectiones de Homilia harum Dominicarum post Epiph. extra diem proprium positarum dicuntur de feria occurrente: & in Sabbato sumuntur Responsorium ferie 4. juxta Rubricam novam supra citatam num. 4. Sed si tria prima Responsorium Dominicæ nondum sint illo anno recitata, ponuntur loco Responsoriorum ferie currentis.

XXI. Si reliquis diebus hebdomadæ post factum Officium de una ex dictis Dominicis post Epiph. legendum sit de Scriptura occurrente, lege de Scriptura ejusdem Dominicæ extra proprium diem celebratæ, & sequentium feriarum, ita disponendo Lectiones, ut (si fieri possit) omnia initia Epistolarum sancti Pauli, quæ ab ultima Dominica post Epiph. celebrata proprio die, usque ad Sabbatum Dominicæ infra hebdomadam positæ, ut dictum est, assignantur, in ipsa hebdomada Septuagesimam præcedente, legantur. Rub. 26. n. 6. 7. & 8.

*5. Pars collocata sub tertia.*

XXII. Vide numerum 6. hujus expositionis. Si festum sancti Andreæ cadat in feriam 2. 3. vel 4. Dominica præcedens est prima Adventus. Quando litera Dominicalis est f, fit Officium de Dominica infra Octavam Nativitatis Domini proprio die, translato in crastinum Officio S. Thomæ Cantuariensis. Si litera sit A, die 30. Decemb. fit Officium de Octava hujusmodi Nativitatis, cum commem. aliarum Octavarum: de Dom. verò infra Octavam ejusdem Nativ. fit commem. cum 9. Lectione de Homilia,

& in

& in Missa cum secundo Evang. in Officio S. Sylvestri. Extra hos duos casus fit semper Offic. de ipsa Dominica die 30. Decembris, cum comm. aliarum Octavarum.

*Notanda pro Octava Epiphania.*

XXIII. Occurrente litera Dominicali d, in primis Vesp. Dominicæ celebratæ infra Octavam Epiphaniæ, pro commemoratione Octavæ, Antiphona *Omnes de Saba*. Vesp. *Adorate Deum, alleluja*. Resp. *Omnes Angeli ejus, alleluja*.

XXIV. Quando litera f, est Dominicalis, Officium Dominicæ r. post Epiph. ponitur in Sabb. præcedenti diem Octavæ: in quo tres primæ Lectiones leguntur adhuc de Epistola ad Romanos: initium verò Epistolæ r. ad Corinth. ponitur in die Octava.

XXV. Quartus quisque annus bissextilis est. Verbi gratia 1644, 1648, 1652, 1656,

1660. exceptis centesimis. Nam post annum 1700. qui deinceps consequentur non omnes bissextiles erunt, sed in quadringentis quibusque annis primi quique trecentesimi sine bissexto transigentur ex Constitutione Gregorii XIII. quartus verò quisque centesimus perpetuò erit bissextilis. Hinc quilibet sine mora potest advertere quando annus bissextilis occurrat.

XXVI. Quando Pascha celebratur die 24. vel 25. Aprilis, inveniuntur sex Dominicæ inter Epiphaniam, & Septuagesimam; & 23. inter Pent. & Adventum. Aliis temporibus numerus addendus numero secundæ partis, qui respicit diem Paschæ propositi, ut compleantur 30. est numerus Dominicarum celebrandarum inter Pent. & Adventum. Exemplum: addere oportet 28. ad numerum secundæ partis, ut compleantur 30. quapropter 28. erunt Dominicæ inter Pentecosten & Adventum, si numerus 2. directè respiciat diem Paschæ propositi.

L A U S D E O.